





THEOLOGIA

SCOTICA DOGMATICA

IN QUARTUM SENTENTIARUM

MAGISTRI

AD MENTEM SUBTILIS DOCTORIS

EXPLANATA.

PER R. P. FR. ANTONIUM HERAS,
*Regularis Observantia S. P. N. Francisci Filium, Lectorem Jubilatum, Ex-Custodem Provincia Burgen-
sis, & nunc Guardianum Conven-
tus Lucroniensis.*

TOMUS PRIMUS.

CONTINENS TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO,
de Confirmatione, de Poenitentia, & de Ex-
trema Unctione,

IN QUIBUS NON PAUCA DE ECCLESIASTICA DIS-

CIPLINA INVENIUNTUR.



POMPELONE: EX TYPOGRAPHIA BENEDICTI COSCULLUELA,
ANNO MDCCLXXXII.



ILLUSTRISSIMO,

AC REVERENDISSIMO

D. D. JOANNI LUELMO , ET PINTO , DEI GRATIA , ac Apostolicæ Sedis Calagurritano , ac Calceatensi Episcopo , Domino Villæ de Arnedillo , ac Regio Consiliario &c.



UAMOPTIME , OBTE^{NTA} MIHI^{VENIA} , Illustrissime , ac RR. Princeps , quamoptimè Vestra noscit eminentis discretio , quòd , sicut infinitus est stultorum numerus , id Sacro attestante Textu , sic quoque , ac pariter innumeralis fuit semper severorum Censurum exercitus. Expertum est enim omnibus fere sæculis , quòd nedum imperitorum turba sua belligerata est insipientia adversus sapientium Authorum laboriosum studium , ac discretionem , sed etiam , & acrius quidem , ac aculeatè obcæcata passio hominum tortuosæ voluntatis , etsi alioqui non sint insipientes. Sunt quippe non pauci , qui [sed turpiter quidem] lucrum suum proprium reputent , si quod in alterius gloriam redundare possit , assequantur obnubilare , ac dedecus inferre. Utrumque talium hominum genus cunctis semper fuit formidandum , sed magis adhuc secundum , quàm primum. Huic verò turpi malo , ac vetustæ infirmitati inventa est medicina suavis , & efficax valde , si rectè appositæ sit , prudenter , ac debitè. Et quæ est ita ? En illam. Ad hujusmodi igitur Censurum , sive insipientium , sive malignantium jacula repellenda , atque ad litteraria opera sua ab hisce periculis , & morsibus vindicanda , sub Magnorum Procerum tutelam confugere Scriptores consueverunt , ut

illorum honorificentia , & authoritas à quocumque hostili incursu eos facile tueretur. Hac provida , ac efficaciter suavi providentia sua opera hilariter valuerunt in apertum prodire , ac timorem , pusillanimitatemque cunctam fidenter depellere : ob quod discretissimè dixerat sententiosus Sophocles : *Parvus enim cum magno optimè agit.* Et meritò quidem , ac scité : sic etenim estimationem , quam per se nequibant Scriptores assequi , Protectorum talium consequantur authoritate , sub qua oblectabantur frustra se non laborasse. Discretissimam ergo hanc praxim , & Antiquorum prudentem stylum , ego nunc placidissimo insequor animo. Quapropter sub Illust. Dominationis Vestrae tutelam recipiens me totum , eximia , ac sacrae Magnitudini Vestrae opus hoc humili veneratione offero , ut quod ex me nullius valet pretii evadere dignum , ex Vestro omnimodis venerando patrocinio prodeat non adeo parvum , possitque in literario orbe , ac inter tot Theologorum scripta suum sine robore aliquantulum levare caput. Nec miretur quis , Illustrissimae Dominationi Vestrae me has exiles lueubrationes sacrare , cum clarius sit meridiana luce , beneficia innumerable esse , quibus filii Seraphici Patriarchae S. Francisci cumulati sunt perpetuò à paternali Vestra benignitate. Tot sunt praecones , quot fratres hujus erga illos eximia Vestrae beneficentiae. Qua de causa hilari gratitudine repleti possunt omnes cum regio Psalmista una voce clamare : *Mirabilia nobis opera tua , ideo scrutata est ea anima nostra.* Et si ita Stigmatizati Parentis inclamare possunt gratitudine pressi , quid ego faciam ? Quid dicam à Vestra miseratione cumulatus gratiis , à tempore maximè , quo Calagurritano S. Salvatoris Conventui , quamvis valdè indignus , praefui ? Dicam , quin cessem : *Multis me beneficiis ornasti , multa in me beneficia contulisti.* Quam ergo gratiam pro tanto merito referam ? Nescio respondere : scio tamen , benevolentiam erga me Vestram magnificè me commendare posse , rependere non posse. Ideo tanti beneficii recordatio

gra-

grata mihi semper erit , nunquam Vestrae in miserationis memoria deficiet , nusquam consenescet. Sit irrevocabile signum hujus meae sinceræ asseverationis hæc mei operis Sacro-Theologo-Dogmatici consecratio tantæ Magnitudini , quodque si Vestram consequatur acceptionem , sacratius proculdubio evadet. Præterea : cui sanè alteri aptius dicari possant libri de Christi Domini nostri Sacramentis pertractantes , & insimul de Sacrosanctorum Conciliorum definitionibus , doctrinis , ac Ecclesiae disciplinis , quam illi , qui Sacramentorum est primarius , & præcipuus Minister , qui Conciliorum est Pater , qui Ecclesiae est Princeps , & cui Dominus sui gregis curam commisit ? Aptius utique , & proprius nemini alteri. Quòd enim fideles dignè Sacramenta venerentur , & sciant , atque dignè ad illorum susceptionem se disponant , ad munus attinet Pastorale , quòd V. Illust. Dominatio per plusquam octodecim annos meritissimè exercet , & infatigabili adimplet solitudine. Igitur postquam in S. Cathedrali Palentina Ecclesia Poenitentiariae Cathedram obtinuit , atque officium hoc sapienter pariter ac prudenter complevit , inde vocatus , & assumptus ad Praefecturam Calagurritanæ , ac Calceatensis Ecclesiae , ejus muneris partes perfectè explevit. Episcopus namque consecratus , Dominatio Vestra prudentiae suae radios circumquaque diffudit , zelo Ecclesiasticae disciplinae , pacis studio , misericordia in pauperes , Paternali in subditos lenitate , omnique signo benevolentiae , ac monumento amoris , perspicuè micavit , quo sanè ex vetusta nobilissima Prosapia scisus se etiam munificè ostendit. Quia verò tantam rem , totque dotes comprehendere ultra meas vires nosco omnimodè esse , satius erit silere : plus enim persepe dicitur silentio , quam exprimi potest calamo. Unum tantum silentio præterire non præstat , videlicet , iterum humiliter obsecrare , ac filiali veneratione iterum exorare , ut Vestra Illust. Dominatio placidè accipiat hoc leve munusculum , & sub magnifica sua tutela hoc constituat Sacramentorum Ecclesiae Christi opus , quod

in

vi
in lucem editum venerabundus offero. Interim Paternam Vestram benedictionem exopto, veniam consequi firmiter exopto, & Dominum Jesum, ac suam sine Originali labe conceptam, ac perinde purissimam Genitricem, sine fine deprecor, ut bona cuncta, quæ te suscipere dederunt, exequi per multos, atque foelices annos largire dignentur.

V. Illust. Dominationi humilimus filius,
ac gratus, & obsequiosus servus
Fr. Antonius Las Heras.

FR. JOANNES DE URQUIZU, LECTOR JUBILATUS, Ex-Diffinitor, Pater Provincia Sancti Michaelis in Extremadura, Minister Provincialis Provincia Burgensis, & Servus, &c.

Tenore presentium, & quantum nostra interest, nostram benedictionem impertimus R. P. Fr. Antonio Heras, Lectori Jubilato, Ex-Custodi, & filio hujus Provinciae Burgensis, ut typis mandari possit opus elaboratum in quartum Librum Sententiarum juxta miram mentem Mariani Subtilisque Doctoris, eò quod de commissione nostra fuerit recognitum, & approbatum à Theologis dictæ nostræ Provinciae, servatis aliis servandis. Dat. in hoc Sancti Salvatoris Calagurritano Conventu die vigesima prima mensis Octobris anni milleximi septingentissimi septuagesimi noni.

Fr. Joannes de Urquizu,
Minister Provincialis.

De mandato S. Adm. R. P.
Fr. Celedonius Irizar, Secret. Prov.

NOS

NOS EL DOCTOR DON MATEO JOSEPH DE AREIZAGA, Presbitero, Gobernador, Provisor, y Vicario general de este Obispado de Pamplona por el Ilustrissimo Señor Don Agustín de Lezo, y Palomeque, Obispo de dicho Obispado, de el Consejo de su Magestad, &c.

POR las presentes certificamos, y hacemos fee, que habiendose presentado ante Nos un Libro, cuyo titulo es: *Theologia Scotica Dogmatica, in quartum Sententiarum Magistri, ad mentem Subtilis Doctoris explanata, Tomus primus, & secundus*, que desea dar á la Prensa su Autor el Padre Fr. Antonio Heras, Guardian del Convento de San Francisco de la Ciudad de Logroño; y cometido su examen al R. P. M. Fr. Joseph Sicilia, Religioso del Orden de Predicadores de esta Ciudad, por su censura nos ha conestado, que no contiene cosa contraria á nuestra Santa Fé, y buenas costumbres. Por tanto, por lo que á Nos toca, no hallamos inconveniente, ni reparo en que se imprima, y salga al publico: Y en conformidad de lo dispuesto por el Santo Concilio de Trento Sess. 4. Decret. de Editione, & usu Sacrorum librorum, mandamos, que en el principio de cada libro, se ponga un exemplar de las presentes. Dadas en la Ciudad de Pamplona à diez y siete de Octubre de mil setecientos ochenta y uno.

Doctor Areizaga.

Por mandado del Señor Gobernador Vic. general:
Lic. D. Gabriel de Villanueva,
V. Secretario.

ERRA-

ERRATA CORRECTA.

Pag.	Col.	Lin.	Errata.	Correctio.
6	2	14	significant.	significat.
7	2	42	Prob. min.	Prob. antec.
9	1	34	preveniens.	provēniens.
13	1	13	delectivum.	deletivum.
20	1	6	subminisbat.	subministrabat.
31	1	28	solvemur.	solventur.
35	1	1	ex cæteris.	& cæteris.
36	2	16	Ubifistas.	Ubicelistas.
42	2	41	per qua.	per quæ.
54	1	49	Sacrametis.	Sacramentis.
62	2	46	ut illorum,	vi illorum,
88	2	30	saleim.	saltim.
106	1	52	aliter.	alteri.
145	2	45	utra.	ultra.
192	2	10	fluminis.	flaminis.
213	2	42	ille.	illi.
223	1	21	ommissione.	commissione.
303	1	50	usus.	usum.
335	2	39	iliás.	aliás.
340	2	23	objecta.	abjecta.
394	1	52	obsolutiois.	absolutionis.
465	1	50	ex menti.	ex mente.
573	2	45	folsum.	falsum.

En este Convento de N. P. S. Francisco de Pamplona á seis dias del mes de Junio de mil setecientos ochenta y dos.

Fr. Antonio de Santa Maria.

LICENCIA, TASSA, Y PRIVILEGIO.

Certifico yo el Secretario del Real, y Supremo Consejo de este Reyno de Navarra, que por los Señores de él, precedente la correspondiente aprobación, y corrección, se ha concedido facultad al R. Padre Fr. Antonio Heras, Lector Jubilado, y Guardian del Convento de San Francisco de la Ciudad de Logroño, para que por tiempo de cinco años, y á razon de cinco maravedis el pliego, pueda hacer imprimir, y vender el primer Tomo del libro que ha compuesto, intitulado: *Theologia Scotica Dogmatica in quartum Sententiarum Magistri, ad mentem Subtilis Doctoris explanata*: con prohibición de que durante dicho tiempo lo pueda ejecutar otro alguno sin su consentimiento; segun resulta de los documentos que pervienen en la Secretaría de mi cargo, á que me refiero. En cuya Certificación firmo en Pamplona á siete de Junio de mil setecientos ochenta y dos.

Mmanuel Nicolás de Arrastia, Sec.

PRO-

PROLOGUS

AD STUDIOSUM, AC PIUM LECTOREM.



Emini peto á te, benevole Lector, nemini, inquam, superfluum videatur, aut inutile, post tot egregios libros scientiam Theologo - Dogmaticam, ac Moralem edocentes, hunc me suscepisse, & perfecisse studiosum laborem: & maxime ingravescente jam ætate, & non paucis ab hinc annis, imbecilli insimul valetudine. Cum enim illustris ille Theologus, Gonzalez Matheo, hujus Sanctæ Burgensis Provinciæ filius, in primum, secundum, & tertium Sententiarum, Theologiam suam Scholasticam Scoticam in lucem edidisset, morte præventus, super quartum Sententiarum, ut consequens videbatur, inscribere non potuit. Hac utique de causa Theologicum suum opus sua principali parte privatum reliquit, atque ita incompletum, imperfectum, ac non parum deforme. Siquidem cum quarti libri Sententiarum scopus omnia sint Sacramenta novæ legis, in quorum disceptatione innumeræ clauduntur controversiæ, tam dogmaticæ adversus infrænes Hæreticos, quàm Scholasticæ ad Catholicos Theologos erudiendos: atque insimul contineantur quamplura moralia, utilia valde, ac necessaria Ecclesiæ Ministris præsertim, sat perspicuum est, ac cuilibet notum, quod absque hac totius Theologiæ venusta forma, ac complemento, opus quodlibet Theologicum informe evaderet, ac imperfectum. Ne verò in præsentia ita eveniret, in debita illius perfectione jam diu cogitavi: atque hæc præcipua fuit causa, quæ ad hunc me compulit laborem, cui per aliquos annos sollicité satis vacavi, non obstantibus aliis non paucis muneribus, & negotiis: & hoc quamvis certissimé sciam, & scirem, fateor ingenué, plurimos alios esse ingenio præstantiores, doctrina politiores, & complexione salubriores, qui tantum opus facilius possent typis mandare, ac orbi litterario felicitius offerre: Et advertas, rogo, Lector amice, quod in labore hoc, ac studio, maxime incubui, ut potius in claritate, quàm in sermonis elegantia, abundarem. In delectu autem Sententiarum ingens cura mihi fuit, solidioris fundamenti innixas insequi, ac in singulis difficultatibus, rationibus ponderatis, ab omnibus passionis fulgine spoliare, justum tribuendo pondus cuique sententiæ majoris, vel æqualis, vel minoris probabilitatis, prout talenti mei imbecillitas capere potuit. Hac ratione insecutus non sum nonnullas sententias, quas laudatus Gonzalez sequitur in sua Summa Morali: nam temporis decursu, rebus ad seduliorum trutinam revocatis, aliter nunc sentiendum existimavi. Nec ancipitem relinquo Lectorem in difficultatum resolutione, aliquorum, quos vidi, more, qui aliorum sententias tantum referentes, & suam determinatè non aperientes, non parum exosos sic Lectoribus se præbent: sed meam semper expono sententiam, & resolutionem. Quoniam verò inter celeberrimos Doctores, qui hac de re accuratè pertractarunt, valde eminent Subtilis Doctor, qui, teste Annalista Wadingo, in hoc quarto Sententiarum super omnia alia sua opera Theologica sese, ut Aquila sublevat, & ingenio ac subtilitate, aliis præ-

Tom. I.


¶

cel-

cellit, illum meritò insequendo, id præstare conabor, ut quod alii diffuse tradidere lucubrationibus, clara methodo, selectaque rerum copia ex Sacra Scriptura, ex Conciliis, & ex SS. Patribus, & fortè aliquibus novis insectis, præinctis, in quantum fas fuerit, comprehendam animadversionibus. Nec deficiet de Missæ Sacrificio specialis Tractatus; qui post Eucharistiæ Sacramentum suum habebit locum. Præterea rem utilissimam existimo, in exordio uniuscujusque Tractatus, ea inscribere, quæ Sac. Concilium Florentinum docet, & definit de materia, forma, atque de aliis pluribus, ad Sacramenta pertinentibus. Hoc enim conducit non parum, ut Lector facilè sic ea reperiat eo tenore, & ordine, quo sunt definita, atque ita faciliùs conciliet controversias, quæ in unoquoque Sacramento frequentissimè occurrunt, cum ipsius Concilii Textu. In distributione tamen, aut Tractatum colocatione, non omnino insequar, quam Florentinum in Sacramentis explicandis, atque enumerandis servat: nam, ut videri est in introductione ad Tractatum de Sacramentis in genere, prius peragit Concilium de Sacramento Eucharistiæ, quàm de Pœnitentiæ Sacramento, sic illa numerans: *Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio &c.* Ego verò hoc in opere (ut fere omnes faciunt DD.) convenientius existimavi per prius pertractare de Sacramento Pœnitentiæ, per quod, & quo præcedente, peccator debet se ritè disponere ad dignam, & fructuosam Eucharistiæ susceptionem. Denique, amice Lector, nihil prætermittam de argumentorum dignitate, de disputationum gravitate, de rerum dicendarum debita amplitudine, ne post tot egregia Theologorum opera de Ecclesiæ Sacramentis eruditissimè in lucem publicam exorta, hoc meum impolitum prorsus, aut inutile appareret inter ipsa: quin per hoc (à me absit pœnitus) nec Theologorum minimo comparare me audeam. Quapropter si quid in hoc opere inveniat Lector litura dignum, humiliter obsecro, ut ignorantiam meam, ac ingenii tarditatem, æquo animo patiat. Si verò aliquid fuerit, cujus gratia percipiat, me sibi aliquid contulisse, piissimo Jesu, ac suæ purissimæ Genitrici enixè commendet. **V A L E.**



TRAC-



TRACTATUS I. DE SACRAMENTIS IN GENERE.



AMPLISSIMA hæc, ac verè grandis disceptatio de Sacramentis, quæ summa est sapientiæ, ac dilectionis divinæ, aspera quidem est, non adhuc vulgaribus ingeniis; sed insimul amæna valdè elucet. *Aspera*: nam propter varias Hæreticorum infestationes tot cumalata est spinis, quot hæreticales sunt aculei. Sed *amæna valdè*: quippè quasi non satisfuerit, Christum Dominum salutarem, ac suavem nobis in Cruce odorifero sui sanguinis balsamo medicinam parasse, ultrò voluit, ut per Sacramentorum effluviu in nos ubertim exundaret, ut aquas salientes in vitam æternam hauriremus de his Salvatoris fontibus copiosissimè. Unde Serap. Doct. D. Bonav. in Præfat. ad 4. lib. sic affatur: *Sacramenta namque perfecta medicamenta sunt, & unguenta salutifera, quibus nostri Salvatoris, ac piissimi Medici elucet charitas, & sapientia.* Et rectè quidem; nam in eis Christus medicinam profert, non solum omnibus animæ vulneribus curandis salutarem, sed etiam dulcedine, ac odore fragrantem, Eccles. 28. de ipso vaticinante: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis.* Igitur non injucundum, nec ingratum erit, in hac gratiarum amænissima fluenta tantillum spatium. Quod ut faciam securiori pede, Sacra Concilia, SS. que Patres, semper habeo præ oculis. Pro faciliore captu, & majori claritate, Tractatum hunc de *Sacramentis in genere* in varias oportet dividere disputationes. 1. De Essentia, existentia, & numero Sacramentorum, pertractabit. 2. De eorum causa, tam effectiva, quam Ministeriali. 3. Causalitatem, ac Sacramentorum effectus manifestabit. Et 4. de Sacramento subjecto, de Sacramentalibus, & cæremoniis sacris, necessaria edocet. Sed quia, ut in præmio ad Lectorem præmonui, ad inceptionem cujuslibet tractatus, quæ de illo Concilium Florentinum docuit, referre, & afferre, non parum erit opportunum, perlegenda sunt per prius, quæ de Sacramentis in genere, decreto Eugenii IV. pro instructione Armenorum, edita sunt in Concilio Florentino. Sic se habent.

Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non

Tom. I.

A

cau

causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam figurabant: hæc vero nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima, ad spiritualem uniuscujusque hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur, per Confirmationem augetur in gratia, & roboramur in fide: renati autem, & roborati, nutrimur divina Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus anime, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam, & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam Unctionem. Per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus, tanquam ex materia, verbis, tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum, à cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

DISPUTATIO I.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, NECESSITATE, ET
Numero Sacramentorum.

Quoniam rectus doctrinæ ordo postulat, quod ab universalibus ad particularia, à generalibus ad species, & ab his ad singularia, procedatur, essentiam, existentiam, effectus, & proprietates omnibus Sacramentis communes, examinare intendimus, antequam ad singula descendamus.

QUÆSTIO I.

De Natura, seu Essentia Sacramenti in communi, plura resolvens.



Nomen Sacramenti, quod à sacro deducitur, propter ordinem, quem ad rem sacram habet, idem apud Latinos significat, quod apud Græcos nomen *Mysterium*. Unde nomina hæc tanquam

sinonoma haberi solent, ut patet ex illo Apoc. 17. *Et in fronte ejus scriptum mysterium: & ego ostendam tibi Sacramentum Mulieris*. Et quamvis nomen hoc sacramentum varias habeat acceptiones apud Authores, tam sacros, quam profanos, quæ utiquè præclare conveniunt nostris Sacramentis; tamen in Ecclesia usurpatum est, nedum à Theologis, sed etiam à Patribus, ad ceremoniam quandam sensibilem significandam, aliquam sanctitatem conferentem: seu signum aliquod sensibile aliquam ex institutione divina conferens sanctificationem. Quapropter de Sacramento in hac acceptione, disceptatio nostra est, & erit. Nec Hæretici

nostri temporis hanc sacramenti significationem rejiciant, aberrantes, & dicentes, quod hoc nomen *Sacramentum* sit novum, & in usu positum apud Catholicos à tempore Magistri Sententiarum. Hoc enim falso, & temerè, ut ipsis familiare est, dicunt: cum nomen *Sacramenti* nedum in antiquissimis Ecclesiae Patribus inveniatur expressum, ut in Dionisio lib. de Eccles. Hierarch. in Tertulliano lib. de Præscriptionibus; in Cypriano epist. ad Stephanum dicente: *tunc enim plenè sanctificati, & esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascentur*: sed etiam apertissime constet ex sacris litteris pluribus, & maxime ex Apost. ad Ephes. 5. dicente de Matrimonio: *Sacramentum hoc magnum est, dico in Christo, & in Ecclesia*. Nec in hoc amplius est contra Hæreticos nunc immorandum, cum sit constans sententia omnium SS. Patrum, & Theologorum. Resolvendum igitur nunc est: *quid sit sacramentum? & an rectè definiatur?*

2 Sed prius sciendum est 1. Theologos invicem in eo convenire, quod sacramentum essentialiter habeat rationem signi: Cum verò signi ratio, ac distributio varia sit, ac multiplex, non omninò invicem concordant, quænam ex eis sacramento quadret. Signum itaque in communi, seu in genere, ex philosophia, est id, quod potentiae cognoscitivæ aliud à se repræsentat. Vel ut M. P. August. lib. 2. de doct. Christ. cap. 1. loquitur: *Signum est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliud facit in cognitionem venire*. Hæc definitio in logica explicatur, & convenit omni signo. Advertendum verò, quod signum non solum dici potest in ordine ad cognoscendum, quo pacto ibi sumitur ab Augustino, sed etiam ad faciendum id quod significatur. Primo modo dicitur signum cognoscendi, seu *speculativum*, quod res significatas supponit, & tantum facit, quod ab

aliis cognoscantur. Secundo modo dicitur signum id, quod non supponit, sed ipsum facit, quod sint res significatæ, quod est, esse *signum practicum*. Hinc sciendum est 2. signum esse multiplex. Aliud formale, aliud instrumentale. *Formale* dicitur, quod licet incognitum sit, alterius cognitionem parit, ut species intelligibiles, & sensibiles, quæ licet ignotæ, ducunt in objectorum, quæ intelliguntur, aut sentiuntur, cognitionem. *Instrumentale* illud est, quod prius cognitum in alterius cognitionem deducit, ut loquela, quæ prius debet cognosci, quam conceptus per eam expressus notificetur. Instrumentale dividitur in *naturale*, & *arbitrarium*. 1. est, quod ex sua natura, & independenter ab hominum instituto, habet vim significandi idem apud omnes nationes. Sic gemitus signa sunt latentis doloris, risus signum lætitiæ. 2. est, quod ex solo hominum instituto, habet vim aliquid significandi. Sic pulsus campanæ est signum lectionis, orationis, prandii, &c. Rursus signum dividitur in *practicum*, & *speculativum*. Illud est, quod habet vim efficiendi id, quod significat. Sic nubes gravis, & opaca est signum pluvie, quam diffundit. Istud est, quod rem quidem significat, eam vero non efficit. Sic lumen est signum præsentiae solis. Omittendo alias signi acceptiones, sciendum est 3. quod sacramentum non est signum formale, cum necessariò, ut mox dicemus, debeat esse sensibile: nec naturale, quia gratia, quam repræsentat, est ordinis supernaturalis: res autem naturalis, nudè spectata ex sua conditione, rem supernaturalem repræsentare non potest. Deindè, si esset signum naturale, ejus significatio nota esset omnibus: nam gemitus apud omnes signum est tristitiæ, quemadmodum & risus lætitiæ: aperte autem constat, significationem sacramenti omnibus non esse notam. His scitis:

3 I. Conclusio: *Sacramentum est formaliter signum visibile, seu sensibus patens, sive per se, sive ratione alicuius adjuncti.* Est sub. Doct. in 4. dist. 1. quæst. 2. & communis apud Theologos. Prob. 1. pars ex Ss. Patribus, qui calculo unanimi Sacramentum appellant signum, & symbolum. Dionisius lib. de cælest. Hierarch. cap. 2. inquit: *Sensibilia sacramenta simulacra sunt intelligibilem, atque manuducunt, ac viam sternunt.* August. Epist. 5. ad Marcellinum scribit: *Signa, cum ad res divinas pertinent, appellantur sacramenta.* Eandem veritatem luculenter expendit Bernardus Serm. 1. in Coena Domini, dicens: *Sacramentum est sacrum signum, sive sacrum secretum.* &c. Confirmatur: nullum est sacramentum, cui ratio signi non conveniat: nam Circumcisio Genes. 17. dicitur signum fæderis inter Deum, & Abraham. Baptismus, inquit Apostolus, significat Christi mortem, sepulturam, & Resurrectionem. Eucharistia celebratur, ut signum memorativum passionis Domini, iuxta illud Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem,* & idem dicendum de cæteris: ergo.

4 2. pars, nempe, quod sacramentum sit signum visibile, & sensibile, constat, tum ex Conc. Florent. in quo decernitur, Sacramenta constare rebus, & verbis corporeis, & a sensibus perceptibilibus, tanquam materia, & forma. Quod pariter constat ex Trident. sess. 7. Tum ex Ss. Patribus. Dionisius namque de Eccles. Hierarch. cap. 1. id expressè asserit. Subscribit Chrysostomus pluribi, maxime Epist. 60. ad Populum Antiochenum, ubi de Eucharistia loquens, dicit: *nihil enim insensibile Christus nobis tradidit: sed sensibilibus quidem rebus.* Idem in Baptismate, per rem, nempe, sensibilem aquam, donum confertur &c. Seraph. Doct. in breviloquio parte 6. cap. 1. inter alia ait: *Quoniam gratia curativa non datur elatis, incre-*

dulis, fastidiosis, ideo oportuit hæc signa sensibilia divinitus dari &c. Denique August. tract. 8. in Ioan. loquens de aqua baptismi, quæ est sensibilis, ait: *Accedit verbum ad elementum, & sic fit sacramentum.* Suadetur etiam ratione Theologica: Sacramenta sunt cæremoniæ religionis, seu ritus sacri, quibus homines in unum corpus mysticum coalescentes, invicem adunantur ad Dei cultum, & obsequium; sed ad hoc necessè est, quod sacramenta sint visiblem, & sensibilia: ergo ita est. Major est M. P. August. lib. 19. contra Faustum, cap. 11. dicentis: *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari possunt homines, nisi aliquo Sacramentorum, vel signorum visibilium consortio colligentur.* Minor est perspicua: nam ut Guillelmus Parisiensis lib. de sacram. in gen. inquit: qualiter homines se invicem socios habebunt, si se non noverint esse socios? Qualiter autem hoc cognoscent, nisi communionem visibili a signo aliquo, quod non potest esse nisi visibile? Consequentia evidenter sequitur.

5 II. Conclusio: *Sacramentum novæ legis est signum practicum sanctitatis, non quidem legalis, & externæ, sed internæ; non futuræ, sed præsentis, in ipso suscipiente.* Conclusio hæc tres habet partes, quarum prima, nempe, quod sacramentum sit signum practicum, seu effectivum, sive phisicè, sive moraliter (de quo postea) illius gratiæ, quam significat, est de fide. Secunda pars, videlicet, quod Sacramentum propriè dictum conferre debeat sanctitatem internam, est contra quosdam Theologos, vel negantes cum Cano in relectione de Sacrament. part. 1. de ratione Sacramenti esse, quod sanctitatem internam conferat, sed sufficere, quod conferat aliquam sanctitatem, vel legalem, & externam, vel evangelicam, & internam: vel asserentes, ut non pauci asserunt, ad rationem Sacramenti aliud non

requiri, nisi quod conferat sanctitatem aliquam, saltem legalem, & significet veram, & evangelicam justitiam, seu sanctitatem. 3. pars est contra quosdam, præsertim Thomistas, quos Genetus impugnat ex D. Thoma, docentes, ad rationem Sacramenti sufficere, quod aliquam sanctitatem significet per sacramentum cohatam de facto, dummodo præfigeret, ac præsignet veram sanctitatem conferendam per illud. Omnes hi Authores contendunt, Sacramenta veteris legis veram habuisse rationem sacramenti, & univocè cum sacramentis novæ legis convenire; quia illam significabant conferendam per Christum. De hoc postea num. 14. redibit sermo. Pariter quid sit sanctitas legalis, dicetur num. 15.

6 Conclusio igitur quoad 1. partem definita est in Concilio Florentino in decreto Unionis, ubi inter sacramenta novæ, & veteris legis, hoc statuitur discrimen: *Quod illa non causabant gratiam, sed eam solam per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Tridentinum similiter sess. 7. can. 6. decernit ita: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, & gratiam istam non ponentibus obicem non conferre: anathema sit.* Eadem hæc veritas ex unanimi consensu Patrum constat. Sufficiat August. tract. 8. in Ioan. dicens. *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat.* Idem dicendum, est de aliis sacramentis, ut fusiùs de unoquoque patebit. Roboratur 2. pars, scilicet, quod sacramentum propriè dictum conferre debeat sanctitatem internam: ad rationem sacramenti requiritur significatio, quæ ipsum distinguat ab omni eo, quod non est sacramentum; sed sanctitas legalis, & imperfecta, non distinguit sacramentum ab omnibus, quæ non sunt sacramenta: ergo sacramentum non potest significare sanctitatem legalem, & externam, sed præcisè

internam. Major est evidens: nam sacramentum essentialiter debet differre ab eis, cum quibus convenit in ratione significandi rem sanctam, quæ tamen non sunt sacramenta. Prob. tum; quia in veteri lege plurima erant, quæ legalem sanctificationem causabant, & significabant, & tamen non erant sacramenta, ut clarius constabit ex probatione 3. partis conc. Tum; quia etiam in lege gratiæ plurima sunt, quæ habent rationem cæremoniæ sacræ, & aliquam causant sanctificationem, & non sunt sacramenta. *Prima enim Tonsura* est cæremonia sacræ, per quam homo divino cultui mancipatur, quæ proinde aliquam sanctitatem significat, & confert, & tamen in communiori sententia sacramentum non est. Sic de aliis, ut postea num. 14. videbitur. Ad rationem igitur formalem sacramenti non sufficit, quod aliquam sanctitatem significet, & conferat in genere, sed requiritur, quod sanctitatem internam conferat ei, qui sacramentum suscipit.

7 Probatur 3. pars, & dicta confirmantur simul: tum ex definitionibus varijs, quas Ss. Patres, & Doctores proferunt de sacramentis. Isidorus lib. 6. ethymolog. sic definit sacramentum: *Sacramentum est, per quod tegumento rerum visibilium divina virtus secretius salutem operatur.* Hanc definitionem tribuit S. Gregorio Gratianus cap. *Multi secularium*, & alii illam attribuunt S. Augustino. Ad idem conspirat definitio Magistri in 4. dist. 1. ubi ait: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ejusdem gratiæ similitudinem gerens, & causa existens.* Et concludit: quæ enim ad significandum gratiam tantum instituta sunt, solum sunt signa, & non sacramenta: sicut fuerunt sacrificia carnalia, & observantiæ cæremoniales veteris legis, quæ nunquam poterant offerentes justos facere; quia ut ait Apostolus Hebræ. 9. *Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat*

ad emundationem carnis, non animæ. Tum ex definitione Catechismi S. Pii V. *Sacramentum est invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram justificationem institutum.* Ex quibus definitionibus constat, Sacramentum debere significare formaliter in suscipiente veram sanctitatem. Sed vera sanctitas ea est, quæ per gratiam de facto confertur: ergo. Tum denique; quia ut Hyquæus in commentario Doctoris inquit: omnia, quæ in veteri lege fiebant, gratiam per Christum conferendam significabant: nam 1. ad Corint. *Omnia ipsius in figura contingebant.* Et ad Colos. 2. ait Paulus, legem fuisse umbram futurorum. Nunc sic: sed omnia illa non fuerunt Sacramenta: ergo significare sanctitatem per aliud conferendam non est ratio Sacramenti constitutiva. Minor subs. claret: etenim Agnus Paschalis, & Manna, significabant Eucharistiam: Transitus maris rubri erat figura gratiæ baptismalis: Serpens æneus Passionis Christi, & Redemptionis humanæ: omnia item sacrificia, oblationes, expiationes legis, significabant gratiam sacramentalem conferendam per Christum; ut docent Florentinum in decreto unionis, Trident. sess. 7. de *Sacramentis*; sed ista, & plurima alia similia, ut admittunt omnes, non fuerunt sacramenta: ergo.

8 III. Conclusio: *Sacramentum* rectè sic definitur à Scoto in 4. dist. 1. quæst. 2. num. 9. *Est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum, ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.* Alii Theologi sic Sacramentum describunt: *Est signum sensibile institutum à Deo ad conferendum ex opere operato gratiam sanctificantem infallibiliter homini disposito, cui confertur.* Definitio hæc in idem recidit cum antecedenti: Unde ut vera, & optima appareat definitio Subt. Doct. solum indiget aliquali explicatione. Dicitur *signum sensibile*; quia debet esse sig-

num ipsis hominibus, qui non nisi per sensus in cognitionem ducuntur. Unde omnia Sacramenta, tam nova, quam vetera, erant, & sunt signa sensibilia; talia namque esse debebant ad congregandam, & regendam visibilem Ecclesiam, & ut essent apta, & proportionata ad significandum hominibus. Dicitur, *efficaciter gratiam significans*, ut ostendatur, Sacramentum non esse purum signum speculativum, seu cognoscendi, sed etiam practicum, seu faciendi, quod significant, nempe, gratiam. Additur à Doctore: *gratiam, vel effectum ejus gratuitum*, ut comprehendatur Sacra Eucharistia; quia in Eucharistia res, seu primum significatum Sacramenti non est gratia habitualis inhærens animæ, sed gratia substantialis, & per se subsistens, scilicet, *ipse Christus*; siquidem gratia inhærens non datur, nisi quando hostia recipitur. Verum quidem est, particulam istam, *gratuitum effectum*, omitti posse, salva bonitate definitionis: nam per *gratiam* intelligi potest tam gratia accidentaliter, quam substantialiter. At verò Subt. Doct. causa claritatis utramque gratiam distinctè expressit; quia vocabulum *gratia* solet à Theologis usurpari ad significandum gratiam accidentalem. Denique dicitur: *ordinatum ad salutem hominis viatoris*, per quod explicatur causa finalis hujus institutionis, & simul indicatur, Sacramentum esse institutum communi, & universali lege, ad usum totius humani generis, & non pro certa aliqua persona: seu ad communem utilitatem hominum, & non pro aliquo privato casu. Unde fit, verba illa Christi, quando Apostolis dixit Joann. 2. *Accipite Spiritum Sanctum*: & illa ad Magdalenam Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata tua*, quamvis fuerint signa rei sacræ, scilicet, gratiæ, à Christo instituta ad sanctificationem, non fuisse tamen Sacramenta; eò quòd non fuerunt à Christo instituta, neque ut ceremoniæ

niæ sacræ frequentandæ, continuandæ, & permanentes in Ecclesia, neque in beneficium totius Ecclesiæ, & ad usum communitatis fidelium; sed fuerunt tantum opera, & signa particularia in quibusdam casibus, & in beneficium personarum singularium.

Occurrit Argumentis.

9 **A**rg. 1. adversus 1. part. 1. conclusionis: Sacramentum juxta Sac. Script. significat quid occultum, & absconditum: multoties etiam *juramentum* appellatur Sacramentum: sed esse absconditum est contra rationem signi; quia signum ex August. præter speciem, quam ingerit sensibus, facit venire in cognitionem alicujus: juramentum autem non est in specie signi: nam est veritatis confirmatio, seu contestatio per aliquid sacrum: ergo Sacramentum non est essentialiter signum. Confirmatur: genus, & species, v. g. *animal*, & *homo*, sunt in eodem prædicamento; sed species Sacramentorum, ut *Baptismus*, & *Confirmatio*, non sunt in eodem prædicamento cum signo: siquidem signum est quid relativum, Baptismus verò, & Confirmatio sunt actiones, aut passionnes: nam Baptismus est ablutio, Confirmatio est unctio: ergo Sacramentum genericè sumptum, seu ut sic, non est signum. Respondeo distinguendo maj. si latius sumatur, prout idem est, ac arcanum, concedo: si propriè sumatur, prout hic sumitur, nego maj. Sacramentum multoties sumitur latius, prout idem est, ac sacrum Arcanum: eò quòd secundum Antiquos, *sancta*, *sacra*, vel *sacrosancta*, dicebantur illa, quæ violare non licebat, ut erant Imperatorum epistolæ, Magistratus, & similia. In hoc sensu non est propriè signum, sed non loquimur de sacramento in hoc sensu, sed prout est instrumentum institutum à Deo ad hominem sanctificandum. Ad illud de juramento dico, solum equivocè

convenire cum Sacramento, quatenus aliquem ordinem dicit ad rem sacram, cum sit invocatio divini testimonii. In hoc sensu juramentum appellatur sacramentum, non verò est sacramentum propriè dictum, de quo procedit conclusio. Ad confirmationem distinguo min. non sunt in eodem prædicamento materialiter, seu secundum suas naturales substantias, concedo: formaliter, seu secundum rationem formæ, nego. Vel ita: secundum quod dicunt de materiali, concedo: secundum quod dicunt de formali, nego. Forma Sacramentorum, ut Sacramenta sunt, est gratiam significare, ac propterea conveniunt in ratione signi. Sic statua ratione naturalis substantiæ est in substantiæ prædicamento: nam est lapis, aut lignum: ratione formæ artificiosæ est in genere qualitatis; quia est figura: sed ratione representationis, & similitudinis est in genere relativi. Præterquamquod, ratio signi, juxta plures, est ratio rationis, quæ in prædicamento non collocatur.

10 Arg. 2. adversus 2. conclus. Concilium Florentinum, & Tridentinum, nec non multi ex SS. Patribus, sacramenta veteris legis appellant sacramenta, sine ulla limitatione, aut restrictione; sed illa non erant signum practicum sanctitatis, nisi ad summum externæ, & legalis ergo de ratione Sacramenti non est significare gratiam strictè talem, seu sanctificantem. Confirmatur: plurima sunt signa practica gratiæ, quæ non sunt sacramenta: ergo non est peculiare Sacramenti, quòd sit signum practicum gratiæ. Prob. minus; quia immolatio Isaac significabat passionem Christi. Tum; columba in caput Christi descendens, significabat præsentiam Spiritus Sancti; sed hæc, & similia alia, non fuerunt sacramenta: ergo id non debet sacramentum censerì, quòd est signum practicum gratiæ. Resp. negando maj. Patres itaque, & Concilia

cilia sufficienter hanc limitationem declarant, dum sepe dicunt, sacramenta veteris legis non causare gratiam sanctificantem, & in hoc distinguunt a nostris Sacramentis, ut in Florentino decernitur expressis terminis. Sic enim sufficientissime notificant, illa sacramenta veram rationem sacramenti non habuisse, neque cum nostris Sacramentis univoce convenire, sed tantum æquivocè. De hoc ulterius num. 14. Ad Confirmationem nego consequentiam. Itaque differentia Sacramenti proprie dicti, de quo in presenti, non est quælibet significatio gratiæ sanctificantis, sed gratiæ hominem sanctificantis, dum usus externi signi applicatur ipsi. Talia non erant præfata signa, ut per se constat.

11 Arg. 3. contra 3. conclusionem: solum est definibile unica definitione, quod est per se unum; sed Sacramentum non est per se unum: ergo non est definibile. Major constat, tum ex Phil. 7. Metaph. Tum ratione: quia quod est unum tantum per accidens, non potest unam tantum habere definitionem, cum plures habeat essentias, & definitio sit explicatio essentia rei. Prob. min. Sacramentum est aggregatum ex multis diversorum generum, ut ex verbis, & elementis, quorum unum est permanens, ut elementum, & aliud successivum, qualia sunt verba; sed ex talibus nequit fieri unum per se: ergo. Confirmatur: definitio data convenit alijs à definito: igitur non est recta. Prob. anteced. quia convenit Martyrio, quod iuxta Subt. Doct. justificat ex opere operato, & tamen non est Sacramentum. Propter eandem rationem convenit Sacrificio Missæ: ergo. Propter hoc argumentum Ochamus, & alij dixerunt, proprie non posse definiri Sacramentum. Alij dixerunt, Sacramentum non esse unum per se physicum, esse verò unum per se morale, & hoc modo posse definiri. Respondeo tamen cum Subt. Doct. Sacramentum posse sumi dupliciter. Uno

modo pro materiali, sive pro denominato: alio modo pro formali, sive pro significato. I. modo Sacramentum non est unum per se; quia aggregat multa diversorum generum, ut Baptismus verba, & ablutionem: atque adeò sic non est unum per se definibile, sed ad summum est unum unitate aggregationis, & ordinis. 2. modo, nempe, pro formali, est respectus signi ad signatum, & sic impositum aliquid per se unum, & est definibile propria definitione. Nec obstat ad hoc pluralitas in qua tale signum fundatur; quia omnis relatio plura requirit, videlicet, fundamentum, & terminum, sine quibus subsistere non potest, & tamen ipsa est unum per se ens, & definitur propria definitione. Ad confirmationem nego antecedens, & dico ad 1. probationem, quod licet iuxta communio opinionem, Martyrium ex singulari privilegio gratiam conferat ex opere operato, dummodo patiens propter Christum non habeat obicem peccati mortalis, adhuc tamen non est Sacramentum: Tum; quia ad hoc non est à Deo pro omnibus institutum; quia potius, quatenus est actio Tyranni inferentis illud, vetitum est à Deo. Tum; quia ex Scoto in 4. dist. 2. quæst. 2. sacramenta essentialiter constant verbis, quod Martyrio non convenit. Ad 2. probationem dico, quod licet eadem res materialis possit esse Sacrificium, & Sacramentum, ut in Eucharistia contingit: tamen alia est ratio formalis Sacrificij, & alia Sacramenti. Ratio Sacramenti est significare, & efficere sanctitatem: ratio vero Sacrificij est significare, & testari supremam Dei excellentiam. Unde Sacramentum ex divina institutione immediate, & directe significat sanctificationem nostram: Sacrificium vero primario, & per se est significativum divinæ excellentiæ, atque immediate refertur ad Dei cultum, & honorem. Quare Sacrificium, qua tale, non est Sacramentum, nec Sacramentum, qua

tale,

tale, est Sacrificium. 12 Replicabis: si Sacramentum pro formali, & metaphisice sumptum, consistit in ratione signi, non est signum naturale, sed erit signum ad placitum, & ex institutione; sed tale signum est ens rationis: ergo Sacramentum formaliter non est à parte rei, sed quid rationis; ac per consequens solum per intellectum erit in Ecclesia Sacramentum. Minor certa apparet; quia nihil reale ponitur in aliqua re ex eo, quod ex voluntate alterius instituitur ad aliquid significandum: nihil enim reale ponitur in ramo viridi, per hoc, quod instituitur ad significandum vinum venale. Respondeo, quidquid aliqui Theologi dicant, Sacramentum formaliter sumptum non esse ens rationis, prout hoc dicit esse fictum ab intellectu, ut aliqui inficiantur Sub. Doct. illum non capientes. Explicari igitur debet Sacramentum per denominationes extrinsecas, quæ formaliter non sunt entia rationis, cum dentur à parte rei citra quodcumque opus intellectus, ex dictis in logica. Unde Sacramentalis significatio formaliter consistit in extrinseca denominatione, ex divina ordinatione, & institutione desumpta, quæ denominatio vera, & realis est, utpote ex reali forma preveniens. Sic Deus vere dicitur à parte rei creator per extrinsecam denominationem dependentiæ realis creaturæ ad ipsum; & paries à parte rei dicitur vere, & realiter visus à visione in oculo existente. Quare denominationes extrinsecæ, sive physicae, sive morales, licet entia realia non dicantur, quia in re denominata nihil reale intrinsecum ponunt: dici tamen debent denominationes reales, & non entia rationis, nisi ad summum materialiter, & fundamentaliter, quatenus ab intellectu possunt concipi per modum formæ realis intrinsece subjectum denominantis. Sic esse visum in pariete concipitur per modum relationis correspondentis visioni activæ

Tom. I.

in oculo. In hoc solum sensu vocatur aliquando à Subt. Doct. relatio rationis, nempe, fundamentaliter, & materialiter. Igitur ratio signi in Sacramento est aliquid morale, quatenus solum pendet ex divina institutione, & ordinatione. Modo quoque Regia dignitas, gradus Doctoratus, & alia hujusmodi, dicuntur entia moralia; quia pendunt ex institutione humana; nihilque physicum, sed tantum quid morale, ponunt in subjecto & hæc est, & debet esse germana doctrina nostræ Scholæ, quamvis aliqui sicut, qui affirmant, talem signi relationem esse realem prædicamentalem.

13 Sit ergo regula generalis pro omnibus Sacramentis: quod Sacramentum, quodcumque sit, dupliciter potest sumi fundamentaliter, scilicet, & formaliter. Sacramentum formaliter sumptum, est ipsamet significatio gratiæ, seu relatio fundata in signo sensibili, & terminata ad gratiam, quam præstat. Fundamentaliter sumptum est ipsum sensibile signum, in quo talis relatio fundatur. Sit exemplum: Sacramentum Baptismi v. g. formaliter sumptum est relatio fundata in signo sensibili, nempe, in aqua diffusa, & verbis: *Ego te baptizo &c.* quæ relatio terminatur ad gratiam remissivam peccati originalis. Fundamentaliter acceptum est ipsa aqua, & insimul verba, in quibus duobus, tamquam in uno fundamento adæquato, fundatur dicta relatio. Quapropter, dum dicitur, quod verba Baptismi sunt forma, & aqua est ejus materia, hoc verissimum est de Baptismo fundamentaliter sumpto; atque ita est intelligendum: nam respectu Baptismi formaliter accepti, verba, & aqua simul sunt fundamentum, & quasi materia relationis gratiam significantis. Sic intelligendum est respective in omnibus Sacramentis.

B

Co

Corollaria ex dictis.

14 **EX** hucusque dictis deducuntur plura ad uberio-rem dictorum intelligentiam, & insimul ad aliquas objectiones solvendas. Infertur 1. Sacramentum, ut tale, ex divina voluntate, & institutione, necessario esse quid sensibile. Nec obstat, quod essentia Matrimonii consistat in mutuo contractuum consensu, qui utpote actus voluntatis, est insensibilis, seu sensibus corporeis imperceptibilis. Pariter nec quod contritio, quæ est pars Sacramenti poenitentiae, sit etiam actus voluntatis. Non itaque obstat: quia ille consensus est sensibilizatus, seu sensibiliter expressus, & externe significatus verbis, signis, aut ritibus. Similiter contritio non est pars sacramenti Poenitentiae, nisi ut sensibilizata per signa externa, ut sunt *genuflexio* ante Confessarium, *pectoris tussio*, *accusatio*, & *absolutio*. Infertur 2. quod licet plerique sustineant, rationem sacramenti univocam esse sacramentis novæ, & veteris legis, eo quod putent, de ratione Sacramenti ut sic solum esse, quod sit signum practicum alicujus sanctitatis, sive perfectæ, qualis causatur per sacramenta novæ legis, sive imperfectæ, qualis causabatur per sacramenta veteris legis: tamen *lege probabilis iudico*, talia sacramenta non esse univoca, seu univocæ non convenire in ratione propria sacramenti, nisi fiat quæstio de nomine in intelligendo hoc nomen *Sacramentum*. Pro quo sciendum est ex Subt. Doct. in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 4. Sacramentum posse multipliciter sumi 1. communiter, & improprie, & sic importat quidquid rem sacram aliquomodo significat. In hac significatione purificationes, absolutiones, genuflexiones, & similia antiquæ legis, sacramenta poterant dici. 2. proprie, quo pacto de ratione sacramenti est, esse signum rei

sacræ: ita quod illa res sacra, quæ significat, sit quædam sanctificatio in homine, sive perfecta, quæ idem est, ac gratia habitualis, sive imperfecta, aut legalis, quæ nihil aliud est, quam consecratio, aut designatio ad aliquam sacram functionem exercendam. 3. tandem sumitur sacramentum *stricte*, ac *propriissime*, prout, scilicet, veram sanctitatem significat, & causat, in quo sensu hic à Subt. Doct. sumitur, & definitur. Cum autem sanctitati perfectæ, & imperfectæ nihil sit commune univocum, & aliunde de ratione sacramenti stricte talis sit, quod practice significet propriam sanctitatem, quin satis sit, quod significet legalem, hinc est, quod sacramenta nova, & vetera sunt alterius, & alterius ordinis, & rationis, ac proinde non univocantur in ratione stricte sacramenti, sed solum in ratione impropria, & communi.

15 Aliter sequeretur, in lege nova plura, quam septem, esse sacramenta. Ratio est: quia in Ecclesia sunt plures Sacri ritus, & ceremoniæ, quæ dici possunt externam quædam, & legalem sanctificationem conferre, ut *prima Tonsura clericalis*, *aqua benedicta*, *absolutio ab excommunicatione*, *Professio Religiosa*, *impositio manuum super Catechumenos*, *consecratio Abbatum*, & aliæ Ecclesiasticæ benedictiones, quæ omnia, licet aliquam imperfectam sanctitatem conferant, non tamen perfectam, & ideo non sunt sacramenta. Si respondeas, quod allatæ ceremoniæ sunt ab Ecclesia jure humano institutæ, & de ratione sacramenti est, quod sit institutum à Deo immediate, ob quod illatio non tenet. Fateor hoc verum esse: tamen verum est etiam, de ratione Sacramenti proprie talis esse, veram sanctitatem, nedum significare, sed etiam conferre. Patet aperte: tum ex dictis in 2. conclusione. Tum; quia sanctitas legalis est tantum sanctitas exterior corporis, quam confe-

re-

rebant legalia, ut sanctificati possent ingredi templum, & admitti ad sacrificium, ut dist. 1. observat Mag. Sent. ex D. Augustino: ergo in ordine ad talem sanctitatem legalem non desumitur ratio sacramenti. Sacramentum namque ex nominis ethymologia dicitur, quasi sacrans mentem, seu mentis sacratio; & sacrificia veteris legis mentem non sacrabant, sed corpus dumtaxat mundabant, ut Paulus ad Hebræ. 9. docet, dicens: *si sanguis hircorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi... emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Quibus verbis Apostolus discrimen statuit inter sacramenta veteris, & novæ legis, quod illa tantum conferbant sanctitatem corporis, hæc vero sanctitatem animæ. Unde immunditia legalis alium non habebat effectum, quam quem habet excommunicatio, & aliæ irregularitates, quibus quis excluditur à Sacramentorum administratione, perceptione, & ingressu Ecclesiæ. Proinde absolutio ab illis non est verum sacramentum, quamvis dici possit improprie, in quantum est res, & ritus sacer. Denique infertur, quod si in veteri lege fuit, ut postea statuatur, aliquod Sacramentum *ex opere operato* delens peccatum, & conferens animæ justificationem, illud verè obtinuisse rationem sacramenti, ac proinde cum nostris sacramentis univocæ in ratione talis convenire.

16 Dubitabis: *Quenam fuerint veteris legis Sacramenta?* Concilia, & Patres unanimiter affirmant, in veteri lege plurima fuisse sacramenta; nostraque numero esse pauciora. Sed quot, & quenam? non omnimode illa enumerant. N. Subt. Doct. in 4. dist. 1. quæst. 6. §. *de potentia vero ordinata*, dicit: *in illa lege fuerunt multa dicta improprie sacramenta, scilicet, Purgationes ab immunditiis contractis secundum legem, ut patet in Levitico de purgatione à*

tactu morticinii per aquam, expiationis de purgatione à lepra, & aliis hujusmodi. Talia fuerunt Circumcisio, (sed hæc fuit proprie sacramentum) comestio Agni Paschalis, & similiter panum propositionis; purificationes populi, consecrationes Levitarum, & Sacerdotum. Deinde, alia plura constant ex Exodo, & Levitico, quæ omnia per evangelicam legem cessarunt, & evanuerunt. Sic August. 13. contra Faustum: *Sacramenta veteris legis ablata sunt, quia impleta, & alia Sacramenta instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora.* Ex illis quædam fuerunt prænuntiativa adventus Christi, ait ipse Augustinus, & quædam fuere figuræ Sacramentales Sacramentorum novæ legis.

16 Et si quæras: *Quenam Sacramenta antiqua nostrorum fuisse figuram?* Respondeo, Circumcisionem fuisse figuram *Baptismi*: comestionem Agni Paschalis, & panum propositionis, Sacramenti *Eucharistiæ*: Purificationes Populi, Sacramenti *Poenitentiae*: consecrationes Levitarum, & Sacerdotum, Sacramenti *Ordinis*. Sacramenti vero *Confirmationis*, *Extremæ-Unionis*, & *Matrimonii*, non erant tales figuræ Sacramentales. Non quidem *Confirmationis*; quia hoc est Sacramentum plenitudinis gratiæ, quæ non fuerat derivata tunc ad homines. Nec *Extremæ-Unionis*; quia hæc est præparatio immediata ad vitam æternam consequendam, cujus possessio in veteri lege non patebat, eo quod pretium nostræ redemptionis nondum solutum fuerat. Nec *Matrimonii*: nam licet tunc verum fuerit Matrimonium, non tamen erat Sacramentum; quia nondum facta fuerat conjunctio Divini Verbi cum humanitate: & consequenter non erat signum indisolubilis conjunctionis Christi cum Ecclesia, quam Sacramentum Matrimonii signat. Unde Apostolus ad Eph. 5. de hoc Sacramen-

B2

to

to alloquens, non dicit: *Sacramentum magnum erat, sed magnum est*, ut denotet præsens tempus, non vero præteritum.

QUÆSTIO II.

An in statu legis nature fuerit aliquod efficax remedium ad salutem parvulorum? Et quodnam fuerit hoc?

17 **S**tatus legis nature non vocatur talis, quasi solum dictaverit illa facienda, quæ lumini rationis naturalis erant conformia, ut non pauci sine intelligentia iudicant: siquidem in tali lege æque obligabant præcepta supernaturalia Fidei, Spei, & Charitatis. Cum igitur tunc fuerit vera Religio, verus collentium Deum cœtus, vera Ecclesia, ac gratia santificans, etiam fuit vera fides mediatoris, sine quo impossibile erat Deo placere. Quare ille status nature *lex nature* dicitur, non ut excludit, seu ut distinguitur à lege supernaturali, sed ut distinguitur à lege Moysis scripta: ac proinde in tali statu nature non fuerunt præcepta juris positivi, sed tantum juris naturalis. Per statum igitur nature intelligunt Theologi tempus illud ab Adamo lapso usque ad Moysem, cui à Deo data est lex in summitate montis Sinai, & quæ lex à Moyse usque ad Christum duravit. Quapropter homo ab Adamo lapso usque ad Moysem fuit sub lege nature: à Moyse usque ad Christum fuit in lege scripta: & à Christo usque ad mundi finem est, & erit in lege Evangelii, & gratiæ, quæ dicitur *lex nova*, respectively ad legem scriptam. Est igitur difficultas: An in statu nature lapsæ usque ad Moysem fuerit aliquod remedium efficax pro Parvulis ex opere operato delens peccatum Originale, & causans in parvulis gratiam sanctificantem? Ex hac difficultate excitatur alia, nempe: An tale remedium positum fuerit à Deo

in aliquo signo sensibili, & externo, atque ab ipso Deo determinato? Et quamvis communiter concedant Theologi, in statu legis nature fuisse sacrificia pro adultis ad expiandum peccatum actuale, quibus per actum contritionis, vel charitatis disponi poterant ad justificationem: & etiam concedant, fuisse remedium pro parvulis ad tollendum originale: non defuerunt tamen aliqui, qui dixerint, illud remedium parvulos ab originali culpa liberasse, sed illis gratiam justificantem non contulisse. Hos Authores impugnat subtilitate propria Scotus in 4. dist. 1. quæst. 3. sic: *quia licet absolute loquendo, possit dari medium inter filium Dei, & perditionis, videlicet; homo in puris naturalibus; tamen de potentia ordinaria, & secundum legem divinæ sapientiæ post lapsum jam fixam, nullum est medium, inter gratum, & peccatorem, qui est filius iræ. Quare nullum liberat à peccato, nisi dando gratiam.* Pro his omnibus resolvendis.

18 **II.** Conclusio. *In lege nature fuit remedium efficax ad salutem Parvulorum à Deo institutum contra originale peccatum.* Est communis inter Theologos contra aliquos antiquos. Illam docuerunt SS. PP. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 3. Bernardus, & alii plurimi cum Augustino lib. 5. contra Julianum, cap. 21. dicentes: *non ideo tamen credendum est, & ante datam Circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem illis inerat Mediatoris fides, nullo Sacramento eis opitulatos esse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* D. Subt. probat hanc veritatem validissima adeo ratione, quod illa utantur cœteri Theologi. Sic enim discurrit in 4. dist. 1. quæst. 7. *Nulla tempore dimisit Deus Cultores suos sine remedio necessario ad salutem; sed omni tempore post lapsum fuit necessaria ad salutem delictio culpæ originalis: ergo quocumque tempore aliquod remedium efficax ad hoc fuit institutum.*

tum. Et ut rejiciat opinionem asserentem, tale remedium fuisse originale deletivum ex opere operantis, nempe, vel Parentum, vel aliorum, prosequitur Doctor: *quamvis autem potuerit in adultis deleri per bonum motum intrinsecum bonitate ad id requisita: tamen in parvulis, in quibus talis motus fuit impossibilis, non potuit deleri per actum suum proprium: ergo per actum aliquem aliorum ad ipsos relatum.* Deinde convincit Doctor, talem actum originalis deletivum non esse derelictum in voluntate Parentum, nec eius efficaciam ab illorum dispositione pendere, sed ex divina institutione infallibiliter effectum suum in parvulis causare. Hæc doctrina Scoti fundatur in divina providentia, quam semper Deus habuit circa omnium salutem, & in voluntate, qua vult, omnes homines salvos fieri, ad quam spectat, ut de omnibus ordinet sufficientia remedia ad salutem, ex quibus unum, & potissimum est contra originale peccatum. Cum igitur infantes in illa generali voluntate includantur, debuit in omni lege, & statu nature post lapsum, aliquod instituere remedium, quo Parentes suis Parvulis opitulari possent: alias infantes sine sufficienti remedio ad salutem mansissent, quod maxime derogasset divinæ voluntati, & providentiæ.

19 **II.** Conclusio. *Tale efficax remedium contra originale positum fuit in aliquo signo externo, & sensibili, præstativo fidei Messie venturi.* Pro opposita sententia citatur Seraph. Doct. D. Bonav. cum aliquibus alijs Theologis, docentibus, tale remedium fuisse solam fidem Parentum, vel aliorum, ac proinde fuisse signum non externum, sed pure internum. Est vero nostra resolutio communior inter Theologos, & traditur expressè à subt. Doct. loc. cit. ubi consequenter subdit: *magis probabile esse, quod hoc fieret per aliquod signum sensibile, quam per aliquod tantum intelligibile; quia pro toto statu nature leg-*

se congruunt homini signa sensibilia. Probat 1. ex D. Augustino 19. contra Faustum: *In nullum nomen Religionis coagulari possunt homines, nisi aliquorum signorum, velut Sacramentorum visibilium, consortio colligentur.* Idem colligitur ex ipso Augustino verbis conclu. antec. relatatis, ubi dicit: *credentes opitulatos fuisse pro eo statu parvulis aliquo Sacramento.* Per Sacramentum autem omnes intelligunt signum sensibile alicujus rei sacre, ut constat ex eius definitione. Probat 2. ratione: si remedium istud non fuisset aliquid sensibile, fuisset maxime actus interior fidei; sed talis non fuit: ergo. Major est adversarium. Prob. min: si solus actus interior fidei fuisset sufficiens in parvulis in lege nature ad delendum originale, per illum actum potuissent justificari parvuli, non solum nati, sed etiam intra maternum uterum existentes: non solum præsentem, sed etiam absentes: imo in casu necessitatis potuisset actus ille sufficere ad justificationem omnium totius mundi parvulorum, etiam in utero existentium; sed hoc dicere est absurdissimum: ergo. Major patet; quia actus mentis internus, & intentionalis æque potest dirigi ad pueros in utero, ac extra uterum, absentes, ac præsentem, erga plures, ac erga unicum. Unde sequeretur, remedium istud maioris efficacitatis esse, quam Baptismus, quod non est dicendum; quia redundat in injuriam legis gratiæ, quod nec adversarii concedent. Denique probatur: quia hoc remedium humano modo debebat applicari infantibus; sed humanus modus postulat, quod talis applicatio fieret per aliquod signum externum, & sensibile: ergo ita fuit.

20 **III.** Conclusio. *Hoc signum sensibile fuit determinatum à Deo: non tamen omnino in individuo, sed in genere, quantum sufficit ad rationem Sacramenti.* I. pars, quæ est contra aliquos, præsertim Thomistas, patet 1. ex Subt. Doct. pro 1. concl. citato,

to, qui ait, quod ad hoc ut esset certum, tale signum dimittere originale peccatum, atque certa esset Ecclesia, quodnam esset remedium pro peccato parvulorum, debuit esse determinatum à Deo, qui solus est author gratiæ, & remissionis peccatorum. Quare debuit determinari ex institutione divina, licet ex Scriptura hoc non appareat. Patet 2. ratione: Tum: quia tale remedium erat medicina spiritualis ad infirmitatem tollendam, & salutem recuperandam, à solo Deo cognitam: ergo solus Deus, qui est verus Medicus, præparavit, ac determinavit remedia infirmis legis naturæ: ergo non reliquit ea eligenda, & determinanda hominum arbitrio, & voluntati. Tum; quia incredibile est, Deum revelasse peccatum originale esse delendum per signum externum applicandum Parvulis à Parentibus, & non revelasse, quale esset illud signum: siquidem cum sensibilia signa sint propemodum infinita, suspensi homines remansissent, & ad minus semper dubitare potuissent, aut forte magna inter eos contentio fuisset in assignatione; sed Deus absdubio Prophetis, & Sanctis revelavit signa, seu Sacramenta: ergo ea determinate, & distincte revelavit, seu ista signa esse Sacramenta, non vero illa.

21 II. pars Conclusionis, nempe, quod tale signum non fuit à Deo determinatum in specie, vel individuo, hoc est, in specie infima alicuius actionis materialiter sumptæ, sed tantum in genere, cuius oppositum plures ex nostratibus sustinent, videtur expressa mens Nost. Subt. Doct. qui quæst. 7. superius citata, respondendo ad 1. argumentum, dicit, quod signum sensibile externum, quod Parentes applicare debebant Parvulo, erat fidei protestativum; sive hæc protestatio fieret in aliquo verbo invocandi Deum, vel offerendi Parvulum Deo. Cum ergo Doctor loquatur de isto signo materialiter sumpto, seu in ratione actionis phisicæ materialis,

sub disjunctione, videlicet, quod illa protestatio fidei poterat fieri, vel aliquomodo invocando verbo Deum, vel Deo offerendo parvulum, sentit, quod signum sub hac ratione, & specificatione individuali non fuit à Deo determinatum. Ratione etiam suadet. Tum; quia si tale signum fuisset à Deo determinatum omnino quoad speciem, & individuum, aliqua illius notitia ad nos pervenisset, vel per Scripturam, vel per traditionem; sed nulla talis ad nos pervenit notitia, sicut pervenit, quod talis actus debebat esse protestativus fidei: ergo non est fundamentum ad id asserendum. Tum; quoniam id eo talis signi determinatio esset necessaria; quia alias non esset signum Sacramentale; sed hoc est falsum: ergo. Major debet esse adversariorum fundamentum. Prob. min. ad veram Sacramenti rationem satis est, quod sit signum practicum gratiæ, quoad genericam rationem à Deo institutum: propterea addidi in conclusione: quantum sufficit ad rationem Sacramenti: ergo. Antecedens, fere omnibus consentientibus Theologis, claret in Sacramento Ordinis, quod non fuit à Christo in materia certa, & determinata institutum, sed tantum in genere, sub ratione signi expressivi protestatis, quæ traditur per Ordinem. Similiter de materia Matrimonij, quæ non est contractus his, vel illis determinatis circumstantijs vestitus, sed contractus legitimus, sive vocibus, sive signis, sive nutibus expressus. Sic pariter in nostro casu.

Argumenta solvuntur.

22 **A**rg. 1. contra 1. Conclusionem: non constat ex Sacra Scriptura de remedio parvulorum pro originali peccato, nec alicuius SS. PP. agnovit in antiquitate tale remedium: quinimo Apostolus Act. 17. statum legis naturæ appellat *tempora ignorantie, quæ disposuit Deus*: ergo voluntarie, & sine

ne fundamentis adstruitur à nobis tale remedium: Confirmatur ex D. August. lib: de dono perseveran. cap. 12. dicente: *Quosdam esse parvulos, quibus Deus noluit de remedio providere*; sed hoc nequit intelligi, nisi in illo statu naturæ: nam in lege scripta, & gratiæ, scimus, provisum esse remedium per Circumcisionem, & per Baptismum: ergo. Urgetur: non obstante, quod Deus velit, omnes homines salvos fieri, non inferitur, quod Deus instituerit in lege naturæ aliquod remedium pro parvulis: ergo cum in hoc fundetur ratio nostra, in nullo fundatur. Prob. antec. ex eo, quod Deus velit, omnes homines salvos fieri, non inferitur, quod aliquod remedium sit institutum pro parvulis in utero materno decedentibus, & peccato originali infectis: ergo pariter.

23 Respondeo distinguendo anteced. non constat in scriptura explicitè, concedo: implicite, & illative, nego antecedens, & consequentiam, & nego etiam, quod PP. tale remedium non agnoverint, ut satis constat ex nostra probatione. Itaque hoc ipso, quod Deus velit, omnes homines salvos fieri, hocque ex scriptura expresse constet, atque certissimum sit, hominem habere originale, & indignis remedio pro illius expiatione, aperte inferitur, quod in lege naturæ fuit contra originale aliquod remedium. Deinde: locus ab authoritate non semper valet, ut ex eo deducatur, ita non fuisse: nam ut S. Augustinus laudatus ait: *Scriptura aliqua necessaria de causa voluit, nos latere, quid Sacramentum illud esset*. Ubi August. supponit certum tale remedium. Ad illud Apostoli dico, quod quando vocat illa tempora *ignorantiæ*, non loquitur absolute, quasi omni prorsus remedio, & notitia carerent, sed comparative ad legem scriptam; quæ plures habuit notitias, & illustrationes, & maxime respectu illustrationis legis gratiæ. Ad confirmationem

dico, Augustinum loqui de illis parvulis decedentibus in utero materno, quibus, Deo ita permitente (non nolente) remedium humano modo applicari non potest, in quo sensu dicit, eos sine remedio relictos esse. Unde non loquitur quoad generalem institutionem respectu omnium, sed quoad applicationem respectu aliquorum. Ex quo potest sic distingui illa propositio: noluit de remedio providere per defectum institutionis generalis respectu omnium, nego: per defectum applicationis hujus remedii respectu aliquorum, concedo. Solutio patebit ex dicendis ad urgentiam. Nego igitur antecedens illius, & concessio antecedenti probationis, nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est manifesta, quia morientes in utero materno sunt incapaces remedii suscipiendi, cum eis tale remedium applicari humano modo non possit: nam ut talis applicatio humano modo fiat, supponi debet persona perfecte genita, & existens in se ipsa. Ratio est, quia regeneratio per gratiam supponit generationem naturalem perfectam, & completam, quod fit per nativitatem, & egressum ab utero matris. In hoc tantum statu quaeritur, an pro illo fuerit eis aliquod remedium? Quare dum moriuntur in utero materno, solum dici debet, quod remedium non fuit eis applicatum; quia applicatio fieri non potuit ex cursu naturæ, quem Deus non tenetur impedire, cum sinat causas secundas agere suos motus. Idem argumentum possumus nos facere pro parvulis de facto morientibus sine baptismo.

24 Arg. 2. contra 2. conclusionem: plurimi Ecclesiæ PP. et DD. testantur, solam fidem internam fuisse remedium sufficiens infantibus in lege naturæ ad remissionem originalis: ergo ita est, & consequenter non fuit positum in aliquo signo sensibili, & externo. Prob. antec. D. Gregorius lib. 4. Moralium cap. 2. ait: *quod apud nos valet aqua baptis-*

tismi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ prodierunt, mysterium Circumcisionis. D. Bernardus epist. 77. in nationibus: quotquot inventi sunt fideles, adultos fide, & sacrificiis, credimus expiatis: parvulis autem, etiam solam fidem profuisse, imo suffecisse, credimus. Tertullianus lib. de bapt. cap. 13. dicit: fuit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem. Confirmatur 1. quia aliqui etiam ex PP. justificationem infantium in lege naturæ tribuunt soli fidei majorum, ex quo emanavit illud Theologorum dictum: Pueri in lege naturæ salvabantur in fide Parentum: ergo non fuit per sensibile signum: alias non diceretur bene, salvari in fide Parentum, sed per illud Sacramentum; modo quo in veteri lege dicuntur salvari per Circumcisionem, & in nova per baptismum. Confirmatur 2. & præcavetur solutio: quia si fuisset aliquod sensibile, debuisset à Deo illis hominibus revelari; sed hoc nulli legitur: ergo.

25 Respondet Subt. Doct. quest. 7. ad 1. Gregorium ibi per fidem non intelligere actum, vel habitum fidei internum, sed externum fidei protestativum. Unde quando dicit, solam fidem justificare parvulos, non intelligit solam fidem sine applicatione actus exterioris, sed sine applicatione sacrificii, ut requirebatur in adultis. Quare differentia, quam Gregorius ponit inter justificationem infantium, & adultorum, in eo stat, quod adulti justificabantur per fidem, mediante sacrificio: infantes vero sine sacrificio per fidem. Cum hoc stat quæ optime, quod illa fides esset sensibilis, & exterior, dummodo non esset sacrificium, sed ut ait Doctor, fiebat in verbo aliquo invocandi Deum, vel offerendi parvulum Deo. Eodem sensu loquitur Bernardus, ut sese explicat in textu. Pariter intelligendus Tertullianus, scilicet, per

fidem nudam à sacrificiis. Unde eadem fides mediatoris salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis, ut dicit Augustinus lib. de Nuptiis cap. 11. vocans illam Sacramentum justificationis ex fide. Cum hac vero differentia, quod adultis necessarium erat sacrificium aliquod, tamquam dispositio: parvulis vero nulla dispositio erat necessaria. Ex quo patet ad 1. confirmationem. Dum enim PP. dicunt, pueros salvari in fide Parentum, seu solam Parentum fidem suffecisse, intelligitur, quod posito illo actu fidei protestativo, necessaria non erat aliqua alia dispositio, seu aliquod operantis opus: sicut quando dicimus solum baptismum sufficere pro delendo originale in parvulis, tantum excludimus proprium motum dispositivum in administrante. Secunda confirmatio æque militat contra signum internum, cum ex scriptura pro illo statu nullum constet signum. Sed respondet Doctor, Deum alicui SS. PP. antiquorum illud signum contra originale institutum revelasse, licet cui, & quando scriptura non dicat; quia ab Adam usque ad Abraham satis succinte pertransiit. Vel ut Augustinus ait: aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit. Nec credibile est, Deum tale signum non revelasse, ut parvulis applicaretur ad eorum justificationem.

26 Arg. 3. contra 3. conclusionem: si tale signum non fuit à Deo determinatum, nisi tantum in genere, relinquitur applicanti determinare illud in specie, & in individuo; sed hoc est falsissimum: ergo. Prob. min. Tum; quia SS. PP. remedium illud legis naturæ vocant Sacramentum; sed Sacramentum instituitur à Deo in præsentia providentia quoad determinationem signi, quin hoc relinquat creaturæ: nam ut inquit Scotus loco cit. præsumptuosum esset, & innane, ex se aliquid facere pro emundatione ab originali, cum tale quodcumque non esset institutum à Deo,

Deo, cujus virtute Sacramentum est efficax: ergo. Tum: si hoc signum non fuit à Deo determinatum in specie, sed tantum in genere, relinquendo illud determinandum in specie, & individuo ab ipso applicante, innumerabilia potuissent esse talia Sacramenta; sed hoc est ridiculum: ergo. Prob. major. pro illo statu fuerunt innumerabiles homines, & unusquisque potuisset ad libitum determinare sibi signum diversum ab alio, quo protestaretur suam fidem, & illam parvulis applicaret: ergo. Prob. consequentia: quia tunc casus signa fore possunt innumerabilia; sed Sacramentum determinatur, & multiplicatur à signo: ergo. Sic arguunt Faver, & Brancatus. Respondeo distinguendo maj. si non fuit à Deo determinatum in specie quoad formale signi, sed tantum in genere, relinquitur applicanti illud determinare, &c. concedo: si non fuit determinatum in specie, quoad materiale signi, bene vero quoad formale, relinquitur applicanti determinare in specie, & individuo, tam quoad formale, quam quoad materiale, nego maj. & min. & concessa majori primæ probationis, distinguo minor. à Deo instituitur quoad determinationem signi secundum formale illius, concedo: secundum materiale, subdistinguo: in aliquibus Sacramentis, concedo: in omnibus, nego minor. & ejus probationem in sensu, quo procedit.

27 Signum itaque Sacramentale, in quo Sacramenti essentia consistit, dupliciter sumitur quoad formale, seu quoad significationem, & quoad materiale, seu quoad hanc, vel illam actionem, qua Sacramentum ministratur, manente eadem signi formalis significatione. Dum ergo dicimus, signum illud fuisse à Deo in genere determinatum, non est intelligendum, quod Deus solum determinaverit, aliquod signum sensibile, & externum esse applicandum, non determinando, quale signum fuerit, & relin-

Tom. I,

quando libertati conferentium assumere quodcumque vellent: quin potius dicimus, quod Deus determinavit, tale signum determinate esse actum exteriorem, & sensibilem fidei, & non alterius virtutis à fide distinctæ. Unde licet Minister tale signum applicuerit infantibus per actum alterius virtutis, v. g. Spei, vel Charitatis, ut talis non operabatur justificationem, sed ut expressivus Fidei. Unde materia saltem secundum esse formale fuit à Deo determinata in illo Sacramento legis naturæ, sicut etiam fuit in Sacramentis antiquæ, & novæ legis; quia talis determinatio secundum esse formale est de essentia Sacramenti ut sic. Igitur sensus est, quod illa cæremonia non fuit à Deo determinata in certa specie actionis materialis, ita ut semper deberet esse eadem actio, & idem signum in esse naturæ, sicut fuit in Circumcisione, & modo est in Baptismo, quia ea fidei protestatio fieri poterat vel aliquo verbo Deum invocando, vel offerendo parvulum Deo, vel alio simili modo, dummodo esset fidei professivus: modo quo nunc expressio consensus in Matrimonio fieri potest vel per verba, vel per nutus, aut alia signa consensum talem manifestantia. Quare determinatio relicta in manu applicantis non fuit quoad formale, seu quoad significationem, cum semper deberet apponere actum professivum fidei, & non alium pro suo libito, sed tantum quoad materiale talis actus, quod non spectat ad rationem Sacramenti, nisi sub tali ratione sit institutum, ut manet dictum. Hæc videtur genuina mens Subt. Doct. dum dicit: protestationem illam fidei fieri posse, vel invocando Deum, vel offerendo parvulum Deo, vel alia simili modo. Ex quo sequitur, quod nec in potestate creaturæ fuit Sacramentum instituere, nec Sacramenta innumerabilia esse. Et dum dicitur, Sacramentum determinari à signo, verum est de signo sumpto pro for-

C

ma-

mali, & ratione significationis; non vero sumpto tantum pro materiali, quod non variat rationem Sacramenti, ut constat in Matrimonio, & Ordine.

28 Replicabis 1. materiale illud, in quo significatio fidei fundabatur, adhuc debebat esse determinatum. Tum; quia alias cuilibet liceret vagari per omnia materialia, & instituere quodcumque materiale signum, quod est absurdum. Tum; quia si in tanta libertate esset illud signum, etiam pro materiali, non esset unitas Ecclesiae, & fidelium, quae pendet ab unitate caeremoniarum, rituum, & visibilium signorum, ut agebat D. August. ergo. Replicabis 2. si quaelibet externa fidei protestatio sufficiebat ad delendum originale, status naturae facilior fuisset pro salute consequenda, quam status legis gratiae: siquidem saepe de facto ob defectum aquae, & aliorum, moriuntur parvuli absque remedio; applicatio vero fidei facilissima est; sed consequens est injuriosum statui gratiae, cum habeamus pro nunc copiosiora auxilia gratiae, & faciliorem viam ad salutem: ergo.

29 Respondet, homines non potuisse vagari per omnia signa materialia, nec quodlibet signum instituere; quia illae actiones necessario debebant esse protestativae fidei, & solum erant remedium, in quantum tales: ac proinde solum poterat esse per eas, quas Doct. Subt. dicit. Deinde: ad unitatem Sacramenti pro tota Ecclesia, & Congregatione fidelium sufficit unitas, & determinatio signi a Deo facta pro materiali, quae sit necessaria pro materiali. Constat hoc de Sacramento Matrimonii, quod est unum in Ecclesia, & in quo fideles habent unitatem, esto nubentium consensus per diversas actiones exprimi, & significari possit. Patet idem aliis exemplis, ut in diversitate rituum, & caeremoniarum inter Dominicanos, Benedictinos, & Clericos: inter Gre-

cos Catholicos, & Latinos, quin obstet unitati Ecclesiae, & fidelium: quia hoc est diversitas tantum materialis, & adest unitas in significatione, seu in signo formali. Nec demum in lege naturae, aut scripta erat tanta unitas fidelium in signorum visibilium consortio, sicut modo: nam in lege gratiae fideles omnes utriusque sexus per idem visibile signum Baptismi ab infidelibus discriminantur: at vero in lege scripta, viri tantum per signum Circumcisionis secernebantur ab aliis sectis: non tamen foeminae, quae talis signi non erant capaces. Ad 2. replicam dico, idem inconueniens sequi ex opinione Adversariorum, sive tale signum fidei protestativum constituatur in solo actu interno, sive in aliquo externo determinato, ut consideranti fit notum. Deinde dico, non esse inconueniens quoad hoc concedere remedium illud faciliorem esse in lege naturae, quin hoc deroget legi gratiae: quia opus non est, ut status gratiae in omnibus absolute superet statum naturae. De facto enim videmus, Sacramentum Confessionis difficiliorem in sensu praetenso reddere salutem, ob magnam verecundiam superandam, quam fuerit in statu naturae, & legis scriptae, in quibus sufficiebat contritio, sine peccatorum confessione. Supperat vero valde lex nostra ob uberiora gratiae auxilia, & ob alias causas, suo loco assignandas.

QUAESTIO III.

An in lege scripta Circumcisio fuerit Sacramentum delens Originale peccatum?

30 **D**E remedio originalis culpae in statu legis scriptae quaeritur in praesenti: an nempe fuerit Circumcisio, an potius illudmet Sacramentum, quod pro lege naturae erat institutum? Sed est supponendum, quod non loquimur pro parvulis utriusque sexus: nam remedium

dium illud legis naturae perseverasse in statu legis scriptae pro foeminis, est inconcussum inter Doctores. Unde solum pro masculis est difficultas, quae propter varios dicendi modos satis difficilis est reddita. Circa illam duplex principalis viget sententia. 1. asserit, illudmet Sacramentum, quod fuit in lege naturae contra originale, perseverasse in lege scripta usque ad baptismum; Circumcisionem verò solum fuisse quoddam corporale signum distinguens a cæteris Nationibus populum judaicum. Unde dicit hæc sententia, Circumcisionem non fuisse institutam ad originale delendum, nec ad gratiam conferendam ex opere operato; sed tantum ad consignandum Deo peculiarem populum, eumque a cæteris gentibus distinguendum. Hæc opinio tribuitur D. Thomæ, quem passim sequuntur Thomistæ, licet non absolute omnes. 2. sententia sustinet, Circumcisionem a Deo Abrahamæ præceptam Gen. 17. & postea in lege scripta firmatam, & insertam, proprie fuisse Sacramentum originalis culpae deletivum, & gratiae ex opere operato collativum, modo quo in Evangelica lege est baptismus. Hæc est doctrina totius Scholæ Scoticæ cum suo Magistro Subtili, cui, & D. Bonaventuræ idem sentienti, adherent non pauci ex Extraneis. Cum his.

31 Sit I. Conclusio: *Circumcisio fuit instituta a Deo in remedium peccati Originalis, ex opere operato parvulis gratiam justificantem conferens:* Unde fuit verum Sacramentum. Sic expresse Subt. Doct. in 4. dist. 1. quæst. 6. num. 1. ubi ait: *hic supponendum est, tamquam certum, quod per Circumcisionem peccatum originale debeatur, quod patet per auctoritatem Sanctorum.* Hæc SS. auctoritates potissime petuntur ex D. Augustino, qui pluribus in locis aperte docet, Circumcisionem vim habuisse remitendi peccatum, ex eiusque necessitate plerumque utitur contra Pelagia-

Reg. I.

nos, ad peccati originalis existentiam probandam, & Pelagianorum errorem convincendum. Maxime vero lib. 3. contra Julianum, cap. 8. sic arguit, ut illum compellat: *Responde, si potes, cur ipse Isaac, nisi baptismatis Christi signo Circumcisus octavo die fuisset, periisset anima eius de populo suo? Explica, si potes, tanta poena, qua merito plecteretur, nisi ab hac illo Sacramento liberaretur.* Et lib. de Concup. & Nupt. cap. 11. dicit: *ex quo instituta est Circumcisio in Populo Dei, quod erat tunc signaculum fidei, valebat & parvulis ad remissionem originalis, veterisque peccati: sicut & baptismus ex illo valere cepit ad innovationem hominis, ex quo institutus est.* Quid clarius de mente Augustini ad demonstrandum, Circumcisionem & Sacramentum esse, & originale ex se delere? Consonat S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 2. inquit: *quod apud nos facit aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus Sacrificij, vel pro his, qui de Abraham stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis.* Similia habet S. Bernardus, S. Prosper, S. Ambrosius, & V. Beda in illud Lucae: *postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Veritatem metipsam luculenter docuit Innocentius III. cap. *Maiores de baptismo*, ubi cum dixisset, baptismum successisse Circumcisioni, & cum probasset utriusque æqualem necessitatem, ex eo quod Genes. 17. dicitur: *Masculus, cuius præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima sua de populo suo; quia pactum meum irritum fecit*, modo quo Ioan. 3. scribitur: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, assignans utriusque differentiam, ait Pontifex: *quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum caelorum.*

C 2

Eam.

32 Eandem veritatem suadet N. Subt. Doct. loco laudato, ex eo, quod Deus nullo tempore reliquit genus humanum sine remedio necessario ad salutem: ergo lex Mosayca revera subministrabat media necessaria ad salutem hominibus, qui ad eius observantiam tenebantur, atque adeo ad originalis peccati remissionem. Patet; quia nemo peccato originali, aut actuali fœdatus potest vitam æternam consequi in tali statu: nam juxta divinum decretum, nihil coinquinatum introibit in regnum cœlorum. Nunc sic: sed tale remedium à Deo in lege Mosayca institutum fuit Circumcisio: ergo. Min. subs. probatur à Doctore ex illo Genes. proxime adducto. *Masculus, cuius præputii caro &c.* Quo pariter Oraculo maxime nititur Augustinus, & Innocentius, ut apparet ex dictis. Si cum Adversariis dicas, quod transgredientibus præceptum Circumcisionis imposita fuit poena mortis, aut à fidelium cœtu expulsionis, & hoc esse, quod significant verba illa: *delebitur anima eius de populo suo*: quia ut pluribus Scripturæ locis comprobari potest, verba illa non significant poenam damni, vel gehennæ, sed aliquam poenam temporalem. Contra est urgenter: quoniam etsi in alijs Scripturæ locis accipiantur similia verba pro poena temporali, in præsentia data expositio opponitur auctoritati SS. PP. de poena mortis animæ locum illum exponendum. Hæc Patrum intelligentia, & expositio firmatur auctoritate Innocentij citati, qui conceptis vocibus dicit, baptismum successisse Circumcisioni, & comparans illa verba: *Masculus cuius præputii caro &c.* Cum illis: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* concludit, quod licet per Circumcisionem tolleretur peccatum originale, non minus, quam per baptismum: baptismum tamen in eo præstare, & eo à Circumcisione differre, quod baptizati statim possunt introire in regnum cœlorum, quod circumcisi consequi non poterant; quia ia-

nua nondum erat aperta. Hoc ipsius expresse deducitur ex Ioan. 7. ubi Christus dixit Judæis: *Circumciditis hominem in sabbato, & mihi indignamini; quia totum hominem salvum feci in sabbato?* Innuens per hoc quod sanum fecit hominem, & quoad animam, & quoad corpus, & quod Circumcisio hominem quoad partem tantum sanabat, scilicet, quoad animam.

33 Sequitur evidentissime ex hucusque dictis, gratiam datam fuisse per Circumcisionem *ex opere operato*, & non ex opere operantis, ut contendunt non pauci. Tum ex SS. PP. qui manifeste eandem causalitatem, & eundem modum causandi tribuunt Circumcisioni, & remedio legis naturæ, quam baptismo respectu legis gratiæ, ut constat ex probationibus conclusionis, & ex anteq. quæst. Tum; quia ut ait Subt. Doct. de facto non datur medium inter amicum, & inimicum. Unde semel admissio, quod Circumcisio instituta fuerit ad delendum originale, statim sequitur, gratiam ex se contulisse. Ob hoc sunt plurimi, qui putent, contrariam sententiam absolute prolata, nedum esse falsam, sed etiam temerariam. Sed supersedeo censuræ propter auctoritatem negantium, Circumcisionem ex opere operato gratiam contulisse, pro qua citatur D. Thomas 2. part. quæst. 62. art. 6. ad 3. & alibi. Si instes, quod parvuli justificabantur per fidem parentum, & Circumcisionem solum fuisse signum distinctivum: contra ex probationibus conclusionis, & ex dictis de remedio legis naturæ quæst. præced. Tale namque signum debuit esse sensibile, & certum toti Ecclesiæ, seu Sinagogæ: in lege autem scripta præcepta, & determinata fuit Circumcisio pro tali signo externo fidei professivo: igitur sicut in baptismo non sufficit sola fides, quæ expressior, & perfectior est in lege Evangelica, quin actio baptismalis applicetur, sic pariter in lege scripta non haberet infallibilem illum effectum in pueris, nisi

nisi applicando illis per fidem Circumcisionem.

34 II. Conclusio: *Circumcisio instituta fuit etiam in signum populi, hoc Characterem signati, ut sic à cæteris Nationibus distingueretur populus Dei.* In hoc omnes conveniunt Patres, & Theologi. Et licet non inserviret pro foeminis, sufficit, quod inserviret pro masculis, qui sunt nobilior, & potior pars Republicæ, cum vir caput sit mulieris. Sic per Sacramentum Ordinis designantur in christiana Republica Ministri speciales Dei, & hæc Respublica distinguitur ab alijs, licet mulieribus non conferatur Sacramentum Ordinis. Solum hic poterat dubitari: an *Circumcisio instituta fuerit principaliter pro remissione peccati, vel potius pro consignatione populi?* Verum dummodo concedatur, Circumcisionem gratiam contulisse, & culpam originalem delevisse, dubium nobis est levis momenti. Sunt Authores qui dicant, Circumcisionem ad consignandum populum primo, & principaliter fuisse institutam; & sunt etiam plures, qui oppositum asserant. In hanc partem inclinatur Subt. Doct. Tum; quia finis principalis alicujus actionis est effectus nobilior, qui per eam producitur: hac de causa in omni generatione forma dicitur finis generationis; sed in Circumcisione nobilior est, culpam delere, & justificare: ergo. Tum; quia licet baptismus sensibiliter segreget fidelem à Pagano, & deleat originale, non proinde dicitur, talem segregationem esse primum finem baptismi, sed culpam originalem dimittere: ergo pariter. Sed quidquid sit de hoc, utrumque sentire conciliando, dico: quod Circumcisio primaria, & principaliter fuit instituta ad utrumque effectum, secundum diversas rationes. Quatenus enim in corpore relinquebat externum characterem, sic ordinabatur ad consignandum, & distinguendum populum. Quatenus vero fuit determinatio quedam communis remedii, & exterior professio fidei facta peculiari modo, fuit pri-

mario instituta ad delendum originale peccatum.

Solvuntur Argumenta.

35 **A**rgues 1. ex Concilijs, & ex pluribus locis Apostoli, in quibus videntur universaliter negasse antiquis Sacramentis vim justificandi: si Circumcisio causaret sanctitatem in parvulis, non distingueretur in hoc à nostris Sacramentis; sed hoc est contra Florentinum, & Tridentinum asserentia, nostra Sacramenta ab antiquis differre in modo causandi justificationem: ergo. Prob. min. Florentinum Sess. ult. in decreto fidei inquit: *Novæ legis Sacramenta multum differunt à Sacramentis legis antiquæ: hæc enim non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant: nostra vero & continent gratiam, & digne suscipientibus eam conferunt.* Trident. Sess. 7. Can. 2. ait: *Si quis dixerit, novæ legis Sacramenta à Sacramentis legis antiquæ non differre, nisi quia sunt ceremoniæ aliæ, & alij ritus externi, anathema sit:* ergo. Hoc idem argumentum fit de remedio in lege naturæ jam statuto pro originali delendo. Paulus ad Roman. 3. dicit: *Ex operibus legis non justificatur omnis caro coram illo.* Ad Galat. 3. *In lege nemo justificatur apud Deum.* Ubi sub nomine legis comprehendit omnia antiquæ legis Sacramenta, quæ rursus cap. 4. appellat *infirmam, & egenam elementa.* Et ad Colos. 2. dicuntur *umbra futurorum bonorum*, quo loquendi modo frequenter alibi utitur. Denique peculiariter de Circumcisione ait, nihil prodesse, nullam efficaciam habere, Sic ad Galat. 5. *Neque Circumcisio aliquid valet.* Et 1. ad Corinth. 7. *Circumcisio nihil est.* Nunc sic: sed hæc dici non possent, si Circumcisio gratiam contulisset: ergo. Hoc est ab auctoritate adversariorum achilles.

36 Pro solutione, & intelligentia Conciliorum, & Patrum regula generalis sit, attendendum esse sensum, in quo Concilia, Patres, & Sacri Textus loquuntur, qui sensus est

est per oppositum ad contrarium errorem, quem rejiciunt. Fuit igitur error Armenorum, Sacramenta novæ legis nuda tantum esse signa, neque aliam habere efficaciam, quam habuerunt Sacramenta illa veteris legis, quæ fuerunt nuda tantum signa. Errorem hunc assumpsit postea Lutherus, Calvinus, & Sacramentarii omnes, qui efficaciam Sacramentorum novæ legis ad nudam excitationem signi reducunt, sicut Sacramenta veteris legis ad cognitionem futuræ gratiæ excitabant, sed eam non causabant. Contra illos processerunt Florentinum, & Tridentinum, intelligendo per Sacramenta veteris legis illa, quæ erant nuda signa, & legis propria, & statuendo in sensu opposito, nostra Sacramenta non conferre gratiam, sicut antiqua, quæ nuda erant signa, sed inter illa maximam intervenire differentiam. Ex quibus apparet, Concilia non includere in illa generalitate remedium pro lege naturæ, neque Circumcisionem, quæ Joan. 7. *Non est ex lege, sed ex Patribus*. Ratio est manifesta: nam cum juxta Augustinum, Gregorium, aliosque PP. ac juxta communiorem *Scholasticorum* sensum, illud remedium in statu legis naturæ efficax fuerit pro parvulis, sicut & in lege scripta fuit Circumcisio, noluerunt Concilia hoc damnare, nec oppositum decernere contra hos PP. & alios, ipsos sequentes. Loquuntur itaque Concilia in stylo, & verbis ipsius Augustini, qui in Ps. 73. inquit: *Sacramenta novi Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti promiserunt salutem*. Sicut ergo ipse Augustinus loquitur de Sacramentis veteris legis, non comprehendendo remedium pro originali in lege naturæ, neque in lege scripta Circumcisionem, cum evidens sit, juxta Augustinum, his mediis parvulos efficaciter justificari; ita etiam Concilia de iisdem agunt Sacramentis, quæ solum erant signa, & propria veteris legis. Illud autem

remedium, sicut & Circumcisio, valebant aliis, etiam extra illam legem viventibus, modo quo etiam valeret baptismus. Quapropter negotio minore. At vero, quamvis in causare efficaciter parvulis gratiam, originale delendo, Circumcisio non distingueretur, seu æquivaleret baptismi, in aliis pluribus differret adhuc, præter id, quod importet alios, & alios ritus externos: sicut in pluribus, præter externos ritus differunt, quamvis in vi conferendi gratiam conveniant. *Baptismus* namque majorem, ac uberiores gratiam confert: aperit januam Regni Cælorum, quod non faciebat Circumcisio. Auget etiam gratiam, quando illam invenit in anima: remittit peccatum actuale, ac totam pœnam illi correspondentem: imprimit spiritualem characterem, habetque alia, quæ Circumcisio non habebat, ut ex dicendis constabit.

35 Nunc jam pro Pauli sana intelligentia, advertendum est 1. Judæos superbè fidentes in littera, & cortice suæ legis, & Circumcisione, judicasse, omnem justitiam, seu Dei gratiam in illis posuisse, nullam aliam admittentes redemptionem, aut illius necessitatem; quia Messiam expectabant, ut Regem, & Dominum temporalem, qui eos à temporali servitute liberaret, & temporale regnum eorum faceret supereminens, de quo, ut carnales, intelligebant omnes Messie venturi promissiones. Consequenter judicabant, nullum esse remedium ad salutem aliis Nationibus, nisi suis cœremoniis, & Circumcisione uterentur. Hos, & alios errores similes refutat Paulus, asserens pluribus in locis, omnem justitiam esse ex meritis Christi, salutemque esse per fidem, & redemptionem, quæ est in Iesu-Christo: neque legem quidquam valere, neque Circumcisionem, eo, nempe, sensu, quo Judæi salutem solum ex Circumcisione, & littera legis adstruebant, ac repræmissiones sibi factas esse ex me-

merito, & sanctitate utriusque, non ex fide, & gratia Dei. Postquam ergo Paulus docuit, salutem esse, non ex littera legis, neque ex operibus nostris, sed ex fide, gratia, & Redemptione Jesu-Christi, hæc distinguens Apostolus à littera legis, in qua confidebant Judæi, secludendo omnem aliam Redemptionem, & gratiam, præter solam Circumcisionem, & legem, docet, eundem Deum Judæorum, & Gentium esse, qui justificat Circumcisionem ex fide, seu adjuncta fide, id est, in virtute fidei, & gratiæ Dei, ac Redemptionis per Christum. Sic ad Galat. 2. & 3. Hanc eandem distinctionem legis quoad litteram sequitur pluribus Augustinus contra Pelagianos. Eandem denique distinctionem legis quoad litteram sequitur Trident. ses. 6. c. 1. docens, neque Gentes per vim naturæ, neque Judæi per ipsam litteram Moysis, quæ consistit in nuda ostensione, & mandato, liberari à peccato potuerint. Judaicam doctrinam secutus est Pelagius, gratiam constituens, vel in ipsa natura, vel in legis doctrina. Contra quem, & suos Sectarios distinguit Concilium gratiam à doctrina, seu littera cujuscumque legis, & mandati, & Augustinus latè disserit lib. *de gratia Christi*. Advertendum est 2. Paulum multoties loqui de lege, & de Circumcisione, postquam jam per sufficientem Evangelicæ legis promulgationem spiravit, quod protervé resistebant plures ex Judæis.

37 His animadversis, facilis est, & obvius sensus Textuum Pauli. Non enim negabat Apostolus, Circumcisionem nihil valere, adjunctis meritis Christi, & eodem modo de lege Judæis imposita: siquidem virtute Christi, seu per gratiam, quæ in Christo dabatur, multum valebant. Unde ipse Apostolus ad Rom. 2. ait: *Circumcisio quidem prodest, si legem observes*. Et ad Roman. 3. *Quid amplius Judæo est? aut quæ utilitas Circumcisionis? multum per*

omnem modum. Ecce Pauli Textus oppositum exprimentes. Deinde aliis in locis, ut ad Galat. & Cor. loquitur Paulus de Circumcisione post mortem Christi, quando jam abrogata erat, & cessaverat: ideoque dicit: *in Christo Iesu neque Circumcisionem, neque præputium aliquid valere, nihil esse: quatenus, concurrente lege Evangelica, evacuata fuit omnis virtus Sacramentorum, & Sacrificiorum veteris legis: ac proinde Circumcisio tunc nullius jam fuit virtutis, & efficacitatis. Per hanc doctrinam explicata Textus Apostoli.*

38 Argues 2. & replicabis: multi ex SS. Patribus, ut Chrisostomus, Cyprianus, Ambrosius, Tertullianus docent, Circumcisionem solum fuisse institutam ad consignandum peculiarem Dei Populum, & ad figuranda, & præsignanda gratiæ mysteria; non vero ad hominem justificandum: ergo juxta SS. PP. Circumcisio non conferebat gratiam. Apertius loquitur Justinus Martyr, Dialogo cum Triphone, duplicem afferens rationem. 1. quia Abraham Circumcisionem accepit, non ad justificationem, cum justificatus esset jam per fidem, qua Deo credidit, sed tantum modo in signum, vel ut ait Apostolus, per illam tantum accepit signaculum. Unde Glossa super illud ad Rom. 4. *Signaculum accepit Circumcisionis dicit: peccata ibi solum dimittebantur, sed gratia ad bene operandum adiutrix non prestabatur*. 2. ratio: quia foemineum sexum Circumcisionem assumere nequibat: ergo data est tantum in signum, non ad justitiam: nam quidquid ad virtutem, & justitiam pertinet, foeminis etiam Deus dedit. Denique Beda ait: *habenti gratiam patet janua Regni, quia ejus est hæres, secundum August. de Trinitat. lib. 15. cap. 19. nam ipsa dividit inter filios Dei, & perditionis; sed Circumcisio non aperiēbat januam Cœli: ergo non conferebat gratiam justificativam.*

39 Huic argumento respondet Subt. Doct. Patres negantes gratiam Circumcisioni intelligi posse, vel quia parvam gratiam contulit Circumcisio respectu Baptismi: vel quia non contulit gratiam, ut dispositio nem immediatam ad gloriam; quia non aperuit januam: sed hoc non fuit ex defectu ejus, sed quia fluxit tempore, quo pretium non fuit solutum: vel 3. modo non contulit gratiam, quia non universaliter cuicumque suscipienti: determinabatur forte ex institutione sua ad certum gradum gratiæ, ita quod ultra illum gradum non posset, nec intendendo, nec inducendo: & ita si tantum gradum inveniret in suscipiente, nihil sibi conferret. Hæc Subt. Doct. Unde exponendi sunt PP. juxta aliquem ex his tribus modis: nam in uno, vel alio, aut alio loquuntur: nempe, vel quia Circumcisio parvam gratiam conferebat per comparationem ad Baptismum: vel quia non contulit gratiam, sicut Baptismus, ut dispositionem immediatam ad gloriam, eo quod non aperuit januam Regni Cælorum: vel denique, quia gratiam non conferebat universaliter omni suscipienti, ut si jam erat in gratia, ut de Abrahamo ait ipse Doctor, eui ex opere operato Circumcisio nullam gratiam contulit; quia illam jam habebat ex fide, ut Apostolus dicit: *Abraham ex fide justificatus est.* Quare vim habebat remittendi originale, non augendi gratiam. Deinde, si quis Patrum oppositum teneat nostræ assertioni, non ideo reeendum est ab illa, ut Mastrius advertit, sed standum est cum Augustino, Gregorio, & aliis Patribus, pro nobis adductis.

40 Quamvis vero doctrina data certa sit; quia relati Patres aliquando videntur absolute dixisse, Circumcisionem solum fuisse institutam ad consignandum populum, & non ad justificandum, placet aliter respondere, juxta doctrinam datam in sensu, & mente Pauli, contra Judæos.

Respondeo igitur, sensum, & intentionem illorum fuisse, Circumcisionem, prout fuit inserta, & confirmata in lege Moysis, non habuisse virtutem justificandi, nempe, ex vi ipsius legis scriptæ, quasi tunc inciperet remedium salutare habens vim justificandi animam, quod antea non staret: sed quantum est ex vi legis scriptæ, Circumcisionem nihil novi atulisse, nisi figurare, & consignare. Hæc doctrina insinuat a Doctore lit. A. In hoc ergo sensu loqui sunt PP. citati; quia directè scribebant contra Judæos, qui totam suam spem ponebant in Circumcisione, ut erat peculiaris cæremonia illius legis, distinguens a cæteris illam Nationem. Sub hac ratione dicebant Patres illi, quod Circumcisio nullam habebat vim specialem sanctificantem, qua carerent aliæ Nationes; quia illam non habebat, nisi quatenus includebat remedium legis naturæ, & erat ipsius expressivum, quod cæteris Nationibus erat commune. Unde Patres inculcabant, quod Judæi non adeo gloriari debebant de Circumcisione, ut erat peculiaris cæremonia suæ legis; quia sub hac præcisa ratione, & non ut includente remedium commune, nullam specialem habebat vim sanctificandi, & solum fuit instituta ad consignandum specialem Dei populum, & a cæteris Nationibus distinguendum. Et hic est planus, ac germanus sensus Patrum.

41 Hinc patet ad 1. rationem ex Justino Martyre. Abraham itaque non fuit justificatus Circumcisione; quia jam supponebatur justus per fidem, scilicet, per remedium legis naturæ: tempore enim senectutis accepit præceptum Circumcisionis. Unde non est consequentia de personali Circumcisione Abrahamæ ad alios universaliter. Ad 2. dico, pro foeminis placuisse Deo, ut adhiberetur illud idem remedium, quod erat in lege naturæ. Unde nihil eis defecit, quod ad justitiam, & virtutem pertineret. Quomodo-

modo autem ex vi Circumcisionis viri distingueretur etiam femina a cæteris seclis, dictum est num. 33. Et notandum, quod idem remedium voluit Deus pro Masculis periclitantibus ante octavum diem: jussit enim Deus, usque ad octavum diem nati- vitatis Circumcisionem differri; quia cum esset remedium adeo asperum, non expediebat antea adhiberi infantibus, etiam constitutis in mortis periculo. Ad illud ex Glossa Magistri dico, intelligi de augmento gratiæ, quam non conferebat Circumcisio, sicut cum alijs auxiliis confert Baptismus. Et si hæc expositio, quæ est Subt. Doct. non quadret, recedendum est a Glossa. Ad ultimum: Beda loquitur de habenti gratiam post Christi passionem: siquidem ante pretium per passionem exolutum non erat janua cæli aperta, nedum circumciso, sed nec baptizato, ut ait Subt. Doct. Unde ipse Beda super illud Lucæ, *postquam consummati sunt dies octo; ait: idem salutiferum curationis auxilium Circumcisio in lege agebat, quod baptismus tempore gratiæ agere consuevit.* Quapropter argumentatio hæc: *Circumcisio non aperiebat januam cælorum: ergo nec gratiam conferebat; quia habenti gratiam patet regnum cælorum*, non est recta: quia Circumcisio, ait Subt. Doct. ideo, esto gratiam conferret, regnum cælorum non aperuit; quia concurrat tempore, quo pretium non erat solutum per Christi mortem. Unde post solutum pretium potuit alicui janua aperiri, qui non fuisset baptizatus, & esset circumcisus. Sicut, si quis fuisset baptizatus, & defunctus ante solutionem pretij factam in morte Christi, januam cæli ingressus non esset: quod meo videri patuit in Ioanne Baptista, qui a Domino fuit baptizatus, & ante Christum mortuus.

42 Argues 3. si Sacramenta antiquæ legis conferebant ex opere operato gratiam, frustra fuisset Christi adventus, ac Sacramentorum ins-

Tomo I.

titutio; sed hoc dicendum non est, ergo. Confirmatur: si Circumcisio instituta est in remedium peccati originalis, intelligendum esset hoc universaliter de masculis, tam parvulis, quam adultis; ergo adulti justificarentur tunc per Circumcisionem cum sola attritione, sicut nunc per baptismum. Sed hoc est falsum: alias augmentum gratiæ accepisset Abraham, quod negat Subt. Doct. & colligitur ex Apostolo: ergo. Respondeo negando sequelam; quia illa Sacramenta efficaciam habebant ex passione Christi futura, quæ in acceptatione divina præcessit, & quæ non fuit minoris activitatis, quam passio jam exhibita. Unde morte Christi circumscripta, ac ejus meritis futuris, nullam gratiam Circumcisio contulisset: non igitur frustra Christus passus, ac mortuus est. Ad confirmationem, quamvis plures sint, qui concedant, tam remedium legis naturæ, quam Circumcisionem habuisse parvulis, ac adultis eandem vim, quam baptismus habet, eodemque modo illos justificare, inter quos Aretinus noster quæst. 7. art. 11. in fine: tamen valde probabilis est, gratiam tunc adultis non conferri, nec peccata dimitti, nisi per actum contritionis, aut perfectæ dilectionis Dei: ita quod in Circumcisione non datur gratia adultis, nisi fidem habentibus, & dilectionem Dei, seu peccatorum contritionem. Hæc videtur mens Scoti quæst. 6. cit. ubi inquit, quod licet Abraham fuerit circumcisus, tamen in Circumcisione non fuit justificatus, ultra meritum suæ fidei, & obedientiæ, per quod utique accepit augmentum gratiæ. Deducitur hoc non obscure ex Apost. ad Rom. 4. ubi dicit, Abraham non fuisse justificatum in Circumcisione, sed ex fide: accepisse autem Circumcisionem in signum, & signaculum Dei. Si enim Abraham in Circumcisione non fuit datum augmentum gratiæ ultra eius meritum, certum videtur, neque alijs adultis esse datum.

D

Pro

43 Pro aliis solvendis, nota 1. quod licet D. Epiphanius hæres. 30. & Origenes lib. 2. epist. ad Rom. referant, quod multi Gentiles Circumcisione utebantur, & non justificabantur, ex quo videtur, gratiam contulisse ex opere operantis, non ex opere operato: hoc ideo erat, quia Gentiles illi circumcidabant merè externè, & ex sola cæremonia sensibili. Si enim fidem habuissent, hoc est, facere intendissent, quod Ecclesia, aut Sinagoga faciebat, gratia absuduo fuisset parvulis collata. Claret doctrina hæc ex August. lib. contra Crescentium, asserenti, Circumcisionem à Samaritano collatam fuisse validam, non minus, quam nunc est baptismus ab hæretico collatus. Unde ad validitatem illius Sacramenti necessaria non fuit fides *explicita*, & infusa Messia venturi, sed sufficiebat *objectiva implicita*, contenta in voluntate faciendi, quod faciebat Ecclesia, quamvis ministrans esset infidelis. Quare in ministrante illud Sacramentum pro parvulis, præter fidem externam, seu protestationem fidei in Christum venturum, in quo consistebat Sacramentum, necessaria non erat fides interna, nec actualis, nec habitus, ut Scotus in 4. dist. 5. quæst. 1. innuit, & à pari nunc de baptismo suo loco patebit. Hac doctrina solvitur, & resolvitur quæstio illa: *quænam fides Messia venturi tunc fuerit necessaria ad validitatem illius Sacramenti?* Nota 2. quod ex Circumcisione originale remittente, & gratiam ex opere operato conferente, non est argumentum ad alia Sacramenta antiquæ legis: quia omnibus consentientibus, in lege naturæ, & scriptæ concedi debet remedium efficax pro delendo originali. Unde in remedium parvulorum hoc est Sacramentum *simplicis necessitatis*, nec alio modo poterat subveniri parvulis. Sed quia neutra illarum legum fuit lex gratiæ, Deus in illis non concessit alia Sacramenta *ex opere operato* gratiam conferentia: nam privilegium tale solius legis gratiæ esse

debebat. Nota 3. quod ante Circumcisionem non erat determinatus certus actus externus remedii contra originale, sed poterat applicari infantibus tale remedium hoc, aut illo actu protestativo fidei, juxta dicta quæst. antecedenti: at vero quando instituta est Circumcisio, illud remedium determinatum est à Deo ad talem ritum in individuo, ut fidelium congregatio magis unita esset, quam antea erat in tali ritu: modo quo actus fidei protestativus determinatus est in lege evangelica sub particulari baptismi ritu, & cæremonia.

44 Inquires pro complemento quæstionis: *An Circumcisio impresserit characterem?* Quid sit character? docebitur, dum de Sacramentis novæ legis, illum imprimentibus, tractemus. Solum de Circumcisione dubium excitari potest, quæ sola fuit proprie Sacramentum in veteri lege. Negant quotquot asserunt, Circumcisionem non fuisse verum Sacramentum. Ob rationem ab opposito affirmat Scotus in 5. dist. 6. quæst. 9. in solutione 1. quem sequuntur Scotistæ, dempto *Hugo* in comment. Probat Doctor: quia Circumcisio in lege scripta ita erat janua salutis, sicut Baptismus in nova: & ita distinguebat familiam Dei, & Messia, quem credebant venturum, sicut Baptismus: ac per illam ita ex opere operato gratia conferebatur, sicut modo per Baptismus: ergo sicut Baptismus his de causis imprimit Characterem, ita à pari dicendum est de Circumcisione. Idem sentiendum de remedio legis naturæ, quod in lege scripta perseveravit pro foeminis: alias foemina non equiparentur masculis in supernaturalibus donis.

45 Argues: si ita esset, circumciscus non esset baptizandus; sed hoc est falsum: nam Christus neminem excepit à Baptismo, dum dixit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ergo Prob. sequela: duo accidentia eiusdem nequeunt esse simul in eodem subiecto: ergo Baptismus non causaret

Cha-

Characterem, cum jam causatum inveniret, & consequenter, tunc Baptismus non esset suscipiendus. Negat sequelam Doct. Subt. Ad probationem dicit, posse concedi, illum characterem à Circumcisione impressum esse ejusdem rationis cum characterem Baptismi, ac etiam esse alterius rationis. Si concedatur 1. dici potest, quod in circumciso recipientem Baptismus character non imprimeretur; quia tale subiectum non esset in potentia ad talem formam. Neque id est absurdum; quia baptismus natus est causare in subiecto capaci, cujusmodi non esset jam habens characterem. Sicut si Baptismus inveniret gratiam summam, ut fuit in B. Virgine, non causaret aliam. Neque ob hoc esset signum falsum; quia significaret gratiam præsentem, & causatam, inquit Doctor, seu ex se esset illius causativum. Si dicatur, characterem Circumcisionis differre à characterem Baptismi, ut imperfectum à perfecto, sicut gratia Baptismi differt à gratia Circumcisionis: tunc circumciscus postea baptizatus novum characterem non susciperet, sed characterem Circumcisionis antea impressus in eo perficeretur per Baptismus. Sic Subt. Doct.

QUÆSTIO IV.

An si innocentia status perseverasset, Sacramenta instituta essent?

46 **B**reviter ab hac non levi & quidem in quantum capio, difficultas hæc multum habet de nomine, & de modo loquendi. Sed advertendum 1. difficultatem resolvendam non esse per rationem à priori: nemo enim à priori valet probare, nec improbare, quod ex mera Dei voluntate, & liberalitate pendet, ut pendet Sacramentorum institutio pro quocumque statu naturæ. Unde solum resolvenda est à congruitate:

Tom. I.

nempè, quid probabilius conjici possit ex congruentiis, quæ pro una, & alia parte adduci solent. Advertendum 2. cum Subt. Doct. in 4. dist. 1. quæst. 3. in statu *naturæ perfectissime*, qualis est status beatitudinis, nullum Sacramentum necessarium esse. Et ita etiam sentiunt cum Augustino lib. de Catech. cap. 4. unanimiter Theologi. Advertendum 3. statum innocentia, in quo Adamus fuit creatus, parum temporis durasse, ut sentiunt PP. & DD. Unde siæ controversia statuendum est contra Alensem, quem sequitur Catharinus, in illo statu de facto nullum Sacramentum fuisse institutum. Cujus ratio pro nunc potest esse, quod Sacramentum debet esse signum sensibile, & permanens, seu debet esse institutum ad tempus notabile, ut fert opinio communis cum Subt. Doct. in 4. dist. 1. quæst. 3. Cum igitur Sacramenta sint signa permanentia, quibus populus Dei in unam coalescit Religionem, Deusque prævidet, innocentia statum non fore permanentem, frustra fuissent ibi data Sacramenta, seu signa permanentia. Advert. 4. Sacramenta posse considerari ordinata, & instituta ad triplicem finem, juxta triplicem eorum considerationem; spectari namque possunt, vel quatenus sunt cæremoniæ Sacrae, ac ritus celebres, quibus adunati homines in eandem Religionem, obsequium, & cultum impendunt Deo, ut supremo rerum Domino: vel quatenus sunt media conducentia ad hominis perfectionem augendam, per augmentum gratia illuminantis, & significantis: vel quatenus sunt medicina, seu remedia ad resarciendam, conservandam, aut augendam hominis salutem, & gratiam. Advert. 5. supponendam esse pro nunc omnino veram celeberrimam illam Scotistarum Sententiam, nempe, *quod Adamo non peccante, seu innocentia statu perseverante, Christus in mundum venisset, in vi præsentis decrevi.* Hinc consequenter,

D2

inquiri potest; an innocentia durante, futura essent aliqua Sacramenta ex vi presentis decreti, quo de facto fuerunt instituta, an ex vi alterius decreti? Et solum in 1. sensu, ait Mastrius, difficultas proponi debet: nam illam in 2. promovere, solum est divinare: cui dicendi modo pro viribus opponitur noster Delgadillo. His animadversis.

47 Tot, quot capita, sunt Sententię. Alii absolute affirmant, futura fuisse Sacramenta in illo statu, etiam Christo non veniente in mundum. Ita ex nostris Centinus, Morandus, quos Authores aliqui sequuntur. Alii ex suppositione Incarnationis Verbi Divini, Adamo non peccante, futura tunc Sacramenta non renuunt concedere. Sic cum Lugo, & pluribus Extraneis, ex Nostris Aretinus, Rada, Hennis, Brancatus, & ex Recentioribus plurimi. Alii ex una parte existimantes, Sacramenta imprescindibiliter includere rationem medicinę contra morbum peccati; & ex alia sustentantes, quod Adamo non cadente, nullus posteriorum peccasset, maxime lethaliter, conantur pro viribus defendere, tunc Sacramenta omnino inutilla esse, ac proinde nullatenus instituenda fore. Per oppositum alii, opinantes, quod posteriori Adę, ipso stante, adhuc peccare possent, sicut et ipse Adamus potuit, & de facto peccavit, asserunt, Sacramenta pro illo statu necessaria fore, ut medicinę, & ut remedia salutis. Alii considerantes Sacramenta, prout primario instituta, & ordinata ad Dei gloriam, & bonitatem ostendendam, & insimul, quatenus precise à ratione medicinę peccatorum, sunt media congruentissima ad hominis sanctitatem, & gratiam augendam, quę duo in illo innocentie statu adstrui debent sine ullo inconvenienti, quin potius magna cum congruitate, firmare conantur Sacramentorum existentiam pro statu innocentie, etiam nullo Adę postero peccante. Ex hac igitur sen-

sum varietate, oritur varietas in resolvendo difficultatem. Quidam ex Nostris adeo sunt rigidi, ut nullum absolute Sacramentum pro illo statu concedere velint. Sic Mastrius cum magna parte Scotistarum. Quidam ex adverso sic extendunt concessionem, ut omnia Sacramenta, quę nunc stant, pro illo statu futura fuisse, firment. Sic Delgadillo cum aliis. Quidam vero inter ista extrema median-tes, aliqua concedunt, nempe, *Vivorum*, & aliqua negant, scilicet, *Mortuorum*, institutura in illo statu. Sic Dupasquier inter illa enumerans Matrimonium. Sed mirabile est valde, quod omnes relati pro se allegant Subt. Doct. & in suas laborant adducere partes. Ut autem resolvamus, quid hac in re apparet verosimilius.

Sit Conclusio I.

48 **S** *Statu innocentie perseverante, & tunc Christo in mundum adveniente, aliquod Sacramentum institutum fuisset.* Conclusio nedum videtur mihi Scoto conformis, sed ratione innegabilis. Probatur igitur ex Subt. Doct. qui in 4. dist. 1. quęst. 2. assignans rationem, cur Sacramentum debeat esse hominibus signum sensibile? hanc reddit; quia, nimirum, cum homines naturali ratione ducti in unum populum congregentur, ita per Christum in unum corpus visibile Ecclesie, per aliqua signa sensibilia, nempe, Sacramenta, & Sacras Cæremonias, uniri debent ad cultum debitum Deo exhibendum; sed in illo innocentie statu fuisset vera Ecclesia, & Christus fuisset verum illius caput: ergo aliquod fuisset verum Sacramentum, quo fideles illi omnes in unum visibile Ecclesie corpus unirentur. Major est Doct. & minor evidens: si quidem tunc fuisset vera Religio, vera Ecclesia, vera fidelium congregatio, & verum illius caput, ut negare audebit nemo, & Tract. de 1. ho-

homine Theologi fatentur. Quomodo igitur vera Religio, veraque visibile Ecclesia, ac fidelium vera congregatio percipietur, nisi homines adunati conveniant in unitatem Religionis, & Ecclesie visibilis, medio aliquo Sacramento, illos visibiliter uniens? Hoc quidem perbellè observat M. P. August. lib. 19. contra Faustum, cap. 16. dicens: *in nullum nomen Religionis homines quoadunari possunt, nisi aliquo Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Hęc ratio mihi est valde efficax.

49 Confirmatur ex Scoto eadem littera, quam adducunt contra nos Scotistę adversarii: Doctor in 4. dist. 1. quęst. 3. dicit: *pro quocumque statu, in quo est morbus, necessaria est medicina, & pro quocumque statu vice maxime post lapsum, congruum est hominem manuduci ad invisibilia per aliquod sensibile... pro statu etiam innocentie non fuit congruum institui Sacramentum, sicut post lapsum, quia etsi tunc homo non potuit, nisi ex sensibilibus cognoscere intelligibilia: tamen nullum sensibile fuit necessarium tamquam conferens ad salutem, removendo aliquod impedimentum salutis &c.* In hoc textu fundantur Scotistę ad sustinendum de mente Scoti, Sacramenta nulla futura fuisse pro statu innocentie. Verum, si non fallor, aperte falluntur ipsi. Doctor namque expressè asserit, quod *pro quocumque statu nature congruum est, hominem manuduci ad invisibilia per aliquod sensibile*, nempe, per aliquod Sacramentum. Et dum dicit, *maximè post lapsum*, non negat congruentiam instituendi Sacramentum, etiam pro illo statu, ut Mastrius ipse ingenuè fateatur, sed illam supponit; nam particula illa *sicut* est collativa, ac proinde non excludit congruitatem, sed solum illam, quę est in statu nature corruptę. Hujus congruentie disparitas pro isto, & illo statu stabilitur, dum dicit, *illud sensibile in statu innocentie non fore medicinam,*

quatenus tunc non fuisset morbus, aut peccatum, quod removeretur per illud sensibile. Unde dicit Doctor, quod non fuit congruum pro illo statu institui Sacramentum, sicut post lapsum, aut modo quo post lapsum est institutum; quia nunc institutum est in medicinam morbi, & ut auferens impedimenta salutis: tunc verò cum morbus non esset, nec in medicinam datum esset; bene verò in ratione signi sensibilis adunantis homines in unum corpus mysticum & religiosum ad cultum exteriorem Dei per actus, & cæremonias sensibiles, non quidem vacuas, sed efficaces ad augmentum gratie, & ad alia auxilia congrua, & proportionata illi statui.

50 II. Conclusio: *Illud Sacramentum pro innocentie statu instituendum, maximè foret Sacramentum Eucharisticum.* De hoc enim augustissimo Sacramento sunt speciales rationes, quę non militant pro aliis Sacramentis. Eucharistia enim est Incarnationis extensio, quam ex hypotesi, quod Christus venisset, Adamo non peccante, sic se omnibus hominibus communicaret, & illis sic esset præsens: nam aliter non poterat esse præsentialiter cum illis naturaliter. Est etiam prætantissimum futurę glorię pignus: est perfectissimum Sacrificium laudis, & gratitudinis: est summę munus dilectionis ejus, quę erga nos non minor fuisset in illo statu. Denique hoc Sacramentum, ut ait Subt. Doct. est specialiter unitivum fidelium, tam cum ipso capite Christo, quam inter se ipsos. Cum igitur unitas Ecclesie, & religionis stet in aliquo Sacramento, in quo tamquam signo sensibili, fideles colligentur, & congregentur, ut dictum est cum Doctore, & Augustino, nulli aptius convenit Sacramento alio, quam Eucharistico. Præterea sunt pro illo alię efficacissime rationes tract. 4. de Euch. dip. 1. quęst. 4. pro dignitate expendendę. Hoc nobis sufficit ad intentum 1. assertionis, *quod opus sit de aliis, cum pro*

pro nullo ipsorum sint valde æquales congruentiæ. Quapropter non forent instituenda Sacramenta mortuorum, quæ ex se respiciunt peccatum expiandum, & instituta sunt ex primaria intentione in medelam peccatorum. Nec pariter Sacramenta vivorum, illa præsertim, quæ aut completiva, aut aliquomodo perfectiva sunt Sacramentorum mortuorum. Sic Confirmatio potest dici respectu Sacramenti Baptismi, quatenus roborat, & firmat confirmatum in fide suscepta in Baptismo, peccati originalis remissivo. Extrema-Unctio dici potest completiva poenitentię, quatenus remittit peccata, & præteritorum abstergit maculosas reliquias.

51 Argues ex Subt. Doct. in 4. dist. 26. num. 12. ubi ait: *De primo non potest dici, quod Sacramentum Matrimonii sit institutum in statu innocentie; quia omnia Sacramenta habent efficaciam à passione Christi exhibitam, vel prævisam. Si autem innocentia stetisset, passio Christi nec fuisset exhibitam, nec prævisam.* Confirmatur ex Patribus, asserentibus cum communi Theologorum, Sacramenta habere efficaciam, & conferre gratiam per Christi passionem; quæ, innocentia stante, futura non esset. Respondeo, Doctorem hoc in loco impugnare sententiam Alensis, docentis, Matrimonium, seu conjugium inter Adam, & Evam celebratum, antequam peccarent, fuisse verum Sacramentum, quod esse falsum, ostendimus in 3. advertentia à principio quæstionis. Deinde: si Matrimonium illud fuisset verè, & propriè Sacramentum, sumptum, nempe, non late, seu pro signo utcumque rei sacræ, quo sensu Apostolus appellat illud Sacramentum; sed sumptum pro signo efficaci sanctificante, seu gratiam conferente: si, inquam, fuisset verum Sacramentum; perseverasset postea in statu naturæ lapsæ, & legis Mosaycæ; non enim constat autoritate, aut ratione, quod postea abrogatum fuerit.

Omnes autem negant fuisse verum Sacramentum in lege Mosayca. Et dum dicit Doctor, quod si status innocentie durasset, Matrimonium Sacramentum non fuisset; *quia Sacramenta habent efficaciam à passione Christi exhibitam, vel prævisam, assumpsit rationem hanc ex communiiori loquendi modo Doctorum, qui de Sacramentis in universali sic loquebantur.*

52 Hæc verò universalis non præjudicat particulari Sacramento Eucharistiæ, propter peculiæ rationes, & speciales congruentias ipsius, quæ pro aliis non militant. Quare, dum dicitur, Sacramenta instituta esse occasione peccati, & in naturæ lapsæ medicinam, excipiendum est Sacramentum illud, quod omni peccato secluso, & omni respectu medicinæ totum suum sortiatur præcipuum intentum, & finem. Cùm igitur Eucharistia talis sit: nam ex primaria ratione suæ institutionis est extensio Incarnationis, quæ verificaretur in data hypotesi: & aliunde non sit Sacramentum consistens in usu, sicut cætera, sed permanens, & permanentem cum hominibus manens, hinc est, quod Eucharistia ob suas peculiæ rationes non includitur, vel excludi debet ab illa regula generali. Modo quo, dum dicitur: *Omnes in Adam peccaverunt, sine præjudicio hujus regulæ generalis excipitur Immaculata Virgo ob suas specialissimas rationes non inclusionis.* Deinde, dum Doctor dicit, Sacramenta habere efficaciam à passione Christi, *intelligi potest de Sacramentis in ratione medicinæ constitutis, sub qua ratione prædeterminata fuerunt post peccati prævisionem.* Idem dixerat: *Sacramentum non fuit necessarium in illo statu, sicut, post lapsum, nec ut dici posset propriè medicina.* Nec illud vulgatum axioma, *Sacramenta esse medicinam, semper est verum, si sonet medicinam ad peccatum delendum, ut in ipsa Eucharistia fit perspicuum: sed intelligitur*

tur pluries de medicina præservativa. Nec alius potest esse sensus Doctoris in textu allato, (quem in nullo ex propugnantibus, Sacramenta futura fuisse, si innocentia perseverasset, explicatum vidi, nec adductum) si suæ inter se resolutiones conferantur. Siquidem clarius meridiana luce est, Doctorem agnovisse congruitatem Sacramenti pro illo statu, licet non *sicut post lapsum*, nempe, in ratione medicinæ quatenus tunc non esset morbus. Tunc præterea esset vera Ecclesia, & Religio, ad quod necessarium est aliquod Sacramentum, quo fideles in unum corpus Mysticum congregentur, & colligantur, ut cum ipso Scoto, & Augustino in conclusione est demonstratum. Hoc itaque Sacramentum, quamvis de aliis præscindamus, vel negemus, seu cum Scotistis ad alia se extendentibus, non conveniamus, foret Eucharisticum, cujus nobilissimum objectum, & finis habetur in natura sana, integra, innocenti, & incorrupta, ut amplius clarebit tract. de Euchar. ubi etiam cætera solvemur argumenta.

53 Solum hinc restat observare, quod quamvis Scotistæ tract. de Incarnat. unanimiter defensantes, Christum in mundum venturum in vi præsentis decreti, Adamo non peccante, frequenter concedant antecedens, negando consequentiam hujus objectionis: *Adamo non peccante, non essent Sacramenta: ergo nec Christus veniret*: quamvis igitur ibi absolute concedant illud antecedens, in minimo officit nostræ resolutioni. Tum propter immediatè dicta de locutione Sacramentorum in universali. Tum principalitè, hoc concedunt absolute Scotistæ; quia ad suam assertionem firmandam, & argumenta infringenda nihil obest, quod Sacramenta instituta sint, sumpta occasione ex prævisione peccati, cùm nulla sit paritas, ut ex illa vincatur, nec Christum venturum, si peccatum non foret prævisum. Unde ne diffi-

cultates difficultatibus confundantur, concedunt Adversarii illud antecedens, ut sic convincant sui argumenti inefficacitatem. Hucusque dicta probabiliter tantum intelligantur, & sine melioris captus præjudicio.

QUÆSTIO V.

Quot, & quæ sint novæ legis Sacramenta?

54 Punctum aggredimur dogmaticum inter Catholicos, & Protestantes controvertendum. Pro cujus resolutione sciendum est 1. nullum, sive Catholicorum, sive Hæreticorum, negare, Sacramenta fuisse instituta in nova lege, si eos Hæreticos excipias, qui se agi solo inferiori spiritu autumantes, nullis utuntur visibilibus signis. Quoad hæc namque debemus in veram Christi religionem signis sensibilibus: ob naturæque infirmitates, & vulnera divinæ gratiæ instrumentis egemus, quibus sanemur, erigamur, & perficiamur. Ablatis itaque Sacramentis veteribus; (quoniam quidquid prænuntiabant, jam est impletum) controvertitur de aliis, quæ instituta sunt, & de quibus D. Aug. lib. 19. contra Faustum, inquit: *Esse virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Hoc mirum Augustini dictum sic intelligitur, & explicatur. *Virtute majora*; quia gratiam non solum præmittunt, ut Hæretici intendunt, sed etiam conferunt. *Utilitate meliora*; quia non solum à perditione subtrahunt, sed etiam per gratiam, quam conferunt, ad Cælorum Regnum perducunt. *Actu faciliora*: quoniam non perficiuntur, sicut vetera, mutilatione carnis, mactatione pecudum, oblatione munerum; sed communibus elementis, liberali Dei dispositione sic facillimè institutis. *Numero pauciora*; quia unum Penitentia Sacramentum successit innumeris expiationibus antiquæ legis, unusque dæ-

taxat

taxat panis Eucharisticus pro tantis Areæ, & Mensæ Mysteriis. Unde solum est controversia erga numerum horum Sacramentorum. Sciendum est 2. Hæreticos in assignando numero Sacramentorum novæ legis, nedum invicem pugnare, sed tanta animi inconstantia jactari, ut sibi ipsi non consentiant author cujusque sectæ addendo, vel minuendo numerum, ut ipsi placet. Verum inter Sectarios magis communis, ac recepta est sententia Lutheri, & Calvini. Lutherus itaque initio lib. de Capt. Babil. dixit, tria tantum Sacramenta admittenda esse, nimirum, *Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam*, seu panem. Postea inconstans in suo sensu, circa finem libri asserit, ex proprietate sermonis duo tantum admittenda esse, nempe, *Baptismus, & Panis*. Unde fit, ut Lutherani de numero Sacramentorum non consentiant sesse invicem. Calvinus tria Sacramenta agnoscit, nempe, *Baptismum, Cœnam, & impositionem manuum*, qua Ministri Ecclesiæ initiantur. Libro tamen 4. instit. cap. 18. excludit Ordinem à ratione Sacramenti. Quapropter frequentior est his temporibus inter Hæreticos sententia adstruens duo tantum Sacramenta propriè dicta, id est, *Baptismum, & Cœnam*. Contra hanc perversam Hæreticorum sententiam propugnat sequens.

Conclusio Catholica.

55 *Sacramenta novæ legis sunt septem, nec plura, nec pauciora.* Istaque Sacramenta sunt *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium*. Hoc Catholicum dogma constat ex Sacris textibus, ut patebit, dum sigillatim de quolibet Sacramento disputationem instituamus: Ubi etiam Sacrarum Scripturarum loca vindicabimus ab ineptis, perversisque Hæreticorum cabillationibus. Similiter in unoquoque illorum statuemus, quan-

do institutum fuerit à Christo Domino. Catholicum Ecclesiæ dogma roborant Sac. Conciliorum definitiones: nam Florentinum in decreto Unionis ita definit: *novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium*. Eodem ordine recensentur septem Sacramenta in Tridentino Sess. 6. Can. 1. in hunc modum: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse à D. Jesu-Christo instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.* Eadem Catholica veritas constat ex traditione Ecclesiæ, qua compertum semper habuerunt fideles, septenarium Sacramentorum numerum ex divina institutione, & Apostolica doctrina ad nos perpetua, & numquam interrupta observatione, dimanasse. Et licet certè non possit ostendi, quando ipsi sacri ritus primum in Ecclesia frequentari cœperint post Apostolos: necessariò tamen fatendum est, eos à Christo Domino, & Apostolis fuisse derivatos, juxta illam regulam D. Augustini, lib. 4. de Baptismo, cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur.* Ex qua Augustini regula sequitur, quòd estò ante prælaudata Concilia septenarius numerus Sacramentorum expressè non fuerit definitus: tamen in Ecclesia Romana, omnium Duce, & Magistra semper fuit traditione Apostolica certissimus. Quare, non, ut Hæretici cavillant, Concilia Florentinum, & Tridentinum in Ecclesia invexerunt primò septenarium Sacramentorum numerum; talia quippe Concilia, utpote post multa sæcula ab ortu Ecclesiæ celebrata, non invexerunt, sed tantum recensuerunt

talem

talem septenarium numerum tamquam omnibus compertum: ita ut ipsimet Græcorum Schismatum authores nihil hac in re haberent, quod Florentinis PP. opponerent.

56 Hanc eandem veritatem tradiderunt SS. Patres, & Ecclesiæ Doctores. Licet enim plures sint Patres, qui fortè septem Ecclesiæ Sacramentorum expressam mentionem non fecerint; quia nulla urgebat necessitas, nec ulla præsens aderat occasio numerandi illa: nihilominus non desunt Patres ex antiquioribus, qui plurium meminerint ejusmodi Sacramentorum. D. Dionisius lib. de Eccles. Hier. præter *Baptismum, & Eucharistiam*, meminit Sacramenti *Ordinis*. Et Epist. ad Demophilum declarat Sacramentum *Pœnitentiæ*. Tertullianus lib. de Præscript. c. 40. refert *Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinem, Matrimonium, & Extremam-Unctionem*. De Augustino postea dicemus: nam Calvinus, & alij juniores Hæretici, ut adstruant binarium numerum Sacramentorum, quibusdam Augustini testimoniis abutuntur. Ex Doctores eandem veritatem expendit, & comprobat Doct. Subt. in 4. dist. 2. q. 3. n. 3. ubi postquam pulchrè declarat perfectionem Sacramentorum novæ legis, maximè quantum ad effectum, ad quem ordinantur, ita ait: *Congruum fuit, septem adjutoria conferri observatoribus legis Evangelicæ in quibus esset perfectio, non tantum intensiva, sed etiam extensiva, & sufficiens ad omnia necessaria pro observantia hujus legis. Hæc autem sunt, Baptismus pertinens ad generationem spiritualem; Eucharistia necessaria ad nutritionem; Confirmatio ad roborationem; Pœnitentia ad lapsi reparationem; Extrema-Unctio ad finalem præparationem; Matrimonium ad multiplicationem in esse naturæ, vel carnali; & Ordo ad multiplicationem in esse gratiæ, vel spirituali.* Quibus in verbis & numerus, & ratio congruentialis numeri Sacramentorum clarissimè statuitur à Subt. Doctore,

Tom. I.

atque alia plurima scitu dignissima ibi docet.

57 Seraph. Doct. D. Bonav. 3. parte Centiloquij sect. 47. similes alias affert congruentes rationes, inter quas istam seligo: *Sacramenta sunt etiam adjumenta, quia sunt in adjutorium septem virtutum. In adjutorium fidei est Baptismus: in adjutorium spei est Extrema-Unctio: in adjutorium charitatis Eucharistia: in auxilium prudentiæ Ordo: in auxilium temperantiæ Matrimonium: in auxilium fortitudinis Confirmatio: in auxilium justitiæ Pœnitentia.* D. Thom. 3. part. q. 65. art. 1. rationem congruentiæ præclarè assignat exemplo earum rerum, quæ temporali vitæ necessaria sunt. Et eadem est ratio Gonz. Math. in Sum. Morali tract. 20. num. 75. similitudine & analogia desumpta ex vita supernaturali animæ ad vitam corporalem. Vide etiam Florentinum initio hujus tractatus. Tandem gravissimi Theologi demonstrant à posteriori septenarium numerum Sacramentorum: tum ex septem donis Spiritus Sancti. Tum ex septem columnis, quas Sapientia, Prov. 9. excidit ad Ecclesiæ fulcimentum. Tum ex septem buccinis, quæ muros urbis Jericho funditus everterunt. Tum ex septem diebus, quibus præceptum est azyma comedi. Tum ex septem candelabris aureis, quæ Joan. Apocal. 1. vidit. Et ibidem septem stellas in dextera filij hominis. Et cap. 5. septem sigilla, quibus signatus est intus, & foris liber, quem in dextera tenebat ille, qui sedet super thronum. Omnibus his non incoagrue novæ legis Sacramenta designantur, sicut & in aliis pluribus, quæ in PP. & Ecclesiæ DD. inveniuntur,

Hæreticorum argumenta infracta.

58 **A**rguunt 1. Numquam apud veteres Patres invenitur talis septenarius numerus Sacramentorum, quin potiùs oppositum ex eis constat: ergo apud veteres Sa-
cra-

cramenta novæ legis non sunt septem : ergo talis numerus noviter est inventus. Prob. antec. S. Dionisius *Lib. Hierar. Ecclesiast.* non plura, quam quinque Sacramenta pertrahat, omissis *Extrema-Uncione*, & *Matrimonio*. Justinus *Apolog. 2.* solum commemorat *Eucharistiam*, & *Baptismum*. Cyrillus in *suis Cateches.* non aliorum meminit Sacramentorum, quam *Baptismi*, *Chrismatis*, & *Eucharistiæ*. Idem asseritur de S. Gregorio, & Ambrosio *Lib. de Sacramentis*. Confirmat Calvinus *lib. 4. institution.* ex D. Augustino: Augustinus namque *Epistola 118. ad Januarium*, loquens de Sacramentis, duo tantum enumerat, *Baptismum*, & *Eucharistiam*. Et *lib. 3. de doctrina Christi.* cap. 9. docet, Sacramenta novæ legis esse paucissima, sic concludens: *Sicut & Baptismus, & celebratio Corporis, & Sanguinis Domini.* Cur ergo, ait Calvinus, Augustinus hinc septenarii numeri nullam facit mentionem? An verisimile est, prætermisurum fuisse, si tunc fuisset in Ecclesia institutus, & maxime cum Baptismus, & Coenam nominaret?

59 Respondeo, negando antecedens quoad secundam partem, & utramque consequentiam. Itaque SS. Patres neque ajunt, esse duo, vel tria, vel quatuor, aut quinque Sacramenta tantum, neque pariter negant, esse septem numero: sed duorum, aut trium, aut plurium meminerunt pro occasione, & necessitate agendi de eis, ut patet discurrendo per præfatas eorum autoritates. Dionisius namque in illo opere non agit exproffesso de Sacramentis Ecclesiæ, sed de Sacris Officiis, seu functionibus, quas vel Episcopi, vel Sacerdotes in Mysteriis administrandis, & conficiendis exercebant cum quadam consecratione. Quare nec de Matrimonio, nec de Extrema-Uncione fait ei necessarium disserere, etsi obiter meminerit Sacramenti Poenitentiae, seu reconciliationis. Justi-

nus dumtaxat meminit duorum Sacramentorum, *Eucharistiæ*, & *Baptismi*, quia respondet Ethnicis, impingentibus illa duo Sacramenta variis calumniis. Hirineus non instituit specialem disputationem de Sacramentis, sed occasione data, modo meminit unius, modo alterius, repellendo deliria quorundam Hæreticorum erga *Eucharistiam*, & *Baptismi* administrationem. Aliis in libris alia Sacramenta refert Hirineus: quia ibi fuit necessarium. Ad Cyrillum dico, trium illorum Sacramentorum meminisse, quia instruebat Catechumenos, ac recentes fideles de iis, quæ tempore Baptismi solebant fieri. Eo enim die tria conferebantur Sacramenta, nempe, *Baptismus*, *Confirmatio*, & *Eucharistia*. Sic constat ex Amphiloquio, qui in vita S. Basilii ita scribit: *Maximus Episcopus baptizavit Basilium, & Eubulum, & ungens eos Sancta Chrismate, tradidit eis vivificam communionem.* Ad Gregorium, & Ambrosium dico, in illis libris non agere de omnibus Sacramentis, sed tantum de iis, de quibus instruendi erant fideles *recenter baptizati*, scilicet, de *Baptismo*, de *Confirmatione*, & *Eucharistia* post *Baptismum* recipienda, juxta immediate dicta.

60 Ad confirmationem respondeo, Augustinum locis à Calvino citatis non dixisse, duo tantum esse Sacramenta, sed agens ibi de novæ legis Sacramentis, sic dicit: *Quædam pauca pro multis, eademque facillima, & intellectu augustissima, ipse Dominus ex Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis, & Sanguinis Domini.* Quæ verba profectò non sunt enumerantis omnia Sacramenta, sed tantum proferentis aliqua exempla. Et quidem, quod Augustinus plura quam duo Sacramenta agnoverit, patet ex ipso confectione 1. in Psalm. 13. ubi ait: *In Baptismo, Eucharistia, & cæteris Sacramentis Ecclesiæ esse munera*

No-

Notetur ex cæteris Sacramentis *Ecclesiæ*. Hinc epist. pro argumento citata, consequenter ad verba: *sicut & Baptismus, & communicatio Corporis, & Sanguinis Domini*, subdit: *& si quid aliud in divinis litteris commendatur.* Ubi particula, *si quid aliud*, non est nota dubitantis: nam infra, recensitis aliquibus *Ecclesiæ* festis, scilicet, *Passionis*, *Ascensionis*, *Resurrectionis Domini*, & *adventus Spiritus Sancti*, subjicit: *& si quid tale occurrerit, quod ab universa servetur Ecclesia.* Indubium autem est, quod tempore Augustini festa *Nativitatis*, *Epiphaniæ Domini*, & similia celebrabantur. Unde *ly si quid æquivalet huic: & quidquid.* Videatur P. Berti *lib. 30. tom. 3. de theologicis disciplinis*, qui satis eruditè vindicat suum Par. Augustinum à Calvinianis insidiis.

61 Arguunt 2. Sacra Scriptura nullibi enumerat septem Sacramenta: ergo reverà non sunt: nam si reverà essent septem, talem numerum scriptura designasset. Prob. antec. Si alicubi scriptura talem numerum designasset, maxime *Apocalyp. 17.* ubi Angelus Joanni spondet, se ei reseraturum *Sacramentum Bestiæ*, quæ habet septem capita: ergo ibi Sacramenta dicuntur septem capita *Bestiæ*: qua figura significatur, numerum septenarium Sacramentorum spectare ad *Bestiam*, hoc est, ad *Ecclesiam Romanam*, in qua *Anti-Christus* sedet, nempe, *Summus Pontifex*: ergo non alicubi, nisi in *Ecclesia Anti-Christi* septem Sacramenta enumerantur. Ad hanc impiam, & blasphemam objectionem, quæ est *Kemnitii*, protervi Lutherani, respondeo 1. Hæreticos nihil adversus nos concludere ex *Scripturarum* silentio: nam firmiter contendimus, dogmata inconcussa contineri, non solum *Sacra Scriptura*, verum etiam *Apostolicis traditionibus*, quæ sunt in *Ecclesia*. Hoc patens est adversus cæcucientes Hæreticos. Si enim teneret eorum ratio, pari ratione foret

Tom. I.

consequens, non esse duo Sacramenta, neque tria, neque aliquem eorum numerum determinatum, cum *Scriptura* nullibi certum illum numerum expresserit. Pariter sequeretur, *Evangelia* non esse quatuor, *Epistolas Pauli* non esse quatuordecim, quia hoc *Scriptura* nullibi dicit. Unde petimus ab Hæreticis: *ubinam declaratur in Scripturis Sacris, duo, vel tria tantummodo esse Sacramenta*, ut vos dicitis? Quare vos Hæretici creditis, quatuor esse *Evangelia*, *Epistolasque Pauli* esse *Canonicas*, si nullibi scriptum est in *divinis litteris*, num sint quatuor, vel plura *Evangelia*? num *Epistolæ Pauli* sint, vel non sint *canonicæ*? Certè non potestis respondere, & certè vestra argumentatio infirma, atque impia est manifestè.

62 Respondeo 2. negando antecedens: nam plures sunt *Scripturæ* textus, quibus si non explicitè, saltem implicitè, septenarius numerus Sacramentorum continetur, quod est sufficientissimum. De unoquoque suo loco dicitur. Id quod dicitur, Sacramentorum numerum ex septem *Bestiæ* capitibus excogitatum esse, redolet maximam dementiam, ac temeritatem. Si enim nugari fas esset, optimè dicerem, quod *Bestia* illa est *Lutherana hæresis*, septem polluta capitalibus vitiis, & quæ aliquando unum tantum Sacramentum, *Baptismum*, nempe, asseruit. Dico tamen, per septem illa capita *Bestiæ* mysticè designari septem Reges, aut septem montes, in quibus infidelitas, & pertinax hæresis suam tyrannidem exerceret in *Christi* veros fideles, quales dumtaxat sunt membra *Ecclesiæ Romanæ*. Quapropter septenario numero magna in *Scripturis* significari mysteria, diximus num. 57. Quibus DD. eruditissimi addunt alia symbola valde idonea ad septem Sacramenta representanda, nempe septem diebus à *Moyse* expiatum altare: septies sanguis aspersus contra velum *Sacraii*: septem immundorum

Ea

pur-

purgationes prescripte in Levitico; aliaque plura ab illis explicata ingeniosè, quæ optimè quadrant septem nostris Sacramentis ad nos mundandum institutis. Denique respondeo, quod licet Scripturæ testimonia non suppetere, sufficientissima foret ad id autoritas Ecclesiæ, ut D. Hieronymus lib. contra Luciferianos, disserens de manus impositione, docet, sic dicens: *Exigis, ubi scriptum sit? In actibus Apostolorum. Et etiam si Sacre Scripturæ autoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

63 Arguunt 3. Tum; quia Ecclesia primitiva numquam illum numerum Sacramentorum definivit: ergo istum Catalogum non agnovit. Tum; quia Ecclesia Græca non agnovit, nisi *Baptismum, & Eucharistiam*, ut patet ex Cyrillo Lupari Patriarcha Constantinopolitano, in confessione fidei de Sacramentis id expressè asserentis: ergo non sunt plura necessariò admittenda. Tum; quia primus, qui invenit in Ecclesia septenarium Sacramentorum numerum fuit sententiarum Magister in 4. dist. 2. quem non est secutus Durandus, qui in 4. dist. 26. quæst. 3. & ratione Sacramenti propriè dicti, seu gratiam causantis, rejicit Matrimonium: ergo talis septenarius numerus non est à Christo institutus, sed à quodam Doctore excogitatus, & deinde à Rom. Ecclesia admissus. Tum: quia si Ordo inter Sacramenta recensetur, singuli Ordines sunt vera Sacramenta: ergo Sacramenta ad minus erunt duplò majora septenario numero. Tum denique: Ecclesia Christiana, juxta SS. PP. est una & tempore Adq̄ usque ad finem mundi; sed Ecclesiæ unitas notatur ex unitate Sacramentorum: ergo in Ecclesia Christiana ea, & non alia debent esse Sacramenta, quæ in lege naturæ, & Moysis: ergo cum in his legibus præcisè non fuerint septem Sacramenta, sequitur, quod

nec in lege Evangelica.

64 Respondeo ad 1. neg. consequ. Ecclesia enim ab initio non definivit, Sacramenta esse septem, sicut postea definivit: attamen ideò fuit, quia res erat cuique fidelium notissima, & tunc nulla fuit talis definitionis necessitas. Et quidem hunc numerum Sacramentorum in Ecclesia semper fuisse creditum, ex eo patet, quod semper percussit anathemate denegantes aliquod Sacramentum ex septem, ut sæculo tertio Novatianos non confirmantes Neophitos: sæculo quarto Manichæos Nuptias damnantes: & quarto decimo Wiflistas Extremam-Uñtionem objicientes. Unde Ecclesia ita Sacramentorum numerum definivit, quando ad reprimendam Hæreticorum audaciam, id opportunum esse judicavit. Ad 2. nego antecedens, & consequentiam. Verum itaque est, quod ille Cyrillus id dixit, sed etiam est verissimum, quod erravit in fide, & ut Calviniana dogmata amplecteretur, discessit ab Ecclesia Græca, ob quod damnatus fuit à suis Successoribus in Patriarchano. Quare Præsules Græci, tam antiqui, quam moderni, tam orthodoxi, quam Schismatici, septenarium numerum Sacramentorum admittunt: nec unquam inter Ecclesiam Græcam, & Latinam mota est circa hunc numerum controversia. Quinimo numerus iste definitus est anno 1439 in Concilio Florentino, in quo Præsules Græci, & Armeni aderant cum Patribus Latinis. Ad 3. dico, Magistrum sententiarum tradidisse septenarium numerum Sacramentorum, non ex suo cerebro, & discursu, sed ex firma Ecclesiæ traditione: aliter quomodo nullus Doctorum fidelium invenisset calamum in dogma nuper excogitatum, & in re tam gravi, cum innumeri Scriptores velicaverint plurima dicta Magistri? De Durando respondet Cardinalis Gotti, assequutum non fuisse mentem Ecclesiæ. Sed quidquid sit de ejus doctrina, certum est, quod

in

in 4. dist. 26. quæst. 3. hanc præmittit thesim: *Tenendum est absolute, quod Matrimonium est Sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia, extra de Hæreticis, ubi enumerat Matrimonium inter alia Sacramenta.* Ad 4. nego consequentiam: quia omnes Ordines ad unum Sacerdotium, tamquam ad sui complementum, ac terminum referuntur, & ordinantur, ideòque simul cum Presbiteratu unicum Sacramentum integrantes, ac constituunt. Ultimum argumentum nihil prodesse potest Hæreticis, cum idem, quod contra nos intendunt, sequatur in sua Ecclesia, in qua sunt Sacramenta, quæ non erant in lege naturali, nec Mosayca. Deinde distinguo minorem: unitas Ecclesiæ notatur ex unitate Sacramentorum, quoad significatum principale, & spirituale, & quoad caput, concedo: quoad signa externa, nego. Igitur ad unitatem illam, quam inter illas Ecclesias Patres asserunt, sufficit unitas capitis, & effectus, ac finis Sacramentorum. Sed quia Sectarium aliis viis invadunt Catholicos, ad omnes illorum præcludendas cabillationes.

QUÆSTIO VI.

Quid de Aqua, & Pane benedicto: quid de Martyrio, ac lotionem pedum à Christo tradita, sit dicendum?

65 Sectarium Novatores, statuti Sacramentorum septenarii numeri implacabiles inimici, videntes, talem numerum sua astutia non posse minuere, excogitarunt illum augere: ut si non per illam, per hanc partem evellant Catholicam veritatem. Dicunt enim, quod semel aliis Sacramentis à Baptismo, & Eucharistia admissis, necessè est, Catholicos alia quamplura adstruere. Probant sic: juxta Catholicos, Sacramentum est signum sensible animam sanctificans; sed

Martyrium sanctificat animam; & etiam aqua, & panis benedictus, præsertim verò lotio pedum, de qua Joan. 13. videtur haberi divinum mandatum, & promissionem gratiæ sanctificantis: ergo cum ex alia parte hoc omne sit visibile signum, & ritu externo peragatur, videtur comprehendere ea omnia, quæ ad rationem veri Sacramenti requiruntur. Nunc sic: sed Catholici Romani tenent, prædicta non esse Sacramentum propriè dictum: ergo neque ea omnia, quæ ab ipsis assignantur. Vel ita: sed plures è Patribus, Martyrium, aquam benedictam, panem benedictum, & maximè lotionem pedum, vocant Sacramentum: ergo plura, quam assignata, erunt Sacramenta. Minor hæc subsumpta patet: tum ex Hugone Victorino, qui parte 9. de Sacramentis ad illa septem Sacramenta addidit alia quamplura, nempe, aspersionem aquæ cum sale benedictæ susceptionem Sacrorum Cinerum, benedictionem palmarum; Cæreum, qui in sabbato sancto benedicitur; & Agnos, qui benedicuntur in solemnitate Paschali: hæc igitur omnia Sacramenta Ecclesiæ vocat. Tum ex D. Ambrosio, Augustino, & Bernardo, qui inter alios Patres, panem benedictum, & maximè pedum lotionem, inter vera Sacramenta recensent. Ut igitur huic objectioni satisfaciamus.

66 Observandum est 1. quod antiquitus panis ab Episcopo benedicebatur, & fidelibus in Symbolum Christianæ communionis, & unionis in fide porrigebatur. Panis hic benedictus vocatus fuit *Fermentum*, ad distinctionem Eucharistiæ, quæ in azymis conficiebatur. Hujus ritus author dicitur Melchisedes Papa, qui à Christi anno 311. tenuit sedem Pontificiam. De hoc Pontifice refertur lib. de Rom. Pontif. sic: *Fecit, ut oblationes consecratae per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Per fermentum nomen nihil aliud significabatur, quam panis ab Episcopis, vel Presbyteris, be-

benedici solitus, qui præsertim Dominicis diebus, & præcipuis festis, post Missam dividebatur à Presbytero fidelibus, qui non communicabant, vel qui ad sacram communionem non erant parati, in signum Catholicæ unionis, & communionis, ut aperte colligitur ex quodam antiquo Canone, qui habetur tomo 1. Conciliorum. Iste panis benedictus ad prædictum finem, & Mysterium fidelibus distributus etiam *Eulogia* fuit nominatus, fuitque sub hoc nomine illius usus, nedum Romæ, & in Ecclesia Occidentali, sed etiam Orientali, ut declarari videtur in Concilio Laoriceno cap. 26. Deinde *Eulogiæ* istæ erant duplicis generis: aliæ publicæ, quæ in publico Ecclesiæ ministerio distribuebantur: aliæ privatæ, quas amici inter se dare, mittere, atque accipere consueverant, cujus antiqui usus aliqua suppetunt exemplaria. S. Paulinus Epist. 1. ad Severum, sic scribit: *Panem de Cellula nostra tibi pro Eulogia misimus.* Et Epist. ad D. Augustinum: *panem, quem unanimis indicio misimus, Charitati tuæ rogamus, accipiendo benedicas.* Ipse Augustinus Epist. 34. ad eundem Paulinum Eulogias mittens, ait: *Panis, quem misimus, uberior benedictio fiat dilectione accipientis benignitatis vestræ.*

67 Observandum est 2. usum Aquæ benedictæ institutum fuisse ab Ecclesia, cujus sacri ritus institutio revocatur ad Alexandrum I. Pontificem Summum V. post Petrum. Hic Pontifex, qui hujus sacræ cæremoniæ auctor dicitur, loquendo de hujusmodi aqua benedicta, ait: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur. Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitule sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat, atque mundat. & insidias, diaboli avertit, & à phantasmatum*

versutiis homines defendit? Observandum 3. ablutionem pedum in quibusdam Ecclesiis fuisse in usu, dum Baptismus conferebatur. De Ecclesia Mediolanensi testis est S. Ambrosius lib. de Sacramentis cap. 1. Et Monachi Benedictini in notis ad Ambrosium, tomo 2. observarunt, eandem consuetudinem olim fuisse in Ecclesiis Gallicanis. Verum hæc consuetudo nec semper viguit, nec ubique locorum: etenim apud Aguirre tomo 1. stat Canon 48. Illiberitanus, dicens: *neque pedes eorum (qui baptizantur) labandi sunt à Sacerdotibus, vel Clericis.* Ex quo sequitur, etiam in Ecclesiis Hispanicis fuisse talem usum. D. Ambrosius lib. & cap. cit. ait, in Romana Ecclesia consuetudinem hanc non haberi. Et lib. 1. cap. 1. non obscure docet, lotionem pedum esse quamdam cæremoniam receptam consuetudine Ecclesiæ Mediolanensis. Denique D. Augustinus Ep. 55. cap. 18. scribit: *lotionem pedum humilitatis causa, & ad Christi imitationem exerceri.* Inquirendum itaque remanet, an sit Sacramentum propriè, vel saltem pars Sacramenti Baptismi? Pro omnium clara resolutione.

68 Dico 1. *neque Martyrium; neque panis benedictus, qui in Ecclesia fidelibus, non accedentibus ad Eucharistiam dividebatur, neque aqua benedicta sunt Sacramentum propriè dictum.* Resolutio certissima est inter Catholicos. Prob. 1. pars: Sacramentum propriè dictum debet esse signum certum, & efficax gratiæ conferendæ à Christo institutum, habereque determinatam materiam, & formam, cum debita intentione Ministri; sed Martyrium non est tale: ergo. Major est innegabilis, & minor evidens: nam quis dicere poterit, actionem peccaminosam ex parte agentis, qualis est actio, qua vis infligitur Martyri, esse signum divinitus ordinatum ad gratiam conferendam? Neque habet determinatam materiam, & formam, cum innumera

tor-

tormentorum genera excogitata sint à Dæmone, & Tyrantibus, ad torquendos, & necandos Martyres. Nec demum habet competentem Ministrum à Christo destinatum. Siquidem absurdum est judicare, Dominum lictores instituisse, tamquam Ministros gratiæ & eos maximè, quorum operatio absque gravissimo peccato fieri nequit, uti est occisio hominis innocentis in odium Dei, & Christianæ Religionis: ergo. 2. pars ex dictis in 1. advertentia patet: nam etsi ejusmodi *Eulogiæ* quandoque apellentur *Sacramenta*, non tamen habebant vim, & significationem Sacramenti propriè dicti; sed *Sacramentum* dicebantur, eo quod earum participatio erat Symbolum communicationis inter se fidelium. 3. pars, quæ est de aqua benedicta, etiam constat: nam Ecclesia non habet potestatem instituendi aliquod signum, vel cæremoniam certam, & determinatam, quæ habeat infallibilem vim conferendi gratiam sanctificantem, ac largiendi peccatorum remissionem; quia id solius est Dei; sed consecratio, & usus aquæ benedictæ institutionem suam habet ab Ecclesia, ut constat ex observatione 2. & non à Christo Domino: ergo non est Sacramentum. Major est nota: si enim Ecclesia id posset facere, eandem conferret virtutem aliis benedictionibus, & cæremoniis, quæ proinde ex opere operato gratiam conferrent, quod nullus Theologorum, aut Patrum admittit.

69 Ex his abunde satisfit Hæreticis argumento desumpto de *Martyrio, pane sancto, & aqua benedicta.* Verissimum enim est, quod Martyrium pro nomine Christi passum, ac consummatum vim habet conferendi gratiam sanctificantem; attamen hoc non est, quia habeat rationem essentialem Sacramenti, sed quia supplet vicem Baptismi aquæ seu fluminis, tam in adultis, quam in parvulis. Pariter pro pane sancto non obstat, quod *fermentum* illud, seu

panis fermentatus, qui & *Eulogia*, dicebatur, Melchisedes Papa apellet *oblaciones consecratas per Ecclesias ex consecratu Episcopi*: nam apud eum idem est consecratio, ac benedictio, & fermentum consecratum, ac benedictum. Unde dictum est *Sacramentum* ob rei sacræ signum, nempe, benedictione sacra consignatum. Nec denique obstat, quod aquæ benedictæ tribuatur vis sanctificandi, seu peccata venialia remittendi: etenim hæc sanctificatio, remissio, & mundatio non competit ei per se, & ex opere operato; sed tantum ratione actus, & affectus assumentis talem aquam, seu ex opere operantis. Quod ulterius patet: nam si aqua benedicta valeret *ex opere operato* ad sanctificationem, & venialium remissionem, eadem ratione valeret ad alios effectus, ad quos ordinatur, & consecratur, nempe, ad fugandos Dæmones, eorumque tentationes repellendas, ac avertenda alia nocumenta ab eis inferenda: & maximè cum omnia hæc in ejus benedictione exprimentur. Unde refertur inter Sacramentalia, non inter Sacramenta: habetque suum effectum ex Ecclesiæ precibus, & ex devotione eorum, qui asperguntur. Dicitur igitur Sacramentum impropriè, sicut dictum est de pane, & de aliis Ecclesiæ benedictionibus, ac cæremoniis sacris dici potest respective.

70 Dico 2. *lotio pedum neque est Sacramentum, neque ad Sacramentum Baptismi essentialiter pertinet.* Prob. 1. pars: Tum: quod non est institutum, ut signum efficax gratiæ, sed tantum ad exemplum, & humilitatis exercitium, non est Sacramentum propriè dictum; sed lotio pedum peracta est à Domino ad humilitatis exemplum, & exercitium: ergo. Prob. min. Ipse Dominus Joan. 13. causam peractæ lotionis demonstrans, ait: *Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego*

ego

ego feci, ita & vos faciatis. Quibus in verbis proculdubio docet Christus, impendendum esse proximo quodlibet humanitatis officium, ministeriaque infima non esse fugienda, cum Dominus, ac Magister præcinctus lineo laverit, & exterserit pedes discipulorum. Hinc ait Augustinus tract. in Joan. *didicimus fratres, humilitatem ab Excelso; faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit Excelsus.* Tum: ut aqua, aut materia alia naturam Sacramenti induat, & gratiam producat, opus est, ut verbis, quæ gerunt vicem formæ, determinetur ad ipsam gratiam producendam: sed neque Christus, dum lavit pedes discipulorum, neque aliquis Sacerdos hanc lotionem exercens exemplo Christi, determinavit unquam verbis consecratorii elementum aquæ ad gratiam efficiendam: ergo. Probatur 2. pars: quod neque in Ecclesia Romana servatur, neque in aliis Ecclesiis ubique, neque eodem die, quo Baptismus confertur, nequit esse pars essentialis Baptismi; sed lotio pedum neque in Ecclesia Romana servatur cum baptizandis, neque in Ecclesia Hispanica: & in quibusdam aliis, in quibus solita fuit talis ablutio, non ea die, qua Catechumeni baptizabantur: ergo lotio pedum non est pars essentialis Sacramenti Baptismi. Minor experientia fit certa. Unde Augustinus Epistola 55 ad Januarium egregie ait: *Sed ne ad ipsum Sacramentum Baptismi videretur pertinere; multi recipere noluerunt.* Accedit D. Ambrosius lib. 3. citato docens, talem lotionem solum pertinere ad disciplinam, non ad Sacramentum proprie dictum, aut rem spectantem ad dogma, aut ad integritatem Baptismi, & subdit. num. 5. *Non ignoramus; quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, & formam.* Postea inquit; *se in adhibenda lotione pedum ab Ecclesia Romana recedere.* Quid igitur est, Ecclesiam Roma-

nam in omnibus esse typum, & formam, quam Ambrosius in omnibus sequitur, sed circa lotionem pedum ab ea dissentitur, nisi talem rationem spectare ad disciplinam, non ad dogmata, & esse cæremoniam, non Sacramentum? In iis etenim, quæ puram disciplinam spectant, non violata Romanæ Ecclesiæ suprema auctoritate, & nullo detrimento, aut inconvenienti in Populo secuto, possunt Episcopi Ecclesiarum suarum tenere consuetudinem, juxta illam Div. Augustini Regulam, Epistola ad Januarium: *Saluberrima regula retinenda sit, ut que non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vite melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit.* Unde recte Ambrosius retinuit Ecclesiæ suæ consuetudinem, & recte etiam propter dissidia Ecclesiarum, & detrimenta Plebis talis ritus, cæremonia, & consuetudo abrogata est, ac reformanda erat ad normam universalis, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ.

71 Arg. 1. ex SS. Patribus: S. Ambrosius lib. de mysteriis, cap. 6. ita scribit: *Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat: habebat enim primi hominis de successione peccatum: ideo planta ejus abluatur, ut hereditaria peccata tollantur: nostra enim propria per Baptismum relaxantur.* Et lib. 3. de Sacram. cap. 1. repellens eos, qui asserebant, pedes baptizatorum non lavari in Mysterium sed in signum humilitatis, veluti dum hospites excipiuntur, ait: *aliud est humilitatis, aliud sanctificationis: Mysterium est, et sanctificatio: nisi laveris tibi pedes, non habebis mecum partem:* ergo Ambrosius lotioni pedum tribuit rationem mysterii, & Sacramenti, ac virtutem sanctificandi. Ciprianus serm. de ablutione pedum: *Supra diximus, semel lotos*
Bap-

Baptismate, eodem lavacro ulterius non egere: sed hoc lavacrum pro quotidianis est excessibus institutum. Sic similiter alii Patres. Difficiliora vero adhuc videntur, quæ D. Bernardus scribit Serm. 1. de Cœna Domini, tom. 1. num. 2. sic: *In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse Baptismus initium Sacramentorum omnium:* ergo D. Bernardus inter vera Sacramenta connumerat lotionem pedum. Et quod revera fuit Sacramentum significans remissionem peccatorum, affirmat ipse Bernardus, dicens num. 4. *Nam ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus ejus Sacramentum pedum ablutionem.* Denique, ut solutioni occurratur, expresso probat ibi Bernardus, lotionem pedum non fuisse solum factam ad humilitatis exemplum, sed etiam ut Sacramentum ad expiationem peccatorum venialium.

72 Difficile visum est quibusdam explicare mentem horum Patrum, appellantium lotionem pedum Sacramentum. Sed non adeo difficilis, imò facilis est solutio, advertendo 1. ex D. Augustino, per lotionem pedum nullam gratiam collatam esse, sed dumtaxat demonstrari, homines, etiam justos, quotidiana peccata venialia habere, quorum in oratione Dominica veniam petimus, & quæ exercitio pietatis, & humilitatis delentur. Unde quærens Augustinus tract. 25. *Cur, si Apostoli, Juda excepto, mundi erant, ut dixit Dominus, indigebant lotione pedum?* Respondet num. 4. *Pedum nomine significari humanos affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, & quibus subrepentibus, aliqua labe inquinamur, ob quam debita nostra in oratione Dominica confitemur: atque*

Tom. I.

hoc pacto quotidie pedes lavat nobis, qui interpellat pro nobis. Advertendum 2. ex ipso Augustino, pedum ablutionem, ut à Christo factam, atque ad ipsius exemplum à Pastoribus Ecclesiæ, non esse officium humanitatis, quo urbanè hospites suscipimus, & honoramus: sed esse ritum sacrum, ac mysticum, quo significatur, nos, præter gratiam, quam principalia Sacramenta conferunt, indigere quotidiana oratione, ut nobis venialia in pulvere pedum expressa divinitus condonentur, atque infirmitas humani arbitrii, quæ in nobis ex peccato originali geminata usque ad agonem permasset, adjuvetur gratia reparatoris, ne nos in graviora trahat flagitia, & perditionem. Hoc igitur sensu ablutio pedum dicitur *Mysterium*, atque *Sacramentum*, in quantum significat remissionem peccatorum venialium, quæ quotidie lavari debent oratione, humilitate, aliisque remediis in ipsa pedum lotionem expressis. Si enim aliter ipsa lotio pedum requireretur ad venialia expianda, sequeretur, quod non semel in anno, nec in sola cæremonia Baptismi, lavandi essent pedes sacro ritu, ut fiebat antiquitus, sed omni prorsus die: quippè quotidiana, & continua remedia sunt adhibenda.

73 Ex quo dico, SS. Patres nihil aliud, nec in alio sensu docuisse, lotionem pedum Sacramentum esse, ac peccata venialia remittere. Quomodo igitur, juxta Ambrosium, in lotionem pedum erit *mysterium sanctificationis* in alio sensu? Si confitemur, se in omnibus tenere, & sequi Romanam Ecclesiam, & insimul fatetur, in Ecclesia Romana non esse consuetudinem lavandi pedes: in sua verò Ecclesia esse talem consuetudinem, quam retineri vult, & custodiri ob exemplum Christi, quomodo dicit, lotionem pedum esse verum Sacramentum, quod Romana Ecclesia respuit? Sequitur ergo, sen-

F sum

sum D. Ambrosii, & Cypriani non esse aliud, quam quod nos explicuimus. Idemmet est, & debet esse sensus D. Bernardi; sciebat namque, in Ecclesia Romana dumtaxat excipi, & credi septem Sacramenta, & esset valde temerarium existimare, D. Bernardum oppositum nec iudicasse, nec docuisse. Quare dum dicit, *lotionem pedum esse Sacramentum*, non intelligit de Sacramento propriè dicto, conferente gratiam, & remissionem peccatorum; sed de Sacramento latè accepto, & prout significat remissionem peccatorum quotidianorum, & moderationem pravorum affectionum, quæ non purgantur lotione pedum, sed Divina largitate, quam in Oratione Dominica quotidie petimus: seu quatenus est actio humilitatis, & charitatis, ac proinde meritoria, & venialium remissiva. Intelligendus est igitur de Sacramento generaliter, & improprie nominato, quatenus, scilicet, est aliquod signum sacrum aliquid significans: non verò de Sacramento propriè dicto, & ex se efficaciter sanctificante animam.

74 Arg. 2. Ubi reperiuntur omnia requisita ad rationem veri Sacramenti, ibi statuendum est: sed in lotione pedum à Christo Domino celebrata nocte Cœnæ reperiuntur omnia requisita ad rationem veri Sacramenti: ergo. Prob. minorem: Ad rationem veri, & perfecti Sacramenti tria requiruntur, nempe, quod sit signum sensibile à Christo institutum, & gratiæ sanctificantis significativum; quod gratiam significatam reverà conferat illud suscipientibus, & quod illius susceptio præceptasit, saltem aliquando, aut pro aliquo tempore; sed hæc tria occurrunt in lotione pedum, facta, & instituta à Christo: ergo. Prob. minorem: Nam erat signum sensibile: siquidem Dominus misit aquam in pelvim, & lavit Discipulorum pedes, quæ ablutio non minus fuit sensibilis, quam ea, quæ fit in Baptismate: aliunde

gratiam significabat, & interiorem mundationem: nam ibidem ait Dominus: *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*: & denique, videtur idem esse mandatum, ac obligationem hanc lotionem frequentandi, ac baptismalem: nam sicut Christus dixit de Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Cælorum*; ita Petro hanc respicienti lotionem, dixit: *Si non laveris te, non habebis partem mecum*: ergo. Respondeo negando utramque minorem, juxta dicta ad argumentum præcedens. Christus itaque non ideò lavit pedes Discipulorum, ut lotio esset signum efficax gratiæ per illam conferendæ, sed ut præberet humilitatis exemplum, & ut hortaretur ad internam animæ munditiam, modo jam expresso. Et etiam ut Apostoli digni prorsus fierent sui Corporis, quod in proxima institutione Eucharistiæ erant suscepturi: significando sic, quod nec cum levibus maculis ad tantum Sacramentum debebant accedere. Similiter cum dixit Petro: *non habebis partem mecum*, noluit exprimere, lotionem necessariam esse ad salutem: sed vel ut Petrum ad devitam obedientiam sua comminatione sollicitaret, ut S. Basilii interpretatur: vel ut significaret, eum non habiturum partem in Corpore suo, quod erat consecraturus, & aliis distributurus.

Corollarium.

75 Colliges ex hucusque dictis, conveniens fuisse, ut in Evangelica lege à Domino Sacramenta aliqua instituerentur, per quæ suam in homines gratiam derivaret. I. fuit conveniens *ex parte Dei*, ne, videlicet, Deus antiqua, sive Sacramenta, sive sacrificia, quasi utilia, & sibi delectabilia, imperare videretur. Quare omnia illa antiqua, tamquam inutilia, & sibi minus grata reprobavit, ut Paulus ad Heb. 9. docet.

cet. Hanc rationem subjicit D. Augustinus lib. de Civ. Dei, cap. 5. II. fuit conveniens *ex parte hominis*, qui cum per gratiam Evangelicæ legis novas acceperit vires, & abjecta servili conditione, in Dei filium adoptatus fuerit, etiam perfectioribus Sacramentis initiari debuit, ut præclare Augustinus docet lib. de vera Relig. cap. 17. III. *ex tempore institutionis*: nam Sacramenta veteris legis Christum dumtaxat venturum promittebant: nova autem præsentem exhibent: aliis autem signis, ut Augustinus epist. 5. scribit, oportet denotare futura, & aliis præsentia. IV. denique conveniens fuit *ex parte ipsorum Sacramentorum*: quia vetera Sacramenta erant egena, & vacua elementa, ac futurorum umbræ. Unde adveniente plenitudine gratiæ, & veritatis, conveniens fuit, ut illa desinerent. Sic Augustinus in Psalm. 39. & Tertullianus lib. de Oratione, cap. 1.

76 Dices 1. Illa Sacramenta, quæ sunt instituta, ut in perpetuum durent, non debuerunt mutari; sed talia sunt aliqua veteris legis Sacramenta: ergo. Prob. minorem. Agnus Paschalis, & Sacerdotium Aaron instituta fuerunt, ut in æternum subsisterent: nam de Agno Paschali 12. Levitici præcipitur: *Custodi verbum istud legitimum tibi, & filiis tuis, usque in æternum*: de Sacerdotio Aaronico cap. 14. & *functio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiat*: ergo. Dices 2. Gratia, & veritate adveniente, umbra, & figura cessare debet; sed gratia, & veritas facta est per Christum: ergo cum Sacramenta sint umbra veritatis, & figura gratiæ, post Christum nulla debent admitti. Ad 1. distingo major. Si instituta sunt, ut durent in perpetuum ratione sui, & ratione significati, concedo: si ratione tantum significati, nego; & similiter distingo minor. Comestio enim Agni Paschalis erat figura Sacramenti Eucharistiæ; Sacerdotium Aaronicum

Tqm. I.

erat umbra, & imago Sacerdotii novæ legis in perpetuum duraturi, & conservandi. Unde ratione significati, non ratione sui, sunt perpetua illa duo Sacramenta veteris legis. Ad 2. distingo maj. Si veritas intuitivè, & perfectè exhibeatur conspicienda, ut in Patria, concedo: si tantum abstractivè, & imperfectè, ut in hac vita, etiam sub lege nova, neg. majorem, & conseq. Status novæ legis, ut observat S. Dionisius lib. de Coel. Hierarc. cap. 5. est medius inter statum veteris legis, cujus figuræ impleitur in nova lege, & inter statum gloriæ, in quo omnis veritas manifestatur clarè, & apertè. Ideò tunc nulla Sacramenta erunt: nunc autem, quandiu per speculum, & in enigmate cognoscimus, necesse est, ut per Sacramenta sensibilia spiritualiam gratiam consequamur. Unde figuræ, quæ Christum præsignabant, cessare debent: at verò signa passionis ejus rememorativa, & gloriæ electis præparatæ prænuntia non debent desinere. Hinc Eusebius Emisenus hom. de Transfiguratione, tria præclarè tabernacula distinguit. I. est Synagoga in umbra, & figura: II. est Ecclesia in figura, & veritate: III. est Cælum in veritate sola. In 1. vita ostenditur: in 2. datur: in 3. possidetur.

QUÆSTIO VII.

An Sacramenta constant ex rebus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma?

77 Theologi communiter docent, vetera Sacramenta solis rebus, non verbis, constituisse: nam in Sacra Scriptura nulla fit verborum mentio, quando ritus illorum Sacramentorum proponitur: adeòque nulla verba fuere præscripta in administratione illorum. Quare de Sacramentis dumtaxat novæ legis excitatur præsens quæstio. Nec audiendi sunt in præsentem Hæretici quidam

F2

Pau

Pauliciani nominati, qui à Sacramentis omnem materiam eliminabant, affirmantes, eorum virtutem unicé consistere in verbis Christi Domini. Per oppositum quidam ex recentioribus Lutheranis, & Calvinistis existimant, omnem rationem, aut saltem præcipuam Sacramentorum efficaciam in sola materia reponendam esse. Utrumque hoc vitiosum extremum Catholici Doctores declinantes, affirmant, novæ legis Sacramenta reverà constare *rebus*, ut materia, & *verbis*, ut forma: quamvis non omnes invicem conveniant, quid propriè intelligendum sit per *res*, & *verba*? Sed advertendum, quod in proposito sermo est de Sacramento, quoad suum esse materiale tantum, quale est compositum morale ex rebus, & verbis, in quibus fundatur relatio signi, ut ex mente Subt. Doct. diximus, & explicuimus quæst. 1. num. 13. In hac difficultate prima sententia asserit, non omnia Sacramenta rebus, & verbis constare, quod non tantum asserit de Eucharistia, quæ habet modum permanentis, sed etiam de Matrimonio, & Pœnitentia, quæ in usu consistuat. Dicit enim, Matrimonium solis verbis contrahi posse; ac etiam Pœnitentiam perfici solis verbis contentis, & absolvantis absque rebus ullis. Hæc tribuitur Durando. Secunda sententia affirmat, omnia novæ legis Sacramenta, sive in fieri, sive in facto esse consistant, constare ex rebus, & verbis, tamquam materia, & forma, ac partibus Sacramentum essentialiter constituentibus. Hæc est communior opinio extratram Scholam. Tertia asserit, omnia Sacramenta, quæ in usu consistunt, quæ quidem sunt omnia, præter Eucharistiam, componi ex rebus tamquam ex materia, & verbis tamquam forma: unde solum excipit Eucharistiam, quæ consistit in re permanenti. Sic sentit Subtilis Doctor, quem sequuntur Discipuli, & extranei plurimi. Pro resolutione igitur

hujus difficultatis.

78 L. Conclusio: *Omnia novæ legis Sacramenta, in usu consistentia, constant rebus, & verbis, vel formaliter, vel saltem æquivalenter, tamquam materia, & forma.* Hæc est communis apud Chatholicos, & videtur expressa in Concilio Florentino in Decreto Unionis, ubi habetur: *Sacramenta novæ legis tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis, tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia, quorum si desit aliquid, non perficitur Sacramentum.* Hujus veritatis ratio alia non subest à priori, nisi voluntas Christi Domini, qui cum Sacramenta multis modis instituere potuisset, unicé hoc modo maluit pro sapientia sua inexcusablem. Ratio verò à posteriori, & congruentiæ, hæc est: quod ad præsentem gratiæ statum requirebatur significatio Sacramenti magis aperta, & facilior: addeoque præter res sensibiles, quæ non nisi valde obscurè poterant esse signa, requirebantur etiam verba, per quæ significatio esset magis determinata. Clariùs enim in Baptismo v. g. percipitur mundatio à peccati labe, si præter ablutionem materialem, & corporalem, verba ista: *ego te baptizo &c.* addantur. Quod autem *res visibiles* habeant rationem materiæ, & verba rationem formæ, probatur sic: illud habet rationem materiæ, quod est determinabile, & illud rationem formæ, quod determinat, aut est determinativum; sed in Sacramentis res visibiles sunt determinabiles, & ex se ad varias significaciones indifferentes; & per verba determinantur ad eum effectum, quem significare debent: ergo. Major per se patet, & etiam minor: Sicut enim lignum dicitur materia, ex qua Architectus statuas, aut alias res efficit: figura verò, seu partium ordinatio, qua artefactum constituitur, est forma artis: & sicut in logicis

genus dicitur respondere materiæ, & differentia formæ, quia genus est indifferens ad plures differentias, & species; differentia verò ipsum ad speciem determinat: ita in Sacramentis, res, quæ assumuntur, in differentes sunt ad varias significaciones, & effectus. Aqua enim est indifferens, & indeterminata ad humectandum, refrigerandum, & abluendum; oleum ad dolorem leniendum, vulnus sanandum, ad vires confirmandas, & fovendas. Unde indistincte, & confusè tantum significant varios gratiæ effectus: determinantur verò per verba ad unum, aut alterum gratiæ effectum. Elementum namque, ut dicit Augustinus tract. 80. in Joan. ante verbum est indifferens, ut sit Sacramentum: *accedit autem verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Denique Scriptura Sacramentum expressè significat, res, & verba requiri in Sacramentis Baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ-Uñtionis: nam de Baptismo habetur Matth. 28. *baptizantes eos*, ecce res, scilicet, ablutionem, *in nomine Patris, & Filij &c.* ecce verba. In Eucharistiæ institutione legitur in Evangelistis, Christum accepisse panem, benedixisse, ac dixisse illa verba: *Hoc est Corpus meum*: panis est res, seu materia; quæ autem dixit, sunt verba, seu forma. Similiter de Extremæ-Uñctione scribitur Jacobi 5. *Ungens eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei alleviabit infirmum.* Uñctio est res, oratio autem sunt verba: igitur Sacramenta novæ legis constare debent rebus, & verbis.

79 Dixi notanter in conclusione: *Sacramenta novæ legis in usu consistentia*, ut excludatur Sacramentum Eucharistiæ, inquantum est permanentis, de quo tractatu de Eucharistia Disput. 1. quæst. 7. per totam. Nec aliud hic occurrit dicendum, præter quod ibi dicitur. Denique dixi, Sacramenta constare *verbis, vel formaliter, vel saltem æquivalentur*: quod utique dictum est

propter Matrimonium. In Matrimonio enim semper interveniunt verba, vel formaliter, ut cum expressè à contrahentibus pronuntiantur, aut saltem æquivalenter, ut cum per signa, & nutus notificantur: utroque enim modo Matrimonium est validum, ut fert communis sensus Theologorum, & suo loco demonstrabitur. Ratio pro nunc est; quia cum Matrimonium sua natura additum sit contractui civili, noluit Deus illud mutare, sed solum ad rationem Sacramenti elevare. Quare sicut in contractu nutus, & signa habeat verborum rationem, ita etiam illam habent ad rationem Sacramenti. Pro faciliiori captu hujus doctrinæ, vide dicta supra num. 13.

80 Argues 1. iuxta Augustinum lib. 19. contra Faustum, *nihil aliud sunt corporalia quædam Sacramenta, nisi verba quædam visibilia*; atqui superfluum est addere verba verbis: ergo Sacramenta verbis non debent constare. Confirmatur ex eodem D. Augustino ibidem: Sacramenta novæ legis successerunt Sacramentis veteris legis; sed in his verba non erant necessaria: ergo nec sunt in Sacramentis novæ legis. Urgetur: Matrimonium contrahi potest sine ullis verbis solis nutibus: ergo istud verbis non constat. Denique: materia, & forma in composito sunt ejusdem generis; sed hoc dici non potest de rebus, & verbis: ergo. Respondeo distinguendo maj. Sunt verba improprie, & analogicè, concedo; univocè, & proprie, nego majorem, & eodem sensu minorem. Res visibiles Sacramentorum verba dicuntur analogicè, propter quamdam similitudinem cum verbis: non tamen, ut per se patet, sunt verba proprie, cum hæc consistant in prolatione, determinante rerum significationem. Unde verba non superflue adjiciuntur, ut magis determinata sit rerum significatio, quæ ut apparet in conclusione, indifferens esset sine verbis. Ad confirmationem distinguo maj.

maj. Successerunt, quoad aliqua, concedo: quoad omnia, nego maj. Diximus initio quæstionis, vetera Sacramenta verbis non constasse; nostra verò, quia magis distinctè Christum significant, & non sunt pura verba, sicut vetera, sed sunt clariora, instituta sunt à Domino cum clariori significatione, quod per verba consequitur quamoptimè. Unde ipse Augustinus ait: *alia debent esse Sacramenta rei præsentis*, qualia sunt nostra: *alia verò rei futuræ*, qualia fuerunt vetera. De distinctione inter nova, & prisca Sacramenta dictum est satis n. 5. & 14. ac 15. Ad urgentiam distinguo antecedens: sine ullis verbis formaliter, concedo; æquivalenter, nego antecedens. Patet ex ipsamet conclusione, & ex Augustino lib. 3. doct. Christ. dicente: *Signa, quibus homines suo sensu communicant, etsi pertineant ad oculorum sensum, aut ad alios sensus, verba dicuntur.* Ad ultimum concedo de materia, & forma compositi phisici, & nego de composito morali, quale est Sacramentum. Nec immoror in rationibus disparitatis inter unum, & aliud compositum, quia cuicumque consideranti sunt satis notæ.

81 Argues 2. intendens suadere, Sacramenta non constare rebus, sed solis verbis: quod est sensibile per aliud, non sufficit ad materiam Sacramenti; sed in Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonij materia, seu quod habet locum rei, solùm est sensibile per aliud, nempe, per verba, quibus pœnitens sua peccata confitetur, & contrahens suum exprimit consensum: ergo hæc Sacramenta solis verbis constant. Major patet: quoniam quod est sensibile solùm ratione alicujus, non est verè sensibile. Quare si Angelus per vocem manifestetur, non propterea diceretur sensibilis, sed sola vox. Talia autem sunt consensus contrahentium in Matrimonio, & actus pœnitentis in confessione; etenim

hæc non sentiuntur in se ipsis, sed tantùm verba illorum manifestativa, aut alia signa externa æquivalentia: ergo jam in his Sacramentis tota res consistit in verbis. Ad argumentum, quod difficultate non caret, ait Mastrius, non difficulter respondetur, quod dum Concilia, & Patres dicunt, in Sacramentis præfer verba requiri res, aliud noluerunt, quam quod præter verba illa, quæ sunt forma, & à Ministro prolata, requiritur aliud, quod est res, distinctum ab eo, quod tenet locum formæ, & ab illo aliquo pacto est determinabile. Quod autem hoc aliud, quod habet rationem materiæ, & tenet locum rei, sint verba, vel actiones alterius potentiæ, parum refert. Et ita in Sacramento Pœnitentiæ confessio ipsa externa, sive verbis, sive nutibus, vel alijs signis externis, facta, est vera res Sacramenti Pœnitentiæ, contradistincta à verbis à Ministro prolatis. Pariter dici potest in Sacramento Matrimonij, consensum contrahentium signo aliquo sensibili expressum, ut continet mutuam corporum traditionem, esse materiam, & locum rei tenere: ut autem continet eorum corporum mutuam acceptationem, esse formam. Vel forma sunt verba consensus contrahentium exprimentia; res autem est traditio, seu translatio potestatis in corpora. Doctrina hæc innuitur à Subt. Doct. in 4. dist. 26. quæst. 1. de quo tract. de Matrimonio, tamquam proprio loco redibit sermo. Pro nunc nego majorem, & ejus probationem, cum juxta dicta, tales res verè fiant sensibiles. Sed advertendum, ut replicæ occurras, quod dum Florentinum docet, *Sacramenta tribus perfici, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri cum intentione*; non debet hoc intelligi de tribus, quæ semper debeant realiter distinguì, sed sufficit, quod interdum formaliter, vel virtualiter distinguantur. Sic fateri tenentur quotquot asserunt,

ia

in Sacramento Matrimonij ipsos contrahentes esse Ministros, quæ est communis, ac verior opinio. Nec refert, quod in alijs Sacramentis materia, & forma, & Minister realiter distinguantur: Sicut enim hoc Sacramentum est ab alijs in multis distinctum, ita etiam potest habere materiam, formam, & Ministrum diversæ rationis à cæteris.

82 II. Conclusio: *Probabilius est, quod res, & verba, quæ materia, & forma Sacramentorum dicuntur, sunt partes intrinsecæ constitutiæ Sacramenti in usu consistentis*: ita ut utraque simul sit fundamentum relationis signi, quam Sacramentum importat pro formali. Oppositum tenent non spernendi Scotistæ aliqui cum Fabro disp. 9. cap. 2. quem secutus est Frassenius tract. de Pœnit. asserentes, res, & verba non semper concurrere, ut partes intrinsecas Sacramenti: nam aliquando sola materia est intrinsecum fundamentum relationis signi, & forma solùm est circumstantia necessaria ad illud fundamentum, ut relationem signi possit fundare: aliquando è contra, forma est intrinsecum fundamentum, & materia est circumstantia necessaria, aut conditio. Est tamen Subt. Doct. quem communitè sequuntur discipuli cum Mastrio, & Gonz. Math. in Sum. Morali. Prob. 1. ex Scoto 4. dist. 8. quæst. 1. ubi loquens de Sacramento Eucharistiæ in re permanenti consistente, inquit: *Non est hic aliud, tamquam materia, & aliud tamquam forma, sicut est in alijs; quia istud est permanens; & ideo non possunt aliqua verba ad ejus essentiam pertinere: in quocumque autem Sacramento (alio ab isto) distinguitur materia, & forma. Signum visibile dicitur esse materia, verba verò forma*: ergo Doctor expressè docet: in quocumque Sacramento, excepto Eucharistico, fundamentum signi esse res, & verba, & utraque pertinere ad Sacramenti essentiam,

ut ejus partes intrinsecas.

83 Probatur 2. Iuxta Concilia non minus determinatæ sunt à Deo, & institutæ res, quam verba in Sacramentis: ergo non minus sunt illis intrinsecæ, substantialia, & essentialia: ergo utraque conjunctim habet vim, & significationem Sacramentalem: ergo Sacramentum directè, & essentialiter utramque partem includit. Patet 1. consequens: nam tota ratio, cur aliquid sit intrinsecum, & essentialiter Sacramento, petitur ex voluntate Dei sic volentis, & sic instituentis. Probatur antecedens: Concilia eodem modo loquuntur de rebus, & verbis: & Christus æqualiter requirit in Baptismo ad regenerationem aquam, & verba, dum dicit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Confirmatur ex analogia ad compositionem naturalem: in hac illæ partes dicuntur concurrere per modum materiæ, & formæ, quæ sunt essentielles, & intrinsecæ composito, una per modum determinabilis, alia per modum determinativi; sed in Sacramentis novæ legis, in usu consistentibus tam res, quam verba se habent ut partes intrinsecæ, & essentielles signi Sacramentalis; res, nempe, ut quid determinabile, & verba, ut quid determinativum: ergo. Prob. minorem: quia utraque necessaria est, & neutra sufficit ad fundandam significationem Sacramentalem: ergo. Antecedens patet in Sacramento Baptismi, in quo nec ablutio sine verbis, nec verba sine ablutione sufficiunt ad internam animæ ablutionem significandam: nam ablutio sine verbo baptizo indifferens est ad humectationem, frigefactionem, & ablutionem significandam, & verbum baptizo sine ablutione est falsum. Urgetur licet Sacramentum non sit quid per se unum ad instar compositi phisici, & substantialis, est tamen quid per se unum morale, & unum artificiale, ut est domus, navis, & similia,

&

& res se habent, ut quid indeterminatum, ac ideo habent rationem materiae, verba autem, ut quid determinans, ac proinde habent rationem formae: ergo dici debet, totum Sacramentum utramque partem in recto importare, tamquam compositum morale artificiale, compositum ex utraque. Si dicas, ut innuit Faber, in quibusdam Sacramentis alterutram concurrere, ut conditionem requisitam, vel circumstantiam necessariam, non verò ut partem intrinsecam, modo quo intentio conficiendi in Ministro, & suscipiendi in recipiente est conditio requisita, non verò pars essentialis, & intrinseca Sacramenti. Si enim hoc dicas, falsum est, & adest clara disparitas: Talis namque intentio non est de essentia Sacramenti, quia se tenet ex parte causae effectivae, et subjectivae, quae sunt causae extrinsecae, juxta omnes: at verò res, et verba, se habent, unum *per modum materiae*, aliud *per modum formae* in Sacramento, ac proinde sunt de intrinseca, & essentiali constitutione Sacramenti.

84 Arg. 1. Si res, & verba sunt materia, & forma Sacramentorum, & per modum partium intrinsecarum, debent esse simul in eodem tempore, ut unum compositum efficere possint; sed in Sacramento Pœnitentiæ, & Matrimonii talem simultatem non habent, vel non est necessarium, illam habere: ergo Prob. minor. In Sacramento Pœnitentiæ confessio, & contritio potuit præcesse per horam, & postea sequi absolutio, non enim est necessé, ut dum Sacerdos formam profert, pœnitens in actu contritionis perseveret. Matrimonium etiam, quia est quidam civilis contractus, potest peragi inter absentes, & mediare tempus inter consensus: ergo res, & verba non semper debent esse simul in Sacramentis: ergo nec concurrere, ut partes ipsorum intrinsecae, & essentielles. Respondeo negando majore-

rem in sensu, quo procedit. Simultas itaque materiae, & formae sumi debet juxta naturam compositi: si compositum sit phisicum, debent simul esse phisicé; si morale, moraliter. Unde in proposito, cum Sacramentum sit compositum morale, non phisicum, satis erit, si moraliter judicentur simul esse. Quare Doctor in 4. dist. 6. quæst. 3. loquendo de Sacramentis universaliter, dicit, quòd inter materiam, & formam requiritur simultas talis, qualis requiritur in actibus humanis: noluit enim nos Christus obligare ad tam strictam, & subtilem simultatem, quam homo vix percipere, vel servare posset. Sufficit ergo tanta conjunctio, seu temporis propinquitas inter res, & verba, quanta moraliter videtur requiri ad verificandum sensum verborum, determinantem applicationem materiae: quod totum prudenti judicio, & humano more est estimandum, sicut fieri solet in aliis similibus humanis rebus. Quia verò Sacramenta ex diversis actibus humanis constant, quorum alii ex sua natura majorem simultatem, alii minorem postulant, non potest in omnibus una certa assignari regula, sed perpendenda est natura Sacramentorum, & operationum singularum, quibus constant, & juxta earum diversitatem poterit major, aut minor tempositis propinquitas esse sufficiens, & necessaria. Unde in Sacramento Pœnitentiæ, & Matrimonii major distantia admitti potest inter accusationem pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis, quia peragitur per modum judicii, in quo accusatio præsupponitur absolutioni: major etiam inter consensus unius, & alterius conjugis, quam in aliis Sacramentis Baptismi, Confirmationis &c. quia cum hæc perficiantur per pronomina demonstrativa, & de præsentibus, postulant inter res, & verba majorem simultatem. Sed quamvis non possit una certa regula assignari in omnibus; tamen in praxi semper in omni-

omnibus est observandum, ut materia, & forma Sacramenti taliter conjungantur, quòd sine dubio, et periculo, sed modo certo, et tuto Sacramenta administrentur. Hac ratione Doctor loco citato in Sacramento Baptismi requirit phisicam simultatem, saltem inter aliquam partem prolotionis formae, et materiae, ita ut vel incipiat forma, antequam desinat materia, vel è contra, incipiat materia, antequam absolvatur forma. Hoc ulterius demonstrabitur, dum pertractemus de Baptismo.

85 Arg. 2. Juxta Scotum, in Sacramento Baptismi per solam ablutionem significatur ablutio à peccato, qua ratione 4. d. 3. q. 1. num. 2. dicit, relationem signi fundari in sola ablutione: ergo *juxta Scotum* non omnia Sacramenta constant rebus, et verbis, tamquam partibus essentialibus. Deinde d. 14. quæst. 4. n. 3. loquens de Sacramento Pœnitentiæ, docet, quòd per sola verba absolutionis à Sacerdote prolata intelligitur remissio peccatorum. Unde ait: *quòd pœnitentia est absolutio*. Ex quo sic: in Sacramento Pœnitentiæ non potest assignari materia, et forma, seu res, et verba: ergo ambo non sunt partes intrinsecae Sacramenti. Prob. antecedens: Tum; quia relatio signi gratiæ in solis verbis absolutionis fundatur, ut de expressa mente Doct. nervosè opinatur Hiquès in Comment. Tum; quia verba illa non cadunt supra ullam materiam, nec illam determinant, ut dici possint forma. Tum, quia nulla existit res, seu materia, cum proferuntur illa verba. Tum denique, quia Pœnitentia confertur per modum judicii: ergo consistit in solis verbis Ministri, qui solus profert absolutionem per modum judicii, et sententiæ. Hæc sunt fundamenta desumpta ex Subtili Doct. ut Scotistæ aliqui suadere intendunt de ejus mente, Sacramenta aliqua interdum in sola materia, et interdum in sola forma, habere significationem, seu esse totum funda-

Tom. I.

mentum relationis signi Sacramentalis.

86 Respondeo Doctorem 1. in loco docere, utramque partem teneri posse de Sacramento Baptismi, scilicet, relationem signi fundari in sola ablutione, vel in ablutione, et verbis, seu in utroque, ut apparet ex ejus littera. Quo non obstante, num. 3. dicit, hoc secundum verius esse. Sic ait consequenter ad textum supra relatum: *istorum duorum primum videtur verius*. Si ergo hoc est verius, consequenter est tenendum, de quo ulterius tract. de Baptismo. In 2. loco, quamvis videatur dicere, Sacramentum Pœnitentiæ esse absolutionem, seu solam absolutionem esse fundamentum integrum relationis signi, et actus pœnitentis esse quid prærequisitum ad talem relationem: hæc tamen non est mens Doctoris nam Pœnitentiam definiens quæst. 4. cit. num. 2. ait, *quòd est absolutio hominis pœnitentis*. Unde actus pœnitentis quoque agnoscit esse partem illius Sacramenti, et cum absolutione constituere integrum fundamentum relationis signi. Et quidem pro hac parte clarius, quam pro opposita in aliis locis, loquitur d. 8. ut videri est in conclusione: ideoque ait Brancatus dist. 2. art. 2. hanc partem probabiliorem, ac magis de mente Doctoris esse, quod etiam fatetur Faber ipse. Quod etiam conformior sit Florentino, et Tridentino, est satis perspicuum, et apparebit magis, simul ac mens Doctoris, Tract. de Pœnitentia. Hinc ad argumentum ex littera Doctoris formatum nego antecedens, et tres ejus probationes. Etenim verba absolutionis nihil positivè significarent, nisi caderent in actus pœnitentis confitentis, nec ipsa confessio se sola sine absolutione satis fundaret; nam sine illa, ut mora historica narratio considerari posset. Nec verum est, actus pœnitentis non perseverare sufficienter, dum absolutio profertur, ad compositum morale, et talis naturæ: perseverat

G

igi-

igitur ipsa confessio adhuc moraliter in corde, et memoria poenitentis, ac in consideratione Confessarii, dum absolvit. Ad ultimum dist. anteced. Confertur per modum iudicii respicientis necessariò reum confitentem, et contritum, concedo: iudicii nudi, nego. Absolutio Sacramentalis ex se respicit reum, ut poenitentem, & peccata confitentem.

QUÆST. VIII.

An determinata sit à Christo materia, & forma Sacramentorum? & quæ earum mutatio invalidet Sacramentum?

87 **C**ertum est, quòd Deus pro suo libito potuit quilibet res sensibiles, imò & spirituales, pro materia Sacramenti designare, sed nihilominus ex sapienti ordinatione decrevit, res certas, ac determinatas usurpari ad confectio-nem, & administrationem Sacramenti. Hæc verò determinatio rerum Sacramentalium concipi potest facta duobus modis, nempe, *minus distinctè, seu confusè*, ita quod determinatum fuerit, ut aliquod signum in genere assumeretur; nullum autem signum in particulari designaretur: vel *magis distinctè*, ut si determinaretur in particulari, quòd talis, vel talis res assumeretur ad confectio-nem Sacramenti. Hoc adhuc fieri potest duobus modis, vel secundùm *genus*, ut si aqua in genere, prout includit rosaceam, artificialem, & naturalem, fuisset determinata pro materia Baptismi: vel secundùm *speciem infimam*, ut si pro materia Baptismi designata sit aqua, non in genere, sed determinatè aqua naturalis. Deinde mutatio in Sacramentorum materia potest esse duplex: una *substantialis*, & *essentialis*, qualis fieret, si loco unius rei à Christo designatæ in materia Sacramenti, aliquis assumeret etiam materiam distinctam genere, vel specie. V. g. si

ex eo, quòd Christus instituit Baptismum per modum ablutionis fieri in aqua naturali, hac occasione præsumeret aliquis assumere quemlibet alium liquorem, qui deservire posset ad ablutionem. Idem respectivè est intelligendum de materia aliorum Sacramentorum: ob quod erravit Beza Epist. 2. ad Tillium, contendens, quòd deficiente pane, vel vino ad celebrandum sacrificium Missæ, assumi posse quicquid ex usu communi, & ratione temporis induit rationem panis, & vini. Est etiam mutatio substantialis, si materia usurpari solita ita esset alterata, ut ex communi usu, ac modo loquendi non censeretur amplius eadem, nec vocaretur eodem nomine; ut si vinum ita acescat, ut non amplius vinum, sed acetum censeatur, & appelletur. Alia mutatio dicitur *accidentalis*, videlicet, quando assumitur substantia materiæ à Christo designatæ, sed non secundùm eadem accidentia, quæ materia illa fortè ex Christi intentione haberet; ut si quis assumeret ad baptizandum naturalem aquam, non tamen claram, & limpidam, sed turbidam, ac cœnosam. In forma pariter Sacramentali evenire potest mutatio *substantialis*, & *accidentalis*. I. eveniret, si verba mutent sensum à Christo intentum, & institutum. II. verò, quando verba non mutant sensum, sed solùm invertitur, aut transponitur prolatio verborum: vel si alio idiomate à communi, & usitato proferantur. Hæc itaque regula generalis observanda est, ut cognoscatur, quæ mutatio sit substantialis, & quæ accidentalis: tunc mutatio censeatur substantialis, quando secundùm prudentem estimationem non manet amplius eadem res in substantia, nec in verbis eadem significatio: ita ut illa mutatio, quæ destruit rem à Christo designatam, & sensum verborum à Domino institutum, est substantialis, quæ verò non destruit, censeatur accidentalis. His breviter animadvertis.

Conc.

88 **C**onclusio I. *Materia, & forma Sacramentorum fuerunt à Christo quoad substantiam determinatæ non verò res determinatæ fuerunt in specie infima in singulis Sacramentis.* Conclusio, quæ est communis, uno, vel altero dempto, deducitur ex Scoto definiente Sacramentum: *signum sensibile gratiam Dei efficaciter significans ex institutione divina*: non enim potest esse ex institutione divina sensibile signum, nisi totum illud signum sit ab ipso determinatum. Prob. I. ex Scriptura, in qua legitur, Christum determinasse pro Baptismo aquam, & verba, & pro Eucharistia panem, & verba similiter: ergo idem est de cæteris, quod magis patebit ex dicendis de singulis in particulari. II. ex Conc. Florentino, quod, ut videri est ab initio hujus tractatus, singulis assignat materias, & formas à Christo institutas. Et ex Trident. sess. 3. can. 1. ubi docet. *Sacramenta novæ legis fuisse à Christo instituta, sic: Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse à Christo Domino instituta, anathema sit.* Et sess. 10. cap. 20. asserit, *Ecclesiam non habere potestatem ad mutationem substantialem Sacramentorum, benè verò ad accidentalem, dicens: declarat, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret... quæ expedire judicaret.* III. quia Sacramenta sunt à Deo instituta, ut instrumenta ad causandum gratiam; sed solius Dei est dare virtutem alicui rei, ut gratiam supernaturalem conferat: ergo soli Deo reservatur talis signi, aut rei determinatio. Demum: ex perpetua, & constanti Ecclesiæ traditione, quæ semper docuit, res, & verba determinata ad Sacramenta requiri. Secunda conclusionis pars, nempe, quòd non omnium Sacramentorum materia determinata fuit à Domino in specie infima, seu atoma, sed quasi in genere quodam, seu quoad substan-

Tom. I.

tiam constabit, dum tractemus de singulis. Et ultra patet: quia Sacramentorum materia alia est instituta in entitate phisica rerum, v. g. aqua, panis, vini, & olei: alia in rebus, quasi moralibus, v. g. in aliquot actibus humanis, ut sunt *contractus Matrimonialis, peccata, & actus Poenitentis*. Priora illa voluit Christus determinare in specie infima, ut in aqua naturali, pane triticeo, vino de vite, in oleo olivarum, balsamo: at verò posteriora, cum pendeant ab hominum moribus, & aliquali arbitrio, congruum fuit, ut in latiori genere determinaret. V. g. Matrimonium in contractu civili, & valido secundùm tempus, & mores. Seu Deus voluit, ut eorum materiæ determinatio penderet etiam ab institutione hominum.

89 **C**onclusio II. *omnis mutatio substantialis in materia, vel forma, irritat Sacramentum, & invalidat: non verò mutatio accidentalis: est verò illicita, & peccaminosa, nisi aliqua escuset rationabilis causa.* Est communis quoad omnes partes, & docetur ab Scoto 4. dist. 3. q. 2. ubi distinguens de mutationibus substantiali, & accidentali, notat mutationem, quam Baptismi forma invalidat Sacramentum, & quæ non invalidat. Et in Reportatis ibidem num. 4. dicit generaliter de mutatione accidentali, *quòd Minister prætermittendo, vel mutando istam formam, verè dat Sacramentum, sed tamen peccat mortaliter.* Prob. 1. & 2. pars: cum essentialia alicujus rei mutantur, ea res non est amplius, benè verò quando mutantur tantùm accidentalia. V. g. si mutatur homo quoad animalitatem, vel rationalitatem, jam non est homo: si verò mutatur tantùm quoad aliquam qualitatem, aut quantitatem, ut si de albo fiat niger, aut de Pigmeo fiat Gigas, aut de Puero Vir, semper est idem homo: ergo idem est in mutatione circa res, & verba Sacramenti: ergo si fiat mutatio quoad substantiam, non erit

G2

am-

amplius illud signum á Deo institutum, bené verò si accidentalis mutatio fiat solúm: ergo cùm variato substantialiter signo á Deo instituto, non sit jam eadem res ordinata á Deo, certum est, quòd tunc Sacramentum esset invalidum. Confirmatur ex cap. *Retulerunt* de consecrat. dist. 4. ubi Papa Zacharias interrogans: An Baptisma collatum sub his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patriæ, & Filia, & Spiritua Sancta*, esset validum? respondet, quòd si hoc fecit Minister ex imperitia linguæ cum recta intentione, non intendens inducere errorem, veré baptizavit. Ratio est: quia supposita illius Ministri recta intentione, illa verba ipsi hoc ipsum significabant, quòd illa, quæ á Christo sunt instituta, illaque mutatio accidentalis erat. Sed si aliud intendisset, tunc erat mutatio substantialis, & aliud longe significabant ea verba, quàm quòd Christus instituit, & tunc non baptizavit: ergo. Tertia pars colligitur ex praxi Ecclesiæ: unusquisque enim Minister tenetur se gerere juxta praxim, & usum communem receptum in Ecclesia: ergo dum mutatio accidentalis fit contra praxim, & usum communem receptum in Ecclesia, Minister illicité se gereret, & peccaret. Unde Sacerdos Latinus peccaret graviter, si consecraret in pane fermentato, sicut si Græcus consecraret in azymo. Idem cap. *Litteras* de celebr. Missar. mandat Honorius Papa Episcopo Orientis, ut officio, & beneficio privet Sacerdotem in perpetuum, qui celebrare præsumperat in pane fermentato. Quare dum mutatio accidentalis fit in contemptum, negligentiam, aut ut in illa introducat unus oppositus communi Ecclesiæ praxi, est peccatum grave; sicut etsi adhibeatur forma, aut materia dubia, nisi in gravi necessitate. Potest tamen interdum mutatio accidentalis non esse illicita, ut si quis in Baptismo, rigente hyemis frigore adhiberet aquam calidam, quòd assolet non fieri.

90 Argues 1. Ecclesia mutavit materiam, & formam quo ad substantiam aliquorum Sacramentorum: ergo á Christo non fuerunt instituta, & determinata: aliás Ecclesia procederet contra Christi institutionem, & voluntatem, quòd dicere absurdissimum est. Prob. ant. Tum quia ante Concilium Tridentinum, Matrimonia clandestina, seu quæ fiebant sine Parochi præsentia, erant valida, & invalida sunt postea: ergo Ecclesia mutavit materiam Sacramenti Matrimonij. Tum in Sacramento Ordinis Ecclesia de facto mutavit materiam, & formam: siquidem olim conferebatur Sacerdotium per solam manuum impositionem cum verbis proportionatis; modò autem Ecclesia Latina Sacerdotium confert per panis, & vini traditionem cum verbis determinatis: Ecclesia verò Græca-Catholica per impositionem manus supra caput ordinandi cum aliis verbis, non habentibus idem significatum cum Latinis: ergo facta fuit, vel fieri potest ab Ecclesia variatio circa materiam, & formam Sacramentorum, & consequenter non fuerunt á Deo determinata in Sacramento aliquibus. Idem apparet in Sacramento Pœnitentiæ, cujus materiam Ecclesia videtur restringere, & limitare. Patet; nam Sacerdos virtute Ordinis potestatem habet nedum consecrandi, verum etiam absolvendi á peccatis: Ecclesia verò reddit irritas absolutiones á Sacerdotibus sine speciali approbatione datas, & aliqua peccata Papæ, & Episcopo reservat, ita ut non sint materia illius Sacramenti, seu reddit eam inhabitabilem: sed hæc mutatio est substantialis, & restrictio notabilis materiæ á Christo institutæ; ergo. Denique: Ecclesia mutavit materiam Confirmationis; nam hodie datur per Chrismationem, & olim ab Apostolis per manuum impositionem, & orationem: ergo cùm mutatio hæc absdubio sit substantialis, in Ecclesia adest potestas mutandi materias

-Sa-

Sacramentorum substantialiter. Omnes istæ difficultates fusius discutientur in cujuslibet Sacramenti disputatione. Interim.

91 Respondeo breviter negando antecedens. Ad 1. probationem de Matrimonio concedo antec. & nego conseq. Materia Matrimonij est contractus legitimus civilis, qui fit, mediante consensu utriusque conjugis. Unde quando Christus hunc contractum consecravit, illum sublimando ad Sacramenti dignitatem, non determinavit aliam materiam hujus contractus, quam mutuum illum conjugum consensum: Verum nec determinando, quòd exprimeretur hoc, aut illo modo, nec etiam aufereudo á Republica potestatem, quam habebat super hujusmodi contractum; sed in ejus dispositione relinquendo, ut pro temporum, & circumstantiarum diversitate posset illis adde-re certas conditiones, & circumstantias, sine quibus contractus ille non esset legitimus, & consequenter nec materia Sacramenti. Unde quando Ecclesia statuit decretum exigens solemnitatem illam, quæ antea non erat, nempe, præsentiam Parochi, & testium, non mutavit Matrimonij materiam, ut determinata erat á Christo, secundum substantiam, cum semper consensus legitimus sit Matrimonij materia: sed dumtaxat mutavit materialiter, & accidentaliter, efficiendo, scilicet, ut consensus clám expressus non esset amplius legitimus ad contrahendum: ita enim postulabat ratio temporis propter varia inconvenientia, quæ ex Matrimonij clandestinis emergebant: & nullus est, qui recté possit negare, humanam potestatem posse variare ea, quæ spectant ad contractus validitatem. Ex quo sic potest distinguí conseq. Mutavit materiam secundum illius substantiam, ita ut loco materiæ á Christo designatæ, aliam omninò specie distinctam substituerit nego: mutavit eam, secundum aliquas illius circumstantias, concedo.

92 Ad 2. probationem de Sacramento Ordinis, dico; quòd hujus Sacramenti materiam non instituit Christus in specie infima, & in individuo, nec similiter formam; sed solum genericè in aliquò sensibili signo, quo potestas tradita denotetur. Quare solúm voluit, quòd conferretur Ordo per aliquod signum insensibile declarativum, ac significativum potestatis, quæ traditur, & per verba exprimentia hoc ipsum, quòdcumque tandem foret illud signum, & quòd Ecclesiæ determinationi dereliquit ipse Christus. Cùm autem Ecclesia, tam Græca, sive Catholica, sive Schismatica, quam Latina ordinationem conferat per signum sensibile, & verba, quæ potestatem acceptam optime significant, utraque validè conficit, & servat formaliter loquendo, & secundum substantiam, materiam, & formam á Christo institutam, & solúm materialiter, ac accidentaliter variant; quatenus signa sunt diversa pro materiali, non pro formali, seu quoad significationem potestatis traditæ. Ad 3. probationem de Sacramento Pœnitentiæ, nego assumptum, & dico, quòd Sacerdos ex vi Presbyteratus facultatem habet absolvendi ab omnibus peccatis eos, in quos jurisdictionem habet. Quia verò subditorum assignatio spectat ad Summum Pontificem, cui á Domino commissæ sunt oves, ideò, si nullum subditum habet, nullum absolvere potest, non defectu potestatis, quam veluti in actu primo habet ex vi Ordinis, sed defectu jurisdictionis. Quare si aliquem absolvere potest, hoc nequit nisi in causis sibi delegatis, non in aliis, qualia sunt peccata reservata à Superiore. Unde distinguenda est potestas Ordinis, & jurisdictionis. Illam habent omnes Sacerdotes á Christo, quæ potestas ab Ecclesia non limitatur: potestas verò jurisdictionis ex Christi ordinatione residet in Ecclesia, & ejus capite, á quo communicatur in membris, & ex-

extenditur, limitatur, aut negatur, prout expedire videt. Quapropter, hæc potestas jurisdictionis non est omnibus collata æqualiter, sed amplior Apostolis, minor Discipulis, & minima simplicibus Presbyteris. Ad ultimum respondeo pro nunc cum Subt. Doct. dispensatum fuisse cum Apostolis, ut per solam manuum impositionem confirmarent: at verò in Ecclesia semper adhibita est unctio ex Christi mandato.

93 Argues 2. multipliciter. I. Sacramenta non sunt aliter conficienda, nec ministranda, quam Christus instituit, & ministrari mandavit: sed Christus instituendo Sacramenta, non mandavit, ut adjicerentur verba: ergo non fuerunt à Christo determinata. Min. patet: nam dum Eucharistiam instituit, non dixit: *dicite, quæ dixi: sed hoc facite in meam commemorationem*. Similiter non præcepit Apostolis, ut baptizantes, dicerent: *ego te baptizo* &c. ergo in Sacramentis non requiruntur verba determinata. II. ideò verba determinata desiderarentur in Sacramentis, quia significare debent propriè effectum Sacramenti; sed ita non est: ergo. Prob. min. Ideò verba determinata videntur in Baptismo v. g. requiri, ut significant animam ablui à peccatis; sed verbum *baptizo* propriè non significat abluere: barbarè enim, & impropriè loqueretur, qui diceret *baptiza sudarium*: ergo. III. Sacramenta sunt eadem apud omnes Nationes; sed eadem voces, eademque verba non sunt determinata ad idem significandum apud omnes Nationes: ergo non requiruntur verba determinata in Sacramentis. IV. agens sapientissimum non debet quidquam instituere absque ratione; sed nulla est ratio legitima, ob quam Deus determinaverit res in specie infima in aliquibus Sacramentis, & non in aliis: ergo vel in nullo, vel in omnibus. Sed per nos, non in omnibus: ergo in nullo. Argumenta applicari etiam

possunt adversus resolutiones quæst. antec.

94 Respondeo ad 1. distinguendo mai. Et ministrari mandavit implicitè, vel explicitè, concedo: explicitè tantum, nego maj. Ad ejus probationem dico, quòd dum Christus dixit: *hoc facite* &c. istud retulit ad totam actionem, quam implebat, etiam ut complectitur verba. Idem dicendum est de Baptismate: nam saltem implicitè significavit in Baptismo conferendo adjiciendam esse invocationem SS. Trinitatis, dum ait: *baptizantes eos in nomine Patris* &c. Et quamvis ex verbis Christi efficaciter non possit dici mandatum de verbis adjiciendis in Sacramentorum administratione; quia Dominus non ait, *dum baptizaveritis, dicite: ego te baptizo*: constat tamen ex Apostolica traditione, & continua Ecclesiæ praxi, quæ ejusmodi verba in Sacramentis conferendis ritu perpetuo, & invariabili usurpavit. Ad 2. nego min. Ad ejus probationem dico, quòd licet verbum *baptizo* in lingua Latina non significet idem ac *abluo*, significat in lingua Græca abluionem, & lavacrum; illudque usurpavit Ecclesia Latina ad significandam abluionem Sacramentalem, potiùs quàm latinum, aut aliud; quia lingua Græca vigebat latissimè, quando Evangelium promulgari cœpit. Unde hoc etiam vocabulo, licet diversis idiomatibus expresso, utuntur penè omnes Nationes, ut significetur unitas fidei, quæ maximè per unitatem Baptismi declaratur, & conservatur, juxta illud ad Ephes. 4. *unus Dominus, una fides, unum Baptisma*. Ad 3. distinguo min: Non sunt determinata determinatione materiali, quoad exteriorem sonum syllabarum, & litterarum, ex quo provenit diversum idioma, diversaque loquela, concedo: non sunt determinata determinatione formali, hoc est, quantum ad significationem, & sensum, quem Christus ordinavit, & Ecclesia

sia habet in praxi, nego. Quocumque enim idiomate forma Sacramenti proferatur, reverà Sacramentum perficitur: nam ut ait Augustinus *verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur, sed quia creditur*, id est, non secundum exteriorem vocis sonum, qui labiis profertur, sed secundum sensum, qui fide tenetur. Unde mutatio idiomatis non mutat verborum sensum, sed tantum sonum: alias sequeretur, omnes Sacramentorum Ministros uti debere idiomate Hebraico, vel Syriaco: nam Christus Dominus Sacramenta instituendo, alterutro hoc idiomate est usus. Ad 4. distinguo maj. Non debet quidquam instituere absque ratione, quæ sibi sit nota, concedo; quæ nobis semper innotescat, nego: nam ut D. Augustinus Epist. 3. ad Volusianum dicit: *Deum aliquid posse, quod nos fateamur, investigare non posse; in talibus rebus tota ratio facti est potentia agentis*. Deinde negari debet minor: nam ut dictum est, Sacramenta, quæ pendent ex moralibus, & liberis hominum actibus, voluit Deus, ut potiùs quàm à se ipso, ab hominibus, quoad eorum materiam infimam designarentur.

95 Nunc pro aliis solvendis, & pluribus casibus in moralitate intelligendis, restant declarari aliquæ verborum Sacramentalium mutationes, ex quibus Sacramentum validum, aut irritum manet. Mutatio enim verborum, sicut & rerum in Sacramentis, alia est *substantialis*, ut quando usurpantur verba non significantia, vel significantia oppositum ejus, quod Christus intendit in institutione Sacramentorum. Alia est *accidentalis*, ut quando verba proferuntur aliter, quàm proferri debent, secundum Ecclesiæ consuetudinem. Hæc utraque mutatio variis modis contingere potest. Primò per mutationem idiomatis unius linguæ in aliam, v. g. Græcè in Latinam, aut Latinæ in Græcam. Secundò per mutationem unius vocis lo-

co alterius, ut si loco verbi *baptizo* dicatur *abluo*. Tertio per transpositionem unius vocis, vel plurium, ut si dicatur: *in nomine Patris te ego baptizo*. Quarto per interpolationem, sive interruptionem vocum, vel quiescendo per aliquod tempus absque prolatione aliorum verborum formæ, vel interim aliquid aliud proferendo, ut si quis post hæc verba: *ego te baptizo*, quiescat per aliquod tempus, vel aliquid recitet, & deinde alia verba adjiciat, *in nomine Patris* &c. Quintò per additionem unius vocis, vel plurium, ut si quis baptizando adderet tribus Divinis Personis nomen B. Virginis. Sextò per deductionem alicujus vocis, vel plurium, ut si quis baptizando omitteret: *ego te*. Septimò per corruptionem alicujus vocis, ut si quis ob defectum linguæ Latinæ baptizando diceret: *ego te baptizo in nomine Patria, Filia, &c.*

96 Hinc sequitur 1. Quòd mutatio unius vocis, vel plurium, quæ sensum omnino diversum efficiunt, invalidum efficit Sacramentum: secus verò, si perseveret illa verborum significatio; quia tunc integra remanet forma Sacramenti quoad ejus rationem formalem, & solùm adest variatio illius accidentalis. Ideò approbat Ecclesia in decreto Eugenii Baptisma Græcorum his verbis baptizantium: *Baptizetur manibus meis N. in nomine Patris* &c. Quare invalidus foret baptismus, si quis aquam in baptizandum infundendo diceret: *ego te refrigero in nomine Patris* &c. validus verò, si diceret: *ego te labo, vel abluo in nomine* &c. 2. Quando transpositio non variat sensum verborum, non officit Sacramento: si secus, facit invalidum. Unde validum foret Baptisma collatum hac forma: *baptizo te in nomine Filii, & Patris, & Spiritus Sancti*; quia fit sufficiens designatio baptizandi, & invocatio SS. Trinitatis: at verò invalidum foret, si quis verba hoc inverso ordine proferret: *in nomine Pa-*

Patris te Filii baptizo, & Spiritus Sancti; quia hæc transpositio verborum aut nullum efficeret sensum, aut omnino à Sacramentali alienum.

3. Quando verborum interpollatio, si-ve intermissio, tanta est, ut communi sensu non judicetur una oratio, irritum facit Sacramentum: ut si quis Missam celebrans, cum jam hæc consecrationis verba protulerit: *Hoc est, recordaretur, se Matutinum non re-eitasse, & hoc onus persolveret, ac postmodum cætera consecrationis verba proferret, nempè, corpus meum.* Tunc enim non esset eadem oratio, nec Sacramentalis significatio. Secus verò, si interruptio illa neque proferentis intentionem, neque verborum sensum variaret, ut si Sacerdos postquam dixit: *hoc est enim, sternutet, tussiat, aut brevem patiatur mentis evagationem, & postea proferat: corpus meum:* quia semper judicatur esse eadem oratio, & illius sensus unicus. 4. Verborum mutatio in alia signa, quæ idem representarent, invalidum non efficeret Sacramentum Matrimonii, & Pœnitentiæ. In Sacramento enim Matrimonii requiritur maximè, quòd conjugum consensus exprimat: hic verò consensus declarari potest, vel per nutus, vel per scripta, vel per verba. Unde verborum mutatio in alia signa consensum manifestantia Sacramentum Matrimonii non invalidat. Idem dicendum est in Sacramento Pœnitentiæ maximè in materia, circa quam Sacramentalis absolutio versatur, nempè, actus pœnitentis. Pœnitens enim elinguis, & mutus potest vel per nutus, vel per scripturam peccata sua, & conceptum de eis dolorem, Sacerdoti ita aperte declarare, ut facile judicet, an sit, vel non sit dignus absolute. Similis autem mutatio non est admittenda in aliis Sacramentis, ex universæ Ecclesiæ perpetua praxi.

97. 5. Additio verborum formæ Sacramenti potest esse vera, & falsa. Vera est, quando id, quod ad-

ditur, verum enuntiat, & è converso falsa. Additio falsa una est corruptiva formæ Sacramenti, & sensus illius immutativa, qualis erat aliquorum Arianorum baptizantium hæc additio: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, &c.* & hæc Sacramentum irritat, quia formæ Sacramentalis est corruptiva. Altera additio est, quæ est sit falsa, non corrumpit formam, nec legitimum ejus sensum evertit, ut si Græcus consecrando diceret: *hoc est Corpus meum in pane fermentato consecratum:* licet enim falsum sit, quòd Christus consecraverit in fermentato, sed in azymo, non tamen destruit formæ sensum. Additio vera, ut in consecratione panis: *hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur,* qua Græci utuntur, non officit Sacramento: falsa verò officit, si est corruptiva formæ. 6. Detractio alicujus vocis essentialis formæ Sacramentum irritum facit: secus verò si vocabulum detractum non evertat significationem formæ, ut si in forma Eucharistiæ: *hoc est enim Corpus meum,* detrahatur particula *enim,* consecratio valida erit, ut Tract. de Eucharistia constabit. Hæc omnia complectitur, & explicat Subtil. Doct. sermonem faciens de mutatione formæ Sacramentorum, in 4. d. 3. quæst. 2. num. 7.

98. Inquires: *Quomodo formæ Sacramentorum debeant à Ministro proferri?* Triplex verbum distingui potest in Sacramentis, *promissorium, concionatorium, & consecratorium.* Primum dicitur, quod declarat, & exprimit promissionem gratiæ. Secundum, per quod audientes, & suscipientes Sacramentum, de tali gratiæ divinæ promissione edocentur, & instruuntur. Tertium, quo materia Sacramenti sacro ritu consecratur, & per illam aliquid efficere intenditur. Unde verba proferuntur *promissorie,* cum dicuntur solum ad audientem certificandum de divinis promissis *concionatorie,* quando proferuntur ad edo-

edocendum auditorem: & *consecratorie,* cum etiam dicuntur cum intentione aliquid per illa conficiendi. Queritur autem: *An verba Sacramentalia debeant à Ministro proferri purè concionatorie?* Scilicet, ex sola intentione instruendi recipientes, & ad excitandam illorum de illis fidem, ac quasi recitorie, ut dicta à Christo: an verò ad operandam in suscipientibus gratiam, quam illa significant? Calvinus lib. 3. Institut. cap. 14. affirmat, verbum Sacramentale non esse consecratorium, sed concionale, & promissorium. Subscribunt Calvino plurimi Lutherani, maxime Kemnitius in examine 2. part. decretorum Concilii Tridentini: quamvis, ut ipse observat ibidem, Lutherani in tres scindantur sententias hæc in parte, maximè erga Eucharistiæ confectioem. Oppositum tenent, & firmiter docent Catholici. Quare.

99. Dico: *Verba Sacramentorum proferri debent consecratorie.* Probat 1. ex Scoto in 4. dist. 8. quæst. 1. ubi impugnans opinionem Okami, & Goffredi dicentium, quòd *Sacerdos in consecratione profert verba illa, quasi materialiter, quia recitat ea, sicut à Christo dicta,* hanc rationem dat, quòd Christus per verba illa fecit hoc Sacramentum, & infra docet, verba illa esse conversiva. Ex quo sequitur manifestè, verba proferri debere *consecratorie:* nam verba purè concionatorie, & materialiter prolata non sunt conversiva, nec factiva Sacramenti. Confirmatur ex definitione Sacramenti, quam Doctor tradit, scilicet, *signum sensibile efficaciter significans,* id est, efficiens, quod significat: seu est signum efficax gratiæ, quam significat: ergo forma Sacramenti non debet exprimi recitative, sed consecratorie: nam qui recitat formas, aut verba Sacramentalia, sive docendo, aut concionando, non dicitur conficere Sacramenta, nec illa conferre. Explicatur: quando Lectores, aut

Tom. I.

Subdiaconi legentes D. Pauli Epistolæ, & Diaconi legentes Evangelium, incidunt in verba, quæ sunt forma Eucharistiæ non conficiunt illam, & tamen recitative proferunt verba: ergo talis prolatio verborum Sacramenti illud non conficit. Prob. 2. ex Scriptura: nam Apostolus dicit, se à Deo missum non ad baptizandum, sed ad evangelizandum: ergo docere, & baptizare sunt duo ministeria distincta: ergo qui docet verba, quibus conficiuntur Sacramenta, licet ea verba proferat, non ideò facit Sacramenta: ergo ille tantum Sacramentum conficit, qui profert ex officio formam ejus consecratorie, seu sacramentaliter. Item Christus instituens Eucharistiam, non dicit Discipulis, *hoc dicite, sed facite in meam commemorationem.* Urgetur: ideò dicunt Hæretici, verba Sacramentalia esse promissoria, quia notificant suscipientibus promissiones divinas; sed aliqua sunt Sacramenta, quæ nullam promissionem ostendunt: erg. Prob. min. in forma Baptismi: *Ego te baptizo &c.* & in forma Eucharistiæ: *Hoc est Corpus meum,* & idem est de omnibus aliis, nulla apparet promissio: ergo.

100. Argues 1. Christus mittens Apostolos, ut Sacramentorum Ministros, jubet, ut doceant, dicens: *Docete omnes gentes, baptizantes &c.* Hinc Apostoli prius instruebant, & docebant, quam baptizarent. Unde D. Hieronymus exponens illud Apostoli Ephes. 5. *Mundant eam labacro aquæ in verbo vite, per verbum vite* intelligit doctrinam: ergo verba Sacramentorum sunt doctrinalia, & concionatoria; nam debent doceri de illorum virtute suscipientes Sacramenta: ergo verbum concionale requiritur ad Sacramentum. Resp. dist. consequens: sunt doctrinalia, quatenus docent, & significant ea, quæ operantur, concedo: purè ut doceant, & nihil ex intentione baptizantis operari debeant, nego consequentiam. Utrumque præstant ea verba:

H

ba;

ba; sed intentio principalis pronuntiantis ea est sanctificatio suscipientis, & ideo consecratorie profert: alias frustra proferrentur pueris, qui dum baptizantur, incapaces sunt instructionis. Unde solum pro adultis doctrina est necessaria, non ut pars essentialis, & intrinseca Sacramenti, sed ut dispositio adultis necessaria ad Baptismum suscipiendum fructuose; quia adultorum justificatio exigat fidem, fides auditum verbi Dei, auditus exigat prædicationem: nam, ut ait Apostolus, *quomodo credent sine prædicante?* Quare Christus non præcepit Apostolis, ut baptizando, docerent omnes gentes nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quod debuisset facere, si verbum instructionis adhibere præcepisset; sed iussit, docere Populos, baptizantes eos in nomine Patris &c. Quare illæ voces, in nomine Patris &c. respiciunt actum baptizandi, non docendi, seu explicationem mysterii. Ad D. Hieronymum dico, præfatum locum explicasse, non in sensu litterali, sed in mystico, ut ipsemet significat initio explicationis contextus. Nec aliud sensit Hieronymus; nam explicans præfata verba: *Ite, docete, baptizantes, ait: Iussit Apostolis, ut primum docerent universas gentes, deinde Sacramento tingere, & post fidem, ac Baptismum, quæ essent observanda præciperent.*

101 Arg. 2. D. Ambrosius lib. de Initiandis cap. 2. dicit: *Quod sicut in fontem Marath Moyses misit lignum: ita & in hunc fontem baptismalem Sacerdos prædicationem Dominicæ Crucis mittit: & sicut illa aqua facta est ad bibendum dulcis, hæc aqua fit dulcis ad gratiam.* Sed prædicatio est verbum concionale: ergo aqua ex mente Ambrosii non potest baptizando prodesse, nisi illuminetur doctrina, & concione. 3. Ex Augustino tract. 80. in Joan. dicente: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? nisi faciense verbo, non quia dicitur, sed*

quia creditur... hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quo corda mundantur, & Baptismus consecratur; sed verbum, quod creditur, est concionale, seu prædicationis, & doctrinæ, quia non potest esse creditum, nisi prius auditum, & prædicatum: ergo nostra resolutio est contra Augustini mentem. Hoc magis apparet ex eo, quod, postquam declaravit Augustinus, infantes mundari verbo Sacramentali, ut declaret, hoc esse verbum concionale, concludit: *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Denique arguit Calvinus: verba consecratoria sunt superstitionosa, & magicæ incantationi similia, quia proferuntur super elemento insensibili, inanime, & muto, & coram imperitis, qui linguam latinam non percipiunt: non ergo debent consecratoria dici.

102 Respondeo ad 2. negando minorem de prædicatione, qua loquitur Ambrosius, nisi fortè intelligatur de prædicatione instructiva, & præparativa adultorum, qui capaces sunt doctrinæ, non de prædicatione, quæ sit pars intrinseca Sacramenti; alias parvuli, qui talis prædicationis sunt incapaces, Baptismum non possent recipere, quod asserere, est amentia hæreticalis. Prædicatio itaque Crucis duobus modis fieri potest, vel per verba, vel per opera. Nec tantum prædicat Crucem, qui Christi refert, & explicat Passionem, sed etiam, qui vivit juxta regulam Evangelii, & carnem suam cum concupiscentiis, & vitiis crucifigit. Unde in Baptismi administratione prædicatur Crux Dominica per ipsum ritum Baptismi, & per Crucis prædicationem intelligit Ambrosius ritum, quo confertur, & ministratur Baptismus, repræsentans mortem Christi, quæ per verbum Sacramentale aquas consecrat. Hoc sensu inquit Apost. ad Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mor-*

te ipsius baptizati sumus. Ad 3. nego minorem, nec talis est mens Augustini. Quærens enim super illud Christi: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis:* quare non dixerit: *mundi estis propter Baptismum, quo loti estis,* sed ait: *propter verbum, quod locutus sum vobis?* respondet: *quia & in aqua verbum mundat.* Quasi diceret: nemo miretur, quod Christus dixerit, mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, non verò propter Baptismum; quia & ipse Baptismus consecratur per sermonem, quem locutus est. Consecratur enim per verba Dominica, seu quæ Dominus locutus est, qualia sunt verba Sacramentalia, in quibus est quædam virtus manens, & operans.

Unde statim addit: *nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus permanens.* Cum igitur Augustinus censeat, per verbum, de quo instituit sermonem, infantes justificari, certum est, non intelligere verbum concionale; quia infantes nec possunt credere ad justitiam, nec ore confiteri ad salutem. Ad 4. nego antecedens, ut impium, blasphemum, & suo authore dignum: per verba enim sacramentalia, quæ ex ore Christi prodierunt, non invocantur Dæmones, sicut in Magicis incantationibus, & cum pacto cum Dæmone implicito, vel explicito: sed invocatur ipse Deus, qui ad eorum prolationem operatur gratiam promissam, & quam significant.

DISPUTATIO II.

DE CAUSA TAM EFFECTIVA, QUAM MINISTERIALI, Sacramentorum.

Cum de Sacramentorum essentia, & numero, deque eorum intrinsecis causis, materiali, scilicet, & formali, sufficienter pertractaverimus, originem eorum nunc exproffesso investigando, ad Sacramentorum causas extrinsecas in hac disputatione procedimus. Quoniam verò causæ extrinsecæ eorum sint efficiens, sive instituens, & etiam Ministerialis, utraque conjungenda venit, & de utraque est controversandum, quidquid ad quamlibet attinet.

QUÆSTIO I.

An solus Deus author, seu institutor sit, & possit esse Sacramentorum?

Duplex potestas distinguí potest erga Sacramentorum institutionem, potestas, videlicet, *authoritatis*, & potestas *ministerialis*. Potestas *authoritatis*, quæ est absoluta, dicitur independens á quacumque *Toæ. I.*

que alia, & propria illius, qui per suam virtutem quædam selegit signa, mediis quibus gratiam conferat hominibus, vel aliquod supernaturale beneficium. Ad hanc autoritatem spectat, non solum designare aliquod signum, per quod gratiam conferat quocumque modo: sed etiam illi signo dare virtutem gratiam conferendi in suo genere causæ. Unde scité notat Doct. Subt. 4. d. 1. q. 3. num. 4. quod illa designatio signi *Ha non*

non est completa institutio Sacramenti, nisi compleatur per communicationem prædictæ virtutis, & efficacia. Quare distinguenda est designatio signi sensibilis ad gratiam significandam, & conferendam; & illius signi virtus, & efficacia, ratione cuius dicitur certò, & infallibiliter, quantum ex se est, gratiam significare, & inferre. Prima incomplete dumtaxat se habet, & imperfectè ad rationem Sacramenti: quippè cum de ipsius ratione sit, non solum, quòd sit signum gratiæ, sed quòd sit omnino certò, & efficax illius, hoc utique obtinere non potest, nisi ab eo, qui habet virtutem physicam productivam gratiæ, & eam productionem huic signo annectendi. Hoc autem solius est Dei, cuius est autoritas potestatis, & omnino independens. Ita Doctòr ferè literaliter. Potestas Ministerialis ea est, quæ alicui delegatur ab habente potestatem auctoritatis ad Sacramentorum designationem, confectionem, vel administrationem. Hæc verò Ministerialis potestas, alia est excellentiæ principalis, quæ competit alicui gaudenti prærogativa aliqua speciali supra cæteras causas, quæ ad Sacramentorum designationem, vel confectionem concurrere possunt, vel destinari. Alia est excellentiæ communis, quæ cuilibet communiter tribuitur Ministro ad purè conficiendum, aut dispensandum Sacramentum. Potestas excellentiæ unicè competit Christo, ut est homo; communis competit puris hominibus. His benè perpensis, plura sunt resolvenda per conclusiones sequentes.

104 Conclusio I. Solus Deus completè, & propriè, seu potestate auctoritatis, potest Sacramenta instituere, aut est illorum causa efficiens. Unde talem completam potestatem instituendi Sacramenta nulli creaturæ potest Deus concedere: benè verò incompletam, & quoad designationem signorum sensibilium, rerum, nempè, & verborum. Conclu-

sio quoad omnes ejus partes est ferè communis, & expressa Subt. Doct. Pro prima parte ait 4. d. 1. q. 3. n. 4. Sic ergo patet, quòd à solo Deo potest institui Sacramentum, quantum ad signum certum. Probatum efficaciter ratione deducta ex Doctorei Ille solus est, & potest esse, causa completa, & autoritate propriâ Sacramentorum, qui se ipso potest non solum signum externum determinare, sed etiam illi præstare certitudinem, & virtutem efficacem gratiam causandi, & producendæ, quoties applicatur subjecto capaci; sed hoc soli Deo convenit: ergo. Major. in se, & ex dictis, fit evidens. Prob. min. Soli illi competit dare talem efficaciam, & certitudinem, qui per se ipsum potest concurrere, & per illa, aut cum illis gratiam causare; sed hoc soli Deo competit ergo. Minor probatur illis omnibus Scripturæ textibus, quibus solus Deus asseritur remissionis peccatorum, & gratiæ sanctificantis, ac justificationis author. Sic Job. 4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es? Et Psal. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Patet etiam ex eo, quòd gratia solum per creationem producitur, quæ propriâ est soli Deo.

105 Secunda, & 3. Conclusionis pars, docetur à Doct. loc. cit. sic dicente: Quantum ad signationem, possibile esse, quòd institueretur ab aliqua creatura... sed non potest dare illi signo, quòd esset regulariter certum, non enim posset dare certitudinem alicui signo practico, nisi in cuius potestate est posse causare signatum illius signi... Sic ergo patet, quòd à solo Deo potest institui Sacramentum, quantum ad signum certum. Ex quibus prob. 2. pars: Ad completam Sacramenti institutionem debet author non solum designare res, & verba, ut significant gratiam, sed etiam illis dare omnimodam certitudinem, qua res ita

ita infallibiliter sint, qualiter significant; sed hoc non potest Deus communicare ulli creaturæ: ergo nec institutionem completam Sacramenti. Prob. min. Solus ille potest illi signo dare hanc certitudinem, qui potest se ipso producere effectum per illud signum significatum, scilicet, gratiam; sed hæc productio reservata est soli Deo, & incommunicabilis est creaturæ, ut dictum est: ergo. Confirmatur ex Doctore, dicente: Non congruit, quòd Deus committat inferiori se instituere Sacramentum, ut certum signum, ne Deus esset approbator signi falsi, vel æquivoci: Sed si institueretur à pura creatura aliquod tale signum, istud posset esse falsum, vel æquivocum; quia esset defectibile, sicut & ipsa voluntas hominis instituentis, quòd dici de Deo non potest: ergo. Min. constat; quia posset homo nolle cooperari illi, etiam supposito quocumque suo decreto. Explicatur: Institutio completa Sacramenti dicit nedum institutionem signi v. g. ablutionis, sed etiam, quòd hæc ablutio cum verbis: ego te baptizo &c. significet infallibilem internam animæ ablutionem à peccati macula, si non adest obex in accipiente, quæ certitudo, & infallibilitas pendet à decreto infundendi gratiam per ipsam ablutionem; sed Deus non potest per creaturam ulli tali signo dare hanc certitudinem; nam voluntas hominis est essentialiter libera, & defectibilis, nec certò, & infallibiliter volitura est sic agere: imò quamvis esset factura certò, & infallibiliter, adhuc operatio illa creandi gratiam non potest illi communicari: ergo. Tertia pars non videtur habere ullam difficultatem: nam institutio illa signi est institutio incompleta Sacramenti, & non repugnat, Deum dicere homini, elige tibi res, & verba, quæ volueris, & quoties debitè fuerint alicui applicata, ego sanctificabo illum: Sicut cum dixit Achaz: pete tibi sig-

num à Domino, sive in hæcelsum supra, liberum fuit illi Regi eligere sibi signum, aut miraculum, quòd voluisset, & Deus operatus fuisset illud ad ejus electionem: ergo non repugnat concedere creaturæ designationem signi sensibilis Sacramentalis.

106 Argues 1. Qui potest producere effectus Sacramenti, potest etiam Sacramentum instituere; sed Ecclesiæ Ministri possunt producere effectus Sacramentorum: ergo. Major. ex dictis fit evidens. Prob. minor. Effectus Sacramentorum est, ut homo à peccatis purgetur, & per gratiam illuminetur, ac perficiatur; sed purgare, illuminare, & perficere ad Ecclesiæ Ministros pertinet: nam S. Dyonisius Lib. de Eccles. Hierarc. cap. 5. hos effectus reputat inter actus Hierarchicos Ecclesiæ: ergo. Confirmatur: Sacramenta legis naturæ erant signa pro arbitrio ab hominibus assumenda ad fidei suæ protestationem: & Sacramenta legis scriptæ, sicut & ipsa lex Moysis consignata fuerunt per Angelos: ergo creaturæ possunt propriè Sacramenta instituere. Respondet negando minorem, & distinguo ejus probationem: purgare, illuminare, & perficere immediatè, est effectus Sacramentorum, concedo: mediatè tantum, & purè ministerialiter, nego. Purgatio itaque, & illuminatio, quæ attribuitur Ecclesiæ Ministris, non est immediata; illi namque idcirco purgare dicuntur, quia ministrant Sacramenta, quæ ex Dei institutione à peccatis purgant; illuminant similiter Populum Dei, non quidem per se gratiam infundendo, sed verbum Dei prædicando, & Sacramenta subministrando. Ad Confirmationem dico, ex ea solum inferri, quòd determinatio signorum Sacramentalium fuerit voluntati humanæ commissa à Deo, modo quo de signo fidei protestativo pro lege naturæ dictum est Disput. 1. quæst. 2. Conclusionem 3. non ve-

verò, quòd ab ea penderet Sacramentorum institutio. Deus enim voluit, quòd tempore legis naturæ assumerent homines signa sensibilia ad suam sanctificationem, eò quòd ad illorum signorum positionem ipse Deus gratiam voluit producere, non verò quòd homines illis signis vim producendæ illam tribuerent. Ad ultimum dico, legem, & Sacramenta legis Mosaycæ tradita per Angelos dici, non quia legem illam condiderint, aut Sacramenta illa propria auctoritate instituerint, sed tantum, quia eorum fuerunt promulgatores.

107 Argues 2. ex D. Augustino tract. 5. in Joan. Baptismus Joannis erat Baptismus hominis; sed Baptismus Joannis erat verum Sacramentum: ergo homo potest instituere verum Sacramentum. Major est Augustini dicentis: *Aliud est baptizare per ministerium, aliud per potestatem: Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus ministerium datur: tale erat Baptismus Joannis, qualis Joannes... tale autem Baptisma Domini, qualis Dominus.* Respondeo 1. negando minorem; nam ut probabitur agendo de Baptismo, Joannis Baptismus non habebat vim conferendi gratiam sanctificantem, nec peccata remittendi. Respondeo 2. Quòd gratis dato, tale Baptisma fuisse verum Sacramentum, non fuisse à Joanne completè, & propria auctoritate institutum, sed solum habuisse potestatem ministerialem. Ob quòd addit ipse D. Augustinus: *Baptisma tamen hominis justì, sed qui acceperat à Deo talem gratiam.* Alia argumenta huc spectantia solventur postea.

108 Conclusio II. *Christus Jesus omnia novæ legis instituit Sacramenta: non tamen ut causa phisica gratiæ, sed ut causa meritoria, & moralis.* Conclusio quoad omnes partes intelligenda est de Christo, ut homo est: nam inquantum Deus, eadem auctoritate instituit Sacramen-

ta, eademque virtute producit gratiam, qua Deus Pater, cum opera ad extra indivisa sint Trinitati. Prima pars est Catholicorum, & constat ex Conc. Trident. sess. 7. Can. 1. dicente: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.* Deinde probatur sic: Christus Dominus aliquam causalitatem exercuit, & habuit circa Sacramentorum institutionem: ergo illa instituit. Procedendo ad reliquas conclusionis partes, quæ sunt contra Thomistas, nunc sic; sed non habuit causalitatem phisicam: ergo solam moralem, & meritoriam. Prob. min. subs. Causalitas phisica vel est principalls, vel secundaria, & instrumentalis; sed Christus, ut homo, neutram habuit, nec habere potest in Sacramentorum institutione: ergo. Minor, Goneto consentiente, conceditur à saniori Thomistarum portione, quoad causalitatem primariam, & principalem: siquidem, ut apparet ex conclusione antecedenti, solus Deus potest, tamquam causa principalis, producere gratiam: ob quòd Scotus in 4. d. 2. q. 1. §. *Ex his duabus*, ait: *Et secundum hoc dico, quòd Sacramenta novæ legis à solo Deo habent efficaciam, tamquam à causa principali.* Prob. min. quoad causalitatem phisicam instrumentalem: tum; quia ad creationem non est dabile instrumentum creatum phisicè influens, ut Scotistæ tenent; sed gratia necessariò habet esse per creationem, ut suppono cum Subt. Doct. in 1. d. 17. & in 2. d. 17. §. *De secundo*, & alibi cum Scotistis, & innumeris Thomistis: ergo. Tum ex dicendis de causalitate, non phisica, sed tantum morali Sacramentorum respectu gratiæ, ut illorum collatæ: nam eadem est ratio, quæ consistit in eo, quòd nulla creatura habere potest efficacitatem naturalem erga gratiam, & ea, quæ sunt ordinis supernaturalis simpliciter.

109 Restat inferendum, & demonstrandum, Christum, inquantum homo est, tantum esse causam moralem, & meritoriam, quæ est ultima conclusionis pars, et quæ demonstratur sic: ille est causa moralis, & meritoria Sacramentorum, qui signis à se institutis meruit efficacitatem gratiæ producendæ, seu meruit, quòd ad positionem signorum sensibilibum à se institutorum, Deus infallibiliter conferret gratiam subiecto disposito; sed talis est Christus D. inquantum homo: ergo Christus Sacramenta instituit, ut causa meritoria, & moralis gratiæ per ipsa Sacramenta collatæ. Major, quæ nota est in se, docetur à Subt. Doct. in 4. d. 2. q. 1. n. 7. Prob. min. Deus ab hominibus offensus decreverat, talem offensam non condonare, nec aliquod auxilium ad eam expiandam concedere, nisi prius divinus honor resarciretur, divinæque justitiæ fuisset satisfactum per oblationem alicujus tribuentis Deo tantum honoris, quantum hominis peccatum abstulit; sed id Christus præstitit, se ipsum offerendo, ut nos ab omni iniquitate redimeret: imò, *ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, ut copiosa esset apud eum redemptio*, ut ait Apost. ergo. Confirmatur: Omnis Sacramentorum efficacia provenit ex passione Christi: ergo est eorum causa meritoria. Prob. antec. Ab eo habent Sacramenta suam efficaciam, à quo habent, quòd gratia infallibiliter producat ad eorum collationem; sed hoc habent meritorie à Christi passione: ergo. Prob. min. Omnis gratia hominibus conferenda solum confertur intuitu, & virtute meritorum Christi: quare ait Joan. *Gratia, & veritas per Jesum Christum*, & rursus: *de cujus plenitudine omnes nos accepimus*: ergo. Nunc sic: sed Christi merita completa fuere per mortem, & passionem, quæ fuit nedum terminus vitæ passibilis, sed etiam signaculum, & comple-

mentum ejus meriti: ergo cum Salvatoris nomen non nisi per mortem perfectè, & completè assecutus fuerit, inferendum est, nostræ salutis media, qualia sunt Sacramenta, ab ejus morte suam duxisse virtutem, & originem. Id ipsum indicant omnes illi Textus sacri, quibus, Christum, dicitur, nos in sanguine suo labisse à peccatis; redemisse nos, non corruptibilibus auro, vel argento, sed sanguine suo preciosissimo. Urgetur totum ex Subt. Doct. loco laudato n. 7. ubi postquam docet, Sacramenta à solo Deo habere efficaciam, tamquam à causa principali, & phisica addit: *à Christo autem patiente, sive à passione Obristi habent efficaciam, tamquam à causa meritoria.*

110 Argues 1. contra 1. Concl. partem: Tum; quia quòd est universale principium nostræ justificationis, est ejus causa principalis; sed talis est Christus, ut homo: *quia de plenitudine ejus omnes nos accepimus*: ergo. Tum; quia Christus est justus per essentiam, cum sanctitatem habeat ex propriis, & non per participationem; sed quòd per essentiam est tale, est causa principalis cæterorum, quæ talia sunt per participationem: ergo. Tum; quia Christus, ut homo, dicit: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*, Matth. 29. Et Joan. 20. dicit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* sed hoc verum non esset, si non haberet potestatem influendæ phisicè in gratiam Sacramentalem: ergo. Major patet: nam, ut Deus, à se ipso habet omnem potestatem vi sue æternæ generationis: ergo hoc dixit secundum humanitatem. Etiam in 2. loco loquitur inquantum homo, quatenus erat Sacerdos Supremus conferens auctoritatem absolvendi aliis Sacerdotibus. Tum; quia Christus faciebat, miracula potestate, & imperio, ut quando dixit: *Lazare, veni foras*: & quando dixit: *volo,*

mundare; ob quod asserunt Patres, Christum fecisse miracula potestate, ceteros Sanctos impetratione; sed hoc nequit subsistere, quin influat physicè in miracula: ergo & in Sacramentorum gratiam. Minor patet: quia impetratio est causalitas moralis, potestas verò est causalitas physica. Deinde, si Christus tantum, ut moralis causa, & non ut physicum saltem instrumentum, operatus est miracula, virtus illa miraculorum patrativa non fuisset perfectiori modo in Christo, quam in Apostolis, qui etiam fuerunt causæ morales; sed hoc non videtur posse dici: ergo.

111 Argumentum nullam adversus nos continet difficultatem, quæ abundè soluta non sit Tract. de Incarnatione Verbi: Ibi enim demonstratum est, animam Christi formaliter sanctificari, non ab unione hypostatica, ut intendunt Thomistæ, sed à gratia habituali. Pariter est demonstratum cum communi Theologorum, quòd Christi humanitas non fuit formaliter omnipotens, ac per consequens, quòd physicè non fecit miracula, ut causa principalis. Similiter resolutum est ibi cum Scotistis, & plurimis Neutralibus contra Thomistas, humanitatem Christi, seu Christum, ut hominem, non fuisse instrumentum physicum, sed tantum morale miraculorum, quæ est doctrina Damasceni, & aliorum PP. præcipuè Augustini tract. 8. in Joan. ubi loquens de miraculo in Caná Galileæ à Domino patrato, inquit: *Miraculum, quòd facturus erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum humanitatem: secundum id, quòd Deus erat, non secundum id, quòd infirmus natus erat.* Cùm autem idem debeat dici de miraculorum efficientia, ac de gratiæ causalitate, sequitur, quòd si Christus, ut homo, non fuit causa physica, sed tantum moralis miraculorum, respectu causalitatis gratiæ ex consequentia doctrinæ idem est asserendum. Nec

possunt Scotistæ intelligere, quomodo Christi humanitas, quæ est materialis, attingere possit efficientiam gratiæ physicè: nam potentia effectiva physica illa est, quæ influxu reali effectum attingit, vel principaliter, ut calor producit calorem, vel instrumentaliter, ut serra producit scissionem ligni, quod utrumque humanitati, quæ est quid corporeum, & materiale, repugnat respectu gratiæ, quæ est quid spirituale, & supernaturale simpliciter. Ex quibus, quæ fusiùs videnda sunt Tract. de Incarnatione, & Tract. de gratia.

112 Respondeo ad 1. negando majorem; Christus enim ideò dicitur causa universalis nostræ justificationis, quia, ut homo, meruit omnem gratiam, quam, ut Deus, producit. Ad 2. disting. maj. Christus, quatenus Deus, est justus per essentiam, concedo: quatenus homo, hoc est, quòd humanitas ex se, & à se habeat justitiam, & non à divinitate acceptam, nego major. Humanitas Christi suapte natura non est sancta, sed per gratiam habitualementernam, & per Dei externam assistentiam profluentem ab unione hypostatica, quæ eam physicè, & essentialiter non immutant, nec proinde ei conferunt aliquam efficacitatem physicam. Ad 3. ex textu Matth. dico, intelligendum esse, non de potentia infinita simpliciter, sed de potentia excellentiæ super Angelos, & homines, quos illuminare, & dirigere potuit. Vel de potestate, & excellentia ad faciendâ miracula juxta immediatè dicenda. Textus ex Joan. non est ad intentum, & ideò falsissima est minor. Christus enim per hoc quòd sit unica causa moralis efficacitatis Sacramentorum, illorumque author potuit quamoptimè instituere idoneos Ministros cum potestate ad Sacramenta ministranda. Ad 4. nego minorem, & ejus probationem: nam ex tali authoritate, & imperio causalitas physica colligi non potest. Josue enim ex suo imperio re-

ti.

tinuit solem: D. Petrus, non deprecatione, sed imperio Ananiam, & Saphiram interfecit, & tamen, juxta D. Thomam 2. 2. art. 1. tantum fuerunt causæ morales. Ad ultimum negatur assumptum. Longe itaque perfectior fuit in Christo, quàm in cæteris Sanctis illa virtus; quia Christus ex imperio, ex sola volitione, & quando volebat, faciebat miracula: cæteri verò non sic, sed oratione tantum. Illud saltem de congruo ratione unionis debebatur Christo; cæteris non debetur. Unde illa virtus fuit in Christo permanens, & talis, ut quotiescumque, & ubicumque vellet, miracula patraret: at in Apostolis erat transiens, & non operabatur semper, ac quando ipsi voluissent. Mysterium hoc in eo stat, quòd Deus fecit pactum cum illa sanctissima humanitate, ut quotiescumque vellet, aut loqueretur, aut tangeret, ad effectum miraculosum ipse Deus præstò esset, modo ferè quo, data ultima dispositione ad creationem, & infusionem animæ rationalis in corpore, statim, & necessariò creat, & infundit illam ex suo pacto. Hæc fuit Christi Domini excellentia, & præeminentia super omnes creaturas.

113 Réplicabis, sequi absurda aliqua ex hac doctrina. Primò sequitur, quòd Christus non differret à reliquis Sacramentorum Ministris, qui sunt etiam causæ instrumentariæ. Secundò, quòd si solum esset instrumentum morale, non deberet esse priùs justus, & Deo gratus: nam instrumentum non debet habere in se formam, quam in alio producit. Unde fit, quòd Sacerdos conferat gratiam, & à peccatis absolvat, licet sit in peccato; quia tantum est instrumentum. Tertiò, quòd nostra gratia perfectior esset gratia, & justificatione Christi: nam effectus nobilior est instrumento, quo producit. Sed nego omnes has sequelas, ut omnino falsas. 1. Quia licet per instrumentariam virtutem præcisè non

Tom. I,

differat: tamen valde differt, eò quòd ipse per verum meritum de condigno gratiam impetrat à Deo: cæteri autem per nullum sui meritum, sed per Sacramenti virtutem gratiam producant. Unde solus Christus est causa meritoria gratiæ Sacramentorum. Nego pariter 2. quia sanctitas, & gratia prærequiritur in Christo, ut impetret; secus est in Sacerdote, dum ea ministrat, ex quorum collatione gratia propter alterius meritum confertur infallibiliter. 3. denique; quia id solum est verum de instrumentis physicis, non de moralibus, & impetrativis, Deus enim nec dona iniquorum probat, nec peccatores exaudit: ideòque, ut quis accipiat, quod petit, justus, & gratus Deo esse debet.

114 Arg. 2. contra 2. Conclusionis partem: Tum; quia si Sacramenta haberent illam efficaciam à passione Christi, vel tamquam à causa meritoria, vel tamquam à causa principali; sed non 1. quia gratiæ nulla est causa meritoria, ut arguit Paulus ad Rom. 9. *si enim ex meritis, jam non est gratia: nec 2. quia causa principalis efficiens Sacramentorum solum potest esse illa, quæ est causa effectus signati per Sacramenta, qualis, juxta dicta, solus est Deus: ergo. Tum; quia effectus in actu non est nisi à causa in actu, ex Arist. 5. Meth. cap. 2. sed passio Christi non est in actu: ergo tribuere non potest efficaciam, quam Sacramenta actu habent. Tum; Sacramenta si haberent efficaciam à passione Christi, esset ab illa, vel præterita, vel futura? 1. non: alias Baptismus, & Eucharistia, quæ ante passionem fuerunt instituta, ab illa non haberent efficaciam. Nec 2. alias Sacramenta veteris legis parem efficaciam habere possent: ergo. Tum; quia si Sacramenta acceperunt efficaciam à Christi passione, maxime ex ejus vulnerato latere, dicit namque Augustinus 15. de Civit. cap. 26. *Osium in latere arce Noë est vul-**

I

nus

mus lateris Christi, ex quo Sacramenta manarunt; sed ab eo vulnere non potuerunt efficaciam habere: quia infirmum fuit lateri Christi jam mortui, ac proinde incapacis meriti: ergo. Hæc objicit sibi, ac solvit Doct. Subt.

115 Respondeo cum ipso ad 1. esse causam meritoriam. Ad Apostolum dico, non esse causam meritoriam gratiæ in eo, qui ipsam suscipit; aliàs non gratia, sed præmium esset. Sed tamen aliis ab eo, qui suscipit, eam de condigno potest mereri, ut Christus meruit. Unde gratia nobis data non est gratia respectu Christi: nam ut Apostolus loquitur: *Ei enim, qui operatur, merces non reputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*: Est verò gratia respectu nostri: tum; quia illius præcipuum, scilicet, Christus, datum est nobis gratis: tum; quia ipsamet gratia gratis applicatur nobis. Ad 2. major est vera de causa efficiente, & physica: falsa verò de morali, & meritoria: etenim multa beneficia conferuntur propter obsequia præterita, & quorum sola memoria perseverat. At 3. dico, habuisse efficaciam à passione Christi exhibita, non præcisè in actu exteriori, sed interiori, quo Christus ab instanti conceptionis crucem, & mortem amarosissime admisit, ac passioni se adjudicavit. Nec talem efficaciam voluit aliquis Sacramentis conferre; quia privilegium hoc reservavit Sacramentis novæ legis, quorum illa solum fuerunt umbra, & figura. Sed de hoc jam dictum est satis. Ad ultimum dico, Sacramenta efficaciam non habere à vulnere, sed à passione, & operibus meritoris Christi, dum viveret. Vel si à vulnere, non quidem prout est illatum, cum jam Dominus tunc esset mortuus, sed prout illud prævidens Christus, dum viveret, voluntarie accepit. Unde S. Augustinus loquitur mysticè, & per quamdam similitudinem eorum, quæ fluxerunt à latere Christi, cum

Sacramentis: nam sanguis assimilatur speciei vini in Sacramento Eucharistiæ, & aqua, quæ pariter cum sanguine à latere fluxit, assimilatur aquæ baptismali: ideòque de his duobus Sacramentis dicit Augustinus particulariter, de Christi latere fluxisse. Si autem quis ad omnia alia Sacramenta Augustini dictum velit extendere, certo certius debet esse, quòd intelligitur de vulnere, prout acceptato, dum viveret, seu de illò prout fuit in Christi amantissimo corde, & voluntate. Ex dictis aliqui possunt excitari difficultates.

116 Difficultas 1. *Quomodo intelligendum sit, Christum verè Sacramenta instituisse?* Hæc difficultas ex eo oritur, quòd diximus, Sacramenta completè sumpta, seu ut includunt effectum gratiæ, opus esse solius Dei: Christum verò solum esse causam moralem, & meritoriam gratiæ. Dicit Christus, ut homo, verè instituit Sacramenta, quatenus ratione suæ excellentiæ, & dignitatis potestatem habuit determinandi signa, ad quorum positionem per merita ipsius Christi Deus infallibiliter confert gratiam. Quare, si nomine Sacramenti institutionis, solum intelligamus assignationem signi efficaciter gratiam significantis, Sacramenta instituta fuerunt à Christo, ut homo est: hoc equidem valde congruè commissum est ejus humanitati, talisque potestas debita fuit propter ejus excellentiam, & dignitatem: ideòque signa, quæ voluit, instituit, & posset instituere alia, si voluisset. Hoc sensu intelligendum est illud Ambrosii lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* Si verò nomine Sacramenti, præter assignationem signi efficaciter gratiam significantis, intelligamus etiam positionem gratiæ, sic Sacramenta instituta sunt à Christo, quatenus est Deus: eo quòd solus Deus potest physicè producere gratiam, sive hoc proveniat ex eo, quòd creetur, sive quia est simpli-

citer supernaturalis, sive ex alio æquali capite. Hoc sensu dixit Scotus, *quod Sacramenta novæ legis à solo Deo habent efficaciam, tamquam à causa principali*. Sed adhuc, ut Sacramenta includunt gratiam sanctificantem, Christus, ut homo, fuit causa illorum institutionis, si intelligatur de causa meritoria collationis gratiæ; quia hoc spectat etiam ad excellentiam, & dignitatem Christi. Ideò dixit Scotus: *à Christo patiente, seu à passione Christi habuisse efficaciam, tamquam à causa meritoria*. Hoc sensu intelligendæ sunt auctoritates, quæ sonant Christum, quatenus est homo, esse causam, & auctorem gratiæ Sacramentorum: nam de causa tantum morali, & meritoria loquuntur. Hac doctrina rectè intelliges, quicquid dictum est in quæstione, & dicitur in sequenti.

117 Difficultas 2. *An hæc potestas Sacramenta instituendi potuerit à Deo communicari purè creature?* Controversia hæc, in qua valde dividuntur Authores, etiam Scotistæ, plusquam de re, videtur mihi de nomine. Conveniunt in duobus Authores utriusque Sententiæ, in quibus videtur absolvi tota res hujus litis, & postea discrepant in nomine. Conveniunt primò in eo, quòd à nulla creatura, tamquam à causa principali, nec forte instrumentali physica, potest produci gratia, quæ est signatum Sacramenti. Secundò conveniunt in eo, quòd potest Deus committere creaturæ, quòd assignet, vel determinet pro libito suæ voluntatis signum aliquod, ad cujus positionem Deus producat gratiam infallibiliter ad hoc decreto suo se obligante. Nec hoc impugnari potest aliqua prudentiali ratione. Unde Authores utriusque Sententiæ solum discordare videntur in intelligentia, aut significato hujus vocis: *instituere Sacramenta*. Qui dicunt, puræ creaturæ talem potestatem committi non posse, affirmant ad hoc requiri non solum potestatem determinandi signum, sed

Tom. I.

etiam quòd ipsemet, qui signum determinat, producat signatum Sacramenti, seu gratiam. Qui verò talem potestatem possibilem puræ creaturæ contendunt, dicunt per oppositum, quòd, ut aliquis proprie dicatur instituere Sacramentum, sufficit, quòd determinet signum, & quòd aliàs gratia infallibiliter ponatur, seu Sacramenti signatum, quamvis non ponatur ab illo, qui determinat signum. Hic dicendi modus, nedum mihi est verior, sed ex dictis extra dubium. Quare:

118 Dico: *Potestas instituendi Sacramenta, quoad designationem signi, possibilis est puræ creature: & hæc diceretur vera institutio Sacramenti*. Resolutio duplicem continet partem. Prob. 1. Tum ex Subt. Doct. laudato in 1. Concl. hujus quæst. ubi expressè asserit, quòd pura creatura instituere potest signum, quamvis tale signum ab illa creatura non haberet effectum infallibilem, sed à Deo, quod est verissimum. Videatur tota illa 2. & 3. illius Conclusionis probatio. Tum; à paritate humanitatis Christi Domini, quamvis creatura illa numquam esset æqualis excellentiæ, & dignitatis, sed valde minoris. Tum; quia quòd creatura possit ex Dei commissione instituere, seu determinare signum, atque ita instituere Sacramentum, videtur expressa D. Augustini mens, Tract. 5. in Joan. ubi dicit: *Potuit autem Dominus noster Jesus-Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret Baptismum suum, tamquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo, & tantam vim dare Baptismo translato in servum, quantum vim haberet Baptismus datus à Domino*. Tum denique; quia nulla apparet repugnantia, quòd creatura communicari possit potestas assignandi, seu determinandi signa, ad quorum positionem Deus ex suo pacto, seu promissione teneatur producere gratiam, seu signatum Sacramen-

12

men-

menti. 2. pars probatur : ut quis propriè dicatur instituere Sacramentum , sufficit instituere signum efficaciter significans gratiam , aut effectum gratuitum ex opere operato ; sed hoc verificaretur in casu : ergo tunc creatura diceretur propriè instituere Sacramenta. Prob. maj. Ideo id non sufficeret , quia effectus Sacramenti , seu ejus signatum , physicè non causaretur ab ipsomet , qui determinat signum , sed à solo Deo ; sed hoc non officit , ut determinans signum , ad cujus positionem Deus infallibiliter gratiam conferret , propriè diceretur Sacramentum instituens : ergo. Maj. est fundamentum Adversantium. Minor certa videtur ; aliàs nec Christus , ut homo , diceretur Sacramentorum author , cum non possit producere gratiam , seu signatum Sacramenti , ut manet demonstratum.

119 Ex quibus conciliatur quamoptimè Subt. Doct. cum Angelico , & Seraphico asserentibus , posse à Deo communicari , seu committi virtutem , & facultatem instituendi Sacramenta ; sumpta ista institutione præcisè , ut est designatio formæ , & materiæ sensibilis , & ut præscindit à certitudine , & efficacia respectu effectus. Sic Christus per potestatem excellentiæ instituit Sacramenta , quæ homo ; & sic Ecclesiæ data est potestas instituendi ritus , & solemnitates Sacramentorum. Non inde tamen sequeretur certitudo , & efficacia signi instituti , sed ex decreto Dei , quo determinaret concurrere infallibiliter ad effectum Sacramenti , seu ad productionem effectus significati. Ideo diximus , quod author Sacramenti completè sumpti , seu prout infallibiliter operatur effectum , est solus Deus. Ex quibus sequitur , triplicem posse distingui potestatem instituendi Sacramenta. Una est principalis , & autoritativa , ex qua , velut ex radice , oritur veritas , & efficacia Sacramenti , & quæ soli Deo competere potest. Alia potest esse commissionis designandi ma-

teriam , aut verba in specie : & hæc delegari potest cuicumque particulari , aut ipsi communitati , ut patet ex Doct. Subt. Altera denique est excellentiæ , quæ soli competit Christo inquantum constitutus est mediator Dei , & hominum , meruitque assistentiam causæ principalis signo à se instituendo , sicut & potestatem legislativam ferendi leges , ac media hominem reducentia ad salutem. Sed de hac potestate præcellentiæ , quam Christus habuit , dubitari potest : *An de potentia absoluta conferri possit puræ creaturæ ?* Negant aliqui cum Vazquez. Sed præferenda est resolutio affirmativa , quæ est D. Thomæ , 3. parte q. 64. art. 4. & Scoti , dist. 48. q. 1. ubi dum docet , potestatem excellentiæ non posse communicari Ecclesiæ , saltem de congruo , satis insinuat potuisse absolutè. Vide Hiquæum in Comment. super dist. 1. q. 3.

QUESTIO II.

An Christus D. immediatè instituerit omnia Sacramenta novæ legis ?

120 **Q**uamvis dictum sit , Christum Jesum authorem esse Sacramentorum omnium , cum hoc intelligi possit de institutione immediata , & etiam de mediata , adhuc locus superest difficultati propositæ. Et quidem , quosdam præclaros Scholasticos olim existimasse non omnia novæ legis Sacramenta fuisse à Christo immediatè instituta , certo certius est ; nam Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. cap. 2. & Magister Sent. lib. 4. d. 23. asserunt expressis verbis , Extremam Unctionem non esse institutam à Domino , sed ab Apostolo Jacobo per illa verba : *infirmatur quis in vobis &c.* Alensis q. 9. cum aliis docet , Sacramentum Confirmationis institutum fuisse post mortem Apostolorum in Concilio Mel-

densi

densi. D. Bonaventura in. 4. d. 17. art. 1. q. 3. inquit , Confessionem fuisse à Domino insinuatam , ab Apostolis institutam , & à S. Jacobo promulgatam epist. sua , c. 8. ubi ait *confitemini alterutrum peccata vestra.* Unde ait , formale confessionis , nempe , potestatem absolvendi , per se institutum esse à Christo : *materiale* verò , id est , accusationem peccati insinuatam tantummodo. Hos Doctores secuti sunt aliqui ex Antiquis : verum post Concilium Tridentinum nemo prorsus est , qui audeat sic sentire , aut oppositum Conclusioni statuendæ litteris mandare.

121 Sit Conclusio : *Omnia novæ legis Sacramenta à Christo Domino immediatè sunt instituta.* Prob. 1. ex Trident. Sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo instituta , anathema sit.* Eandem veritatem luculenter confirmat Subt. Doct. in 4. d. 2. q. 1. n. 4. ubi demonstrat , de quolibet Sacramento in particulari factam fuisse à Christo ejus immediatam institutionem. Colligitur etiam ex litteris Apostoli 1. ad Corinth. ubi Apostoli non Authores Sacramentorum sed dispensatores appellantur : *Sic nos existimet homo , ut Ministros Christi , & dispensatores misteriorum Dei ,* id est , Sacramentorum. Petrus quoque Epist. 1. c. 4. omnes Ecclesiarum rectores appellat *dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Nunc sic : si cuiquam tanta collata esset dignitas , & facultas , ut dici posset author , & institutor Sacramentorum , maximè Apostolis ; sed ii tantum fuere Sacramentorum dispensatores : ergo. Ex PP. sunt clarissimè pro eadem veritate S. Dionisius in Eccl. Hierarch. dicens : *Apostoli Sacramentorum formas accipere , non confixere.* S. Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. ait : *Author Sacramentorum quis est , nisi Dominus Jesus Christus ?* S. August. Lib. de vera relig. c. 17. inquit : *Venit tempus gratiæ , ab ipsa Dei sapientia*

homine assumpto , à quo in libertatem vocati sumus , pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt. Prob. 2. ratione : tum ; quia Apostoli eorumque Successores possunt quidem articulos fidei à Christo traditos explicare , ac proponere , sed nequeunt nova dogmata , & novos articulos condere : pari ergo jure potuerunt tradere nobis instituta à Christo mysteria , & Sacramenta , non autem potuerunt instituere nova. Tum ex congruentia. 1. Quia congruum erat , ut omnia Sacramenta , quæ sunt media efficacia ad salutem consequendam , ortum ducerent ab eo , qui est Mediator Dei , & hominum ; ne in alio , quàm in ipso Mediatore homines suam spem constituerent. 2. Quia cum ad Reipublicæ caput pertineat condere leges fundamentales , & quæ vim habeant in tota Reipublica , cujusmodi sunt Sacramentales leges , eo ipso , quod essent plures Sacramentorum institutores , essent etiam in Ecclesiæ plura capita , quod utique nedum esset periculosum , sed & valde absurdum. Quando unumquodque à Domino fuerit institutum , in singulis dicitur.

122 Argumenta adversus hanc thesim sunt sequentia. 1. Augustinus lib. 3. de doct. Christ. duo tantum Sacramenta à Christo instituta commemorat , *Baptismum* , nempe , & *Eucharistiam* : ergo reliqua Sacramenta vel instituta fuerunt ab Apostolis , aut ab Ecclesia , vel non sunt Sacramenta , sed figmenta. 2. Author , quicumque sit de ablutione pedum apud S. Cyprianum , scribit *Ipse sumus Sacerdos sui est Sacramenti institutor , & author : in cæteris homines Spiritum Sanctum habuerunt doctorem.....nec minus ratum est , quod , dicente Spiritu Sancto, Apostoli tradiderunt , quàm quod ipse tradidit , & in sui commemorationem fieri præcepit.* Ex quibus videtur , solum Sacramentum Eucharistiæ habere Christum authorem , reliqua autem instituta fuisse ab Apostolis.

tolis. 3. Quia ex Scriptura non potest colligi, septem Sacramenta à Christo instituta esse: ergo consequens est, quòd fuerint ab Apostolis, vel à Synodo aliqua universali: atque ita de facto Concilium Meldense celebratum ann. 844. instituit Confirmationem, ut censent plures cum Alensi. 4. Quia Christus Discipulos alloquens Joan. 20. ait: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos*; sed ille ita est à Patre missus, ut haberet potestatem instituendi Sacramenta: ergo eandem Apostolis delegavit. Tandem nonnulli DD. Catholici negant, à Christo esse aliqua Sacramenta instituta immediatè, ut dictum est in prænотatis.

123 Verumtamen ad 1. quod est Hæreticorum, abundè, pariter ac clarè responsum est disp. 1. q. 5. à n. 59. Vide ibi dictum, & intelligentiam D. Augustini, cæterasque cabillationes, ac argumenta Hæreticorum, ad negandum Sacramenta instituta esse à Christo, & ad suadendum, omnia, præter Eucharistiam, & Baptisimum, instituta, ac introducta esse in Ecclesia ab hominibus. Ad 2. dico, nullius esse momenti; nam illius Sermonis author, dum ait, *homines in cæteris habuisse Spiritum Sanctum doctorem, non affirmavit, ab hominibus instituta fuisse cætera Sacramenta, sed ea fuisse tradita, quæ ad Sacramenti Eucharistiæ dignam celebrationem pertinent, putà, sacram liturgiam, jejunium, & alia, quæ Apostolica didicimus traditione. Etenim ait: non minus ratum esse, quòd Christus Jesus in sui commemorationem fieri præcepit, quàm ea, quæ, dictante Spiritu Sancto, Apostoli tradiderunt: eodem ferme pacto, quo Apostolus, postquam luculenter exposuit præceptum Domini, hoc facite in meam commemorationem, inquit: cætera autem, cum venero, disponam. Præterquamquod, præfata autoritas non prodest Hæreticis illam adducentibus, cum ipsi doceant, ut videri*

est dist. 1. q. 5. non solum Eucharistiam, sed etiam Baptisimum, à Christo immediatè institutum. Ad 3. negatur 1. antecedens, ut dicitur de quolibet in particulari. Respondeo 2. quòd quamvis expressa non esset in Scripturis institutio Sacramentorum, nihil tamen erueretur nostræ Conclusioni contrarium: quippè præter Scripturam, agnoscimus verbum traditum, seu traditionem, tamquam fidei normam, & irreformabilem regulam. Illud de Concilio Meldensi nulla ratione suaderi potest, cum nec ullum verbum institutionis, vel promulgationis habeatur in Canonibus illius Concilii. Duo enim tantum Canones habentur de Chrismate in illo Concilio: in quorum uno prohibetur, *ne quis propter Sacrum Chrisma aliquod munus accipiat: in alio, ne quis Sacrum Chrisma nisi in feria 5. majoris septimanæ conficere presumat.* Sic refertur tom. 3. Conciliorum Galliæ. De institutione verò nulla fit mentio: nec in capite ut *Episcopi*, in quo Gratianus refert Acta Concilii Meldensis. Præterquamquod Concilium hoc non est ex Oecumenicis generalibus. Ad 4. distingo maj. quantum ad omnimodam autoritatis plenitudinem, negotiis aliàs sequeretur, quòd sicut Christus D. potuit remittere peccata absque ulla Sacramentorum interventione, sic etiam potuerint Apostoli: quantum ad aliquid, nempe, quoad munus reconciliationis hominum, & extensionem remissionis peccatorum, concedo: nam ut dicebat Paulus: *pro Christo legatione fungimur.* Ad ultimum respondeo, quòd si illi Doctores nomine institutionis Sacramentorum promulgationem, & ministrationem non intellexerunt, ut de Alensi, & D. Bonaventura plures interpretantur, & ulterius loquendo de illis Sacramentis in particulari aperiatur illorum intentum, & sensus; dicam, quòd olim S. Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 30. respondebat Donatistis, ob-

jectien-

scientibus autoritatem S. Cypriani de nullitate Baptismi ab Hæreticis collati. Sic inquit: *Non accipio, quòd de baptizandis Hæreticis, & Schismaticis B. Cyprianus sentit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit. Ex dictis consurgit*

Dubium Subtile.

124 AN Concilium Tridentinum per illud suum decretum: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit*, definit, tamquam fidei dogma, Sacramenta omnia esse à Christo immediatè instituta? In hoc puncto non conveniunt celebriores Scholastici. Affirmant, non posse quippè, illæsa fide, negari post Tridentinum, quòd Christus omnia Sacramenta immediatè instituerit per se ipsum, Bellarminus, Becanus, Vazquez, Gonetus, & plurimi alii extra nostram Scholam, ex quibus aliqui oppositam sententiam pronuntiant hæreticam, temerariam, aliisque inurunt censuris asperrimis. Ex Nostris, sed quidem modestè, talem immediatam institutionem à Christo, sustinent tamquam dogma Catholicum, Mastrius disp. 6. quæst. 1. art. 2. Frassenius d. procem. art. 2. quæst. 1. conc. 3. & alii Scotistæ. Sunt verò alii doctissimi viri, qui licet fateantur, Sacramenta omnia immediate à Christo esse instituta, idque censeant magis conforme Patribus Tridentinis, & rationi; nihilominus affirmant, id nequaquam definitum fuisse. Sic Cardinalis Gotti, Esthius, Berti, & alii ab ipso citati. Hujus sentire sunt etiam aliqui Scotistæ, inter quos Delgadillo de Sacram. c. 3. d. 3.

125 Dico igitur: *Non est dogma fidei, Christum omnia Sacramenta instituisse immediatè.* Probatur: Si esset, ut fide tenendum, definitum, maximè in Tridentina Synodo locò in anteriori Conclusionè citato; sed

ibi definitum non est, tamquam dogma Catholicum tenendum: ergo. Major est Adversariorum robur. Prob. minorem: In Concilio non reperitur particula *immediatè*; sed hoc ipso quamvis à nobis theologicè ratione inferatur, hoc non est sufficiens ad fidei decretum constituendum: ergo. Prob. min. Hoc ipso quòd Concilium non dicat apertè *immediatè*, potest quis dicere absque defectu in fide, Concilium loqui de institutione, vel immediata, vel mediata, cum quo optimè salvatur contra Hæreticos, Christum esse institutorem, & authorem omnium septem Sacramentorum: ergo. Antecedens apparet: tum in Doctoribus initio quæst. citatis, ex quibus nemo dicit cum Hæreticis, Christum Sacramenta omnia non instituisse, sed solum quòd non omnia *per se immediatè*, sed circa aliqua dedisse Apostolis commissionem: ex quo evincitur, quòd omnium est author, licet non *immediatus* respectu omnium, quòd quidem est valde diversum. Et explicatur hoc: Christus dicitur miraculorum parator, quamvis miracula plura parata sint ab Apostolis; consecrans item, & baptizans, licet ejus nomine Ministri baptizent, & consecrent: ergo dici etiam potest, Christum esse Sacramentorum institutorem, etsi per Apostolos, sua in eos potestate translata, Sacramenta quædam instituisset. Urgetur ex his, quæ P. Berti producit: Ruardus Tapperus insignis Theologus Lovaniensis, qui Concilio Tridentino præsens adstitit, in explanatione articulorum adversus Hæreticorum dogmata à se exornata, postquam à Tridentina Synodo fuit reversus, inquit: *Inquiri posset, si hæc potestas instituendi Sacramenta fuerit apud Apostolos, an fuerit solum Apostolica, an in Ecclesia manserit apud eorum Successores? Sed nihil horum requirit articulus, qui solum habet, quòd omnia Sacramenta sunt à Christo instituta: non autem, quòd ab eo sunt instituta immediatè.*

Et

Et in altera declaratione probabilem pronuntiat sententiam Magistri Sententiarum, & Hugonis, nempe, *determinationem materiæ, & formæ in nonnullis Sacramentis factam fuisse ab Apostolis ex Christi commissione, & ex instinctu Spiritus Sancti.* Quod sanè vir eximius non asseruisset, si compertum ei esset, aliter visum Patribus Tridentinis, præsertim cum ipse suam sententiam exponens asserat, *quod Christus in omnium Sacramentorum institutione materiæ, & formas per se, & immediatè determinavit.* Denique alius Lovaniensis Theologus ad Tridentinum missus à Maria Regina Belgii, qui in prædicto Concilio tantæ fuit estimationis, atque doctrinæ, ut in reformando Canone primo de Confirmatione, præcipuam habuerit partem, scribit, *quod illam vocem immediatè Synodi Patres circumspectè excluderunt, dum decreverunt, quod omnia novæ legis Sacramenta instituta quidem sint à Jesu-Christo; non autem quod omnia sint à Christo immediatè instituta: non ergo est definitum, & per consequens, licet mihi verissimum, non tamen de fide.*

126 Opponit Frassenius cum Bellarmino, illum Canonem Tridentini pro immediata institutione Sacramentorum appositum esse. 1. Nam si Tridentina Synodus non statuisset, singula Sacramenta esse immediatè à Christo instituta, frustrà posuisset Canonem illum, cum nemo dubitaverit, quin saltem mediatè instituta fuerint à Deo. 2. Quia Concilium ses. 14. sese explicat, dum Sacramento Extremæ-Unionis tribuit institutionem à Christo, & solam promulgationem B. Jacobo Apostolo, ita decernens: *Si quis dixerit, Extremam-Unionem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* 3. Quia sess. 21. declarat Concilium, hæc potestatem perpe-

tuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, statueret, vel mutaret ea, quæ suscipientium utilitati, vel Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedita judicaret; frustrà autem adderetur hæc exceptio, *salva illorum substantia*, si non à Christo, sed ab Ecclesia fuissent instituta. Tunc enim Ecclesia illorum substantiam posset mutare; quia ejusdem est potestas leges ferendi, & approbandi, aut mutandi.

127 Pro solutionis præstandæ faciliiori captu præ oculis sunt habenda, quæ diximus ad assertionem suadendam: nempe, quod Tridentini PP. adeò cautè se gesserunt, ut in suis definitionibus aliquem non læderent ex Catholicis Scriptoribus: quemadmodum in articulo justificationis narrat factum Pallavicinus lib. 8. cap. 6. & in articulo de *Attritione* lib. 12. cap. 10. et in articulo de *intentione Ministri* lib. 9. c. 6. Non igitur probabile est, damnasse sententiam Magistri Sent. Hugonis, A. lensis, D. Bonaventuræ, imò & S. Cypriani, qui affirmant, aliqua Sacramenta non esse à Christo immediatè instituta. Cumque Hæretici asseverent, D. Jesum dumtaxat Baptismum, & Eucharistiam instituisse, reliquaque Sacramenta explodenda esse, tamquam hominum figmenta, longe probabilius videtur, Oecumenicam Synodum ad Hæreses extirpandas coadunatam, eo sensu definisse Sacramenta quælibet à Christo instituta, quatenus autoritate divina instituta tenentur, & non ex arbitraria inventionem hominum.

128 Respondeo igitur, Hæreticos affirmare, Sacramenta quædam nec mediatè, nec immediatè à Christo fuisse instituta. Melanthon Confirmationem appellat *otiosam cæremoniam.* Calvinus in Antidoto ait, *se, nec unius quidem stercoris Chrisma facere.* Wiclephus longè ante scripserat lib. 4. cap. 14. *Confirmationem à Dia-*

bo-

QUÆSTIO III.

Quisnam sit, & possit esse Sacramentorum Minister?

129 **H**Ac in re nec Protestantes concordant invicem, nec nos convenimus cum illis. Lutherus lib. de abroganda Missa impudentissimè, ac mendacissimè scripsit: *Ego non dicam, quod Papistæ dicunt; nullum Angelum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posset sed contra dico, si Diabolus ipse veniret, & ego postea nescirem, Diabolum sic irrepsisse in Officium Pastoris Ecclesiæ specie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Ecclesia docuisse, celebravisse Missam, & absolvisse à peccatis, & tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideò non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, verum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi nos accepisse.* In quibus verbis non una mendacissimi, improbissimique Scriptoris continetur fraudulentia. Primò namque, Theologi, quos *Papistæ* vocant Sectarii, distinguunt inter ordinarium, & extraordinarium Sacramentorum Ministrum, nec negant, ut videbitur, Sacramenta peculiari delegatione perfici posse per Angelos. Secundò permixtè, & confusè Catholicam sententiam recitat Hæresiarca iste, ut illam cruento, sevoque dente dilaniet. Honorem amplum in Baptismum, absolutionem, & Eucharistiam conficiendo, confert Diabolo pestilentissimus assertator, ut veterosum serpentem æquiparet Ecclesiæ Pastoribus. Peccat quoque, Evangelium, & Sacramenta permiscens, quasi idem munus sit utrumque. Vah improbum, scelestissimumque errorum consarcinatore! Luthero extremè repugnat Calvinus, qui nec in casu necessitatis concedit mulieribus baptizandi facultatem, imò

Tom. I.

K nec

nec laicis, asserens, quod consuetudo contraria nulla firma ratione defendi potest. Unde requirit Ministrum ad hoc munus specialiter destinatum, etiamsi infans moriatur absque Baptismo. His irrissis deliriis, ut nostram aperiamus mentem:

130 Sciendum est I. effectum Sacramenti suo modo pendere a Ministro, qui est ejus causa efficiens instrumentalis: ideoque requiruntur in eo aliqua dispositiones, sicut in quolibet instrumento requiritur aptitudo ad effectum, quem principalis causa intendit. Principaliter igitur requiritur in illo aliqua designatio, seu potestas, & intentio applicandi materiam, & formam, seu ipsum Sacramentum subiecto capaci illius. Unde Subt. Doct. in 4. dist. 6. q. 1. n. 2. ait, quod ad Sacramentorum administrationem tria ex parte Ministri concurrere debent. I. actio exterior, quae fit per motum localem, & potentiam motivam, per quam applicatur materia. II. prolatio sensibilis formae per verba debite articulata. III. intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Quapropter, qui aliquo eorum caret, non potest Sacramentum administrare: adeoque ab hac administratione excluduntur, qui carent ratione, loquela, & manibus. Et concludit Doctor, nullum suppositum naturae humanae excludi a potestate baptizandi, nisi propter aliquem ex defectibus assignatis. Sciendum est 2. Quod Minister alius est ordinarius, & alius extraordinarius. Ille est, qui ex officio, & potestate sibi concessa, potest ministrare Sacramentum in quacumque occasione, & opportunitate: iste vero est, qui non ex officio, nec in quavis opportunitate, & occasione, sed solum ex speciali delegatione, vel in casu urgentis necessitatis propter absentiam Ministri ordinarii Sacramentum ministrare potest. Denique hic loquimur de Ministro Sacramentorum in generali, seu in genere: nam in unoquoque Sacramentorum investiga-

bitur, quis illius sit Minister peculiaris?

131 Conclusio I. *Solus homo viator est ordinarius Minister Sacramentorum.* Est communis Theologorum, & probatur egregie a Subtil. Doct. loc. supra laudato, num. 3. Suadetur sic: Deputatio Ministri Sacramentorum pendet a Christi voluntate, & institutione; sed ex Scriptura constat, ministrandi Sacramenta ordinariam facultatem solis hominibus viatoribus concessam fuisse: ergo. Prob. min. per singula discurrendo: de Baptismo ad solos Apostolos dicit Dominus: *baptizantes eos &c.* Ad eosdem de Eucharistia: *Hoc facite in meam commemorationem.* De Pœnitentia: *quorum remisistis peccata &c.* De Unctione Extrema: *inducat Presbyteros &c.* De Matrimonio: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Nec contrahitur, aut contrahi potest, nisi inter homines. De Confirmatione, & Ordine constat ex Scriptura, & traditione, eorum Ministrum Episcopum, & Pontificem necessariò debere esse. Ad Heb. enim. 5. legitur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum.* Unde Apostolus ad Ephes. 11. se, & alios, vocat Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Confirmatur efficaci ratione: Sacramentum debet habere Ministros proportionatos; sed solus homo est talis de se: ergo. Probatur min. Tum; quia Sacramentum est signum sensibile, & sensibilibus debet applicari; sed hoc de se solum competit homini posse facere; nam Spiritibus id de se non competit, sed per accidens, nempe, si corpora assumant, vel appareant corporei: ergo. Tum; quia Sacramenta instituta sunt in Ecclesia, & propter homines, & ideo in signis sensibilibus; sed homines, & non Angeli, Sacramenta suscipiunt; Ecclesiaeque est Cætus hominum, non Spirituum: ergo tales debent esse de lege ordinaria Ministri

Sa-

Sacramentorum. Hoc omne sic mirifice expenditur a Subt. Doct. *Congruum est ab homine viatore conferri Baptismum, & non ab Angelo aliquo.* Primò, quia Christus, qui instituit, homo fuit. Secundò, quia in Sacramento est aliquid sensibile, & aliquid spirituale: & sic magis congruit Ministro utenti sensu, & intellectu, quam purè intellectu. Tertio, quia per Baptismi susceptionem adscribitur aliquis, ut sit membrum Ecclesiae militantis: ergo congruum est hoc fieri per aliquem in illa Ecclesia.

132 Conclusio II. *Angeli boni possunt esse extraordinarii Ministri Sacramenti; imò & Angeli mali.* Concl. quod I. partem communis est in utraque Schola Angelica, & Subtili, cum Scoto, in 4. d. 6. q. 1. ubi postquam dixit, omne suppositum naturae intellectualis deputari posse in Ministrum Sacramentorum, si habeat conditiones assignatas in 1. notabili, inquit: *Quia si bonus Angelus baptizaret in corpore assumpto cum omnibus prædictis conditionibus, supponendum esset verum ejus Baptismum; quia non fieret nisi de præcepto Dei: nec esset ille baptizatus ab Angelo iterum rebaptizandus: sicut Michaël prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam suam in monte Gargano, asserens, eam a se dedicatam fuisse.* Quibus verbis Doctor nullatenus contendit, Angelos potestatem ordinariam habere ministrandi Sacramenta, ut perperam asserit Gonetus, & alij cum ipso; sed quod ad illud munus extraordinarie possunt delegari a Deo, & ideo ait; *quia non fieret, nisi de præcepto Dei.* Ex quo probata manet Conclusio I. pars. ex Subt. Doct. Prob. ex D. Thoma 3. parte q. 64. art. 7. ubi ait: *Sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiae Ministris, quin etiam Angelis possit*

Tom. I.

virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis. Eadem veritatem docet D. Augustinus lib. 2. c. 15. contra Parmenium, asserentem, injustum non posse validè Sacramenta ministrare. Contra hunc errorem ait Mag. Par. quod pertinet ad Baptismi sanctitatem, adest Deus, qui det, & homo, qui accipiat: sive per se ipsum donante Deo, sive per Angelum, sive per hominem sanctum, sive per iniquum: ergo censet, Baptismum posse ministrari per Angelum. Probatur denique eadem I. pars: administratio Sacramentorum non est difficilioris executionis, quam consecratio Templorum: sed consecrationis munus, quamvis de lege ordinaria hominibus fuerit concessum, potest tamen exerceri per Angelos: & reverà aliquando peracta est consecratio, ut constat de consecratione Templi montis Gargani, facta per Michaëlem Archangelum: ergo. Urgetur ex varijs historijs Ecclesiasticis: Nicephorus enim cap. 20. narrat, S. Amphilochium in deserto fuisse ab Angelis consecratum in Episcopum, ejusque consecrationem a cæteris Episcopis ratam habitam fuisse. De pluribus Sanctis constat, inter quos numeratur Seraph. Bonaventura, quod Angeli porrexerint eis Sacram Eucharistiam.

133 Secunda Conclusionis pars, scilicet, quod etiam Angelus malus potest esse Minister extraordinarius Sacramenti in aliquo casu, a pluribus, qui I. partem concedunt, negatur. Est verò expressa Subt. Doct. qui loco laudato prosequitur de Sacramento Baptismi: *Si etiam malus Angelus in corpore assumpto baptizet, & constaret, quod esset de præcepto Dei, talis habendus esset pro baptizato; quia oportet malum Angelum, etiam invitum, obedire Deo.* Et ut de medio tollat aliquas instantias, quae occurrere possunt contra hanc assertionem, prosequitur: *Sed non esset sine certa revelatione super hoc habita credendum, quod malus Angelus*

K 2

lus

lus veré baptizaret : Tum , quia Deus non ministrat Sacramenta per exclusos finaliter á salute : Tum , quia si non esset certus de præcepto divino ad oppositum , supponendum est semper , ipsum fraudulenter agere , nec completé facere eá , quæ essent necessaria ad salutem baptizati , propter inimitiam , quam habet ex invidia procedentem. Quæ pulcherrima verba , si legere vellent , & intelligere , aliqui non assererent , Scotum docuisse , Diabolo de lege ordinaria competere validé Sacramenta ministrare ; nec ignorantiam , ne dicam maximam impudentiam , incurrerent , falsó existimantes , eandem esse ejus sententiam , ac quæ postmodum fuit Lutheri , cujus petulantiam , & mendacium , jam retulimus initio quæstionis. Veritas igitur Conclusionis in hac parte ab omnibus , qui 1. partem defendunt , necessarió debet fateri : Siquidem non apparet ratio ulla repugnantia , maximé cum limitationibus ab Scoto assignatis , ut scité advertit P. Berti. Et quidem verba Angelici Doct. pro Angelis bonis , equaliter suadent de malis , Deo imperante : ob quod Gonetus d. 6. de Ministro Sacramentorum , art. 1. n. 12. non renuit concedere damnatis Sacerdotibus potestatem consecrandi , licet Deus hoc nequeat permittere.

134 Argues 1. contra 1. Concl. Tum , quidquid potest Minister inferior , potest superior : siquidem quod potest Diaconus , potest Sacerdos , licet non vicissim ; sed Angeli in ordine Hierarchico superiores sunt hominibus , ex D. Dionisio : ergo exercere possunt idem ministerium , quod homines : ergo non isti soli sunt Sacramentorum Ministri Ordinarij. Tum : Sacramenta possunt administrari ab hominibus malis , qui sunt membra Diaboli : ergo eodem modo , & multo magis , poterit Diabolus , qui est eorum caput. Tum : Genes. 6. videtur : *videntes filij Dei filias hominum , quod essent pulcherræ , acceperunt sibi uxores ex omnibus , quas*

olegerant ; sed per ly *filij Dei* intelliguntur Angeli , seu Dæmones ab aliquibus Expositoribus Sacris : ergo isti de factó , & de lege ordinaria sunt Ministri saltem Sacramenti Matrimonij. Ad 1. distinguo mai. Potest superior eodem modo , nego : diverso modo , concedo. Quod homines operantur inferiori modo per Sacramenta sensibilia naturæ hominum proportionata , faciunt Angeli , ut superiores Ministri , superiori modo invisibiliter purgando , perficiendo , & illuminando , non sensibiliter per Sacramenta , & humano modo. Præterquam quod , major solúm posset esse vera in his , quæ pendent ex libero arbitrio proprio , non ab alieno : hæc autem ministeria pendent ab arbitrio Dei , qui voluit sensibiliter exerceri , quod per se non possunt Angeli. Et licet possent , non illos , sed homines voluit Deus Ministros Ordinarios facere , ut apparet ex probatione Conclusionis. Ex quo ulterius , & melius dist. ma. Ad 2. nego consequentiam ; quia mali homines non habent potestatem ministrandi Sacramenta , eó quod per malitiam sint membra Diaboli , sed eó quod sint rationabilia instrumenta Christi , quod Diabolo non competit. Ad 3. nego consequentiam ; licet enim per ly *filij Dei* , Angelos intelligant nonnulli , communissimé tamen intelliguntur filij Seth , qui vocati sunt *filij Dei* , eó quod essent justi , & Religiosi , ut Syranus , Glossa ordinaria , & Interlinearis notant ex Augustino , Teodoro , & alijs. Præterea , dato , nomine filiorum Dei intelligi Angelos , qui corpora aërea sumpserunt ; solúm sequeretur , contractum Matrimoniale pepigisse cum mulieribus ; non veró contraxisse Matrimonij Sacramentum , nec illius fuisse Ministros : quia tunc non erat talis contractus ad esse Sacramenti elebatus , cum Christus Dominus multo postea fuerit author , & institutor omnium Sacramentorum , in quorum numero recensetur Matrimonij

trimonium , ut de fide est definitum.

135 Argues 2. intendendo probare , non solúm homines viatores , ut Conclusio sustinet , sed etiam homines non viatores , seu beatos , esse ordinarios Sacramentorum Ministros , quæ est sententia plurium. Tum : si quis Sacerdos , aut Episcopus resurgeret é mortuis , adhuc posset aliqua Sacramenta conficere : ergo viator non est necessarió Sacramentorum Minister. Tum : Ecclesia in suis orationibus á beatis Apostolis petit peccatorum remissionem : Sic in hymno dicit : *qui cælum verbo clauditis , serasque ejus solvitis , nos á peccatis omnibus solvite iussu quesumus.* Et in hymno S. Petri : *crimenque vincula verbo resolve , cui potestas tradita &c.* ergo Apostoli jam Beati sunt Sacramentorum Ministri. Tum : Thomas Stapletonus coram Summo Pontifice Calixto II. & Cardinalibus testatus fuit anno 1120. quod quidam Joannes Indorum Patriarcha , S. Thomam Apostolum omni anno se visibilem præstare fidelibus sibi subditis , & eos , quos Sacra Sinaxi (communione) dignos judicat , propria manu communicare ; indignos veró á Sacra mensa arce , & eis Eucharistiam denegare : ergo. Respondeo ad 1. negando consequentiam. Tunc enim excitati é mortuis validé possent ea Sacramenta conficere , ad quæ accepissent potestatem , dum fuerunt viatores. Unde possent ea Sacramenta validé conficere , quæ conficiebant ante mortem , absque jurisdictione , ut Baptismum , & Eucharistiam : nam haberent Sacerdotalem characterem , & consecratio solúm indiget characterem , & non jurisdictione. Ea veró , quæ jurisdictionem postulant , ut poenitentium absolutionem , validé ministrare non possent ; quia jurisdictio cessat per mortem ; absolutio autem Sacramentalis poenitentium est actus jurisdictionis , utpote verum iudicium. Aliter ; si quis ex Summis Pontifici-

bus resurgeret , & haberet potestatem jurisdictionis , essent in Ecclesia simul plures Summi Pontifices. Sed nec respectu illorum , semel quod essent beati , & non essent per resurrectionem iterum viatores , essent ordinarii Ministri , sed valde extraordinarii , & á Deo miraculosè in mundum missi : licet semel hac Dei voluntate , & determinatione supposita , quasi naturaliter possent facere ea , quæ penderent á characterem , qui est inamissibilis. Est dicere , quod essent Ministri Sacramentorum idonei , sed solúm extraordinarii. Ad 2. distinguo anteced. Petit peccatorum remissionem per modum jurisdictionis , quasi adhuc retineant jus , & ministerium absolventium , nego : per modum impetrationis , exhibendo eis potestatem , quam habuerunt , dum versabantur in Ecclesia militante , ut eos fleat , & obliget magis , concedo. Sic etiam dicimus BB. Virginii in suo hymno : *Solve vincula reis.* Ad 3. dico , quod si verum sit , (nam plures dubitant de veritate illius historiarum) S. Thomam hoc præstitisse , id non fecit ex communi lege , sed ex Dei singulari concessione : maximé cum constare non possit , Apostolum proprium corpus assumpsisse , totiesque resurrexisse repetito miraculo , & iterum fuisse mortuum. Unde credibilius est eum dumtaxat apparuisse , & hæc præstitisse in aëreo corpore. Deinde ex eo , quod arcebat á communione indignos , sequitur , non fuisse Ministrum ordinarium , qui hoc facere non potest , nisi cum publicis peccatoribus. Erat ergo á Deo valde extraordinarié missus , gratis admissio casu.

136 Arg. 3. in 1. partem 2. Conclus. Sacramenta novæ legis , ut diximus , essentialiter constant rebus , & verbis ; sed verba ab Angelis in corporibus assumptis prolata non essent vera verba : nam Angeli solúm possunt formare sonos in aëre similes vocibus humanis : ergo Angeli nec de potentia , & lege extraordi-

itaria possunt conficere Sacramenta. Confirmatur: administratio Sacramenti est actus vitalis; sed Angeli non possunt exercere in corpore assumpto actus vitales: ergo nec Sacramenta ministrare. Urgetur: *Omnis Pontifex debet assumi ex hominibus, ut offerat dona, & sacrificia*, juxta Apost. ad Heb. 5. ergo ministerium hoc Angeli implere non possunt: ergo ministrare Sacramenta multo minus poterunt: nam per Sacramenta ordinarié confertur gratia ex opere operato, & non sic ordinarié confertur per sacrificia. Propter hoc argumentum, ait Gonet, Cabrera, & Nunno existimant, quod Sacramentum ab Angelo ministratum, licet verum Sacramentum, esset tamen distinctæ speciei à nostris Sacramentis. Distinguo majorem: Essentialiter rebus, & verbis, ut significativis, seu ut habentibus rationem signi sensibilis gratiæ, concedo: ut vitaliter prolatis, subdistinguo: à Ministro ordinario, concedo; ab extraordinario, nego majorem, & distinguo minorem: si per *ly vera verba* intelligantur verba veré vitalia, seu vitaliter prolata, concedo: si per *ly vera verba* intelligantur veré significativa, nego minorem, & consequentiam. Hæc enim verba: *ego te baptizo*, prolata ab Angelo in corpore assumpto non minus significant interiorem animæ ablutionem, nec minus habent rationem signi sensibilis gratiæ, quam prolata ab homine. Unde licet talia verba, ut prolata ab homine, & ab Angelo, sint speciei diversa: tamen hæc diversitas materialiter, & de per accidens se habet ad rationem signi sensibilis, ac subinde ad rationem Sacramenti, cum habeant eandem gratiæ significationem. Esset igitur idem Sacramentum in specie. Ex quo ad confirmationem distinguo majorem: administratio, quæ fit per Ministrum ordinarium, est actus vitalis, concedo: quæ per Ministrum extraordinarium fieret, necessarió deberet esse actus vi-

talis, nego majorem. Absoluté itaque loquendo, sufficit ad valorem Sacramenti, quod applicetur debita materia, & forma articulata, & sensibilibiter proferatur per corpus humanum, sive apparens, sive verum; nam ex parte formæ, quæ Sacramentalis est, nihil aliud requiritur, quam quod sit signum practicum effectus, tam in baptizato, quam respectu Ecclesiæ, cui de forma applicata consistere debet. Neque Ecclesia attendit modum formandi verba, sed significationem, quam habent ex divina institutione, & ex communi usu hominum. Patet exemplo: revelatio facta Viri Sanctis per Angelos sensibilibiter loquentes, non aliter attenditur, & accipitur ab eis, quam si reverá esset vitalis; quia consideratur, non loquendi modus, sed locutionis sensus. Ad urgentiam dico, ita fieri de lege ordinaria: non tamen ita necessarió fieri, ut aliter fieri non posset, si Deus ordinaret. Et patet: nam Ecclesiæ consecratio etiam est Ecclesiæ ministerium, & constat ex Conclusionem Angelis fuisse commissum. Ministrare Eucharistiam etiam est Ecclesiæ ministerium per Presbyteros, & Diaconos, & hoc aliquando etiam Angeli præstiterunt ex speciali commissione, ut constat ex approbatione Sanctorum vitis. Quid ergo prohibet, posse etiam Baptismum ministrare in corpore assumpto ex speciali Dei commissione, servata substantia Sacramenti? Nihil certé.

137 Arg. 4. adversus 2. partem Conclus. Si Dæmon ex Dei ordinatione ministraret Baptismum, cum sit in peccato, committeret sacrilegium, cujus Deus tunc esset author; quia cogeret Dæmonem ad tale ministerium; sed Deus non potest alicujus peccati esse author: ergo nec ordinare potest Dæmoni, ut aliquod ministraret Sacramentum. Deinde, etiam à Deo jussus, ex invidia, & malitia posset velle non conficere Sacramentum. Respondeo, Dæmonem in tali

tali casu non committere sacrilegium, nec aliquod peccatum; quia id faceret ex Dei jussu contra suam voluntatem, & invitus, & coactus; Deo illam impellente, & Diaboli perversam voluntatem cogente in ostensionem suæ omnipotentiae, aut ob alios fines in alterius commodum, & utilitatem, ut S. Augustinus innuit Lib. de correct. & gratia cap. 10. Nec Dæmon esset tunc Minister ordinarius, & ex officio, in quo status gratiæ requiritur, sed esset Minister coactus, violentus, & veluti in casu extremæ necessitatis reputatus. Ad ultimum jam advertit Subtil. Doctor, & Nos cum ipso diximus, quod deberet nobis constare per divinam revelationem, fuisse ad id motum, & impulsus à Deo, ut certum esset, Sacramentum illud esse verum, & validum. Idem, quod de Angelis, de anima separata asserere est necessarium, cum eadem militet ratio, & eodem modo possit jussu Dei assumere corpus.

QUÆSTIO. IV.

An, & qualis debeat esse intentio Ministri ad valorem Sacramenti?

138 Gravissima est controversia præsens, nedum inter Catholicos, & Hæreticos, veram etiam inter Catholicos ipsos. Ante resolutionem præmittendum est ex communi Theologorum placito, intentionem sic definiri: *est volitio finalis*. Intentio hæc est triplex, *actualis*, nempé, *virtualis*, & *habitualis*. Intentio *actualis* est actus elicitus circa objectum, vel finem intentum. Unde actualis Ministri intentio tunc datur, quando actu, & formaliter cogitat de Sacramento conficiendo, dum actu conficit illud. *Virtualis est*, quæ non ita per se coexistit actioni, sed per aliqua media, quæ antecedunt executionem fi-

nis: semper tamen illa fiunt ex virtute primæ volitionis. V. g. vocor ad sacrificium conficiendum; elicio actum volitionis celebrandi juxta ritum Ecclesiæ, & ex vi talis volitionis sumo vestes Sacerdotales, accedo ad Altare, & cætera perficio usque in finem: sed post primos illos actus vestiendi, nihil amplius cogito de illa intentione, cujus actus physicè præterit, nec durat, nisi per connexionem actuum sequentium cum illis primis, quos cum illa habebam. *Habitualis est*, vel habitus acquisitus ex multis volitionibus, & ad similes inclinans; vel est ipsa intentio actualis præterita, in tantum durans moraliter, quatenus non est retractata: at veró non aliter influat in opus, quam quasi non stetisset. Subt. Doct. vocat intentionem *virtualem*, *mediam inter actualem*, & *habitualem*, quia est imperfectior actuali, & perfectior habituali. Præmittendum est etiam, quod quando quis Sacramentum conficit, v. g. quando baptizat, vel respicit materialiter, & nudé ipsas actiones externas applicandi puero aquam, & proferendi super eum verba consue-ta: *Ego te baptizo*, nihil ulterius cogitans, quam illas actiones physicas, perinde ac si sacræ non essent, nec institutæ à Deo, nec quidquam operarentur in puero; vel respicit, & cogitat in illis actionibus externis sanctitatem aliquam ex Dei ordinatione, & ex Ecclesiæ praxi, & hoc saltem confusè, ita ut cogitet, actus illos exercere, secundum quod ea vidit in Ecclesia practicari; vel sciens, quod in his actibus consistit ratio Sacramenti habentis vim conferendi illi puero gratiam sanctificantem, & ex illa intentione hoc facit. Queritur ergo: an quælibet ex iis intentionibus in Ministro valeat, ut Sacramentum veré conficiat?

139 Circa quod Lutherus Lib. de capt. Babl. absolutè negavit, requiri intentionem Ministri ad valorem Sacramenti; asserens, Sacramen-

mentum perfici, si res apponantur, & verba proferantur, etiamsi ficté, vel mendaciter proferantur á Ministro; aut ex joco, & irrisione totum hoc exterius peragatur. Unde inter articulos ejus á Leone Papa damnatos, sic legitur: *Quód si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos, non serid, sed joco absolveret: si tamen credat, se absolutum, verissimé est absolutus: quia Sacramenta debent excitare fidem de recipienda Dei promissione, & per eam fidem accipit de facto justificationem.* Et idem aliis verbis exorbitantibus garrat Calvinus. Contra errorem hunc omnes DD. Catholicí procedunt, & unanimiter fatentur, ad valorem Sacramenti intentionem aliquam requiri in Ministro. Sed licet in hoc conveniant, adhuc circa intentionem necessariam discordant. Catharinus namque, Pasqualigus, Salmeronius, & aliqui alii cum ipsis, docent, ad valorem Sacramenti sufficere intentionem faciendi solúm actum externum: nempé, quód verba modo serio proferantur, prout ab Ecclesia fieri solet, absque alia interna intentione, quám serió adhibendi materiam, & formam Sacramenti: nam eo ipso, dicunt, fit, quod Ecclesia intendit. Unde juxta hos Authores, nequit fieri ex joco, vel ex contemptu externé; quia sic non esset juxta ritum Ecclesiæ; & in hoc discrepant á modo dicendi Sectariorum Theologi isti. Communis veró Catholicorum sententia est, quód non sufficit intentio faciendi, quod facit Ecclesia materialiter solúm, ut quando solúm verba profert, & res apponit, nullo alio actu interiori voluntatis, quo facere velit, aut intendat, quod Christus instituit: Sed omnino necessarió requiri, habere simul cum actionibus externis actum voluntatis, quo velit facere, quod Christus instituit, seu actiones Sacramentales formaliter tales. Cum his.

Nostra Conclusio.

140 **A**D valorem Sacramentí necessaria est in Ministro intentio faciendi, quod Ecclesia facit, aut Christus fecit, quin sufficiat intentio faciendi solúm actum exteriorem. Est expressa Subt. Doct. in 4. d. 6. q. 5. dicentis: *Ministram debere habere intentionem respectu actus, quem exercet; alioquin non ageret, ut homo est, id est, liberé &c.* Prob. Conclusio contra Hæreticos 1. autoritate Ecclesiæ: nam in Concilio Constantino sub Martino V. expressé definitur. Et in Florentino in decreto pro instructione Armenorum sic declaratur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet, rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Et denique in Trident. sess. 7. c. 11. *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Prob. 2. ex Apostolo, quem Sectarii admittunt: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei;* sed nullus dici potest verus Christi Minister, nec dispensator fidelis, qui rem sibi commissam non agit ex intentione Christi mittentis: ergo. Prob. min. Nam qui per actionem externam Baptismi non intendit facere, quod Ecclesia facit, aut Christus fecit, idem facit, quod per sua signa externa Diabolus faceret; sed hoc stante, æqualiter ad minus ageret, ut Minister Diaboli, aut nomine Diaboli posset æqualiter dici dispensare mysteria Christi: ergo. Prob. 3. ex Evang. in quo de Sacramento Pœnitentiæ dicit Dominus: *Quorum remisistis peccata &c.* sed peccata interiora animæ remitti non possunt sine voluntate, & intentione: ergo in Ministro Pœnitentiæ requiritur intentio id faciendi: ergo &

& in aliis Sacramentis, pro quibus eademmet ratio urget. Prob. min. Simplex nuntius, qui nuntiaret veniam à Principe reo concessam, non diceretur illi delictum remittere, & fungeretur siquidem suo munere, quamvis invitus, & nolens id nuntiaret: ergo cum Sacerdoti committatur, non quidem publicatio peccatorum, sed vera ipsorum remissio, in illo necessarió requiritur intentio, seu sincera volitio remittendi, aut saltem in hoc ministerio faciendi, quod Ecclesia facit, & intendit, aut quod Christus voluit: igitur peccata remitti non possunt sine Ministri voluntate, & intentione.

141 Probatur jam Conclusio contra DD. Catholicos, oppositum docentes: Juxta Concilia adducta, ad valorem Sacramenti requiritur intentio faciendi id, quod Ecclesia facit; sed hæc intentio non est facere dumtaxat actiones externas Sacramentales à Christo institutas, quasi materialiter sumptas, sed est intentio illas faciendi formaliter, prout sunt Sacramenta: ergo non sufficit intentio faciendi solúm actum exteriorem. Prob. minorem: Dum Concilia definiunt, necessariam esse intentionem faciendi, quod Ecclesia facit, damnant errorem Hæreticorum, dicentium, quantumvis jocose, ac per ludum ministretur forma, aut materia Sacramenti, vera confici Sacramenta, ut patet ex Tridentino sess. 14. can. 9. *de Pœnit.* ubi inquit: *quód si Sacerdos, non serid, sed joco verba absolutionis proferat, absolutio non valet;* quod etiam Concilium Constanciense sancivit prius sess. ultima; sed qui jocose, aut per ludum Sacramenta ministrat, veré habet intentionem faciendi res externas, in quibus materialiter Sacramentum consistit: ergo alia intentio requiritur á Conciliis, scilicet, faciendi Sacramentum formaliter, ut tale. Confirmatur efficaci ratione Subtil. Doct. dist. 6. quæst. 5. *Actus Sacramentalis non est purus actus natu-*

Tom. I.

ralis, sed actus humanus; etenim Baptismus non est pura ablutio, seu balneatio cum verbis, sed actus Ministri exercentis signum Dei. Nunc sic: sed habens aliquem actum humanum, intendit finem illius actus, ut humanus est: ergo cum finis actus Sacramentalis á Christo ordinatus sit alius, præter lotionem, & omnem actum externum, absdubio hunc finem habere debet conficiens Sacramentum: ergo necessaria est illa intentio præter intentionem actionis puré externæ.

142 Arg. 1. Ad effectum Sacramenti nihil facit intentio Ministri: ergo hæc non est necessaria. Prob. anteced. Intentio medici nihil facit ad effectum medicamenti: ergo pariter. Prob. consequentiam: Res, & verba Sacramenti, quæ applicat, & profert Minister, ab eo non habent vim curandi animam, potiús quám hervæ, vel potiones á medico applicatæ vim curandi corpora: etenim vis, & virtus Sacramenti ponitur á solo Deo; & vis, & virtus hervæ naturaliter residet in ipsa; sed propter hanc rationem intentio medici nihil facit ad effectum medicamenti: ergo. Non itaque magis habet efficaciam Sacramentum á Ministro, quám medicamentum á medico. Confirmatur: Intentio Ministri non se tenet ex parte Sacramenti: ergo non est necessaria Sacramento. Prob. consequentiam: Sacramentum ex se est signum sensibile; sed intentio nihil facit ad signum sensibile: ergo nec ad Sacramentum. Prob. minor. Illa intentio vel esset intrinseca illi signo, seu Sacramento, vel extrinseca; sed primum dici non potest, et si secundum, nihil faceret ad signum sensibile: ergo. Prob. minorem quoad utramque partem: Res puré interna, & insensibilis non potest esse de intrinseca ratione rei sensibilis: & si est extrinseca, Sacramentum quamoptimé potest esse sine illa: ergo.

143 Ante solutionem notandum est,

L

est,

est, quod licet Christus potuerit instituire Sacramenta, ita ut in Ministro sufficeret intentio solius actionis externae, nempe, determinando solam externam caeremoniam, & dando illi vim conferendi gratiam, quomodocumque adhibita fuerit, sine ullo ordine ad intentionem Ministri: de facto autem non ita instituit: sed facta est institutio, dirigendo illam ad Ministros, & dando illis potestatem efficiendi Sacramenta: ut patet de institutione Eucharistiae Lucae 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Et de institutione Sacramenti Poenitentiae Joan. 2. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quare ita Christus Sacramenta instituit, ut debeant procedere ex potestate data Ministris, tamquam propria eorum actiones, ita ut Ministri dicantur *baptizare, confirmare, peccata remittere* &c. Igitur ex vi illius institutionis requiritur ad conficiendum Sacramentum intentio Ministri; nam moralis potestas data est Ministro, ut ea utatur modo humano, hoc est, censeatur operari ex potestate sibi data. Cum vero non possit ita operari, nisi habeat voluntatem conficiendi id, quod per illam potestatem concessum est illi, debet velle, & intendere conficere Sacramentum, juxta potestatem sibi concessam à Christo.

144 Respondeo negando antecedens, & concessa probatione, nego consequentiam, & distinguo majorem: ab eo non habent vim curandi animam, nec ut habeant hanc vim, necessaria est eorum debita applicatio, nego majorem: & ut illam habeant, talis debita applicatio est necessaria, concedo majorem, & distinguo imbibitam: à solo Deo, mediante debita applicatione signi sensibilis, concedo: absolute, & simpliciter, nego. Deus itaque ea conditione voluit assistere Sacramentis, si debite applicentur à Ministris. Ut autem debite applicentur, debent Ministri attendere, & intendere, quod Deus

voluit ab eis intendi. Nec comparatio medici, aut medicinae valet; quia si potio fieret, aut applicaretur ab amente, aut à femina, vel sumeretur, & applicaretur ab ipsomet aegroto, non minus sanaret illum: quod quidem de Sacramento non dicitur, nec dici debet, nisi adsit ministrans debite. Ad confirmationem nego antecedens, & distinguo majorem: est signum sensibile insensibiliter operans, concedo: sensibiliter tantum operans, nego majorem, & distinguo minorem: nihil facit ad sensibilitatem significationis naturalis, & speculativae, concedo: significationis spiritualis, & practicae, nego minorem. Ad naturalem significationem sufficit ablutio, & prolatio verborum, cum qua idem significaret in ore Psittaci, quod in ore hominis: & panis cum forma consecrationis in ore feminae, aut pueri, idem quod in ore Sacerdotis. At verò ad significationem spiritualis abluptionis per gratiam, aut transubstantiationis panis in Corpus Christi, requiritur intentio Ministri, qua per signa ista velit hoc operari. Ad dilemma pro ultima probatione dico, quod intentio illa est conditio *sine qua non* voluit Deus, confici Sacramentum. Unde potest dici, quod est conditio requisita ex parte causae efficientis, quae est extrinseca Sacramento, sicut quilibet causa efficiens suo effectui. Ita Subt. Doct. loc. cit. n. 9.

145 Replicabis: Deus in largiendis gratiis non dependet ab intentione Ministri, nec illum expectat, sed potius praevinit: ergo intentio Ministri non est necessaria ad valorem, & efficaciam Sacramenti. Prob. antecedens ex Scriptura: Jacob obtinuit benedictionem praeter intentionem Isaac: ergo & baptizati gratiam praeter intentionem Ministri, & consequenter &c. Confirmatur: Baptismus Lutheranorum, & Calvinistarum est validus, sed illi intentionem non habent faciendi, quod Ecclesia facit, nec gratiam confe-

rèndi: ergo. Prob. minorem: Quia Ecclesiae Romanae non credunt, nec in Sacramentis hanc efficaciam agnoscunt: nam censent, ea tantum valere ad excitandam fidem, quod Sacramenta faciunt absque intentione Ministri: ergo. Nego utrumque antecedens. Si enim Deus gratiam dare vellet absque Ministri baptizantis intentione, frustra Baptismus instituisset. Et Isaac verè intendebat benedicere filium praesentem. Unde licet eum putaret esse Esau, ex intentione benedicebat. Ad urgentiam nego minorem: quia intendunt facere, quod Christus jussit, & instituit, & quae facit vera Ecclesia, quicumque illa sit, vel quod faciunt veri Christiani, licet errent circa finem proximum Sacramenti, qui est causatio gratiae. Et si praedictam intentionem non haberent, nec verè baptizarent; in qua suppositione neganda est major urgentia.

146 Arg. 2. Ecclesia approbavit Baptismus à pueris, & à mimis derisorie collatum, & receptum; sed in iis nulla erat intentio faciendi, sed potius deridendi, quod faciebat Ecclesia: ergo. Prob. minorem: Ecclesia approbavit Baptismus datum ab Athanasio, adhuc puero, aliis pueris inter ludendum. Et Genesius in theatro mimum agens, & ritu christiano Baptismus suscipiens in christianorum derisionem, tantam gratiam ex Sacramento illo simulato, & profanato accepit, ut inde Christianus, & Christi Martyr evaserit: ergo. Confirmatur ex D. Augustino Tractatu 5. in Joan. ubi de Baptismo loquens, ait: *Se non timere adulterum, nec ebriosum, nec homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic est, qui baptizat:* ergo si Baptismus ab ebrius collatus est validus, cum ebrius non ponat intentionem à nobis pretensam; quia illius est incapax, sequitur, quod non est necessaria. Item Lib. de Baptismo non audet Augustinus definire, sed dubitat: *An Bap-*

Tom. I.

tismus fidei, & per jocum datus, vel acceptus valeat, aut sit apprehendus? Et ad hoc dubium solvendum censet, implorandum, & spectandum esse divinae revelationis oraculum. Deinde: Patres docent, quod in Sacramentorum administratione non attenditur ad dantis conscientiam, sed ad virtutem Christi, in cujus nomine conferuntur: alioquin incerta esset salus hominum: ergo nihil facit intentio. Unde Chrisost. homil. 8. in Joan. dicit, *Ministrum conferre tantum linguam, & manum in Sacramentis.* Hac eadem ratione, Patres, & Concilia docent, quod Christus noluit, Sacramenta pendere à fide, aut probitate Ministri: nempe, quia multi redderentur dubii, & perplexi de valore Sacramenti: ergo magis id, & propter hoc, congruit, ne dependerent etiam ab ejus intentione.

147 Ad argumentum, quod plura includit, & tangit, negari poterat, illas historias esse veras, ita ut ex eis inferri posset certa consequentia. Chronologistae namque probant, quod eo tempore, quo id narratur de Athanasio, non poterat jam esse puer, sed adultus. Nec Ecclesia approbavit Baptismus pueri Athanasii, dato, quod puer esset, sed Alexander Patriarcha Alexandrinus, qui nec erat Summus Pontifex, nec Ecclesiam constituebat. De Genesio etiam valde diversè Martyrologia gerunt: in quo si Baptisma fluminis non valuit, valuit, & supplevit, sicut in aliis Martyribus, Baptisma sanguinis. Respondeo deinde, dupliciter posse aliquid per jocum fieri: vel ita ut animus jocandi feratur in substantiam Sacramenti, vel non in substantiam Sacramenti, sed solum in illam externam actionem. Primo modo fit, quando externa actio, v. g. ablutio, & prolatio verborum, fit solum animo jocandi, aut simulandi: & in hoc casu nullum est Sacramentum ex debita intentionis defectu. Secundo modo fit, quando

L 2

Mi

Minister, dum facit illam externam actionem, habet intentionem faciendi id, quod Ecclesia facit: sed verò vult etiam eandem actionem ordinare ad animi oblectationem, vel etiam ad peiorem finem; & in hoc casu validum est Sacramentum; quia tunc verè intendit Sacramentum conficere, licet propositam habeat sibi oblectationem, tamquam finem externum illius actionis. Sicut si Sacerdos verè intendat absolvere poenitentem à peccatis, sed ob finem quæstus faciendi. In casibus autem allatis, & aliis similibus, qui referri solent, facta est ablutio externa à puero Athanasio hoc secundo modo; quia verè voluit baptizare, licet illam actionem acceperit pro materia Iudi, & oblectationis. Colligitur hoc ex Authoribus historiam referentibus, qui scribunt, Athanasium non quosvis pueros, sed solùm Catholicoe adhibuisse: ideòque à Patriarcha Alexandrino habitum sunt illi pueri, ut ritè baptizati; quia habuit sufficientia signa ad colligendum, ibi adfuisse debitam intentionem. Per idem patet ad illud de Genesio; quia qui baptizabat, potuit seriò intendere, quod faciebant Christiani, & ipse Genesius idem cupere. Et si ita non fuit, nec Baptismus ille valuit.

148 Ad locum Augustini Inquit Subt. Doct. in 4. d. 6. q. 5. in fine: ibi per ebriosum, non intelligere ebrium actuale: hic enim non magis liberè, & humanitùs ageret, quàm somnians, & demens: sed loqui de illo, qui assuetus est inebriari, dicens, malam illam consuetudinem Baptismum invalidum non reddere. At verò, quando actualiter est ebrius, non valet; quia impeditur usus rationis, & intentionem habere non potest. In secundo loco, licet dixerit, de hac re dubitare; sic dixit, donec revelatum, aut definitum esset, quid sentiendum de hoc, ut quæsi sit dubitatio talleretur. Quid

factum fuit postea in Conciliis plenariis, Florentino, & Tridentino doctibus, in Ministro Sacramentorum requiri intentionem faciendi, quod Ecclesia facit. Unde hæc ex tunc fuit mens Augustini. Ad PP. dico, loqui de malitia Ministri, & defectu sanctitatis, non defectu intentionis. Chrisostomus docet, gratiam, & vim Sacramenti non dependere à Ministro, qui non confert, nisi Sacramentum externum: Sed non excludit intentionem, quæ naturali nexu comitatur omnem actum humanum; ut nervosè demonstrat Subt. Doct. q. 5. cit. dicens inter alia plurima suo ingenio digna: *Dico ergo, quòd oportet, Ministrum habere intentionem respectu actus, quem exercet, vel respectu finis, propter quem ille actus est exercendus.* Cujus ratio est; quia intentio requiritur in quocumque homine agente aliquid non fortuitè, vel exercente aliquem actum humanum, propriè loquendo de actibus humanis, qui causantur per intellectum, & voluntatem ab homine: ratio autem quare requiritur ista intentio (in Ministro Baptismi) est; quia Deus voluit, istum actum exercitum à Ministro esse humanum in eo, & non tantùm, ut est talis actus in natura.....sed in quantum est actus alicujus, ut Ministri exercentis *signum Dei* &c. Videas quæso Doctorem.

149 Ad ultimum negatur paritas de probitate, & fide Ministri ad intentionem, Tum; quia Ecclesia nos docet, sequi Ministri intentionem, sed non sanctitatem. Tum; quia status Ministri quoad probitatem, & fidem minus certus est: neque de ea potest esse tanta certitudo, quanta de intentione: nam de sua intentione potest habere certitudinem physicam, de sua verò fide, & probitate moralem tantùm. Tum; quia facilius est, Ministrum habere intentionem faciendi Sacramentum, seu quod Ecclesia facit, quàm ipsum justum, & sanctum esse. Unde decuit;

valorem Sacramenti à Ministri intentione dependere, & non sic à sanctitate. Nec ex hac dependentia ab intentione, sequitur, salutem nostram incertam esse, nec quod debeamus esse anxii, & dubii: *an simus verè baptizati, absoluti, ordinati* &c. Nam licet non habeamus certitudinem metaphysicam de eo, quòd Minister habeat intentionem, habemus certitudinem moralem, quæ ad animos placandos sufficit, quin certitudo metaphysica, & speculativa necessaria sit. Nec licet dubitare de intentione, & fidelitate Ministrorum Dei: nam etsi aliquando ex alicujus perversitate id accideret, Deus aliundè provideret saluti suscipientis. Præterquamquod, nec incertitudo vitatur perfectè in sententia asserente, sufficere signum externum: nam etiam in illo possent decipi. Tum; quia infantes non discernunt positionem debitæ materiæ, & formæ. Tum; quia adstantes, & adulti possent etiam non attendere ad omissionem, mutationem, aut additionem aliquam essentiali formæ, & præsertim cum in Eucharistia Sacerdos proferat secretò formam consecrationis: non igitur sufficiunt istæ rationes ad deserendam communem opinionem, & doctrinam Ecclesiæ de necessitate intentionis, non utcumque, sed faciendi Sacramentum, seu quod Ecclesia intendit.

150 Quæres: *Quæ intentio ex tribus, nempe, an actualis sit necessaria, vel virtualis, aut habitualis sufficiat?* Diximus initio quæstionis, intentionem dividi in *actualem, virtualem, & habitualem*, earumque assignavimus definitiones. Præter has, est etiam intentio *interpretativa*. Hæc dupliciter considerari potest. Primò, dum quis taliter exterius se gerit in operatione, ut videatur intendere finem, quem homines per tales actus intendere solent, quamvis actu de illo fine non cogitet. Et dicitur *interpretativa*, quatenus ho-

mines, qui vident eum sic agere, putant, & moralitèr putare debent, intendere illum finem, qui intendi solet. Secundò dicitur *interpretativa* ea, qua quis aliquid intendit, non immediatè, & in se, sed mediatè tantùm, & in causa. V. g. *novit quis hanc herbam esse venenosam, & cum tali cognitione eam manducat.* Iste utique consetur, velle se occidere. Deinde intentio alia est *absoluta*, & alia *conditionata* quarum notio per se est satis manifesta. Supposito igitur ex dictis ad valorem Sacramenti necessariam esse in Ministro intentionem, saltem generalem faciendi, quod Ecclesia facit, aut Christus fecit: quin sufficiat intentio nudè respiciens opus externum, modo in notabilibus quæstionis explicato: nunc quæritur: *Quænam ex illis intentionibus necessaria sit in Ministro, ut conficiat Sacramentum?*

151 Dico 1. *Intentio actualis, licet sit optima, non est absolutè necessaria: sufficit enim virtualis, sed non purè habitualis.* Resolutio est communis, & docetur ab Scoto dicit. quæst. 6. ubi ait: *Dico, quòd sola intentio habitualis non sufficit in Baptismate: Ex his concludo, quòd sufficit in baptizante intentio virtualis, hoc est, quòd aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua descendit nunc verè actus baptizandi.* Ex his prob. secunda pars: (nam nempe, quòd intentio actualis est perfectior, per se est notum) Deus nec impossibilia, nec nimis difficilia jubet; sed intentio actualis, durante tota functione Sacramentali, fragilitati, aut levitati nostræ est nedum nimis difficilis, sed ferè impossibilis: ergo. Confirmatur: tum; quia si actualis non est necessaria: ergo sufficit virtualis; nam hæc perfectior est post illam, & vim habet ab ea. Tum; nam ut dicitur Tract. de Actibus humanis, ad valorem actionis requiritur, & sufficit, quòd actio imperetur, & fiat ex vi intentionis actualis, siye immediatè, siye me-

mediatè; sed hoc præstat intentio virtualis : ergo in defectu actualis hæc requiritur , & sufficit. Prob. minorem : Intentio virtualis illa dicitur , quæ licet transierit quoad actum , manet tamen in effectu suo , qui ex vi ejus , & per aliquem influxum mediatum producit : ergo. Tum ; quia ad rationem Sacramenti non requiritur major intentio , quàm quæ sufficit ad rationem actus humani ; sed ad hunc sufficit intentio virtualis : ergo & ad Sacramentum. Prob. minorem : Ad rationem actus humani non magis requiritur , quàm quod sit voluntarius , & liber in se , vel in causa ; sed hoc habet ab intentione virtuali , ut fatentur omnes : ergo. Prob. 3. pars ex Subt. Doct. Quia dormiens habet intentionem purè habitualem : multa enim faciunt dormientes ex habitu æquè , ac si vigilarent , & tamen hæc , nec ad meritum , nec ad demeritum imputantur eis ; sed dormiens non conficeret Sacramentum , licet perficeret omnem ritum externum , veram materiam , & formam applicando : ergo. Videantur aliæ rationes in Doctore : nam in re apud Theologos Moralistas inconcussa non licet ampliùs immorari : & deinde in solutione argumentorum adhuc clarebit.

152 Objicies contra 2. partem : Ad valorem Sacramenti requiritur intentio , quæ influat , & in suo genere causet actum illum ; sed intentio nequit sic influere , nisi sit actualis : ergo intentio actualis est necessaria : ergo virtualis non est sufficiens. Prob. minorem : Omnis causa realis debet coexistere suo effectui ; sed intentio non coexistit suo effectui : nisi sit actualis : ergo. Objicies contra 3. partem : Applicatio Sacrificii valet ex intentione habituali : ergo & confectio Sacramenti. Antecedens patet ex communi sensu : nisi enim sufficeret intentio habitualis pro valida applicatione , satisfactio sæpiùs deficeret. Unde qui alicui proposuit applicare 20 Missas v. g. si post præ-

mam Missam nihil cogitet de tali intentione usque ad ultimam , bene satisfacit. Prob. consequ. Non minor requiritur intentio ad applicationem Sacrificii , quàm ad ipsum conficiendum : ergo. Confirmatur : Intentio habitualis sufficit in suscipiente Sacramentum : ergo & in Ministro. Antec. apud omnes est certum. Prob. consequentiam : Nam major requiritur intentio ad validè conficiendum , quàm ad validè suscipiendum : imò Sacramenti valor plus pendet à dispositione susipientis , quàm Ministri : ergo.

153 Respondeo ad 1. negando minorem , & distinguo major. probationis : Omnis causa realis physica , permitto : realis moralis , nego major. Intentio itaque respectu effectus Sacramenti , potiùs quàm physicus , est influxus moralis : nam voluntas influit per modum imperii. Deinde potest distinguì : debet coexistere , saltem virtualiter , concedo ; formaliter , & per se necessariò , nego : nam projiciens lapidem mori potest , antequàm lapis ad scopum perveniat , & feriat ; & tamen illius effectus esset causa. Denique : intentio non est nisi pura conditio , ut Sacramenta sint signa gratiæ , seu illius causæ moralis , & ut Deus sit causa physica , seu ad positionem illorum infallibiliter causet gratiam. Ad 2. nego consequentiam , & antecedens probationis. Ratio disparitatis stat in eo , quod intentio , seu propositum applicationis est quidam contractus , aut quædam donatio : & ideò ex ipso promissionis instanti fructus Sacrificii , & jus ad Sacrificium acquiritur ab eo , cui donatus est. Modo quo , si ego promitto tibi pecuniam , quam habiturus sum cras , aut per hebdomadam , aut per mensem , illa pecunia ex tunc promissionis , & donationis esset à te acquisita , donec aliter pacteremur. Ad confirmationem concessio anteced. nego consequentiam , & antecedens probationis. Ex parte enim Ministri requiritur inten-

tionem virtualis , quin sufficiat habitualis ; quia Minister se habet , ut agens , & efficiens , & omne agens debet ad minus virtualitatem habere in ordine ad id , quod facit. At verò ex parte recipientis , vel subiecti , quæcumque intentio , etiam habitualis , sufficit ; quia se habet *merè passivè* , & in passivo nulla virtualitas est necessaria. Sufficit ergo , quod ex parte recipientis non sit obex , ut recipiatur , seu quod receptionem non repugnet interiùs. Patet in pueris suscipientibus Baptismum , qui nullam aliam intentionem habere possunt. Unde licet intentio in Ministro , & suscipiente sit necessaria ; aliter tamen , & aliter , sicut etiam ipsi respectu Sacramenti aliter , & aliter se habent. Sed verò ad tollendos Ministrorum scrupulos , advertendum cum nostro Gonzalez Matheo in Summ. Mor. Tract. 1. num. 49. quod homine in se stante , dum officium recitare incipit , vel Sacramentum conficere , aut aliquid aliud efficere , numquam intentio actualis , & practica illi deficit , semel quod volitionem positivam non recitandi , aut non conficiendi non habeat. Hæc intentio vocatur *directa* , & est , *qua quis advertens quid faciat , illud facit , quin advertat , se volitionem , aut intentionem habere*. Dicitur etiam *practica* ; quia in ipsomet facto significatur ; nam qui libertatem habet , ut faciat , vel non faciat rem , in ipsomet opere elicitò à se manifestat apertè , ipsum velle. Hæc igitur intentio sufficit , quin sit necessaria reflexa , illa , nempe , *qua quis advertens quid facit , per aliam cognitionem advertit , se advertere , & habere intentionem faciendi*. Unde judico , quod Minister , semel quod liberè Sacramentum ministret , dummodo in se sit , nempe , ut ait Subt. Doct. cum usu rationis , & voluntatem antecedentem non retractaverit , semper habet in ministrando intentionem *actualement practicam* , & non debet dubitare de valore Sacramen-

ti , eò quod apprehendat , distractum fuisse in actuali illius confectio-

ne. 154 Dico 2. *Intentio interpretativa non sufficit ad Sacramenti valorem ; nec conditionata de futuro ; hene verò de præsentì , aut de præterito*. Est communis : & probatur 1. pars : Intentio interpretativa , prout hic de ea loquimur , non influit nec in Sacramentum , nec in ejus effectum ; sed intentio , quæ sic non influit , non est ad Sacramentum sufficiens : ergo. Prob. mai. Qui vellet se inebriari , quia expertus est , se in ebrietate inclinari ad baptizandum , si jam ebrius baptizaret , illa baptizandi intentio in Baptismum verum non influeret ; sed de hac intentione interpretativa loquimur : ergo. Major claret : tum ; quia verus Baptismus exigit Ministrum compotem rationis , & capacem actus humani , non actus bestialis , qualis in illo casu poneretur ab illo homine. Tum ; quia ut ait Doct. d. 3. q. 2. n. 11. intentio Ministri talis esse debet , ut agat humano modo , & influat in effectum , ipsique jungatur , quod quidem non haberet illa intentio. Tum ; quia sicut , qui vult inebriari , ut in ebrietate blasphemet , non peccat , quando verba blasphemie profert , sed quando ponit causam liberè , quia tantum , ut homo , tunc agit ; ita qui verba pronuntiat , & materiam applicat in somno , vel ebrietate , nihil facit. Prob. 2. pars : Conditio de futuro suspendit valorem actus , donec ponatur conditio ; & ad Sacramenti valorem materia , & forma debent esse simul ; sed quando ponitur conditio , quæ verificanda fuerit in futuro , materia , & forma Sacramenti jam non existunt : ut si quis diceret , *ego te baptizo , si cras venerit Pater tuus* : ergo. Prob. 3. pars : Si conditiones de præsentì , aut de præterito sunt verè præsentès , aut præteritæ , forma transit in absolutam ; sed absoluta est valida : ergo. Unde Ecclesia solet dicere

re super illos, de quibus dubitatur, an sint baptizati: *Si non est baptizatus, ego te baptizo.*

155 Arg. Tum; intentio interpretativa, & indirecta sufficit ad peccatum mortale, & ut effectus sit voluntarius: ergo & ad Sacramentum validè ministrandum. Tum; qui nubit per Procuratorem, administrat Sacramentum Matrimonii indirectè, seu interpretativè, & non per se immediatè: imò & potest nec virtualiter influere in contractum, quando fit; quia potest dormire, quando Procurator verba consensus profert: ergo Sacramentum ex intentione indirecta, aut interpretativa valet. Arg. contra alias partes: Si Sacerdos pœnitenti, qui furavit, diceret: *Te absolvo hodie, si ablatum restitueris intra mensem*, faceret Sacramentum; sed ibi esset conditio de futuro: ergo. Prob. mai. Matrimonium valet sub conditione de futuro: ergo & absolutio: ergo & aliud quodcumque Sacramentum. Tum: Baptismus sub hac conditione: *baptizo te, si es salvandus*, esset validus; sed hæc & similes conditiones sunt de futuro: ergo sub conditione de futuro valet Sacramentum. Ad 1. distinguo antec. Sufficit ad peccatum, & ut effectus sit voluntarius in se, nego: in causa, concedo antec. & nego conseq. Dum quis se inebriat, ut ebrius non recitet officium, omissio officii utique est peccatum: at verò non peccat, dum est ebrius; quia tunc nec liber est, nec actum humanum habere potest; sed peccatum commisit, quando causam talis omissionis voluntariè, & cum advertentia posuit. Actus autem factivus Sacramenti est actus humanus in se: adeoque si, dum conficit, non est liber, & volitionem propriam actus humani in ipsomet opere Sacramentali non habet, ne utique Sacramentum conficere valet. Ad 2. nego antec. quia mandans censetur per se, & actu facere, quod fit per Procuratorem, qui est ejus

instrumentum voluntarium, & vivens. Non sic est de aliis Sacramentis, & causis intermediis: nam somnus, vel ebrietas non sunt instrumenta viventia, nec rationabilia, per quæ homo possit agere, aut in quibus suam intentionem possit ponere, nec deponere. Ad 3. nego maj. Et permissio antecedenti usque ad Tract. de Matrimonio, nego conseq. Est igitur magna differentia inter Matrimonium, & Pœnitentiam, ut illud valeat sub conditione de futuro, & non istud. Ratio disparitatis est 1. Quia Matrimonium est contractus quidam, qui semel quòd non constat de retractatione consensus antecedenter positi, semper censetur validus, & admittit ex sua natura conditiones, dummodo non sint contra naturam, & finem primarium Sacramenti. 2. Quia hæc est Christi voluntas explicata per Ecclesiam, quæ ab ipso fuit edocta, ut dicitur, dum pertractemus de Matrimonii valore sub aliquibus conditionibus. Ad ultimum, præterquamquod tales conditiones, & appositiones sunt gravia peccata, & omninò illicitæ, cum dubium saleim relinquunt Sacramenti valorem, omissis aliis solutionibus, nego maj. nam ex Christi, & Ecclesiæ intentione, Sacramentum per se debet conferri in verbis, quæ aliquid certè significant, quales non sunt illæ formæ sub conditionibus, quæ quoad nos regulariter certitudinem non habent: *quis enim novit sensum Domini?*

QUÆSTIO V.

Quæ fides, & probitas requiratur in Ministro ad Sacramenti valorem?

156 **D**ifficultas hæc comprehendit, tum Infideles, aut non baptizatos; tum Hæreticos, qui pertinaciter errant in aliquo fidei puncto; tum Catholicos, qui in pec-

ca-

cato mortali existunt; tum excommunicatos, suspensos, interdictos, ac etiam degradatos; tum denique illos, qui sunt de numero reproborum. Igitur circa omnes istos varii fuere errores diversis temporibus. Novatiani dixerunt, Sacramenta collata ab his, qui sunt extra Ecclesiam, non esse valida. Hic error incepit in Africa, & Asia: & D. Augustinus Lib. 2. de Bapt. cap. 7. judicat, authorem illius fuisse Agripinum Episcopum Cartaginensem. D. Cypriani prædecessorem, quem ipse Cyprianus secutus est cum multis Episcopis Africæ. At verò non pertinaciter, ut faciunt Hæretici; nam teste Augustino ibi cap. 9. Agripinus, & Cyprianus non viderunt ullam absolutam definitionem Ecclesiæ. Imò ipsemet Augustinus Ep. 48. ad Vincentium testatur, non deesse, qui affirmant, ipsum Cyprianum postea sententiam revocasse. Et D. Hieron. Dial. contra Luciferianos aperte scribit, Episcopos, qui cum Cypriano in quodam Concilio ab eis celebrato definierant eundem errorem, sententiam revocasse, permotos auctoritate Romani Pontificis, tunc Stephani. Verum hujus dubii resolutio non est præsentis instituti. Paulò post secuti sunt hunc errorem, etiam post Ecclesiæ definitionem, Donatistæ, de quibus D. Augustinus Lib. de Hæresibus cap. 68. scribit: *Hujus hæresis principem accepimus fuisse Donatum, qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment, propter ipsum potius eos Donatistas vocari.* Eundem errorem sectati sunt Ariani, ut constat ex S. Ambrosio, & S. Augustino. Sed Donatistæ auxerunt errorem; nam censabant, nedum Sacramenta, quæ conferebantur à Ministris Hæreticis, aut infidelibus, esse irrita, sed etiam quæ à malis Ministris conferebantur, etiam Catholicis, & intra Ecclesiam. Unde requirunt in Ministro fidem, & sanctitatem ad valorem Sacramenti. Idem tenebant Waldenses, Albigen-

Tom. I.

genses, Wiclephitæ, & Hùsitæ, qui hoc idem docuerunt de reprobis: ita ut, Sacramenta non valerent apud eos, nisi à Ministris prædestinatis reciperentur. Unde Waldenses ministeria Sacramentorum laicis bonis concedebant, atque illa eadem malis Sacerdotibus detrahebant: Renovavit eundem errorem Lutherus, dicens, eos omnes, & solos eos esse Sacerdotes, qui habent Spiritum Christi Domini. Unde Lib. de Missa abroganda, dicit, omnes Christianos equaliter esse Sacerdotes, eandemque potestatem habere: nemini tamen ea uti licere, nisi consensu communitatis. Consequenter ait, homines, & mulieres Ministros esse Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; (hæc tria tantum admittit) licet ad vitandam confusionem, non oporteat, omnes, nisi in aliquibus casibus, hac uti potestate. Et contra Calvinus sentit, hanc potestatem eos unicè habere, qui legitime sunt vocati, ita ut neque in necessitate extrema, licitum sit laicis, aut foeminis baptizare: His scitis:

Conclusio Catholica.

157 **S**I Minister debitam intentionem habeat, & nihil essenziale Sacramenti deficiat, verè conficit Sacramentum, sive sit Paganus, sive Hæreticus, sive Schismaticus, sive maximus peccator. Conclusio est de fide. Prob. 1. ex Subt. Doct. in 4. dist. 5. quæst. 1. num. 4. ubi loquens in terminis de Baptismo, inquit: *Uno verbo, non est necessaria in Ministro Sacramenti fides habitualis, nec sanctitas, ut validè fiat.* Et ibidem: *Placuit Christo instituenti Sacramentum, ut malitia Ministrum non impediret illud, nec ejus effectum.* Rationem quasi à priori assignat Doctor, quia ipsemet Christus est ille, qui baptizat invisibiliter, dum ille homo baptizat visibiliter, ex Joan. 10. *Hic est, qui bapti-*

M

ti-

izat. Ratio autem congruentiæ, quare Christus ita instituit, est. Primò; quia rationabile est, Deum assistere signo practico à se instituto, ne sit vacuum. Secundò; quia si valor Sacramenti à bonitate Ministri dependeret, ille valor esset rarus, & incertissimus. Unde numquam posset quis esse certus, se baptizatum esse, sed semper anxius viveret.

158 Prob. 2. ex Conciliis, in quibus damnati sunt præmemorati errores. Siquidem præter Stephanum I. qui reprobavit duo Concilia Provincialia, in quibus Præsules Africani statuerant, baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos esse, & contrarium definiuit: in Concilio Nicæno, teste D. Hieronymo, admittitur Baptismus omnium Hæreticorum, exceptis Paulianistis, & Cataphrigis. Ratio autem, quare, qui ab his erant baptizati, rebaptizabantur, & non alii ab aliis Hæreticis venientes, fuit, quia illi non servabant debitam formam Baptismi: non enim baptizabant in nomine SS. Trinitatis, quam non credebant, ideòque eorum Baptismus invalidus erat. Est igitur certissimum, quòd, si erga materiam, & formam non servetur modus debitus, quem Ecclesia accepit à Christo, non fit Sacramentum. In Florentino sic conceptis vocibus decernitur: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier; imò etiam Paganus, & Hæreticus baptizare potest.* Tridentinum Sess. 7. cap. 1. sic definit: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum consueverunt, aut conferendam pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Deinde expressè de hæresi loquens ait Can. 4. Sess. 7. *Si quis dixerit, Baptismum, qui datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti eum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum, anathema*

sit. Confirmatur ex traditione Ecclesiæ, & ejus praxi: quia Ecclesia non rebaptizat Lutheranos, & Calvinistas venientes ad fidem. Urgetur præcipue de Schismaticis: Circumcisio vigeat apud Samaritanos, qui erant inter Judæos, sicut Schismatici inter Catholicos, & apud Judæos, quemadmodum Baptismus vigeat apud nos, & Hæreticos; sed Circumcisio Samaritanorum non repetebatur, cum aliquis ex eis accedebat ad Judæos ergo. Minor constat ex D. Augustino Epist. 203. ad Maximinum Episcopum Donatistam, dicente: *Si vellet Samaritanus, quem Samaritani circumciderant, fieri Judæus, vacaret certè iterationis audacia, & id, quod apud hæresim factum erat, quod præceperat Deus, non repetere, sed approbare, cogeremur.* Urgetur denique ratione: Minister Sacramenti gratiam non confert, sed ipse Deus per ministerium, seu per manus Ministri: ergo sicut lux Solis non pluitur, nec minus clara est, licet transeat super lutum, aut stirquillium, ita nec Sol Justitiæ Christus Deus minus sanctificat animas per manus lutas, & fetidas malorum Ministrorum: ergo licet Minister sit maximus peccator, dummodò essentialia ad Sacramentum non deficiant, Sacramentum erit validum.

Solvuntur Argumenta.

159 **A**rgues 1. In variis Conciliis præcipitur, Hæreticos ad Ecclesiam accedentes esse baptizandos, & ordinandos, si jam ordinati erant, eorumque Baptismus, & ordinatio reprobatur. Sic sanserunt de Baptismo Apostoli Can. 26. iis verbis: *Episcopum, aut Presbyterum suscipientem Hæreticorum Baptisma, damnari præcipimus.* In Concilio Nicæno Can. 8. sic legitur: *Si qui venerint ad Ecclesiam ex Novatianis, placuit, ut ordinentur, & sic in Clero manent.* Et postea: *Si qui*

qui venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto, & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant. In Synodo 6. Trullana sic legitur: *Venientes ad Ecclesiam ab hæresi baptizamus: ergo censent, Baptismum, & Ordinem ab Hæreticis collatum esse irritum.* Confirmatur D. Athanasius serm. 3. contra Arianos, dicit: *Omnes Hæreticos habere inutilem aquam.* D. Leo Epist. 77. ad Nicetam: *Nullum Hæreticorum posse dare per Sacramenta sanctificationem.* Denique: Agrippinus, Cyprianus, & alii Sanctissimi Patres, & Episcopi docuerunt, irrita esse Sacramenta ab Hæreticis data, & accipientes rebaptizabant; sed hoc non fecissent Sancti illi viri, & Præsules, si putassent, Baptismum sic datum valere: ergo.

160 Respondeo negando assumptum. Ad Canonem Apostolorum dico sic: Baptismus collatus ab Hæreticis, qui non servant solitam Ecclesiæ formam, ut faciebant Novatiani, & alii veteres Hæretici, ut refert Sanctus Hyrinius Lib. I. contra Hæreses, cap. 18. reprobatus est, ut irritus, & nullus, concedo: Baptismus collatus ab Hæreticis in debita materia, & forma, nego: nam licet Baptismus ille ab adulto susceptus ministerio Hæreticorum, propter pravam susipientis dispositionem, plerumque sit illicitus, & infructuosus, tamen est validus. Sic etiam intelligitur Canon Trullanus. Ad Canonem Nicæni respondeo, illam ordinationem, & manus impositionem non fuisse consecratoriam, ita ut per illam Sacramentum Ordinis de novo reciperent, sed tantum reconciliatoriam, & absolutoriam, nempe, benedictionem, & absolutionem, per quam Clerici excommunicati, & prius ad Ecclesiastica munia inhabiles, ad eadem obeunda, & licite exercenda recipiebantur. Sic explicat Canonem Sanctus Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, & alii similes Canones intelligendi sunt eodem

Tom. I.

sensu. Ad confirmationem respondeo, Patres non negare Sacramentum ab Hæreticis collatum esse validum, ita ut sit reiterandum, sed solum negant, esse validum in ordine ad conferendam gratiam: quatenus Ecclesia prohibet, ne Sacramenta suscipiantur ab Hæreticis: ideòque Sacramentum aliquod ab ipsis recipiens, hoc ipso ponit obicem gratiæ. De hoc fusiùs argumento sequenti. Ad ultimum respondeo cum Subr. Doct. Patres illos ita sensisse ex errore; quia id nondum fuerat ab Ecclesia definitum. Et quamvis Cyprianus suam sententiam ferventiùs, quam par est, sustinuerit, promptiùs tamen fuit sentire aliter, statim ac Ecclesia id determinavit. Sed quia sunt plurimi, qui dicant, Cyprianum in sua sententia perseverasse, audi D. Augustinum, sic dicentem: *Præsumendum est, virum adeò sanctum sententiam mutasse: cujus correctionem, si litteræ taceant, merita clamant: si in ejus epistolis non invenitur, corona martyrii testatur.*

161 Arg. 2. Scriptura Sacra semper exigit sanctitatem in Sacerdotibus, & Ministris ad Sacramenta conficienda: ergo ad hoc ministerium necessaria est in illis sanctitas, & consequenter &c. Probare intendunt Hæretici antecedens multipliciter ex veteri, & novo Testamento. Ex veteri: nam Exodi 19. dicitur: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos.* Ideò Aaron, & filii ejus lavaverunt manus, & pedes, ingressuri tabernaculum, & accessuri ad altare, ut Deus statuerat Lev. 21. *Qui habet maculam, non offerat panes Deo.* Sapient. 1. *Spiritus Sancti disciplinæ effugiet filium.* Eccl. 24. *Ab immundo quis mundabitur? Qui baptizatur à mortuo, quid prodest lavatio ejus?* Jerem. 25. conqueritur Deus sic: *Facta est plebs mea mihi, sicut aqua mendax, non habens fidem.* Ex novo Testamento: Matth. 7. *Numquid colligunt de spinis ubas, aut de tribulis*

M 2

bulis

*hulis ficus? Et 9. Non potest arbor mala bonos fructus facere. Item: Deus peccatores non exaudit. Deinde: Apostoli prius receperunt sanctitatem, quam ministerium Sacramenti Pœnitentiæ, in quo peccata remittunt: accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata &c. ergo sanctitas, & puritas à peccato requiritur in Ministro ad valorem Sacramenti, & ejus effectum in suscipiente. Confirmatur ex SS. Patribus. Augustinus dicit: *Mali Ministri remissionem peccatorum non dant. Et illud: Quorum remiseritis peccata, Christus non dixit raptoribus, sed feneratoribus.* Ambrosius: *Est in aliquibus aqua mendax, non sanat Baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* Innocent. III. *Qui perfectiorem Spiritus, quam acceperant, perdidit, non possunt ejus plenitudinem dare: ergo juxta Ecclesiæ Catholicæ PP. mali Ministri Sacramenta non conferunt validè. Alia adhuc plura congerunt Hæretici.**

162 Respondeo ad hæc omnia, vera esse ad licitè Sacramentum ministrandum, sed non ad validè conferendum in se, & absolutè. Sed notanda est differentia maxima inter vetera, & nova Sacramenta: nam illa, ut dictum est disp. 1. ex communi sensu Ecclesiæ, & Patrum, solum ex opere operantis conferebant gratiam. Unde si ministrans non erat sanctus, non sortiebantur sanctitatis effectum. At verò in nostris Sacramentis gratia non confertur ex opere operantis, seu per modum impetrationis ex parte Ministri: sed ex opere operato, & per modum efficacis collationis, quæ à Deo fit invisibiliter ad visibilem applicationem Sacramenti. Unde, si *Paulus baptizet*, hic est, nempe, Deus, qui baptizat. Et sic absolutè, & simpliciter, ac de necessitate Sacramenti, sufficit, quòd Minister Sacramentum faciat modo debito, scilicet, applicando cum debita intentione res, & verba instituta à Deo;

quo posito; Deus ex parte sua assistit Ministro, ut per se gratiam conferat, quam promisit. Textus ex novo Testamento extra rem adducuntur; nam de operibus propriis cuilibet loquuntur: & certum est, quòd si operans non est in gratia, non prodest illi opus suum ad vitam æternam. Et licet erga Sacramentorum ministrationem intelligerentur, non quidem in alio sensu, quam loquuntur Patres, qui citantur. Isti enim, ut dictum est ad argum. præced. loquuntur de adultis recipientibus Sacramentum ab Hæreticis, & hoc ipso hæresi illorum consentientibus, de quo eruditè Bellarminus Tom. 2. Lib. 1. de Sacram. cap. 26. Et quidem quòd tantum in hoc sensu loquantur, patet ex Augustino Tract. 5. in Joan. ubi dicit: *Superbus Minister cum Diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi; quia per illum purus fluvius transit, & venit ad fertilem terram.* Nazianzenus Oratione 40. in Baptisma, comparat bonum, vel malum Ministrum sigillo aureo, vel ferreo, quod, *sive aureum sit, sive ferreum, eundem habet effectum.* Hoc Nazianzeni exemplum conveniens est, & clarissimum. Hæc doctrina roboratur ex littera Subt. Doct. in hac quæst. dicentis: *Quòd aut Hæreticus baptizat parvulum in forma, & intentione Ecclesiæ, & tunc nihil obest parvulo, nec quantum ad Sacramentum, nec quantum ad effectum. Aut baptizat adultum, & adhuc confert ipsi Sacramentum, & effectum ejus, si in adultum non est aliquis malus motus, puta, assensus in hæresim baptizantis, vel intentio, ut fiat discipulus ejus. Et de tali intelligenda est auctoritas Ambrosii, & Augustini.* Per quæ, & patet ad Innocentium, & plura alia de medio tolluntur. Ad illud de Apostolis, dico cum Chrysostomo, & Cyrillo, ibi nomine Spiritus Sancti intelligi, non gratiam sanctificantem, sed potestatem remittendi peccata, quæ potestas potest esse sine gra-

gratia gratum faciente. Unde intelligitur ipsemet Spiritus Sanctus, seu Divina omnipotentia assistens Ministris, ut conficiant Sacramenta, & per illa gratiam sanctificantem non ponentibus obicem conferant. Quicumque enim Minister, quantumvis pravus, eò quòd à Christo fuit assumptus, ut Minister alicujus Sacramenti, Spiritum Sanctum, cui attribuantur opera amoris ad extra, habet sibi assistentem, aut Divinam omnipotentiam, ad physicè efficiendum Sacramentum, & moraliter illius effectum.

163 Arg. 3. ratione: 1. Peccator administrans Sacramentum, illud polluit, & profanat; sed per actum profanativum non fit Sacramentum: ergo. 2. Tam irritum debet esse Sacramentum defectu debiti Ministri, quam defectu debite materiæ, aut formæ; sed iste defectus irritat Sacramentum: ergo & ille. 3. Nemo dat, quod non habet; sed Hæretici, & impii non habent gratiam sanctificantem: ergo. 4. Sacramenta sunt solius Ecclesiæ Catholicæ, quam Christus Dominus condidit; sed Hæretici, & Schismatici sunt extra Ecclesiam Catholicam, & in Sinagoga Satanae: ergo nequeunt conficere Sacramenta validè. Respondeo ad 1. distinguendo majorem: Illud profanat pro se, & in se ipso, concedo; in aliis, & pro aliis, nego major. & consequentiam: nam ut Augustinus inquit, *sanctitas Sacramenti per malum Ministrum tolli non potest; sicut vera solis, aut lucernæ lux, cum per cænosam difunditur, nihil inde sordium contrahit.* Ad 2. distinguo majorem: Defectu debiti Ministri, nempe, si desit ei potestas, vel intentio debita, concedo: si desit probitas, nego majorem, & consequentiam. Non enim Christus voluit alligare vim Sacramenti, & beneficia suæ misericordiæ Ministrorum bonitati, quæ cum sit nimis incerta, etiam nimis incerta, & fallibilia redderet Sacramenta, quòd claret, tum ex dictis:

tum ex Doctore dicente: *Quia si Baptismus non potest conferri, nisi à bono, non esset in magnum remedium viatoris. Cum enim quasi nullus possit esse certus de bonitate propria, multo magis, nec de bonitate alterius: ergo si ex bonitate Ministri dependet Baptismus, numquam posset aliquis esse certus, se verè recepisse Baptismus, quòd est inconveniens.* Aliam satis efficacem rationem ex parte suscipientis Sacramentum assignat Doctor videndam ibi. Ad 3. concessa major. distinguo minorem: Non habent formaliter, seu tamquam formam, à qua ipsi formaliter sanctificentur, concedo: ministerialiter, seu instrumentaliter, nego minorem. Causa principalis præcontinere debet effectum, non verò causa instrumentalis, & ministerialis, quæ nomine Christi operatur. Ad 4. nego consequentiam: quia Sacramenta semper sunt Ecclesiæ, etiam si interdum extra Ecclesiam reperiantur. Patet exemplo Hæretici venientis ad Ecclesiam, quæ non permittit, baptizatos ab Hæreticis iterum baptizari. Disparitas de sanctitate ad intentionem necessariam in Ministro ad valorem Sacramenti assignata est q. 4. num. 149.

QUÆSTIO. VI.

An liceat Sacramentum potere à malis Ministris?

164 **D**Uplex malus Minister assignatur à N. Subtiti Doct. 4. d. 5. quæst. 2. §. *Hic distinguitur.* Unus malus, quia ab Ecclesia est præcisus, vel totaliter, vel ad tempus: alter non præcisus ab Ecclesia, sed aliàs existens in peccato mortali, præsertim notorie, ut notorius *Fornicarius, Simoniacus &c.* Præcisio ab Ecclesia aliud non est nisi segregatio per Ecclesiasticas censuras, per quas quis præciditur, vel non solum ab exercitiis adminis-

tra-

trationis Sacramentorum, sed etiam à communione fidelium, ut per *excommunicationem*; prout de censuris traditur. Talis præcisus adhuc est duplex, scilicet, ab Ecclesia toleratus, & non toleratus. Primus est, qui per iudicis sententiam non est declaratus, & secundus è converso, qui per sententiam ecclesiastici iudicis est declaratus. Similiter peccator non præcisus duplex est, unus occultus, alter publicus, & notorius, ut publicus concubinarius, simoniacus, usurarius. Deinde ex generali acceptione, omnis Minister Sacramentorum, vel est Minister ex officio, ut Parochus, vel ejus substitutus; vel non est ex officio, ut quilibet alius, qui potest administrare Sacramentum. Sed valde est advertendum, quod dum certò moraliter mihi non constat, Sacerdotem malè administratum Sacramentum, supponere debeat, eum benè administratum. Quicumque enim præsumi debet bonus, donec constet esse malus. Neque ad id sufficit, recentem lapsum in mortali me scire; quia credere debeat, jam elicuisse contritionem, aut eam eliciturum, antequam conferat Sacramentum: & maxime, si videam, eum spontè se exponentem ad Sacramenta fidelibus ministranda.

165 His scitis, maximè distrahuntur Authores in præsentis difficultatis resolutione. D. Thom. quæst. 64. art. 6. ad 2. docet, licere accipere Sacramentum à Ministro existente in peccato, quandiu toleratur, secus autem, si non toleretur, ut si sit degradatus, publicè excommunicatus, aut suspensus. Cajetanus, & Victoria hanc D. Thomæ restringunt propositionem, dicentes, hoc licere, si Minister sit proprius Pastor, non verò si non sit. Ratio eorum est; quia quisquis jus habet accipiendi Sacramenta à proprio Pastore, quo jure propter Pastoris malitiam privari non debet: secus tamen dicendum est de illo, qui non est

proprius Pastor; quia tunc non habet jus accipiendi Sacramenta ab illo. Alii DD. dicunt, licere petere ab illo, qui est paratus ministrare, sed non si ad hoc non est paratus. Ratio illorum est: quia petens ab isto, qui non est paratus, inducit eum ad peccandum, quod numquam licet, non verò inducit eum, qui est paratus; quia iste ex propria voluntate peccat. Ita videntur philosophari debere, qui generaliter negant, circumstantiam inductionis ad peccandum esse confitentiam, si alter ad peccandum paratus erat. Ita cum pluribus aliis Diana. Nos verò per sequentes Conclusiones nostrum sentire declarabimus.

166 Conclusio I. *Licitum est in casu necessitatis petere, & recipere Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ à quocumque Ministro malo, etiam ab Ecclesia præciso.* Est communior, & expressa Subt. Doct. 4. d. 5. quæst. 2. dicentis: *Potest ergo quantum ad articulum istum teneri sententia media, quantum ad adultum; quod adulto licet recipere Baptismum à præciso, si alius Minister haberi non potest: & hoc videtur haberi ab Augustino 10. de Baptismo contra Donatistas.* Prosequitur Doct. idem asserendo de parvulo. Prob. Conclusio: Tum ex cap. *Romanus Pontifex* d. 4. de consecratione, ubi dicitur: *Romanus Pontifex non attendit hominem, qui baptizat, sed Deum, etsi Paganus sit, qui baptizat.* Tum ex D. Augustino Tract. 5. in Joan. dicente: *non exhorrescat columba ministerium malorum: respiciat Domini potestatem. Quid sibi facit malus Minister, ubi bonus est dans?* Tum ex Tridentino Sess. 14. cap. 7. dicente: *In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo, omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt:* ergo in casu necessitatis licitum est petere Pœnitentiæ Sacramentum à Mi-

Mi-

Ministro malo, etiam præciso. Tum ex cap. *Sciscitantibus* quæst. 8. ubi Nicolaus I. scribit sic: *Sciscitantibus vobis, si à Sacerdote, qui sive deprehensus in adulterio, sive de hoc fama sola respersus est, debeatis communionem recipere, nec ne? Respondemus: ab eo, donec iudicio Episcoporum reprobetur, communio recipienda est.* Tum ratione destruente fundamentum contrariæ sententiæ: Si quid obstaret, ut talis petitio, & receptio esset licita, maxime, quia petens Sacramentum cooperaretur ad malum Ministri in peccato Sacramentum ministrantis; sed non obstat: ergo. Probo minorem: Petens in tali necessitate, non peteret, ut Minister peccaret, sed peteret actum intrinsecè bonum: & si est Minister ex officio, tunc petit, quod sibi debetur à tali Ministro; sed hoc stante, non cooperatur ad peccatum Ministri: ergo. Minor claret; quia petens, quantum est ex parte sua, desiderat, ut Minister benè ministret, & coneratur: petit enim actum, qui licitè fieri non potest, nisi ab existente in gratia, & contrito. Probatio hæc procedit de Ministro peccatore non præciso.

167 Probatur etiam de præciso ratione efficacissima, qua Subt. Doct. utitur: Minister præcisus solùm est præcisus præcepto Ecclesiæ; sed in casu necessitatis Baptismi v. g. cessat præceptum Ecclesiæ: ergo. Prob. minor. Præceptum superioris plus obligat, quàm præceptum inferioris; sed Deus præcipit Baptismum suscipi, & non determinat à quibus tempore necessitatis: Ecclesia autem prohibet communicare cum illo, quem præcidit: ergo in casu necessitatis magis obediendum est præcepto Dei, quàm Ecclesiæ: ergo in hoc casu cessat præceptum Ecclesiæ. Mai. certa est; quia quando duo jura concurrunt, jus fortius prævalet, & alterum cedit. Unde quando obligatio juris Divini concurrat cum obligatione juris Ecclesiastici, jus Ec-

clesiasticum juri Divino cedit. Minor patet ex illo: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* quod est præceptum divinum: prohibitio autem recipiendi Baptismum à præciso solùm est juris Ecclesiastici. Confirmatur ex eodem Scoto: Magis tenetur excommunicatus vitare communicationem cum aliis, quam alii cum illo: nam propter quod unumquodque est tale, & illud magis: ratio autem quare aliquis in communicatione est vitandus, alia non est, quàm excommunicatio illa, quæ inest sibi, & non aliis; sed excommunicatus licitè potest communicare cum illo, qui expositus est periculo vitæ corporalis, ut illum sublevet: ergo multò magis talis expositus periculo vitæ potest cum excommunicato communicare. Nunè sic: sed majus est periculum vitæ spiritualis, quàm corporalis: ergo in casu necessitatis Baptismi, si aliter adjuvari non possit parvulus, licitum est præciso ministrare Baptismum parvulo (idem est de adulto) & licitum est parvuli Parentibus, aut Curatoribus Baptismum petere à tali Ministro. Sed addit Scottus, diligenter esse inquirendum, an haberi possit Minister non præcisus pro parvulo. At verò si periculum imminet, & expectari non potest, tenetur Pater Ministro præciso suum parvulum offerre.

168 Conclusio II. *Si non adest necessitas, non licet Sacramentum à malo Ministro petere.* Est communis. Prob. 1. ex Conciliis Constantiensi, Basiliensi, & Lateranensi, in quibus gravis poena decernitur adversus eos, qui Ordines, aut Sacramenta aliquà à prohibitis Ministris susceperunt. Confirmatur: Tum; quia Innocentius I. Epist. 22. c. 3. scribit: *Dicimus, ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manuum impositionem habere caput:* Tum; quia S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 37. laudat generosam animi constantiam S. Hormenegildi, qui voluit potius

su-

subire cruentam necem, illatam imperio Patris, quam Eucharistiam ab Episcopo Ariano porrectam recipere: ergo sine necessitate Sacramenta à Ministro malo, & præsertim præciso, non licet petere: sicut enim illi prohibita est ministratio, ita & aliis prohibetur invitatio, & receptio. Prob. 2. ex Subtili Doct. loco citato §. *Quantum autem ad 2. dicente: Si possit habere alium, cui incumbit ex officio baptizare, aut æquè malum, aut meliorem. Si meliorem? Peccat, qui ab illo malo recipit Baptismum.* Quapropter, si adsit copia melioris Ministri, tenetur suscipiens ex charitate petere Sacramentum à meliori Ministro. Ratio est; quia ex præcepto charitatis tenetur homo ad vitandum scandalum, & ruinam spiritualem proximi, quando sine incommodo proprio possumus: at verò non tenemur, si sequitur nobis incommodum, vel detrimentum, sive corporale, sive spirituale, quando opus aliquod, quod exercemus, est bonum, aut indiferens, per se non ordinatum ad peccatum, nec ex ea intentione exercitum, sed sequitur solum ex prava alterius intentione, & usu; quem quidem ipse non tenetur non permittere cum damno proprio.

Solvuntur Argumenta.

169 **A** Rg. 1. D. Ambros. Lib. de initiandis rudibus, dicit: *Qui faciunt, & quibus faciunt, nihil prodest, sed ad iudicium est;* sed hic loquitur de malis Ministris baptizantibus, & recipientibus ab eis Baptismum: ergo. Confirmatur ex Apostolo ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum, qui ea (peccata) faciunt, sed etiam, qui consentiunt faciendis;* sed qui petit, aut accipit Sacramentum à malo Ministro communicat, aut consentit ei in peccato, scilicet, in sacrilega Sacramenti administratione: ergo non licet à malo Ministro Sacramenta petere. Ex-

plicatur: Numquam licet cooperari peccato; sed qui petit ab illis Ministris, certissime cooperatur illorum peccato, imò & illos invitat ad peccandum, nempe, ad sacrilegium committendum: ergo numquam licet ab eis petere Sacramentum. Respondeo cum Subt. Doct. D. Ambrosium loqui de adultis suscipientibus in fide dantium, ut fiant discipuli eorum: Et præsertim loquitur de illis, qui recipiunt Baptismum Hæreticorum veram formam non habentium; imò voluntatem contrarium faciendi, quod Ecclesia facit. Hi enim nihil faciunt, & sunt rebaptizandi, & idem de ab illis sic ordinatis. De hoc etiam dictum est Quæst. antec. n. 126. Ad confirmationem nego min. nam qui Sacramentum suscipit à malo Ministro, sed ab Ecclesia tolerato, non communicat illius peccato: quin potius communicat sanctitati Ecclesie, quæ illum Ministrum exhibet, & tolerat ad res divinas peragendas, & saluti fidelium inserviendum. Si autem non est toleratus, licet potestas ordinis, quam habet, ligata sit pro tempore, quo censura durat, non tamen in illis casibus est ligata, nec id intendit Ecclesia. Patet ex Trident. apertissime, loquendo de absolute in articulo mortis. Ex quo ad explicationem nego minorem; quia in illis casibus necessitatis, adhuc præcisus, non est talis pro illis, ac proinde peccatum non committit. Pro peccatoribus minor est ratio; quia isti possunt, & debent pœniteri, antequam ministrent: & si non faciunt, eorum culpa est, & non petentis, qui suo utitur jure. Unde concludit Doctor: *Petens magis necessitat Sacerdotem ad pœnitendum, quam ad actum peccandi. Si autem ille non pœniteat, nihil imputandum est ei, qui petit illum actum; quia non in quantum est peccatum petit, sed in quantum debitum est.*

170 Argues 2. & replicabis. Juxta Subt. Doct. à Simoniaco volente ven-

vendere Baptismum, non licet recipere illum, emendo ab eo: ergo non licet ab aliquo malo Ministro petere Sacramentum. Prob. consequentiam: Ideò antecedens est verum; quia sciens, Ministrum non velle ministrare sine simonia, & petens ab illo Sacramentum, cooperaretur tali peccato: ideòque ait Doctor, *quòd non posset ab eo recipere Sacramentum illud, sed potius sine illo debere mori, quam cooperare simonie;* sed idem est motivum in quovis alio casu ex assignatis, ne, scilicet, peccetur mortaliter, cooperando ad malum: & certè cooperaretur peccato Ministri mali, & indignè ministrantis: ergo. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequent. Disparitas est manifesta; quia Sacramenti venditio habet necessariò malitiam conjunctam, quæ ab ea separari non potest, si venditio fiat: ideòque emens nedum etiam cooperaretur simoniæ Ministri, sed etiam emendo Sacramentum, ipse committeret peccatum simoniæ. At verò ministratio Sacramenti ab existente in mortali non conjungitur necessariò cum malitia sacrilegii; quia Minister potest eam separare, habendo contritionem. Si verò Minister sit præcisus, censetur habilitatus quoad illos casus. Unde necessitas potest sic urgere, ut sine novo peccato id fiat. Non tamen in casu simoniæ, nisi deponat animum simoniacum; quia cum ejus malitia sit intrinseca, non potest separari à venditione Sacramenti, & ideò venditionem petens, petit quod directè est malum.

171 Argues 3. Juxta Subt. Doct. Sacramentum petendum est à meliori Ministro, si commoditas adest; sic ait: *Si non incumbit illi ex officio, etsi homo possit habere alium meliorem, peccat, qui à malo recipit:* ergo signum est, numquam licere à malo Ministro petere: aliàs non esset necessarium, illum umquam vitare. Denique: quamvis doctrina da-

Tam. I.

ta vera esset de parvulo, non verò pro homine adulto: ergo huic non licet &c. Prob. antecedens: Omnis adultus potest supplere defectum Sacramenti per actum contritionis: ergo nullus possibilis est casus, in quo adultus possit licitè petere, & accipere Sacramentum à Ministro præciso, vel peccatore. Respondeo negando consequentiam. Scotus enim id docet, ubi nulla est necessitas petendi Sacramentum à tali Ministro malo. Unde dicit, quòd sine urgenti ratione nullatenus eligatur malus, & negligatur bonus: sed quòd bonus eligatur, ne etiam à longè, & indirectè cooperando, præbeatur occasio exercendi ministerium alicui improbo, & ut omninò tollatur omne periculum exercendi illud sine contritione. Ad ultimum nego antecedens, & consequentiam probationis; quia dum agitur de æterna salute, omnis homo debet eligere viam securiorem, qualis est via Sacramenti. Si autem quis esset omninò certus, & securus de sua salvatione, tunc jam, ni fallor, posset se à Sacramento in tali casu abstinere. Sed quis securus, & certus se ipsum discernit, ut certus sit, se habere contritionem? Supponit igitur nostra Conclusio, quòd petens non potest ab alio bono, & digno Ministro petere, nec sine evidenti, aut probabilissimo periculo salutis differri. Nam si adsit, aut expectetur alius idoneus Minister, vel expectari possit, tunc saltem ex charitate tenetur ad alium recurrere, vel expectare.

172 Sed quid dicendum in casu urgentissimo, quòd Minister nollet baptizare, nisi reciperet pretium pro actu baptizandi? Nonne parvulus relinendus esset in periculo damnationis? Respondet Doctor: *Baptizet ipse, si possit, utpotè si non est „ mancus, vel mutus: vel si non „ posset invenire aliquem, qui baptizet parvulum suum, nisi remente „ do Baptismum, debet dimittere*

N

par-

parvulum suum mori sine Baptismo: nam non sunt facienda mala, ut inde veniant bona, ad Roman. 3. & quilibet magis debet diligere se ipsum, quam proximum: & per consequens magis in se ipso vitare peccatum mortale, quam in alio damnationem. Tamen ille casus de difficili, vel numquam contingeret, quin sine simonia committenda ex parte baptizantis, vel offerentis parvulum baptizandum, posset Baptismus haberi. Si enim ille Sacerdos vellet vendere aquam suam, & nullo modo aliter concederet eam, potest ipsa emi, est etiam quod sit consecrata: sed nullo modo habendo oculus ad consecrationem; quia tantum valeret, quantum non consecrata. Sic enim licet vendere Calicem consecratum, nullo modo oculus habendo ad emendum, vel vendendum consecrationem. Si autem Sacerdos nitatur vendere actum baptismationis, potest ille, qui offert parvulum, emere, non intendens actum illum emere, in quantum est Sacramentalis, sed laborem Sacerdotis in illo actu. Sicut conducuntur hodie Sacerdotes ad celebrandum Missas, non ut ipsi vendant, & alii emant actum celebrationis, in quantum est Sacramentalis, quod absit: sed ipsi vendunt laborem, & alii emunt eum: quia oportet, unumquemque de suo labore taliter qualiter vittare, & vitam acquirere. Hæc, & alia plurima habet Doctor, & non pauca perdoctus Hiquæus in Commentarium.

173 Ex dictis resolvi possunt plures castis ad moralitatem attinentes, & doctrina hucusque data ex eorum resolutione non parum roborari potest. Primus est: *An quis possit petere mutuum ab eo, quem petens scit, non daturum ipsi nisi ad usuram?* Supponendum est, quod petere ad usuram est intrinsicè malum, atque adeo grave peccatum. Unde solùm

queritur: *an petere mutuum?* Respondeo, quod si petens est in gravi necessitate constitutus, nec alius est, qui ei succurrat, potest petere mutuum, estò prævideat, non daturum sibi, nisi cum usura ex parte dantis. Ratio est; quia in hoc casu usura non est voluntaria petenti mutuum, nec sic petere habet per se movere voluntatem mutuantis, ut cum usura mutuet. Ad summum erit *causa per accidens*, & occasio, quam mutuans ad usuram accipit, quia vult; & petens, ut suppono, justam rationem ad petendum habet. Nec in casu, quo alius non sit, qui ei mutuet, tenetur necessitatem pati, & ab usurario non petere; nam ille non petit, ut cum usura mutuet. Unde tota usuræ malitia stat in mala voluntate mutuantis. Si verò alius sit, qui sine usura mutuet, & sic suam possit succurrere necessitatem, ab hoc, & non ab usurario, petere debet.

173 Secundus est: *An opera de præcepto, & de consilio vitari debeant, ne proximo præbeatur scandalum, & peccati occasio?* Casus est: *Fœmina lascivè concupiscitur ab homine, scitque, quod si homo ille illam videt, lascivè concupiscit: num ad hujus hominis vitandum peccatum, teneatur omittere Sacrum in die festo, aut saltem in die non festo, in quo simul concurrat ad Sacrum audiendum concupiscens homo?* Respondeo, quod talis mulier non debet se retrahere a Sacro audiendo in neutro casu. Imò peccaret, si in die festo Sacrum non audiret. Ratio pro prima parte est: quia opera præcepti, etiam positivi, omitti nec possunt, nec debent ad vitandum scandalum, maxime quando scandalum est acceptum, & non datum, ut in præsentis casu; non enim adimplens præceptum occasionem peccati tribuit in opere bono, & quod implere debet, sed tota scandali malitia pendet a prava voluntate concupiscientis, qui de bono opere occasio-

nem

nem ad malum liberè sumit. Est communior doctrina cum Potesta Tom. 1. n. 338. Matheo Tract. 7. §. 9. n. 63. contra Castro Palao, & alios. Ratio pro 2. parte est: quia opera consilii omitti non debent ob scandalum vitandum, quando scandalizatus peccat ex malitia, & pravo affectu proprio, ut in casu. Non enim oportet, quod propter proximi malitiam privetur quis bonis spiritualibus, imò nec temporalibus. Est enim hoc scandalum pharisaicum, de quibus scandalizatis Dominus Matth. 15. dixit: *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Tertius est: *Quando debeat vitari temporalis exponi pro spirituali vita proximi?* Dico, quod si necessitas spiritualis est extrema, v. g. *puer sine Baptismo est in extremo mortis periculo*, debet quis exponere vitam suam temporalem, si benè dispositus se sentit, ad succurrendam parvuli extremam spiritualement necessitatem. Sic videtur intelligi debere illud Joan. cap. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Dixi: *Si se benè dispositus sentit:* nam si timet, aut dubitat, de sua salute spirituali, non tenetur; quia salus propria spiritualis exponi non licet pro ullo casu. Posui etiam exemplum in parvulo; quia talis extrema necessitas possibilis non est in adulto, qui per dolorem, & contritionem peccatorum suorum succurrere potest, & debet se ipsum. Omitto similes alios casus.

174 Dubitabis: *An Minister Sacramentorum peccet, quoties Sacramentum ministrat in peccato mortali?* Dubium hoc, propter varios dicendi modos, factum est satis implexum. Duplex distinguitur communiter Sacramentorum Minister. Unus consecratus, & est ille, qui in Ecclesia est specialiter deputatus pro administratione Sacramentorum; qui etiam dicitur Minister ex officio, vel Minister Ordinis. Alius est Minister non consecratus, seu non ex officio, qui dicitur Minister necessitatis, ut

Tom. I.

laicus baptizat parvulum, necessitate urgente. De Ministris consecratis, & ex officio, affirmant omnes, & idem sentiunt plurimi de Ministris non consecratis. Imò sic strictè in hoc puncto procedunt, ut sustineant, Subdiaconum, & Diaconum lethaliter peccare, si sua adimpleant munera sine statu gratiæ. Hoc idem asserunt de Concionatoribus verbum Dei in peccato publicè annuntiantibus. De his omnibus, ac etiam de ordinatis Ordinibus minoribus, aliquid, sed brevi calamo, hic venit pertractandum.

175 Dico 1. *Minister consecratus, & ex officio mortaliter peccat peccato sacrilegii, quoties Sacramentum conficit, & ministrat sine sanctitate, aut in statu peccati mortalis.* Est communis, & docetur a Subt. Doct. 4. dist. 5. quæst. 2. ubi dicit, *eum, qui, necessitate urgente, petit Sacramentum ab homine peccatore, non cooperari peccato ejus: ergo censet, existentem in peccato mortali, & sic Sacramentum conficientem mortaliter peccare, si antequam conferat, non eliciat actum contritionis.* Prob. 1. ex Scriptura, & Patribus: *Isai. 25. Mundi estote, qui fertis vasa Domini.* *Exod. 19. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Idem constat ex *Levit. 21.* Ex quibus sic: Deus præcipit, ut sui Ministri Sancta sanctè pertractent: ergo si Deus requirebat puritatem conscientiæ in Ministris veteris legis, multo magis hæc videtur necessaria in Ministris novæ legis, ut dignè accedant ad tractanda Sacramenta, quæ ordinantur ad conferendam, non, ut antiqua, solùm sanctitatem legalem, sed internam, & supernaturalem. Ex Patribus exhortantibus Ministros Sacramentorum, ut mundi illa administrent, eminent D. Gregorius Epist. 24. inquit: *Necesse est, ut munda sit manus, que diluere sordes curat, ne tactu quæque deterius inquinat.* Nicolaus I. in responsis ad consulta Bulgarorum,

N 2

scri-

scribit: *Mali, bona ministrando, se ledunt, se detrimenta præstant* &c. Similia dicit Urbanus II. Epist. ad Lucium. D. Augustinus ad verba illa Psalm. 103. *Qui tegis aquis superiora ejus*, sic loquitur: *Videant, quam rationem sint reddituri coram Deo, qui Sanctis non sanctè utuntur.* Prob. secundò ratione: Dei irreverentia, & sacrorum contaminatio, utpotè sacrilegium, est peccatum mortale ex genere suo; sed administratio Sacramentorum, dum fit à Ministro, qui est in mortali peccato, est Dei irreverentia, & ipsorum Sacramentorum contaminatio; nam Minister, quantum in se est, illa polluit, ac Dei præsentia se indignum præbet, dum se in sacrum ministerium in statu Deo odioso ingerit: ergo.

176 Dico 2. *Probabile valde est, quòd etiam Minister, qui in Ecclesia non est specialiter deputatus pro Sacramentorum administratione, peccat mortaliter, si in peccato mortali administrat.* Intelligatur, casu quòd laicus v. g. baptizans, tempus habeat se disponendi, vel per Confessionem, vel per contritionem: non verò in casu, quòd urgens necessitas tempus non permetteret, aut illam dispositionem invincibiliter ignoraret. Resolutio est contra non paucos, cum Suario, & Gonetò, intendentes, solum Ministrum ex officio, ac ab Ecclesia ad illud munus obediendum destinatum, obligationem habere se constituendi in statu gratiæ. Unde volunt, solum ex conditione Ministri ex officio oriri obligationem status gratiæ, atque in tali conditione præceptum fundari. Consequenter defendit Gonetus, Diaconum, Subdiaconum, & quemcumque alium sacrum Ministrum suum munus potestativè, & ex officio exercentem in peccato gravi, peccare mortaliter. Utrumque verò à nobis falsum æstimatur. Resolutio nostra, quæ videtur consequentia doctrinæ ex antecedenti, defenditur à pluribus, tam ex Nostratibus, quam ex Ex-

traneis quibus noviter adhæret P. Berti lib. 30. cap. 14. citans D. Thom. 4. dis. 24. q. 1. art. 3. & illam probans ex Tridentino, quod universim loquens de omnibus Sacramentum ministrantibus Sess. 13. c. 7. sic definit: *Non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanctè.* Relicta verò contraria opinione in sua probabilitate, qualiscumque fuerit, suadetur nostræ eadem ratione, ac antecedens assertio: Nam laicus baptizans, & Matrimonium contrahens, non minus conficit Sacramentum, & rem sanctam peragit, quàm Sacerdos absolvens, & Episcopus ordinando; vel non minus, quàm si isti baptizarent: ergo pariter. Confirmatur: Eò Minister ab Ecclesia deputatus debet in gratia Sacramentum ministrare, quia cum Deo authore Sacramentorum, & cum Sacramenti sanctitate debet se conformare; sed laicus in peccato Sacramentum conficiens nec sanctitati Sacramentorum, nec Christi eorum auctori se conformaret, & se conformare debet: ergo. Urgetur, & explicatur hæc ratio: Si Minister necessitatis non temeretur ad statum gratiæ, dum Sacramentum administrat, hoc utique proveniret, vel ex necessitate suscipientis illud, vel ex defectu solemnitatis Ecclesiæ, vel quia ille non est Minister ex officio solemnitatis; non enim assignabile est aliud caput excusans ab obligatione status gratiæ. Nunc sic: sed non ex 1. capite: nam suscipientis necessitas non impedit, quòd Sancta sanctè tractari debeant. Nec ex 2. quia Ecclesiastica solemnitas accidentaliter est Sacramento, & obligatio sanctè administrandi illud oritur ex ritu substantiali, & sanctitate intrinseca ipsius Sacramenti. Nec ex 3. capite: siquidem obligatio aptius, quàm ex Ministri consecratione, dici debet oriri ex sanctitate Sacramenti, & Christi, ac ex debita reverentia ipsi Christo Domino, ad quam Minister, tam consecratus, quàm

quàm non consecratus, tenetur: ergo.

177 Si autem dicas cum Gonetò, Suario, & Bonacina, 1. Qui ex necessitate, & non ex officio, administrat, existens in mortali, non videtur tantam irreverentiam Deo irrogare, quàm qui hoc facit ex officio, & non ex necessitate: ergo quamvis Minister destinatus, aut consecratus ad aliquod officium, peccet mortaliter administrando sub mortali; non tamen qui specialiter non est destinatus. Nego consequentiam. Ex quo enim unus magis discordet, quàm alius, non sequitur, quòd uterque non discordet. Discordat utique uterque à sanctitate Sacramentorum, illorumque authoris, quamvis aliàs intra lineam gravis irreverentiæ, ac peccati, unus magis, quàm alius peccet: sicut qui die prohibito manducat carnes suasionibus attractus, minus aliquantulum peccat intra latitudinem peccati mortalis, quàm qui carnes manducat sine aliqua persuasione. Præterquamquod, nullus administrat Sacramenta, qui non sit Minister à Deo ad hoc institutus: aliàs nihil ageret: igitur omnes Ministri debent se in sanctitate conformare Deo Sacramentorum auctori, atque Sacramentis ipsis. Si dicas 2. Majorem injuriam irrogaret Regi administrans ei Pincernam manibus fædis, quàm qui necessitate compulsus id munus obiret: ergo quamvis Minister deputatus peccet mortaliter administrans in peccato, non autem, qui non est deputatus. Negatur consequentia propter dicta ad præcedens. Nec exemplum urget: quia etiam reputaretur gravis injuria illius, qui, quamvis non ex officio, Regi immundus ministraret, si aliàs potuisset non immundus accedere, sicut quilibet, etiam laicus, potest se ad gratiam præparare.

178 Dico 3. *Nec Subdiaconus, nec Diaconus, qui existentes sub mortali, exercent suum munus, hoc est, Evangelium, & Epistolam canunt so-*

lemniter, peccant mortaliter. Idem est dicendum à fortiori de ordinatis Ordinibus minoribus respectu suorum officiorum. Nec denique Concionator verbum Dei prædicans conscientia impura mortaliter peccat. Resolutio triplicem continet partem, & erga omnes est magnum dissidium inter Authores. Sunt Theologi eruditi, qui judicent, inter quos Frassenius, Diaconum, Subdiaconum, ac Concionatorem suum ministerium in mortali peccato impletes, peccare mortaliter peccato sacrilegii quæ quidem sententia probabilitate non caret. De exercentibus minores Ordines in peccato, sentit Frassen oppositum, sed alii eodem modo sentiunt, ac de Ordinibus majoribus; quod quidem videtur satis rigidum. Prob. assertio de Diacono, & Subdiacono: Actiones, seu exercitia istorum, non sunt sanctificantes, seu non causant gratiam, sicut Sacramenta, ex opere operato: ergo nec Ministri ad illas exercendas tenentur se ultimò disponere ad sanctitatem, ut se cum auctore gratiæ conforment. Patet consequens: quia non est alia ratio magis urgens pro statu gratiæ in Ministris Sacramentorum necessariò inveniendâ, nisi quia debent se conformare cum gratia Sacramenti, ut constat ex dictis. Urgetur: Ideò peccarent mortaliter, quia rem sacram peragerent in peccato mortali; sed ex hoc nullatenus sequitur: ergo. Prob. min. Si Episcopus in mortali conferat primam Tonsuram, conficiat Chrisma, benedicat oleum, aut paramenta, consecret templum, aut calices, rem sacram conficit; sed non est reus sacrilegii, etiam si hæc peragat in peccato mortali, ut sentit Frassenius, & est communis inter Theologos, quamvis Medina opinetur oppositum: ergo. Idem de Sacerdote talia, & similia munera exercente, est dicendum. Prob. conseq. Eò antecedens conceditur, quia licet illa sint quid sacram, non tamen sunt ins-

instituta ad conferendam gratiam, neque in illis Minister se habet, ut legatus Dei animam sanctificans; sed hoc idem reperitur in exercitio cantandi Epistolam, & Evangelium; est enim indubitabile, quod in his actionibus, sicut & in præcedentibus, non est causa sanctitatem impertiens: ergo pariter. De *exercitibus Ordinibus minores*, minor est difficultas: Tum; quia materia levis est. Tum; quia actus illi, non nisi remotè ad sacrificium, & Sacramentum ordinantur. Tum; quia adhuc non est omninò certum inter DD. minores Ordines rationem habere perfectam, & completam Sacramenti. Deniquè de *Concionatoribus*, per dicta constat, non peccare lethaliter, si in peccato verbum Dei prædicent: licet enim verbum Dei sit sacrum, non est gratiæ per se collativum, neque ad sanctitatem *ex opere operato* conferendam, institutum est tale ministerium.

179 Objicies contra 1. assertionem: Si ministrare Sacramenta in statu peccati mortalis esset mortale, eò maximè, quia omnis rei sacræ administratio in peccati mortalis statu novum ingerit mortale peccatum; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. Tum; quia ex dictis, si Episcopus in mortali conficiat Chrisma, benedicat oleum, aut templum, vel calices consecret, mortaliter non peccat, & tamen conficit rem sacram. Tum de Diacono, & Subdiacono, & Concionatore, qui etiam suum exequendo ministerium, rem sacram perficiunt, & tamen non committunt novum peccatum: ergo neque qui ministrant Sacramentum. Confirmatur: Peccatores non committunt novum peccatum, dum opera charitatis exercent; sed opus charitatis est Sacramentorum administratio: ergo peccator, qui illa administrat, non committit novum peccatum. Respondeo distinguendo majorem: quia administratio omnis rei sacræ animam sanctificantis, concedo; præcisè rei

sacræ, nego majorem, & in eodem sensu min. Ad probationem negatur paritas. Etenim illa non sunt per se instituta, nec ordinata ad gratiam conferendam, neque in illis Minister se habet, ut legatus Dei sanctificans animam: ac proinde non videtur novum peccatum mortale committi, licet peragantur in statu peccati mortalis. Ratio est; quia ad committendum peccatum grave sacrilegii, non sufficit, quod res sacra fiat utcumque, sed quod illa actio sit per se consecrata, & ordinata ad proximè conferendam animæ sanctitatem. Si aliter esset, sequeretur, quod ordinati Ordinibus minoribus, v. g. *Acolytus*, lethaliter peccarent, suum exercentes ministerium in peccato, & idem dicendum esset de Sacerdote benedicente aquam, cum istæ etiam sint res, & actiones sacræ. Cum igitur hoc à majori Adversariorum parte non admittatur, pariter nec illud. Ad summum, qui talia in mortali peccato perageret, peccatum veniale committeret; quia Ministri Sacrorum præ cæteris hominibus tenentur habere sanctitatem. Ad confirmationem distinguo majorem: Dum opera charitatis exercent ex re non sacra sacrate, & sanctificante animam, concedo: animam sanctificante, & ad cujus sanctificationem à Deo instituti sunt Ministri, ac ipsius gratiæ causæ instrumentales, quasi in genere causæ efficientis, ut sunt Sacramentorum Ministri, nego majorem. Solutio satis claret ex dictis.

180 Objicies contra 3. assertionem: nam quæ contra 2. objici possunt, in ipsamet sunt soluta. Eadem est ratio, ac idem præceptum, & obligatio status gratiæ in suis muneribus exercendis incumbit Diaconis, Subdiaconis, & Concionatoribus, ac Ministris Sacramentorum: ergo si isti sub gravi peccato tenentur Sacramenta ministrare sub statu gratiæ, pariter illi tenentur sua munera exercere. Prob. majorem, Tum; quia

Pau.

Paulus 1. ad Timoth. monet: *Diaconos similiter esse pudicos, non bilivagos, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Unde Gregorius IX. dixit, Clericos non esse impediendos in susceptis Ordinibus ministrare, postquam penitentiam egerint. Sic ait: *Quod si non penituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in susceptis Ordinibus non ministrent:* ergo supponit Pontifex, Clericos ob peccata mortalia in susceptis Ordinibus ministrare, impeditos esse. Tum de Concionatoribus; quia prædicatio, & prædicare est actus ordinis sacri, ex Ecclesiæ institutione ordini sacro applicatus: ergo à persona sancta exerceri debet. Tum; quia qui in statu peccati mortalis prædicat, injuriam irrogat prædicationi, verbo Dei, ac institutioni Christi. Hinc Psalm. 49. dicitur: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum per os tuum?* Et Matth. 23. Christus insectans Pharisæorum perversitatem, inquit: *dicunt enim, & non faciunt: alligant enim onera gravia &c.* Lucæ 4. extat Sacrum proloquium: *Medice, cura te ipsum.* Quadrat etiam in Concionatorem illud Apost. ad Rom. 11. *Qui enim alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis, non mæchandum, mæcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis.* Hæc, & alia similia, ex Patribus, ex Scriptura, & Pontificibus, Theologi eruditi proferrunt.

181 Respondeo; quod quamvis prædicta sacra ministeria Ordinis in gratiæ statu adimplere congruentissimum sit, atque honestissimum, ac propterea consulendum, ac curandum: & pariter in Concionatoribus, licet id esset convenientius, decentius, ac fructuosius, ut sic Ministri sanctitas efficacis prædicationis cooperetur: nullum tamen ad id obli-

gans assignari potest præceptum, sicut assignatur pro Ministris Sacramentorum. Nec adhuc pro istis est præceptum aliquod expressum, sive divinum, sive humanum, quod Theologi inter se controvertunt. Unde videtur mihi dicendum, obligationem non ministrandi Sacramenta in statu peccati mortalis provenire ex jure divino naturali, orto ex natura Sacramentorum. Cum enim ea Deus instituerit ad sanctificandum, gravis fit irreverentia, tam ipsis, quam auctori ipsorum, quando sumuntur ab immundo Ministro ad sanctificandum. Quare cum hæc sit præcipua ratio ad affirmandam obligationem sanctitatis in Ministris Sacramentorum, que verificari non potest, nec in exercitio prædicationis, nec Sacrorum Ordinum, consequenter non est stabilendum tale præceptum, nec gravandæ sunt conscientiæ cum illo. Ex quibus ad locum Pauli dico, esse dignissimam admonitionem tanti Doctoris, non autem præceptum, quod imponat eis. In capite Gregorii agitur de publico concubinato, homicidio, perjurio, falso testimonio, quibus in excessibus, si Clerici inveniantur, & admoniti non emendentur, ab exercitio Ordinis suscepti priventur, ut apparet clarissimè ex contextu. Hoc autem quid valde diversum est à nostro casu. Aliàs, si de omnibus Clericis illud caput intelligeretur, ac de omni Ordinis exercitio, sequeretur, etiam Ostiarium, aut quemlibet alium, Ordines minores exercentem in peccato mortali, mortaliter peccare: & pariter Episcopum, aut Sacerdotem, Sacramentalia exercentes, quod non concedunt Adversarii, ut constat ex 3. assertionem supra num. 178. Per eandem doctrinam patet ad id de Concionatoribus. Nullibi enim constat de tali præcepto: & solum consentiam, committere sacrilegium, si ita Concionator notorio criminis esset pollutus, ut propter illud scienter impediret prædicationis fructum. Unde dato,

to, quod prædicatio sit actus ordinis, quod quidem negari potest, cum ex institutione Christi solum competat Episcopis, cæteris autem ex Episcopi licentia, vel ex adjuncto officio Pastoris, & animarum regimine; non tamen per prædicationem dat sanctitatem ex opere operato: & id eo non apparet, quare prædicans, quia præcisè prædicat, debeat esse in statu gratiæ, nec quod Deo irroget in eo irreverentiam gravem.

182 Petes: *Quomodo Minister, qui se sentit sub mortali, præparare se debeat ad dignam Sacramentorum administrationem?* Marsilius, & Adrianus senserunt, præviam confessionem necessariam esse ei, ne in ministrando peccet mortaliter. Oppositum tenent communiter DD. Pro nunc dico breviter: talem Ministrum teneri, vel accedere ad confessionem, vel elicere actum supernaturalem contritionis. Ratio est; quia uno ex his modis ultimo se disponit ad receptionem gratiæ sanctificantis. Unde constat, ad hanc præparationem non sufficere attritionem supernaturalem: sufficere tamen dilectionem Dei super omnia, quæ in Scotistarum sententia est, sicut contritio, ultima dispositio ad gratiam. Si dicas: ad conficiendum Eucharistiam, necessarium est Ministro existente in mortali præmittere confessionem: ergo hoc Sacramentum requirit præviam confessionem ad dignam administrationem: ergo & cætera pariter. Antecedens docetur à Trident. Sess. 13. cap. 7. Respondeo 1. negando paritatem; quia ad Eucharistiam conficiendam adest expressum Concilii præceptum, quod non constat pro aliis Sacramentis. 2. negatur utraque consequentia: quia tunc confessio requiritur, non propter Sacramenti administrationem, aut confectioem; sed quia aliàs Sacerdos conficiens debet communicare: & ad communionem requirit Tridentinum præviam confessionem illius, qui præsentit mortale. Dices: ergo Mi-

nister, qui existens sub mortali, distribueret Eucharistiam ab alio consecratam, non peccaret mortaliter. Concedo conseq. cum N. Gonz. Math. Lugo, Tamburino, & aliis: quia tunc nec Sacramentum conficit, nec ejus effectum impedit, nec irreverentia talis est, ac tanta, quod peccatum mortale constituat: nam ad alteri Sacramentum ministrandum non requiritur tanta, ac talis puritas, ac dispositio, quanta ad illud conficiendum, & recipiendum. Quare solum erit peccatum veniale. Deinde, licet negetur consequentia, quæ optimè negari potest, nec tenet argumentum, nec aliquod sequeretur inconveniens; quia tunc verè esset Minister Sacramenti gratiam ex se conferentis, qui, ex dictis, debet esse in statu sanctitatis. Hinc advertes, Angelum, & Silvestrum scrupulose discurrere, dicentes, Clericum existentem in mortali, rem sacram, ut calicem, aut corporalia tangentem, mortaliter peccare.

QUÆSTIO. VII.

An Minister debeat denegare Sacramentum indignè petentibus?

183 **Q**uæstio intelligitur, & procedit de illo, quem Minister certò sciret esse in peccato mortali, & petere Sacramentum cum obice ad effectum Sacramenti. Unde nomine *indigni*, non intelligitur subjectum incapax, qualis est fœmina respectu Sacerdotii, sed intelligitur homo, vel mulier, in peccato existens, per quod fit incapax gratiæ Sacramentalis; & aliàs capax illius esset. Peccatum autem aliud est *publicum*, vel quia tale est notorietate facti, ut *publicus usurarius*, vel per sententiam iudicis. Aliud *occultum*, quod, scilicet, solum notum est Ministro, vel paucis admodum è Civitate, vel populo. De utroque peccatore quæritur: *An Minister debeat illi concedere, vel*

vel negare, Sacramentum? In qua difficultate, licet DD. unanimiter consentiant, peccatori publico debere negari, valde dissentiunt erga occultum peccatorem. N. Cardinalis de Laurea nervosè affirmat, peccatori occulto, etiam si publicè petat, denegandum esse Sacramentum. Sunt etiam, qui asserant, Eucharistiam non esse conferendam peccatori occulto, & occultè petenti, etsi Minister sciat peccatum per confessionem. Sed de hoc amplius Tract. de Euchar. disp. 4. Nunc solum dicemus, quod attinet ad Sacramentum in genere consideratum.

184 Conclusio I. *Non licet Sacramentum ministrare publico peccatori.* Est communis, & prob. 1. ex Scriptura. Matth. 7. dicitur: *Nolite sanctum dare canibus. Et non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Per canes autem intelliguntur peccatores, juxta illud Psal. 68. *Famen patientur, ut canes:* ergo. Hoc idem docent Patres, præcipue de Eucharistia, & expressè prohibetur in Rituali Roman. de *Sac. Euch.* ubi dicitur: *Arcendi sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, meretrices, concubinarij &c.* Prob. 2. Tum: qui sic ministraret, graviter peccaret contra Religionem, & contra charitatem: ergo ministrare Sacramentum peccatori publico non licet. Prob. antec. quoad 1. partem: Religio dicitur, res sacras non esse profanandas, nec sic ministrandas, ut fructu careant: ergo. Prob. quoad 2. Quia cooperaretur talis ministrans peccato, & perditioni susipientis: ergo. Antec. patet; nam sic esset causa sacrilegii, quod suscipiens indignè committit: ergo. Tum: Sapiens dicit: *peccatoris vita est vilior luto:* ergo qui Sacramentum porrigit ei, quem scit indignum esse, & peccatorem, illud quasi in lutum projicit, & atrociter polluit.

185 Conclusio II. *Minister non debet negare Sacramentum peccatori*
Tom. I.

occulto, publicè illud petenti. Prob. 1. ex Rituali Rom. in quo de Sac. Euch. sic habetur: *Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat: non autem si publicè petant, & sine scandalo illos præterire nequeat:* ergo cum necessariò sequeretur scandalum, si publicè petenti denegaretur Sacramentum, sequitur, quod Minister non debet &c. 2. probatur exemplo Christi, qui Sacramentum Corporis sui non negavit Judæ, hominum pessimo, ne Apostolis manifestaret ejus peccatum occultum, & sic celaret famam ejus: ergo nulli ejus Ministro licet peccatum occultum manifestare. Tum: jure nature prohibemur diffamare proximum; sed Minister diffamaret illum, cui publicè denegaret Sacramentum: ergo. Prob. minorem. Nam cum non debeat nisi peccatori denegari Sacramentum, per illam publicam repulsam publicaretur ejus peccatum. Tum ex praxi Ecclesiæ Sacramenta tali peccatori non deneganti, ut constat ex cit. Rituali, & ex qua praxi colligitur apertè, eam fuisse Christi Domini voluntatem. Sic igitur Ecclesia prudentissimè se gerit: nam si Ministris liceret, aut tenerentur sic repellere fideles, multa scandala, & mala gravia orientur inde: siquidem multi innocentes infamarentur ex indiscreto zelo, vel fortè ex malitia Ministrorum: multi averterentur à frequentatione Sacramentorum, timentes talem injuriam; & confusionem passuros: adstantes perturbarentur jurgia, rixæ, lites, & odia accenderentur: ergo.

186 Conclusio III. *Si peccator occultus privatim petat Sacramentum, & possit declinare sine scandalo, debet Minister illi denegare: non tamen, si illud peccatum sciret per confessionem.* Prob. 1. pars: In hoc casu cessant motiva, propter quæ Ecclesia vult, peccatori occulto publicè petenti Sacramentum, ei non denegari, ut consideranti patebit:
O ergo.

ergo talis rectè potest, & debet à Sacramentis repelli. Prob. 2. pars, in eujus oppositum citatur D. Thomas, & nos adducemus ejus verba disp. 4. de Euchar. Numquam Sacerdos uti debet, nec potest, saltem externè, notitia habita ex confessione Sacramentali: ergo si peccatum petentis Sacramentum, v. g. Eucharistiam, non novit, nisi ex Sacramentali confessione, non debet illam negare. Antecedens patet ex communi sensu Ecclesiæ. Unde Confessarius non potest uti tali cognitione ad reum convincendum, nec alio modo judicandum, quàm si reatum ejus ignoraret prorsus. Confirmatur: Secretum confessionis Sacramentalis est juris naturalis, divini, & Ecclesiastici, ita ut nulla humana potestas possit præcipere revelationem dictorum in confessione, ut Subt. Doct. docet 4. d. 21. quæst. 1. ergo numquam licet illud violare. Quare estó reverentia Sacramenti, & illud non exponere, sit etiam juris naturalis, & divini, prævalét tamen in nostro casu jus sigilli Sacramentalis: Christusque mavult illud infringi, quàm istud: eò vel maximè, quia unum Sacramentum violaretur propter aliud, scilicet, confessio propter Eucharistiam, & homines distraherentur ab illius frequentatione, potiusque eligerent indignè communicare, quàm peccata sua expiare per confessionem: & sic plura, & majora sacrilegia nascerentur inde.

187 Arg. 1. in 1. Concl. Peccator publicus, dummodò non sit excommunicatus, jus habet ad recipiendum Sacramentum: ergo si petit, non debet illi dénégari. Prob. ant. Talis peccator est Christianus, & non est separatus à communione fidelium, semel quòd non sit excommunicatus; sed hoc ipso jus habet ad Sacramentum, sicut & ad communionem fidelium: ergo. Confirmatur: Talis peccator non est pejor Juda; sed Christus dedit illi suum Corpus: ergo Minister, qui aliter

peccatori daret illud, Christum imitaretur. Sed Minister debet, aut eò licet, imitari Christum: ergo. Urgetur: Peccator occultus non minus est peccator, quàm publicus: ergo non magis debet ei dari Sacramentum; quia nec minus in eo Sacramentum profanatur, nec minus id à Deo prohibetur. Nunc sic; sed peccatori occulto, publicè petenti, denegari Sacramentum non licet: ergo nec publico peccatori, si petat publicè. Respondeo negando antecedens, & minorem probationis. Licet enim per peccatum mortale præcisè non sit membrum præcisum ab Ecclesia per formam exteriorè: tamen cessat esse membrum Christi vivum, & est Ecclesiæ membrum mortuum. Unde si peccatum est publicum, cum ad famam suam non habeat jus, nec habet ad Sacramentum. Ad confirmationem nego consequentiam: nam Judæ peccatum tunc erat occultum: imò per scientiam non humanam cognitum. Non autem ita est de peccatore publico, ut ex rationibus Conclusionis fit manifestum. Ad urgentiam nego consequentiam quoad omnes ejus partes. Ratio disparitatis consistit in ipsa ratione peccatoris publici, & occulti. In peccatore publico diffamaretur Sacramentum ex infamia susipientis, ex qua oritur scandalum apud eos, qui noscunt ejus indignitatem. Non ita est de occulto peccatore, in quo læderetur charitas, & justitia per diffamationem, quam ex repulsa pateretur: & hæc fuerunt motiva Christo, & Ecclesiæ, ut aliter de isto, ac de illo, statuerent.

188 Arg. 2. contra alias Conclusiones multipliciter. 1. Charitas, & justitia non magis urgent, & obligant ad non diffamandum peccatorem occultum, quàm ad non contemnendum Deum, & non profanandum Sacramentum: ergo ad tuendam famam petentis, non debet illi dari Sacramentum, quod in illo foedatur, & profanatur. Probo anteced. Charitas,

tas, & religio respiciunt Deum: ergo tantò magis urgent ad non conferendum Sacramentum indigno, quanto Deus magis est creaturis præferendus. 2. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: ergo non debet Minister peccare, nec Sacramentum profanare, ut servetur fama peccatoris. Nunc sic: sed Minister in casu Conclusionis peccaret, quia non minus cooperaretur peccato occulto ipsius petentis, quàm publici peccatoris: ergo. 3. Non licet dare Corpus Christi petenti illud ad conculcandum, aut in stirquilinum projiciendum; sed tota hæc injuria committitur ab indigno, etsi occulto: ergo nec isti licet dari hoc Sacramentum. Respondeo ad 1. negando consequentiam, & probationem. Non enim ipse Deus contemnitur, nec peccatur contra cultum, & charitatem illi debitam, quando agimus juxta regulas ab eo præscriptas per Ecclesiam. Hæc autem præcipit, Sacramentum concedi occulto peccatori, qui illud petit publicè, ut claret ex

fundamentis Conclusionis. Ad 2. concesso enthymemate, nego probationem. Non itaque Minister in casu Conclusionis peccat, dum Sacramentum concedit; nec Deus offenditur ex parte Ministri; quia hic facit, quod debet. Unde tota indignitas, & totum peccatum sacrilegæ susceptionis est in ipsa voluntate susipientis indignè: cui voluntati non cooperatur Minister, nec se habet propriè positivè, sed tantum permissivè; idque quasi invitus facit, ut obediat legi naturali, & positivæ Divinæ, & Ecclesiasticæ. Ad 3. nego majorem. Patet ex facto Christi Domini communicando Judam, qui Corpus illud Sanctissimum accepit cum prava, & sacrilega intentione, illud conculcandi, & suis mortalibus inimicis tradendi. Deinde non est eadem ratio pro eo, qui petit Sacramentum ad externè illud conculcandum, ac pro eo, qui tantum occultè, & quatenus est indispositus, profanat illud, & de isto unicè est quæstio.

DISPUTATIO III.

DE CAUSALITATE, ET EFFECTIBUS Sacramentorum.

Utilitas Sacramentorum, ac maxima excellentia eorum elucet, ac manifestè apparet per suos mirabiles effectus. Unde postquam de essentia, & eorum causis satis disseruimus, ad causalitatem, & efficaciam Sacramentorum recto ordine est deveniendum.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo Sacramenta nostra vim habeant conferendi gratiam?

189 Circa Sacramentorum efficaciam, ac producenti virtutem variè erraverunt Hæretici, tum Veteres, tum Recemptiores. S. Augustinus lib. de Hæresibus refert, Manichæos negasse Sacramentis vim omnem justificandi. Paulitiani docuerunt, Baptismum nullatenus animæ prædesse, quamvis aliquam utilitatem afferat corpori. Eundem errorem docuerunt Massaliani, seu

O 2 seu

seu *Messaliani*, teste Damasceno, Lib. de *centum hæresibus*. Quantum ad Recemptiores Hæreticos; non una, & eadem, sed multiplex fuit eorum circa Sacramentorum efficacitatem sententia: nam Sacramentarii, & Anabaptistæ, quos Zuinglius, & Socinus, secuti sunt, omnimodam gratiæ productionem denegant eis. Quod attinet ad Lutherum, & Calvinum, aliquando consentire nobiscum, aliquando dissentire, videntur. Reverá tamen á nobis discrepant penitus; nam nullam aliam causalitatem adstruunt in Sacramentis, quam *rememorationis*, vel *excitationis*, non veró veræ productionis gratiæ. Volunt enim per Sacramenta nutriri, & excitari fidem, per quam homo immediatè justificatur. Unde Melancthon in apolog. Confes. Augustanæ pronuntiat audacter: *Damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent, quòd Sacramenta non ponentibus obicem conferunt gratiam ex opere operato sine bono motu utentis. Hæc simpliciter Judaica est opinio, quòd per cæremonias justificamur sine bono motu cordis, hoc est, sine fide: & tamen hæc impia, & pernicioza opinio magna auctoritate docetur in toto regno Pontificio.* Sic blasphematur protervus iste Hæreticus. Omnes isti Sectarii, præcipuè recentes, voces has, quibus Catholici utuntur, nempe, *ex opere operato*, abhorrent, & rejiciunt. Hoc veró non obstantè, explicant Catholici, quid intelligatur per has voces *ex opere operato*, & *ex opere operantis*. Nominè operis operati intelligitur ipsum opus Sacramentale externum, & secundum se, independentè á merito interno, tam Ministri, quam suscipientis, qui sunt operantes. Per *opus operantis* intelligitur effectus Sacramentorum productus ex vi, & efficacia operis interioris Ministri, aut suscipientis, ut dum quis gratiam sanctificantem obtinet virtute contritionis, aut alterius dispositionis, vel

actus alterius virtutis á se, vel á Ministro elicit. Hoc supposito, procedendum est in hac quæstione contra præmemoratos Hæreticos.

190 Sed quia nec Catholici Doctores inter se conveniunt in modo dicendi erga Sacramentorum causalitatem, quamvis unanimi consensu impugnent præfatos errores, supponendum est, ut etiam disputemus cum illis, Sacramenta, alia dici *mortuorum*, illa, nempe, quæ ex se supponunt animam foedatam peccato, ut sunt Pœnitentia, & Baptismus; alia nominari *vivorum*, qualia sunt cætera Sacramenta, quæ ex se, & vi suæ institutionis habentibus gratiam conferunt. Etiam est supponendum, gratiam sanctificantem aliam esse primam, & aliam secundam. Illa est, quæ hominem injustum reddit justum: ista veró est, quæ homini jam justificato confertur, augendo illam, quam jam habebat. Unde conferre secundam gratiam, nihil aliud est, quàm augere. Hoc supposito, aliqui Theologi docuerunt, quòd dum dicitur, omnia Sacramenta gratiam conferre, deberi intelligi de prima gratiâ sanctificante, & non solum de augmento gratiæ. Alii dixerunt, Sacramenta vivorum numquam primam gratiam conferre posse; quia hoc non habent ex sua institutione. Alii veró Theologi concedentes, non omnia Sacramenta habere ex vi suæ institutionis primam gratiam conferre: sed quædam principaliter esse instituta ad primam gratiam conferendam, qualia sunt mortuorum: quædam veró per se, & principaliter instituta ad conferendam secundam gratiam, seu gratiæ augmentum; opinantur, quòd indirectè, & per accidens fieri potest, ut Sacramenta instituta ad primam gratiam conferendam, augmentum gratiæ conferant: & é contra, illa quæ ad augmentum sunt instituta, conferant aliquandò etiam primam gratiam. Ex his Authoribus, uni affirmant, Eucharistiam posse per accidens causa-

re

re primam gratiam, & de aliis Sacramentis vivorum negant: alteri veró, & hoc est frequentius apud illos, omnibus Sacramentis vivorum concedunt causare posse per accidens primam gratiam, Eucharistia excepta: huic enim Sacramento, dicunt, numquam competit primæ gratiæ collatio, sed præcisè gratiæ augmentum, seu numquam competit ei remittere mortale peccatum. Sic non pauci Scotistæ, volentes Subt. Doct. adducere in suum sentire. Sed immeritò, ut apparebit.

191 Conclusio I. *Omnia novæ legis Sacramenta ex se gratiam sanctificantem, sive primam, sive secundam causant: & hoc ex opere operato.* Conclusio quoad omnia est Catholica, contra præmemoratorum Hæreticorum deliramenta. Prob. prima pars, 1. ex Scoto 4. d. 1. quæst. 2. inter alia dicente: *Ista Sacramenta novæ legis gratiam causant, tamquam signum efficax: vetera autem non ita causabant.* Prob. 2. ex Conciliis: nam in Symbolo Nicæni, & Constantinopolitani confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Florentinum in decreto Eugenii de differentia Sacramentorum veterum á nostris, ait: *Hæc nostra, & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt.* Trident. Sess. 7. cap. 6. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ... anathema sit.* 3. ex Scripturæ locis, quibus docemur, effectum Baptismi esse ablutioem, & regenerationem animæ: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Et: *baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Quod magis de omnibus patebit, dum pertractemus de efficacia singulorum in particulari. Hæc eadem veritas fateatur á SS. PP. & est constans Ecclesiæ traditio. Prob. denique: Baptismus in pueris non justificat excitando

in eis fidem, cujus non sunt capaces: ergo inutilis esset in eis, nisi per se in illis gratiam causet: ergo pueri essent sine remedio salutis; non enim salvari possunt sine originalis peccati remissione per gratiam sanctificantem. Confirmatur: Adhuc in ipsis adultis salus esset difficilis, & incerta, ac Sacramenta inutilia; sed hoc est absurdissimum: ergo. Sequela maj. patet 1. Quia multi ita rudes sunt, ut ex Sacramentalibus signis vix concipere possint, quid, aut quomodò significant: ergo vix possunt in eis excitare fidem, per quam sanctificentur, ut proterbiunt Hæretici. 2. Quia multi etiam dubitare possunt de sua propria fide, an, scilicet, credant verè, sincerè, & firmiter: ergo dubitare semper deberent de sua salute; quòd quidem maximum est inconveniens.

192 Secunda Conclusionis pars, nempe, quòd Sacramenta ex opere operato causant gratiam, demonstrata est per rationes pro 1. Sed ulterius prob. ex Scoto d. 1. q. 6. dicenti: *Sacramentum ex virtute operis operati confert gratiam, ita quòd non requiritur ibi motus bonus interior, qui mereatur gratiam: sed sufficit, quòd suscipiens non ponat obicem.* Item ex Conciliis: nam in Nicæno agnoscitur virtus Dei in ipsa aqua Baptismi, non in actibus baptizati, vel baptizantis. Sic ait: *Aquam vides? Considera virtutem Dei in aquis absconditam.* Florentinum docet, quòd Sacramenta nostra verè continent gratiam, & eam conferunt dignè suscipientibus; sed eam verè non continerent, si illam non conferrent, nisi ex opere operantis: ergo conferunt ex opere operato. Clarissimè Tridentina Synodus: *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed ipsam fidem solam divinæ promissionis ad gratiam conferendam sufficere, anathema sit.* Eadem constat veritas ex Scriptura, & PP. Ex Scriptura: nam de Baptismo

mo

mo constat, quod nascimur ex aqua, & Spiritu Sancto. Ubi aquæ tribuitur efficacitas instrumentalis, & Spiritui Sancto principalis. Pœnitentiæ tribuitur remissio peccatorum: *quorum remisistis peccata*. Eucharistiæ causalitas vitæ æternæ: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, & sic de aliis, quibus utique illa virtus tribuitur, non autem soli fidei, vel merito suscipientium: ergo. Ex PP. nam Augustinus tract. 88. in Joan: *Christianus in aqua gignitur, & formatur*. Ambrosius de Init. cap. 4. *In illo mundi consepultus elemento, peccato mortuus ad vitam est resuscitatus æternam*. Sic de aliis Patribus, qui omnes gratias, & effectus alios tribuunt non fidei, vel suscipientium meritis, sed Sacramentis ipsis. Confirmatur: Si Sacramenta nostra verè in se non continerent, & causarent gratiam per aliquam vim sibi à Deo datam, sed ex merito suscipientium, vel ministrantium, non differrent ab antiquis Sacramentis, & cæremoniis Mosaicis, nec ab aliis bonis operibus, *charitatis, spei, abstinentiæ, &c.* sed hoc falsissimum est, & sæpè constat ex dictis: ergo. Urgetur ex praxi: Nam Baptismus datur pueris, qui non sunt capaces operum fidei, aut aliarum virtutum: & idem est de perpetuo amentibus: ergo in eis non causat ex solo opere operantis. Sed illam infallibiliter causat: ergo ex opere operato. Respondent Lutherani, & Calvinistæ, pro eo tempore, quo baptizantur parvuli, eis divinitus concedi usum rationis. Verùm responsio hæc potius digna est risu, quàm impugnatione. Nec ullus erit cordatus, qui credat, Deum istud miraculum operari, cum nec Scripturæ, nec SS. PP. illius umquam meminerint: nec ullus hucusquæ fuit, qui recorderetur de tali usu rationis pro illo tempore, nisi fortè absurdè hoc de se asserant ipsi Hæretici, qui adeo irrationabiliter discurrunt in adulta ætate.

193 Objiciunt Hæretici primò ex Scrip. Homines non salvantur sine fide, imò non nisi per fidem: ergo gratia non confertur per Sacramenta, saltem efficienter, & immediatè, sed tantum mediatè, seu quatenus illa signa nos ad credendum excitant. Prob. antecedens: Ad Rom. 1. & ad Hebræ. 10. *justus ex fide vivit*. Item: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Ad Ephes. 5. dicitur, Christum mundasse Ecclesiam *labacro aquæ in verbo vitæ*; sed per verbum vitæ nihil aliud intelligitur, quàm verbum, quod fide conceptum vitam producit, videlicet, dum homo apprehendit per fidem promissiones divinas sibi factas, easque constanti animo expectat: ergo. Item: remissio peccatorum excedit facultatem possibilem ulli creaturæ: *quis enim potest, dicitur ad Ephes. 5. dimittere peccata, nisi solus Deus?* Et sic de aliis innumeris Scripturæ locis, in quibus commendatur efficacitas, & necessitas fidei, ut unicum medium ad salutem: ergo. Respondeo negando antecedens, & consequentiam. Itaque nos fatemur, & agnoscimus utilitatem, & necessitatem fidei in adultis: hoc autem non derogat Sacramentorum efficaciam; alioquin Sacramentum esset inutile in parvulo, & in carente rationis usu, frustraque ab eis perciperetur, cum fidei nullum habeant exercitium. In primo loco commendatur fides, & cum illa vivit homo: non verò per illam justificatur: aliàs magni peccatores, qui retinent fidem, & Dæmones, qui credunt, in gratia viverent, & justi essent. Dicit Apostolus, fidem disponere ad justificationem, quod & nos fatemur, & requiritur in adultis. De his enim dicitur: *Corde creditur ad justitiam*: & illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*. Si enim non pro adultis, & utentibus ratione, sed etiam diceretur pro parvulis, non dixisset aliàs: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, non potest introire in regnum Dei*. Ad illud Pauli Ephes.

9. dico, quod *verba vitæ* sunt verba consecratoria, à Christo instituta, & spiritualiter vivificata, quæ sunt forma Sacramenti, & quibus significatur assistentia SS. Trinitatis ad tribuendam vitam spiritualem. Ad ultimum dico, quod Sacramenta non remittunt peccata ex propria virtute, & ut causæ principales, quod quidem reservatum est Deo soli, sed ut causæ instrumentales, sive morales, ut asserunt Scotistæ, sive physicæ, ut propugnant Thomistæ.

194 Objiciunt 2. ex SS. PP. Hieronymus in Isai. cap. 4. inquit: *Homo præbet aquam, Deus autem Spiritum Sanctum, quo sordes animarum abluuntur*. Augustinus: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* scilicet, verba nec efficiunt, nec causant gratiam, ut dicta, sed mediante fide suscipientis, seu ut credita. Clarius Serm. de verb. Dom. *Baptisma, quod semel adbibetur, per fidem mundat*. Et quæst. 50. Nov. Test. negat, hominem per aquam, quæ certatur, immutari, sed *Spiritus, qui non videtur, operatur, ut fides in eo sit*: ergo ex PP. Sacramentum externum, & sensibile nihil operatur per se, sed per solam fidem, quam excitat. Alia plurima, præsertim Augustini, congerunt Hæretici, quæ significare videntur, homines non aliter justificari per administrationem Sacramentorum, quàm orando, & deprecando: de quo latè Frassenius. Confirmatur totum: Illa efficacia, quam pos Sacramentis attribuimus, valde injuriosa est Christo: ergo gratis illis, & sine fundamento conceditur. Prob. antecedens: Nam avertit homines à Christo, & à fiducia in ejus Passione, & meritis; etenim quò magis in virtute Sacramentorum confidunt, minus confidunt in bonitate Dei, & Christi meritis, ac tepidius ad eum recurrent; sed hoc valde injuriosum est Christo: ergo.

195 Respondeo omnibus his, quæ ex fallaci Hæreticorum intelligentia procedunt, SS. PP. loqui de Baptismo collato adultis, qui præviè se disponere debent ad illius receptionem, & ut in eis suam efficaciam operentur; non enim per solam materiam, & externam abluionem aquæ confertur gratia adultis, nisi mediante fide, non tamquam causa justificante, sed tamquam conditione in illis necessaria ad justificationem. Sic igitur intelligitur semper ac à Patribus dicatur, fidem sanctificare, seu esse necessariam ad justificationem, nempe, necessariam esse conditionem in adultis, ut Deus, qui est gratiæ causa principalis, illam conferat ad præsentiam Sacramenti, quod tantum est causa moralis, & instrumentalis gratiæ. Unde Hieronymus solum docet, quod homo ministerialiter, & aqua, seu Sacramentum sensibile instrumentaliter abluit animam, & Deus internè, & effectivè, ac ut causa princeps, quod verissimum est nobis. Augustinus eodem sensu loquitur, cum effectum illius tribuit *verbo vitæ*, nempe, abluioni, & verbis à Christo institutis, & à Ministro prolatis, cui Deus assistit, & efficienter gratiam infundit. Fides verò recipientis, si capax illius fuerit, de capacibus fidei loquuntur frequentissimè Patres, ad illius gratiam disponit. Ad confirmationem negatur utrumque antecedens. Imò, qui rectè, & non perversè, uti faciunt Hæretici, hoc considerant, magis estimant Christi merita, & firmiter adhærent Dei bonitati, & potentiam, qui tantam virtutem operatur in nobis, & ex Christi meritis per infirmitiam, & ruda elementa salutem abundantissimè nobis confert.

196 Objiciunt denique, & præcipuè contra secundam Conclusionis partem: *Causare ex opere operato est causare independentè ab omni dispositione recipientis*; sed Sacramenta non operantur sic, saltem in adultis: ergo Sacramenta non causant

sant gratiam ex opere operato. Maj. patet; nam si ex opere operato causant, ad hanc causalitatem nihil confert operans. Prob. minorem ex Tridentino, quod multas dispositiones exigit ex parte nostra ad justificationem, & maximé in Baptismo, & Pœnitentia. Confirmat Calvinus: Talis modus operandi, scilicet, ex opere operato, nullibi reperitur in Scriptura, vel antiquis Patribus, sed est novum inventum Scholasticorum. Unde hæc vocabula ex opere operato appellat monstrua verborum, & asserit, imperité usurpari à Theologis: nam *operor* est verbum deponens, activam habens significationem; sed in hac locutione usurpatur passivè: ergo imperité, & barbarè, & consequenter talis locutio rejicienda est. Respondeo negando majorem. Hæretici enim hanc nobis imponunt falsitatem. Conferre itaque gratiam ex opere operato est eam conferre ratione operis exterioris, seu collationis Sacramenti, non autem ratione actus interioris suscipientis, aut ministrantis. Vel est ipsam conferre, non ratione meriti; sed solum ratione operis exterioris suscepti. Attamen numquam dicimus, nec volumus, Sacramenta conferre gratiam adultis, absque ulla eorum dispositione, sicut perperam nobis Calvinus imponit lib. 4. instit. cap. 14. ubi fingit, sensum hujus controversiæ hunc esse: *Num Sacramenta gratiam conferant sine fide, aut bono motu cordis, vel dispositione suscipientis?* Etenim contrarium apertè tradit Tridentinum Sess. 6. docens, ad gratiam sacramentalem percipiendam in adultis *prærequiri fidem, pœnitentiam, & devotionem*, quam doctrinam sequuntur omnes Catholici. Ad confirmationem dico, quod si non reperitur quoad voces, reperitur quoad sensum; nam loca Scripturæ, & Patrum, quibus constat, Sacramenta verè continere, & causare gratiam, quam significant, verè in hoc sensu loquuntur. Nec talia vocabula

sunt noviter inventa; siquidem ea reperimus expressè usurpata ab Innocentio III. lib. de Mysterio Missæ, cap. 5. Neque insolitum, ac inusitatum est nova verba cudere, & contra grammaticæ regulas, verbum deponens in passivum commutare: nam fundamentum hujus praxis habetur in Epist. ad Hebræ. cap. 3. his verbis: *Talibus hostiis promeretur Deus*, ubi verbum deponens *promeretur* passivè sumitur. Et S. Augustinus, qui certè latinum collebat, in Psalm. 138. maluit dicere *ossum ossi*, quàm *os ossis*, ut, nempe, facilius intelligeretur à Populo: *melius est enim, ut nos reprehendant grammatici, quàm non intelligant Populi*, inquit Augustinus. Quare Ecclesia in Conciliis, & Theologi in Scholis, sufficientem habent auctoritatem, ut dent usum vocibus, per quas facilius instruant Populos. Voces enim sunt ad placitum significativæ. Unde scribebat Cicero in Tusculanis: *Usus multa vocabula adinvenit, & inventa antiquavit.*

197 Conclusio II. *Sacramenta mortuorum ex se conferunt primam gratiam: per accidens verò possunt conferre secundam: Sacramenta vivorum (præscindamus tunc ab Eucharistia) è contra per se secundam gratiam conferunt; per accidens primam conferre possunt.* Conclusio quoad utramque partem habet Adversarios, sed quoad omnia docetur ab Scoto 4. d. 4. quæst. 6. & d. 9. quæst. unica. Probat. Conclusio quoad primam partem: Sacramenta mortuorum, ut sunt Baptismus, & Pœnitentia per se, & principaliter sunt instituta ad delendum peccatum, originale *Baptismus*, & ad delendum peccatum actuale post Baptismum commissum *Pœnitentia*; sed hoc ipso primam gratiam conferunt ex se, aut ex sua institutione: eò enim communiter vocantur Sacramenta mortuorum; nimirum, quia supponunt animam recipientis mortuam per peccatum, institutaque sunt ad vitam spiritualem præben-

endam his, qui spiritualiter per peccatum mortui erant: ergo. Quod autem Sacramenta hæc, quæ instituta sunt ad primam gratiam conferendam, possint aliquando conferre augmentum gratiæ, seu gratiam secundam, patet in casu, quo quis accederet ad Baptismum, vel Pœnitentiam perfectè contritus. Tunc enim per actum contritionis perfectæ justificaretur, antequàm reciperet Sacramentum; istudque infallibiliter produceret gratiam, quæ est suus effectus, in illo subjecto disposito; sed non primam, quia supponitur: ergo secundam. Ita Subt. Doct. loc. cit.

198 Secunda Conclusionis pars eadem ratione respectivè demonstratur: nam Sacramenta *vivorum* sic appellantur, quia ex sua institutione supponunt recipientem vivum spiritualiter per gratiam sanctificantem: ergo non conferunt, sed supponunt primam gratiam. Quod verò per accidens, & indirectè conferre possint illam, apparet in casu, quo quis habens aliquod mortale oblitum, putans tamen bona fide, se esse in gratia, accedat cum attritione ad Sacramentum aliquod vivorum; sed in hoc casu ex virtute talis Sacramenti, aliàs ad solum gratiæ augmentum conferendum instituti, recipit primam gratiam, & à peccato justificatur: ergo licet Sacramenta vivorum per se solum conferant secundam gratiam, possunt per accidens conferre primam. Prob. min. iuxta Tridentinum Sess. 7. Can. 6. & 7. omnia nostra Sacramenta ex se vim habent conferendi gratiam, obicem non ponentibus; sed homo accedens bona fide, & cum tali dispositione, cum qua per Sacramentum mortuorum gratiam reciperet, jam non ponit obicem: ergo. Min. certa videtur; quia homo ille ex una parte invincibiliter ignorat, se esse in statu peccati, & ex alia verè est attritus de peccatis, cum qua attritione utique reciperet gratiam per Sacramentum Baptismi, vel

Tom. I.

Pœnitentiæ: ergo non ponit obicem: igitur primam gratiam reciperet. Quapropter, volentes ad Sacramenta vivorum accedere, ita debent esse dispositi, ut saltem in sua conscientia, & existimatione supponantur in statu gratiæ. Ideò Doct. Subt. 4. d. 25. q. un. dicit de Extrema-Untione, *nullam esse dignè capacem ejus, nisi sit in gratia.* Et addit, *nullum Sacramentum præter Baptismum, & Pœnitentiam esse remedium acquirendi gratiam, sed augendi, & idem* habet dist. 9. q. un. loquens de Sacramento Eucharistiæ. Quod ipsum met dicendum est de aliis. Unde solum per accidens, ut in casu appposito, poterunt primam gratiam conferre.

199 Respondet Cardinalis de Lugo cum aliis, negando paritatem. Dicit enim, quod Sacramenta mortuorum in tantum aliquando causant augmentum gratiæ, in quantum correspondent illis duo effectus ex sua institutione, scilicet, delere peccatum, & gratiam conferre obicem non ponentibus. Non ita est de Sacramentis vivorum; quia cum instituta non sint ad mortale delendum, sed tantum ad gratiam augendam, numquam possunt primam gratiam conferre, & peccatum mortale delere. Sed contra: quia quamvis Sacramenta vivorum ex primaria Dei, & Christi intentione instituta sint ad dandum gratiæ augmentum, tamen secundaria intentione instituta etiam sunt ad dandum aliquando primam gratiam, & per accidens remissionem peccati mortalis; quando, nempe, quis accedit ad Sacramentum bona fide cum attritione existimata contritione: vel invincibiliter credens, se peccato mortali carere, & aliàs habet attritionem de commissis. Possunt de hoc plures casus assignari, sed sufficiat iste: Quis confessus est de suis peccatis cum sola attritione supernaturali, & non est absolutus ex malitia Sacerdotis. Ille verò existimans, se esse absolutum,

P

atque

atque adeo contritum, accedit, contra sequenter ad aliquod Sacramentum, puta ad Confirmationem. Tunc homo iste non ponit obicem primae gratiae: ergo illam saltem per accidens recipit ratione Sacramenti. Patet hoc, quia cum Christus omnia instituerit Sacramenta, ut sint organa, per quae nobis applicentur illius merita, & conferatur gratia, verisimile est, ea ita instituisse, ut aliquem gratiae gradum conferant omnibus non ponentibus obicem in ejus receptione. Sed aliunde primus gradus gratiae non est excellentior secundo: ergo si in dicto casu nullum habet obicem primae gratiae, verisimile est, illam infallibiliter accipere virtute Sacramenti, ad quod accedit.

200 Dicit: attritionem utique esse dispositionem ad primam gratiam, simul cum susceptione Sacramenti, ideoque ad Sacramenta mortuorum hoc sufficit: non vero ad gratiam secundam seu ad gratiae augmentum; quia ad hoc necessario praerequiritur, quod praexistat in gratia subjectum recepturum Sacramentum. Propter hoc enim Sacramenta ista dicuntur vivorum. Unde bona fide accedens ad illa non peccaret; attamen, si erat in peccato, gratiam non acciperet. Sed contra: quia accidentarium est gratiae denominari prima, aut secunda; istae quippe denominationes competunt gratiae ex eo, quod in subjecto reperit, aut non reperit alium gradum ejusdem gratiae. Modo quo accidentarie accidit cuicumque beneficio alicui collato denominatio primi, aut secundi, eo quod reperit, aut non reperit aliud in suscipiente. Unde sicut accidentarium est gratiae esse, aut denominari prima, vel secunda, ita est accidentarium cuicumque Sacramento, (servata eorum institutione) conferre primam aut secundam gratiam non ponentibus obicem, & juxta subjectorum dispositionem.

201 Ut autem profundius, & facilius totum hoc mysterium capias,

praenota, dispositum quidem fuisse a Christo D. quod accederetur in statu gratiae ad Sacramenta vivorum, ne illis irreverentia irrogaretur. Sed hoc intelligendum est de illo, qui scienter accederet sub mortali. Qui enim bona fide accedit, existimans esse in statu gratiae, seu vivorum, nullam injuriam irrogat Sacramento. Et cum alias ponat dispositionem ad fructum Sacramenti requisitam, scilicet, attritionem, virtute Sacramenti fit ex attrito contritus, & consequenter recipiet gratiam. Dixi, quod ponit dispositionem requisitam ad fructum Sacramenti; nam ex Tridentino Sess. 6. Can. 7. quodcumque Sacramentum fuit institutum ad conferendum gratiam ex opere operato non ponentibus obicem; sed qui accedit cum attritione supernaturali, non ponit obicem, imo ponit dispositionem ad gratiam sacramentalem; quia attritio simul cum reali susceptione Sacramenti fit contritus: hoc est, *aequivalenter, seu quantum ad hoc, quod est, esse ultimam dispositionem ad gratiam sanctificantem*: igitur sicut contritio est digna dispositio ad gratiam sanctificantem, sic attritio adjuncta susceptione Sacramenti in casibus praedictis. Unde constat discrimen repositum inter dignam receptionem Sacramentorum mortuorum, & vivorum. Ad illa potest quis licite, & fructuose accedere, cognoscendo, se esse sub mortali, dummodo accedat attritus de peccatis a se commissis: ad ista autem nequit accedere, cognoscendo, se esse sub mortali, quantumvis attritus accedat. Ratio alia non est, nisi quia Christus disposuit sic. Hinc tamen non infertur, attritionem non esse sufficientem dispositionem, ut gratiam conferat quodcumque Sacramentum applicatum inculpabiliter.

202 Objicies 1. Iuxta Concilia, & Patres, omnia novae legis Sacramenta dicuntur simpliciter, & absolute causare gratiam; sed nisi omnia per

per se causent primam gratiam, non possunt dici absolute, & simpliciter causa gratiae, sed tantum cum addito, nam gratia secunda, sive gratiae augmentum non significat gratiam simpliciter, & absolute, sed tantum ejus modum, aut intensionem: ergo omnia Sacramenta ex se causant primam gratiam. Confirmatur: Passio Christi per se, & non per accidens remittit peccata, & tribuit primam gratiam; sed omnia novae legis Sacramenta, etiam quae pro vivis sunt instituta, continent per se, & non solum per accidens virtutem Passionis Christi: ergo per se, & non solum per accidens possunt primam gratiam conferre. Argumentum hoc est aliorum Theologorum, qui dixerunt, omnia Sacramenta per se primam gratiam conferre. Cum hac tamen moderatione, quod duo Sacramenta, quae dicuntur mortuorum, illam conferant per se, nedum ex ratione communi Sacramenti, sed etiam ex ratione specifica, & atomica; caetera vero solum ex ratione communi: & sic apparet, dicunt, major dignitas Sacramentorum novae legis. Subdit Gonet, hanc sententiam a viris doctissimis subtiliter, & curiose defendi, Joannemque a S. Thoma in illam inclinari. Sed cujuscumque sit haec doctrina, nobis valde displicet. Tum; quia in bona logica differentia adveniens generi illud non destruit, sed perficit: ergo repugnat, omnia Sacramenta habere vim conferendi primam gratiam secundum rationem genericam, & id repugnare quibusdam Sacramentis secundum rationem differentialem, & specificam. Tum; quia non habent vim ad gratiam conferendam, nisi ex Christi institutione: Christus autem nullam genericam Sacramentorum institutionem fecit; sed omnino secundum rationem specificam instituit, ut suo loco dictum manet.

203 Respondeo, negando minorem; quia cum augmentum gratiae, seu quilibet ipsius gradus sit vera

Tom. I.

gratia, sicut quilibet gradus caloris est verus calor, sequitur, quod etsi aliqua Sacramenta per se non causent primam gratiam, sed solum augmentum, aut aliquem gradum ipsius, tamen absolute, & simpliciter debent dici causa gratiae. Ob hoc etiam in Scriptura, qui crescit in gratia, dicitur justificari. Sic Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari. Apoc. 22. Qui justus est, justificetur amplius.* Unde licet apud Theologos nomine gratiae regulariter intelligatur prima, non est cur ejus augmentum non possit appellari absolute gratia, cum sit omnino ejusdem rationis, & essentiae cum prima. Ad Confirmationem distinguo minor. Continent per se &c. juxta Christi institutionem, & voluntatem, concedo; extra illam, nego minorem, & consequentiam. Verum est, quod omnia Sacramenta per se continent virtutem Passionis Christi, sed participatam, & ex ejus voluntate determinatam ad 2. gratiam per se producendam. Licet enim omnia sint ejusdem rationis, non tamen omnia praerequirunt eandem dispositionem, sed diversas, ex ipsa Christi institutione: nam alia requirunt subjectum vivum, & alia non.

204 Objicies 2. Nullum effectum attribuere possumus ex opere operato Sacramentis, nisi sit definitione Ecclesiae expressum, traditione Patrum, aut Scripturae traditum, aut ex illorum natura, & institutione efficaciter deducatur; sed nihil horum habemus, ut productionem primae gratiae, etiam solum per accidens, Sacramentis vivorum tribuamus: ergo. Confirm. Tum; quia Sacramenta vivorum per se sunt instituta ad dandum gratiae augmentum: ergo in nullo eventu primam gratiam conferre possunt: quia quando alicui causae per se competit producere aliquem effectum, neque per accidens potest producere contrarium. Tum; quia hoc vel ipsis competere per se, vel per accidens? Non 1. quia alias hoc eis semper competere: nec 2. quia eis competere praeter

Pa

Chris-

Christi institutionem : ergo. Ad argumentum poterat minor absoluté negari : nam satis colligitur veritas nostræ assertionis ex Tridentino, & ex Patribus citatis. Huic accedit Theologorum sententia magis frequens, quæ nostram sententiam reddit probabilior. Et quidem in Extrema-Untione fit feré manifestum : nam sæpé accidit, quód ægrotus proximus mortí nequeat aliud Sacramentum suscipere, nisi Extremam-Untionem: ergo cum in illis angustiis difficilimum sit elicere contritionem, credendum est de divina clementia, hoc Sacramentum instituisse, & ordinasse, ut tunc illi subveniat, & primam gratiam conferat. Hoc sibi fideles persuadent, cum adeó solliciti sint non decedere sine Extrema-Untione, quamvis non sit Sacramentum necessitatis. Pariter ergo de aliis.

205 Respondeo deinde distinguendo majorem: Nullum &c. tamquam de fide, aut demonstratum Theologica ratione, concedo: valde probabiliter, nego majorem. Non dicimus, nostram Conclusionem in hac parte tenendam esse de fide: sed dicimus, quód ad hoc, ut hic effectus Sacramentalis adscribatur, sufficit, quód non adversetur doctrinæ Scripturæ, & Patrum, & quód verisimiliter ex institutione, & excellentia, deducatur: maximé autem, si graves Theologi ita sentiant; quæ omnia concurrunt certé in præsentí materia. Et quidem, quód hoc verisimile sit, & quód ex natura, & institutione Sacramentorum novæ legis, eorumque nobilitate, deduci debeat, ex eo patet, quód Christus illa instituerit, tamquam organa, & instrumenta suæ gratiæ, nobis obicem non ponentibus conferendæ. Qui autem solúm attritus de peccato, bona fide existimat, se esse contritum, nullum videtur apponere obicem, aut impedimentum gratiæ recipiendæ in Sacramento vivorum. Ad 1. probationem confirmationis, cujus conse-

quentia negatur, dico, quód quando illud esset verum in naturalibus, quod adhuc non conceditur, tamen evenire potest in supernaturalibus, & moralibus. Deinde: productio primæ gratiæ nullo modo est effectus contrarius secundæ, quæ est ejusdem rationis. Patet hæc veritas in Adversariorum doctrina: sicut enim Baptismus, & Pœnitentia, non obstante, quód ex sua primaria institutione vim habeant conferendi primam gratiam, possunt in quibusdam casibus habere vim conferendi secundam seu gratiæ augmentum, ita pariter in nostro est dicendum. Pro quo, & pro aliis replicis, notari oportet, quód prima gratia differt á secunda non intrinsicè, & essentialiter, sed extrinsecè, & ratione connotati. Dicitur prima; quia aliam in subiecto non supponit, & secunda; quia aliam supponit. Sic 1. calor dicitur, qui 1. introducit in subiecto, & 2. qui alium supponit in illo; licet alioquin omnes homogenei sint, & ejusdem rationis. Unde qui modó est prima, potuit esse secunda, si primó introduceretur in subiecto, & é converso. Nec refert, quód prima gratia dicatur remissiva; quia hoc non est peculiare gratiæ, quæ dicitur prima, sed commune omni gratiæ; nam quælibet gratia hoc habet, ex eo quód est amicitia, & filiatio Dei adoptiva. Nec ex ea doctrina sequitur, quód Sacramenta vivorum confundantur cum Sacramentis mortuorum; nam sicut, juxta Adversarios, Baptismus, & Pœnitentia, quamvis ex se sint Sacramenta mortuorum, adhuc possunt esse vivorum in aliquo casu absque confusione illorum; eó quód eis hoc convenit per accidens; ita pariter, & eadem ratione ab opposito de istis. Ad ultimam probationem dico, hoc ipsis competere per accidens; non quia fortuito, casualiter, & absque divino consilio, & voluntate; sed quia eis non competit ex sua primaria institutione, & intentione Dei; & insimul, quia re-

gr-

gulariter hunc effectum non producant, nisi in aliquibus casibus.

206 Objicies 3. & replicabis: Si Sacramenta vivorum causarent primam gratiam in accedente cum attritione existimata contritione, etiam causarent in accedente cum attritione supernaturali cognita, ut tali; sed hoc falsum est: ergo & illud. Prob. sequela maj. Ideò in primo casu illam causarent; quia instituta sunt ad gratiam causandam in non ponentibus obicem; sed hoc etiam habetur in secundo casu, si aliud non sit obex, ut in Baptismo, & Pœnitentia patet: ergo. Confirmatur: Qui solúm est attritus, & putat esse contritum, non magis dici potest sufficienter dispositus, quàm qui solúm attritus cognoscit se tantúm esse attritum, nam quód putet, se esse contritum, oritur ex ignorantia, quæ ad gratiæ effectum non facit hominem magis dispositum: ergo non magis recipit effectum Sacramenti unus, quàm alius. Sed qui solúm scienter accedit attritus ad Sacramentum vivorum, non recipit ejus effectum: ergo nec qui judicat esse contritum, si in re solúm est attritus. Respondeo negando mai. & min. probationis. Discrimen stat in eo, quód Sacramenta mortuorum instituta sunt ad remittenda mortalia: ideòque, ut quis ad illa bona fide accedat, sufficit, si attritionem habeat. Sacramenta autem vivorum per se ordinata sunt ad gratiæ augmentum: & ideò, ut quis dicatur bona fide accedere, non satis est habere attritionem, sed necessaria est contritio, vel in re, vel in prudenti estimatione. Unde ad illa potest quis accedere cum conscientia peccati mortalis, non verò ad ista, nisi peccando lethaliter. Ad confirmationem distinguo mai. Non magis est dispositus positivè, concedo; negativè, nego. Est dicere, quód ignorantia facit, ut non accedat indignè ad Sacramentum; quia illum excusat ab actuali peccato. Unde non accederet

tunc dignè positivè, hoc est, in gratia, quæ est dispositio ad Sacramenta vivorum, per se loquendo; sed accederet dignè, in quantum accedit, judicans esse dignum positivè, ac propterea benè accederet.

207 Conclusio III. *Etiam Sacramentum Eucharistiæ causare potest primam gratiam per accidens.* In hac assertionem non consentiunt omnes Scotistæ, altercantes inter se, ut Mastrius advertit de Doct. mente. Sed probatur: Quia si hoc privilegium aliis Sacramentis conceditur, ut fert communissima opinio, Sacramento Eucharistiæ non est denegandum, sed potiori jure concedendum. Tum; quia in hoc Sacramento Christus Dominus author, & fons omnis gratiæ, continetur substantialiter. Tum ex Subt. Doct. loco supra laudato dicente: *Imò si quæ alia peccata lateant, per illud Sacramentum etiam remittuntur.* Quod etiam Ecclesia indicat in illa oratione: *Sit nobis ablutio scelerum, sit remissio omnium delictorum.* Tum ex Seraph. D. Bonav. dicente de Eucharistia: *Non limitamus Dei largitatem, quin in hoc Sacramento possit, & aliquando faciat remissionem omnis culpæ.* Pro eadem veritate citatur Divus Thomas, & Alensis adducit Augustinum, & alios Patres, ut Damascenum, & Justinum martyrem, qui omnes id affirmant expressè. Tum denique ostenditur in casu, quo oblitus quis, se commisisse ullum peccatum mortale, accederet ad hoc Sacramentum sine confessione, ut in Sacerdotibus, qui non quotidie confitentur, & quotidie conficiunt, evenire potest: vel si recordatur alicujus peccati, non habet copiam Confessoris, habet verò actum, quem putat contritionis, cum non sit nisi attritio in rei veritate. In hoc igitur casu, iste cum tali dispositione sumens Eucharistiam verè accedit dignè, & sine obice: ergo verè recipit gratiam hujus Sacramenti. Prob. consequentiam: Juxta Tridentinum, omnia Sacramenta semper gra-

gratiam conferunt omnibus, illa digné, & sine obice suscipientibus; sed in casu posito, ille tollit obicem peccati per actum attritionis, quem putat contritionem, & quem reverá habet, qui actus, juxta dicta, sufficiens est cum Sacramento re ipsa suscepto ad gratiam recipiendam: ergo.

208 **Objicies:** Sacramentum hoc institutum fuit per modum cibi, & potus; ergo non est institutum pro mortuis, sed pro vivis tantum: ergo sicut cibus corporeus nequit causare generationem, vel resurrectionem viventis, sed tantum ejus augmentum, & conservationem, pariter spiritualis cibus, qualis est hoc Sacramentum, causare non poterit generationem, aut spiritualem hominis resurrectionem, sed tantum augmentum vitæ spiritualis. Explicatur: Cibus, quantumcumque mortuo applicetur, non potest ei vitam restituere: ergo similiter de cibo spirituali applicato animæ per peccatum mortuæ: ergo nec per accidens poterit ei vitam spiritualem restituere. Urgetur: Eucharistia est in vita spirituali, sicut potentia nutritiva in vita naturali; sed potentia nutritiva essentialiter supponit vitam naturalem: ergo pariter supponit in anima vitam spiritualem, & supernaturalem, quæ habetur media gratia sanctificante, & consequenter &c. Respondeo, inter Eucharistiam, & cibum corporalem hoc esse notabile discrimen, quod iste cibus non habet vitam in semetipso, & ideo nequit vitam tribuere, nisi quatenus per actionem viventis convertitur in substantiam aliti. At veró Eucharistia habet in se vitam, & sua propria virtute convertit in se manducantem, ut Augustinus inquit: *Crede, & manducabis me, non me convertens in te, sed te convertens in me.* Unde mirum non est, si non tantum possit spiritualem vitam conservare, sed etiam in aliquo casu illam conferre. Per hoc ad explanationem.

Cibus materialis, qui in substantiam aliti convertitur, applicatus mortuo; incapax est ei vitam restituere: cibus tamen spiritualis Eucharistiæ, qui per essentiam est vita, & qui potest alitum in se convertere, potest etiam hominem mortuum morte peccati, & de eo attritum attritione, quam putat contritionem, vivificare. Et præsertim cum non ita mortuus sit homo ille, quin possit aliquem actum vitæ supernaturalis, licet imperfectum, exercere; manducando cibum illum aliquomodo supernaturaliter, illum, nempe, recipiendo cum reverentia, & fide. Ex quo ad urgentiam patet, quod licet regulariter comparetur potentia nutritivæ, per accidens tamen, & interdum est, sicut potentia generativa; in vita spirituali. Alia Tract. de Euch.

209 Pro quæstionis complemento scito, quod Gabriel, Ocham, Major, & alii Nominales docuerunt, nullum ex Sacramentis, etiam mortuorum, causare primam gratiam in adultis per se loquendo. Dicebant enim, adultos non esse sufficienter dispositos ad aliquod suscipiendum Sacramentum nisi per contritionem; quæ cum non possit esse sine gratia, numquam adulti recipiunt Sacramentum aliquod fructuosè, quin præsupponantur in gratia. In hanc opinionem incidunt Jansenistæ, dum docent, ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ prærequiri dolorem, sive detestationem peccatorum ex Dei dilectione procedentem, quod est vera contritio. Postquam autem in Tridentino Sess. 14. c. 4. statutum est, sufficere pro dispositione Sacramenti Pœnitentiæ (idem est de Baptismo) attritionem, quæ sit donum Dei, dixerunt adhuc Victoria, Vega, Corduba, Soto, Navarrus, requiri ad confessionem attritionem existimatam contritionem. Verum quamvis melius sit ita accedere ad Sacramentum, tamen prima opinio falsissima est, contra Tridentinum, contra communem sensum Ecclesiæ, & Doctorum. Se-
eun.

eunda opinio etiam est falsa, adeo ut unanimiter Authores dicant, nostram Sententiam de sufficientia attritionis supernaturalis sine errore negari non posse. Ratio est: Tum; quia Sacramenta mortuorum per se sunt instituta ad delendum peccatum mortale, tam originale, quam actuale, seu personale, quod per primam gratiam necessariò fit. Aliter non esset ratio ulla, ob quam Baptismus, & Pœnitentiæ appellarentur Sacramenta mortuorum ad differentiam aliorum; quia æquè, ac illa, supponerent gratiam, seu vitam spiritualem animæ. Tum: si remissio peccati originalis, & actualis in adultis non fieret, nisi per contritionem, ut includentem votum Baptismi, & Pœnitentiæ, & ad validitatem horum Sacramentorum non sufficeret attritio, sed requiretur dolor, seu detestatio peccatorum ex Dei dilectione procedens, ac proinde, quæ sit vera contritio; tunc casus institutio Sacramentorum novæ legis non contulisset hominibus faciliorem viam ad justificationem obtinendam per Sacramenta, quam sine Sacramentis: cum per vos jam ante Sacramenta deberent præsupponi in gratia per contritionem: ergo non est facilius justificari per Sacramentum Pœnitentiæ, quam extra illud, quod dicere est absurdum: ergo ad utilem Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem sufficere aliqua peccatorum imperfecta detestatio, quæ dicitur *attritio*, & qua cum Sacramento fiat contritus, modo jam explicato. De hoc Tract. de Baptismo disput. 2. post quæst. 3. & Tract. de Pœnitentiæ, ubi examinandæ sunt opiniones requirentes noviter amorem initialem.

QUÆSTIO II.

An Sacramenta causent gratiam physicè, an solùm moraliter?

210 **I**N hac famosa controversia inter Scotistas, & Thomistas, supponendum est contra Hæreticos, ut jam in præcedenti demonstravimus, Sacramenta novæ legis verè conferre gratiam justificantem, & non purè, ut ipsi proterviant, excitando fidem in suscipiente. Insimul illam causare ex opere operato, ut etiam manet dictum. Deinde: dum controvertitur de causalitate gratiæ in Sacramentis, numquam intelligitur, quod Sacramenta sint causæ principales gratiæ: gratiæ enim est quædam sublimis divinæ naturæ participatio, cujus solus Deus potest esse principalis causa, & author, in quo omnes sine discrimine conveniunt. Solùm igitur dici possunt, & debent causæ gratiæ instrumentales. Pro quo capiendò, duplex distinguitur à Theologis causa productiva alicujus rei, una *physica*, & alia *moralis*. *Physica* dicitur, quæ per realem actionem attingit ipsius rei entitatem, & productionem: *Moralis* verò, quæ non attingit effectum per actionem suam, sed vel applicando activa passivis, sicut Medicus dicitur causa sanitatis; vel inducendo agens ad agendum præcibus, consiliis, imperio, prohibitione, & similibus. Utraque ulterius est duplex, nempe, *principalis*, & *instrumentaria*. *Principalis physica* est, quæ per se effectum attingit, & quidem independenter ab influxu alterius causæ, licet aliam admittat in consortium effectus producendi. Sic potest Deus considerari, dum creaturam admittit ad simultaneam effectus productionem. *Moralis principalis* dicitur illa, quæ principalius, & efficacius movet ad productionem effectus. V. g. Princeps, qui præcipit

Præfecto ærarii, ut centum aureos largiatur alicui, dicitur causa principalis hujusmodi largitionis. Causa *physica instrumentalis* est ea, quæ non operatur per virtutem formæ sibi inexistens, sed solum per motum, quo movetur à principali agente, medio quo effectum attingit immediate, ut serra respectu scissionis ligni. *Moralis instrumentalis* non ita se habet, sed solum se tenet veluti organum, ad cujus positionem movetur agens, & excitatur ad producendum effectum. Est igitur questio: An Sacramenta sint causæ instrumentales physicae gratiæ, ita ut verum, & realem influxum exhibeant in ejusmodi effectum producendum, & attingendum? an verò sint tantum causæ morales instrumentales puræ, Deum moventes, & determinantes ad physicam gratiæ productionem?

Sic Scotica Conclusio.

211 *Sacramenta non sunt causæ instrumentales physicae gratiæ, sed tantum sunt causæ morales.* Hæc fuit ferè omnium antiquorum Theologorum sententia, Bonaventuræ, Alensis, Scoti, quam plurimi ex omni Schola sequuntur, tamquam probabilior. Opposita defenditur frequenter à Thomistis, & aliis non paucis. Sed quamvis isti asserant, Sacramenta per physicam efficientiam gratiam conferre, discrepant inter se valde in modo adstruendo hujus causalitatis. Alii dixerunt, Sacramenta physicè causare gratiam per qualitatem quamdam, aut virtutem physicam supernaturalem, quam in se inditam habent. Alii dicunt, illam causare, quatenus causant in anima quemdam decorem, aut dispositionem præviã ad gratiam. Communior verò sensus, in quo Dominici mentem D. Thomæ intelligunt, est, quòd Sacramentum in se recipit virtutem à Deo, qua per modum instrumenti ad producendam gratiam elevatur: vel, ut ait Suarez, (&

qui omnibus rebus creatis potentiam obedientialem activam intrinsecam tribuunt ad quemcumque effectum supernaturalem producendum) quia absque aliqua virtute sibi superaddita, Sacramentum per suam solam entitatem à Deo assumitur, & elevatur ad gratiam effectivè attingendam.

212 Prob. 1. Conclusio à Subt. Doct. 4. dist. 1. q. 4. & 5. ubi pluribus rationibus demonstrat, Sacramenta nec efficere gratiam, neque dispositionem aliquam præviã ad gratiam per aliquam actionem propriè dictam, quæ dicitur causalitas physica. Et quidem cum Thomistæ unanimiter doceant, gratiam fieri per creationem, & hanc esse opus Dei ita proprium, ut nulla creatura possit assumi, nec ut instrumentum, ad creandum, idem à fortiori dicendum erit de illa dispositione, quam fingunt, Sacramenta efficere in anima, ad quam consequitur gratia, & quam, dicunt ipsi, esse vel characterem, vel in ejus defectu, ornamentum quemdam animæ. Tum; quia hæc dispositio est supernaturalis, sicut ipsa gratia: ergo & terminus creationis. Tum; quia illa erit quid creatum: ergo dicendum erit, aliquid creatum producere physicè gratiam. Sed hoc est impossibile in sententia Thomistarum; quia juxta ipsos, gratia est terminus creationis, quæ est terminus solius potentia Dei: ergo. Tum; quia illa dispositio facta ab eis erit, quæ producat gratiam, non Sacramenta: ergo sibi ipsis opponunt in tali dicendi modo. Prob. 2. ex eodem Scoto quest. cit. §. *Contra istam opinionem*: Gratia est adeò sublimis, & excellens Divinæ naturæ participatio, ut non videatur possibilis virtus ulla creata illius physicè effectiva: ergo. Prob. ant. Hæc virtus, aut esset spiritualis, aut corporea? Non 1. quia virtus spiritualis nequit collocari in subjecto corporeo, quale est Sacramentum, cui tamquam accidens inhæreat. Patet hoc,

hoc, ait Doct. quia vel esset ibi indivisibiliter, id est, tota in toto, & tota in qualibet parte; aut divisibiliter, scilicet, tota in toto, & pars in parte? Non primo modo; quia inter omnes formas materiam perficientes sola intellectiva ponitur talis. Nec secundo modo; quia tunc extenderetur per accidens in subjecto, quod est contra rationem virtutis spiritualis. Neque tertio; quia virtus corporea non sufficit ad producendam formam totaliter spiritualem, & supernaturalem: nam ad hoc ita erit improporcionata, sicut ipsa substantia Sacramenti, quod est corporeum. Si dicas, virtutem spiritualem non posse esse in subjecto corporeo permanentem, posse tamen esse instrumentaliter transeunter, sicut in voce sensibili est quædam virtus spiritualis ad excitandam hominis mentem. Contra ait Scotus; quia eadem est ratio repugnantia, quòd accidens spirituale sit in subjecto corporeo per modum formæ permanentis, aut transeuntis. Exemplum de voce sensibili supponit falsum; quia in voce sensibili nulla est subjectivè aliqua virtus spiritualis: sed tota vis humanæ vocis ad excitandam hominis mentem, est humana impositio, & institutio.

213 Prob. 2. Etsi possibilis esset modus ille causalitatis, quem fingunt Thomistæ, adhuc de facto Sacramentis, prout instituta sunt, convenire non potest: ergo. Prob. antecedens: Per Sacramenta, quæ in fieri consistunt, & successivè exercentur, gratia producitur, quando non existunt: ergo nequeunt esse causæ instrumentales physicae. Ant. est constans: nam gratia infunditur in fine, scilicet, post prolationem ultimæ syllabæ formæ, seu post peractum totum Sacramentum; & quando nihil ejus existit amplius. Prob. consequentiam: Nihil potest physicè causare, etiam per modum instrumenti, nisi actu existat: etenim existentia actualis, ut docetur in Physica, est conditio

Tom. I.

simpliciter necessaria ad physicam causalitatem, sive principalem, sive instrumentalem: ergo. Explicatur: Gratia producitur instanti ultimo; sed in hoc jam non est Sacramentum, quod (excepta Eucharistia) est ens successivum: ergo gratia non potest physicè produci à Sacramento, quod jam non existit, dum gratia producitur. Confirmatur: Sacramenta, quæ in fieri consistunt, vel producunt gratiam, quando non sunt, vel quando sunt? Si primum: habetur intentum, nempe, producere physicè aliquid causam, quæ non existit, quod est impossibile. Si secundum: ergo gratia producitur in tempore; quia cum Sacramenta, quæ in fieri, & in usu consistunt, nemine negante, sint entia successiva, non habent esse, nisi in tempore. Nunc sic: sed gratia, adhuc juxta Adversarios, producitur in instanti, & non in tempore, seu successivè; quia sic produceretur pars post partem, & non simul, & semel: ergo.

214 Prob. 3. & quædam effugia præcedentis rationis præcluduntur: Sacramenta sæpè causant gratiam, quando jam non sunt, & absolutè transierunt: ergo tunc non possunt esse causæ physicae, ex generali principio: quod non est, non potest physicè causare. Prob. antecedens primò in Sacramentis, quæ operantur, recedente fictione: Quando enim fictio recedit, Sacramentum non est, & tamen tunc producit gratia: ergo cum tunc nequeat dici, quòd physicè existit, nec secundum aliquam sui partem, nec dici potest, quòd physicè producit: ergo solum moraliter. Secundò, & evidentius in Matrimonio: dum per Procuratorem contrahitur: Tunc gratia producitur in contrahentibus, quando in ipsis non est amplius materia, & forma Sacramenti. Patet: nam materia, & forma Matrimonii per Procuratorem contracti est consensus principalis contrahentis manifestus, & notificatus alteri conjugi consensu, &

Q

ver-

verbis Procuratoris, tamquam conditione, sine qua non: aliter Matrimonium, quod inter absentes, & praesentes celebratur, non esset idem; ergo cum saepe eveniat, ut consensus contrahentis principalis desierit esse, quando Procurator absolvit verba, quibus illum notificat, planum est, quod Sacramentum in tali casu nequit gratiam producere physicè, sed tantum moraliter.

215 P. Gonet huic difficilimo argumento, cum meliori Thomistarum parte, respondet, concedendo de Sacramentis non imprimantibus characterem, & gratiam causantibus, ablatò obice, illam moraliter tantum causare; quia cum tunc physicè non existant, reputat impossibile, esse causam physicam: negat verò id semper contingere; quia dum sunt omnia requisita ad causalitatem physicam, talis modus causandi Sacramentis denegari non debet. Verum hoc non satisfacit, sed difficultati cedit. Tum; quia Patres, & Concilia eodem modo loquuntur de sanctificatione Sacramentorum, sive sanctificentur primò suscepta, sive reviviscendo; & eodem modo dicunt, gratiam tunc fieri à Sacramento praeterito, ac fit à praesenti: ergo idem modus operandi, & producendi gratiam debet in illis salvari: ergo sine ullo fundamento dicitur, quod in primo casu intelligi debeant de causalitate morali, & in secundo de physica. Tum; quia PP. & Concilia nec à longe tale discrimen assignant: imò expressè dicunt, Baptismum praeteritum, recedente fictione, ita verè, & propriè gratiam causare in suscipiente, sicut primò susceptum sine fictione, quod idem sentiendum est de aliis. Tum denique; quia si semel concedunt, quod in primo casu sufficit causalitas moralis, ad salvandum, quod Sacramenta sint verè causae gratiae, & verè à veteris Sacramentis distinguunt, jam corruunt penitus oppositè sententiæ præcipua fundamenta ex hoc desumpta: ergo

meliùs, ac fundatiùs est, solam moralem causalitatem illis tribuere in omni casu, quam aliquando physicam: hæc enim gravissimas patitur difficultates, nec defendi potest, nisi recurrendo, ut recurrunt, ad physicas argutias, & subtilitates, quibus dogma fidei de Sacramentorum causalitate in ordine ad gratiam exponere planè non expedit.

216 Prob. 4. & efficaciter: Tum; Sacramentis non competit perfectior virtus causandi gratiam, & justificationem, quam Christi Domini humanitati; sed Christi humanitas solam habet efficaciam moralem, & meritoriam respectu gratiae producendae: ergo causalitas physica, quae perfectior est, non convenit Sacramentis. Major certissima est; nam Sacramenta omnem suam efficaciam mutuuntur ab operibus meritoriis Christi, quae applicantur ipsis, ut Patres docent. Tum; Sacramenta, quae talia, sunt quid morale: ergo tantum sunt causae instrumentales morales: modus namque operandi sequitur, ac conformatur modo essendi. Prob. ant. Sacramenta, ut talia, dicunt significationem gratiae; sed talis significatio est quid morale, cum hanc vim habeant, non ex natura rei, sed ex divina institutione: ergo. Tum, & principaliter: Totum, quod Concilia, & PP. ajunt de causalitate Sacramentorum respectu gratiae, optimè salvatur per moralem: ergo cum hæc sit explicatu facilior, & longè minores patiatur difficultates, quam physica, sine necessitate, & frustra recurritur ad istam. Prob. ant. Nihil aliud dicunt, quam quod Sacramenta causant simpliciter gratiam; sed totum hoc benè salvatur per solam moralem causalitatem: ergo. Prob. min. Quod causat moraliter aliquem effectum, etsi physicè non influat in illum, adhuc dicitur simpliciter causare illum: ergo. Antecedens patet in fine, & causa exemplari, quae licet physicè non influant in effectum, dicuntur simpliciter

citer causare illum. Et Judex per sententiam dicitur occidere reum, licet physicè non influat in occisionem: merita etiam simpliciter dicuntur causa gloriae, & augmenti gratiae, quamvis illud non causent, nisi moraliter: ergo quamvis Sacramenta gratiam causent tantum moraliter, simpliciter dicuntur illam causare: ergo optimè salvatur, quod Concilia, & Patres dicunt de eorum causalitate respectu gratiae.

217 Prob. denique ex Conciliis, & Patribus, qui omnes gratiae efficientiam immediatè tribuunt ipsi Deo, per ministerium tamen Sacramenti, tamquam per instrumentum. Concilium Moguntinum sub Paulo III. celebratum Cap. 11. dicit: gratiam verò sacramentalem non ex ipsa externarum rerum virtute, nec ex merito Ministri, sed ex interna, & Divinae operationis virtute aestimandum esse. Et Trident. Sess. 6. cap. 5. loquens de causis justificationis, dicit: *Finalis est gloria Dei, & Christi, & vita aeterna... efficiens verò misericors Deus, qui gratuito abluit, & sanctificat... meritoria Dominus Noster Jesus Christus... instrumentalis autem Sacramentum Baptismi*: ergo tota efficientia gratiae tribuitur soli Deo: ergo idem quod Concilium dicit de Baptismo, dicendum est de omnibus. Idem innuunt Patres, dum dicunt, solum Deum esse, vel Spiritum Sanctum, qui animam sanctificat, mundat, & salvat, dum exterius perficitur Sacramentum: Elementum lavare extrinsecus, Deum autem mundare intrinsecus: Sacramentum significare visibiliter, quod Deus agit invisibiliter. Sic Ambrosius Lib. de dignitate Sacerd. cap. 5. *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam*. Hieronymus in Isai. *Homo tantum aquam tribuit, Deus autem Spiritum Sanctum*. Augustinus Epist. 25. ad Bonifacium: *Aqua exhibens forinsecus Sacramentum gratiae, & Spiritus Sanctus operans intrinsecus beneficium gratiae*. Cyprianus

Serm. de Baptismo: *Remissio peccatorum, sive per Baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est; & ipsi soli hujus efficientiae privilegium manet*. Quo loquendi modo satis apertè significant Patres adducti, & alii plures, non ipsum Sacramentum gratiam efficere per modum causae physicae, sed solum ipsum Deum ad exhibitionem Sacramenti, quod est esse causam moralem.

Solvuntur Argumenta.

218 **A**rguunt 1. Thomistae: Scriptura, Concilia, & Patres tribuunt Sacramentis novae legis veram causalitatem respectu gratiae, ut patet ex quæst. antecedenti; sed hoc non esset verum, si physicè non causarent: ergo. Confirmatur: Tum; quia aliàs nulla esset differentia inter Catholicos, & Sectarios; nam etiam isti dicunt, ad praesentiam Sacramenti Deum gratiam producere. Tum; quia nec esset differentia inter Sacramenta vetera, & nova, nisi penes caeremoniam, quod Trident. damnat: ergo. Tum; quia Catechismus dicit, illum operandi modum in Sacramentis esse admirabilem, & ineffabilem; sed si solum operarentur per moralem efficaciam, id non diceret esse ineffabile: nam quid conceptu facilius ea efficacia morali? ergo. Respondeo, illam causalitatem, quam Concilia, & PP. adstruunt in Sacramentis, optimè, & meliùs salvari per causalitatem moralem, quam per physicam. Tum; quia causalitas moralis est vera causalitas, & tam vera in suo genere, quam physica. Unde Philosophus posuit causam finalem inter veras causas, & certum est, quod hæc non influat, nisi moraliter. Tum; quia eo modo Patres, & Concilia testantur, mortem Christi, Sanguinem, & Passionem nos mundare, sanctificare &c. sicut id asserunt de Sacramentis: & tamen certum est, mortem Christi

pos non sanctificare physicè, sed tantum moraliter, & meritorie. Tum, quia Patres eodem modo loquuntur de efficacia Sacramenti, dum diu peractum est, ac dum actu ministratur, ut in casu obicis positi gratiæ baptismali, recedente obice: & tunc manifestum est, Sacramentum, quod jam non existit, non posse gratiam physicè producere, ut constat ex dictis, & præsertim ex 3. prob. Conclusionis, & impugnatione responsi. Ad primam partem confirmationis negatur assumptum. Hæretici enim dicunt, Sacramenta tantum esse nuda signa excitantia fidem, cui tribuunt sanctificationem, & non virtuti Sacramentorum, quibus nos, contra Sectarios, tribuimus virtutem causandi gratiam ex opere operato, licet non physicè, ut Thomistæ intendunt, quia hoc nec est ad rem, nec est possibile, nec facile percipitur. Ad 2. nego antecedens: quia Sacramenta veteris legis non causabant gratiam, nisi ex opere operantis: & licet Circumcisio ex opere operato causaret gratiam, erat tamen adhuc notabilis differentia, ut dictum est Disp. 1. num. 35. Ad ultimum nego minorem; nam licet ea moralis efficacia longe facilius sit conceptu, quam physica; nihilominus valde mirabilis est, eò quod ad talium signorum applicationem, etiam ab indignissimo homine, Deus producat gratiam infallibiliter.

218 Objicies 2. Ecclesia agnoscit in materia Sacramentorum, in aqua, v. g. oleo, chrismate, virtutem Spiritus Sancti, valdeque magnificat potentiam Dei, quæ in Sacramentis, seu in rebus illis materialibus elucet; sed hæc frustrà dicerentur, nisi per illa gratia physicè produceretur: ergo. Maj. constat ex precibus, quibus Ecclesia utitur Sabbato Sancto in consecranda aqua baptismali; & feria 5. in Cæna Domini in consecratione olei; nam in illis dicitur, quod aqua fecundetur virtute Spiritus Sancti ad effectum regenerandi & de-

oleo dicitur, quod Deus illi unguento admisceat virtutem Spiritus Sancti, quæ omnia denotant aliquam virtutem physicam ibi à Deo impressam. Minor claret; quia moraliter tantum esse causas, non valde magnificat omnipotentiam divinam. Ad argumentum, quod ex quodam Doct. Parisiensi proponit Pontius, respondeo, negando minorem. Preces illæ, & benedictiones certissime non fiunt ad efficaciam Sacramenti: siquidem aqua naturalis ex institutione divina habet esse materiam Baptismi, & gratiam causare. Unde adhibentur ad majorem solemnitatem, & reverentiam, & ad exaggerandam virtutem, quam habet aqua, & pariter Chrisma ex institutione divina. Aliter, etiam supra formam deberent cadere illæ preces, cum forma, non minus, quam materia, sit pars essentialis Sacramenti. Reliqua nihil urgent: merito enim, & rationabiliter admiratur in Sacramentis divinam omnipotentiam, ac misericordiam, ex eo quod Deus se infallibiliter alligaverit rebus adeo infirmis, ut ad præsentiam, & intuitu earum, gratiam præstet; quæ ratione etiam admirantur homines, quod Sancti mortuos resuscitant, celebrantque Deum tantam, ac miram virtutem eis tribuisse, quamvis id Sancti non faciunt physicè. Unde inutiliter fatigantur Adversarii, semel quod non probent, virtutem physicam productivam gratiæ possibilem esse creaturæ; & insimul Sacramenta secundum se physicè existere, dum gratiam causant; aut non esse necessarium, quod, ut illam physicè producant, actualiter existant; quorum nihil probari potest, etiamsi in hoc opere fatigentur Adversarii, nec ullam ex nostris rationibus possunt labefactare.

219 Objicies 3. Si Sacramenta non producerent physicè gratiam, sequerentur plura absurda; sed hoc non est dicendum: ergo nec quod solum moraliter illam producant. Prob. maj.

maj. 1. Si physicè non producerent gratiam, non verificarentur formæ Sacramentorum, ego te baptizo, ego te absolvo; sed hoc est absurdum: ergo. Major patet: nam si solus Deus gratiam produceret in baptizato, & in se confitente, solus Deus, & non baptizans, à peccato mundaret, nec absolvens ab eodem absolveret poenitentem. 2. Si Sacramenta non causarent physicè gratiam, sed solus Deus ad eorum præsentiam, non magis essent causa gratiæ, quam verba malefici, habentis pactum cum Dæmone, sunt causa effectus mirabilis, quem Dæmon operatur ad eorum prolationem; sed hoc absurdissimum est: ergo. Major constat; quia etiam verba malefici sunt causa moralis talium effectuum, quos Dæmon ad illorum præsentiam operatur. 3. Si Sacramenta non physicè, sed solum moraliter concurrunt, non transcenderent rationem signi; sed hoc etiam est absurdum: nam est contra Concilia, & Patres, qui nostris Sacramentis, ultra rationem signi, addunt rationem causæ, & per hoc ea distinguunt à veteris Legis Sacramentis: ergo. In primis Adversarii tenentur respondere argumento in casu, quo Sacramenta gratiam causant, recedente fictione. In tali namque casu fateantur & ipsi, ut dictum est, non nisi moraliter gratiam causare. Nec puto, eos in tali casu concessuros esse, formas Sacramentorum non esse veras; nec alio modo Sacramenta causare gratiam, quam maleficia; nec demum, quod essent pura signa.

220 Respondeo negando majorem, & majorem probationis. Ad verificandas itaque Sacramentorum formas sufficit causalitas moralis, sicut cum omni veritate dicitur Passio Christi, & ejus Sanguis nos à peccatis liberare, & pecunia nos à captivitate redimere, quamvis non faciunt id, nisi moraliter. Pariter sicut in opposita sententia adhuc illa verba verificantur, quamvis Sacerdos non

sit principalis causa gratiæ, per hoc præcisè, quod ut Minister Christi conficit, & ministrat Sacramenta, per quæ homo sanctificatur; ita in nostra sententia non minus verificari debent; quia reverà est Minister Sacramenti, quod per modum causæ moralis confert gratiam, per quam homo sanctificatur. Ad 2. nego majorem, & probationem: nam quamvis verba magica, & Sacramentalia in eo conveniant, quod neutra influunt physicè in effectum, tamen in virtute valde differunt. Illa enim nituntur pacto cum Dæmone, qui sæpè fallit fidem venefico datam. Unde verba illa ex se propriè non movent Dæmonem, sed sunt mera conditio, qua posita, Dæmon excitatur ad operandum propter alia motiva: ideòque non sunt causa moralis talium effectuum; quia de ratione causæ moralis, ut conditio, & pura conditione, est movere agens principale ad effectum causandum propter intrinsecam virtutem in se existentem. At verò verba Sacramentalia nituntur premissioni Dei, quæ deficere nequit, nec fallere, & habent intrinsecam virtutem ad Deum movendum, eò quod sint verba, & operationes Christi. Ad 3. nego majorem; quia signum nullo modo est causa significati, sed potius è contra, ut patet in fumo, & igne. Sacramenta igitur non sunt solum signa gratiæ, sed etiam causæ: nam pura signa nullo pacto movent voluntatem principalis agentis, uti Sacramenta voluntatem Dei movent. Hæc ratione non sunt mera signa, nec conditiones, sed veræ causæ; quia in se habent Deum movere ad gratiam producendam, uti actiones, & operationes Christi. Quare sicut preces Christi movebant Deum ad operanda miracula, sic habet eandem vim operatio Sacramentalis, quæ, & quocumque Ministro fiat, fit nomine Christi, qui operatur per illum Ministrum, & utitur illis rebus, & vocibus ad loquendum cum Deo, &

petendum sacramentalem effectum. Et hæc est intrinseca honestas, quæ in Sacramentis residet, & propter quam movent divinam voluntatem ad gratiæ productionem.

221 Replicabis: Christus non solum posuit sua merita, sed illa applicuit determinatè pro gratia danda per Sacramenta, & determinatè meruit, quòd gratia daretur in Sacramentis, atque hoc cum Deo stabilivit: ergo non est necessè, quòd modò actio Sacramentalis Deum moveat, sed sufficit illi in memoriam revocare pactum suum, seu satis est ponere Sacramentum, ut conditio stabilita pro gratia hominibus danda: ergo Sacramenta concurrunt ad productionem gratiæ, non denuò movendo Deum, & obligationem inducendo ad dandam gratiam, sed ut eam ratione primæ institutionis, & promissionis conferat: ergo solum concurrunt, revocando in memoriam Dei promissum, ac debitum: ergo solum concurrunt, ut signum rememorativum, vel ut pura conditio productionis gratiæ: ergo non sunt veræ causæ gratiæ, quod est contra Concilia, & PP. Confirmatur: repugnat, quòd detur gratia ex vi pacti præcedentis, & quòd detur intuitu ipsius Sacramenti: ergo Deus non movetur à Sacramento, nisi ut à conditione. Sed conditio ad aliquid non est illius causa moralis: ergo.

222 Respondeo concedendo antecedens, & negando omnes consequentias. Sacramenta enim nec sunt purum signum rememorativum, nec puræ conditiones causationis gratiæ: sed habent rationem movendi Deum ex sua honestate, modo quo dictum est ad præcedens. Purum autem signum, aut pura conditio ex se non habent movere, sed solum habent debitum in memoriam revocare. Sic numus plumbeus, aut chirographum non est causa, nec adhuc propriè conditio solutionis, sed merum signum debiti contracti. Quare non facit, ut Rex v. g. debeat, sed ut

de debito constet. Non sic de Sacramentis. Unde quando ab initio aliquid est institutum, ita ut ad positionem ejus aliquis effectus sequatur, & ejus intuitu à Deo sit producendus, licet positio talis rei recordationem promissi causet, non tamen dicitur ad eum effectum concurrere, ut signum purè rememorativum, sed etiam, ut id, cui aliquid est promissum, atque adeò, ut moralis causa illius. Hujus veritatis plura sunt exempla, quæ nequeunt negari. Actioni meritorix promissum est à Deo præmium, & quando ipsa ponitur, recordationem promissi causat: Sed tamen non dicitur causare præmium, ut signum purè rememorativum, nec ut pura conditio, sed ut causa, & motivum ad dandum præmium, & ut id, cui aliquid est promissum. Pariter satisfactio, licet recordationem promissæ condonationis causet, non est purum signum rememorativum, sed etiam motivum illius, & id, cui condonatio debetur. Ita igitur in proposito: Sacramenta sunt talia opera, quibus promissi sunt aliqui effectus, gratia, nempe, ad eorum positionem producenda à Deo, non ut per signa purè rememorativa, sed etiam ut per motivum conferendi gratiam: adeò quòd gratia à Deo detur per Sacramenta, tamquam propter motivum. Ad confirmationem nego antecedens. Non enim repugnat, quòd detur gratia ex vi pacti præcedentis, & quòd detur intuitu ipsius Sacramenti: nam priora merita, & pactum præcedens possunt non esse motivum immediatum, sed mediatum volitionis, qua gratia datur in executione. Juxta hanc doctrinam, quæ certa est apud meliores Theologos, dico, quòd posito pacto Dei jam inito cum Christo de conferenda gratia per Sacramentum, collatio gratiæ habet pro motivo immediato Sacramentum ipsum, seu petitionem presentem Christi per suum Ministrum: pro motivo autem mediato pactum præteritum, vi cujus obligatur Deus ad

ad habendum alium actum, (nempe, gratiæ productio) qui habet pro immediato motivo Sacramentum. Sic Mastrius cum Cardinali de Lugo.

223 Objiciunt 4. Non repugnat, res, & verba à Deo elevari ad gratiam producendam per modum instrumenti physici; sed hac non repugnantia stante, non est ratio ad hanc elevationem denegandam Sacramentis: ergo de facto concurrunt instrumentaliter physice. Minor indubia videtur. Prob. maj. Datur potentia obedientialis passiva in qualibet creatura ad recipiendum quicquid Deus voluerit: ergo & activa, & consequenter non repugnat &c. Patet conseq. quia hoc spectat ad totalem subjectionem creaturæ ad Deum: ob quod D. Augustinus 3. de Trin. c. 9. inquit, *Deum de creaturis posse facere aliud, quàm petant earum naturales facultates.* Confirmatur 1. Ignis de facto elevatur ad torquendos spiritus, ut physicum Dei instrumentum: ergo sic pariter Sacramenta ad animas sanctificandas. 2. Christus de facto per suam humanitatem, tamquam per instrumentum conjunctum, physice causat gratiam in nobis: ergo eandem physice producit per Sacramenta, tamquam per instrumentum separatum. 3. Sacramentum Eucharistiæ elevatur ad physice gratiam producendam: ergo idem est de cæteris Sacramentis: nam idem est omnium Sacramentorum modus gratiam conferendi. Prob. ant. Christus Joan. 6. ait: *Caro mea verè est cibus*: ergo. Prob. conseq. In tantum caro Christi verè est cibus, in quantum imitatur conditionem cibi corporalis: ita ut sicut hic verè, & propriè dat vitam corporalem, caro Christi dat vitam spiritualem: ergo sicut cibus corporalis physice dat vitam corporalem, ipsam conservando physice, ita caro Christi dat vitam spiritualem; sed hæc consistit in gratia sanctificante: ergo.

224 Argumentum nobis nullius est ponderis, cum negemus, dari po-

tentiam obedientialem passivam in quolibet ad quodlibet, ut ex Physica apparet. Angelus enim non potest recipere albedinem, nec caëbrem. Ad totalem autem subjectionem creaturarum solum spectat, quòd agant, quando, & quomodo Deus voluerit, id tamen ad quod virtutem saltem inchoatam habent. Augustinus intendit, Deum utique facere posse de creatura aliquid supra ejus naturalem facultatem, hoc est, illam excedens, non tamen illi repugnans. Unde nego majorem, & ejus probationem. Et quando concederetur de potentia passiva, adhuc negari deberet de activa: quia communiter dicitur, *ad agere plus requiri, quam ad pati*, quæ doctrina verissima est Scotistis, & aliis. Ad primam confirmationem nego antecedens; nam falsum est, ignem infernalem torquere spiritus actione physica, & per modum physici instrumenti, ut docetur ab Scotistis, juxta quos, mali Angeli torquentur ab igne eos detinente definitivè, mediante vehemènti apprehensione, aut consideratione, ex qua resultat in ipsis poena similis illi, qua anima rationalis corpori unitæ patitur, dum corpus aduritur. Videatur de hoc N. Gonzalez Math. in 2. Sent. Tract. de Angelis dist. 6. quæst. 5. ubi punctum mirè pertractat. Ad 2. nego antecedens: nam humanitas Christi, seu Christus, ut homo, solum est causa moralis meritoria, & impetratoria gratiæ. Unde potius sumitur argumentum à pari pro nobis, ut amplius constat ex 4. probatione Conclusionis. Et quando etiam concederetur humanitati Christi in virtute unionis hypostaticæ, non propterea deberet tribui Sacramentis, quæ tali carent unionem. Ad 3. poterat dici cum Pontio, quòd quando de Eucharistia constaret, gratiam physice conferre, non propterea hoc aliis Sacramentis concedendum esset: nam cætera Sacramenta existunt successivè, & Sacramentum Eucharistiæ est permanens caro-

quoque Christi existit sub speciebus, quando gratia confertur. Sed nego antecedens, & concesso antecedenti probationis, nego consequentiam, & ejus probationem. Causa moralis in communi modo loquendi est causa verè, & propriè. Quare ut caro Christi sub speciebus consecratis existens verè, & propriè det vitam gratiæ, sufficit, quòd eam det moraliter. Nec opus est, analogiam carnis Christi, quatenus est cibus, cum cibo corporali in causatione physica fundari; sed sufficit, quòd fundetur in vera vitæ collatione: ita ut, sicut cibus, corporalis vitam corporalem verè confert, ita caro Christi verè conferat spiritualem.

225 Pro aliis, & pro captu dictorum in hac quæstione, scies, Sacramenta esse, & dici instrumenta moralia gratiæ, quatenus assumpta sunt à voluntate Christi, ut instrumenta suæ Passionis, cum qua moraliter conjuncta, divinam movent voluntatem ad gratiam dignè suscipientibus conferendam. At verò ad instrumentalem causalitatem duo sunt necessaria, nempe, ipsum instrumentum, & aliqua causativa virtus, à virtute agentis principalis conditincta, quæ elevari possit, & hæc dicitur virtus inchoata ab Scotistis. Aliàs si virtus hæc inchoata saltem non supponeretur in instrumento, tunc quodlibet instrumentum posset assumi ad quodlibet agendum, quod in artificum instrumentis constat esse falsum: non enim assumitur, nec deservit calamus ad lignum scindendum, nec serra, aut maleus ad scribendum. In proposito igitur, virtus principalis meritoria, quæ est causa principalis moralis in Sacramentis, est Christi D. Passio, ut docet S. Ambrosius, & definit Tridentinum *Sess. 6. cap. 7.* Quæ Christi virtus ob infinitam suam dignitatem, & valorem, moraliter conjuncta cum ipsa actione Sacramentali, complet inchoatam illius bonitatem, ut una cum Christi meritis movere valeat

voluntatem Dei ad conferendam gratiam suscipientibus dignè. Hæc autem inchoata virtus in Sacramentis debet esse aliqua bonitas, & honestas moralis, ratione cujus Sacramentum sit aptum movere divinam voluntatem. Sed hæc Sacramentalis bonitas, & honestas in quo consistit? Consistit in eo, quòd omnis Sacramentalis actio, ut sit valida, debet ex institutione Christi habere objectum honestum, quale est ordinari ad sanctificationem subjecti, cui Sacramentum ministratur: & quæ honestas actioni Sacramentali numquam deficit nec ex malitia, nec ex indispositione, nec ex pravitate Ministri, semel quòd facere intendat, quod Ecclesia, & Christus per illud facere intendit, juxta dicta d. 2. quæst. 5. & 6. Hæc itaque est bonitas, seu moralis honestas actionis Sacramentalis, incompleta, & inchoata saltém, in qua fundatur causalitas moralis Sacramentorum, quæ per modum inchoati meriti, simul cum meritis Passionis Christi, Deum ad conferendam gratiam valeat movere. Et hæc videtur aptior via explicandi hanc moralem causalitatem, quidquid sentiant alii Authores.

QUÆSTIO III.

An Sacramenta omnibus æqualem gratiam conferant? & quando nam causent illam?

226 **P**RO prima quæstionis parte suppono 1. difficultatem moveri de Sacramentis ejusdem ordinis, & rationis, non de Sacramentis rationis diversæ, ut sunt Baptismus, Pœnitentia &c. Unde sensus est: An plures suscipientes Baptismum, vel Eucharistiam, aut Ordinem cum æquali dispositione, necessariò æqualem gratiam recipiant, ita ut tantam habeat Petrus cum baptizatur, quàm Paulus, quin neuter possit habere majorem, semel quòd habeant dispositionem æqualem? *Suppo-*

pono 2. in parvulis, vel amentibus, nullam requiri dispositionem, ut Sacramentum eis applicatum gratiam conferat; quia tales nec capaces sunt talis dispositionis, nec peccati obicem possunt ponere: requiri verò aliquam dispositionem actualem in adultis ratione utentibus, ut patet de Baptismo, ex illo Marci: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ubi actus fidei ponitur, ut prævia dispositio, ad effectum Baptismi recipiendum. Pro secunda quæstionis parte controvertitur: An Sacramenta gratiam causent ante eorum realem susceptionem, dum, nempe, proponimus ea suscipere, seu quando sunt in voto? an in ipsa susceptione, & dum actu fiunt? an postquam perfecta, & completa sunt?

227 **Conclusio I.** *De facto Sacramenta ejusdem rationis, & speciei æqualem conferunt gratiam ex opere operato æqualiter dispositis: si verò sit inæqualitas dispositionis in recipiente, major confertur gratia magis disposito, quæ gratiæ majoritas petitur, non ex parte Sacramenti, seu operis operati, sed ex parte operantis.* Est communis, & docetur à Scoto 4. dist. 4. quæst. 7. Probatur ratione: Singula Sacramenta ex institutione Dei habent determinatum effectum, & virtutem, ut docet Tridentinum *Sess. 7. Can. 7.* dicens: *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & in omnibus, quantum est ex parte Dei &c.* ergo semper, & ubique causant hunc effectum in gradu à Deo determinato, quantum est ex se, & ex opere operato. Secunda pars, nempe, quòd major conferatur gratia magis disposito, expressè constat ex Tridentino *Sess. 6. Cap. 7.* inquit: *Nos recipere gratiam, & justitiam, secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, & secundum propriam uniuscujusque dispositionem, & cooperationem.* Ratio fundatur in Dei perfectissima providen-

Tom. I.

tia, & justitia distributiva: nam sicut majori contritioni, & dispositioni extra Sacramentum major gratia correspondet, ita majori attritioni, quæ in Sacramento locum supplet contritionis, major quoque gratia correspondere debet. Nunc sic: sed juxta dicta, ex opere operato, seu ex parte Sacramenti, & quantum ex se est, in omnibus est æqualis: ergo majoritas gratiæ provenit ex majori dispositione, seu ex opere operantis. Notanter dixi, *Sacramenta ejusdem speciei*: nam sicut unum Sacramentum dignius est alio: etenim Eucharistia præcellit cætera omnia, Baptismus, ac Ordo dignior est Matrimonio &c. ita valde probabile videtur, quòd digniora majorem habeant efficaciam, & gratiam majorem conferant, quàm minora, & ignobiliora. Cum ergo gradus efficacitatis singulorum, sicut & tota institutio, ex divino pendeat beneplacito, verisimile est, Deum dignitati, ac etiam necessitati eorum commensurasse efficacitatem, & præcellentiam effectuum. Ne verò æquivo-cationem patiaris, advertendum est, tam pro assertionis intelligentia, quàm pro argumentorum solutione, quòd dum dicitur, magis disposito majorem gratiam causare Sacramentum, & quòd tunc illa major gratia dicitur ex opere operantis; hoc quidem intelligendum non est ita, ut existimetur, Sacramentum illam majorem gratiam non causare: causat utique illam per sui receptionem. Dicitur autem, & est, ex opere operantis; quia illud augmentum, quod causat, non est ex vi, & efficacia determinata Sacramento ab ipso Deo, ut omnibus obicem non ponentibus uniformiter causet, sed ex merito, & majori dispositione recipientis.

228 **Conclusio II.** *Quamvis gratia, quæ datur in Baptismo, (& sic in aliis Sacramentis) semper sit æqualis, quantum est ex parte Sacramenti in parvulis, vel adultis æquè dispositis, tamen de possibili, & ex-*

R

spe-

speciali privilegio, potest uni communicari major, quam alteri. Est expressa Subt. Doct. 4. d. 4. q. 7. §. sic ergo, contra Thomistas, Suarez, Lugo, & alios, asserentes, Sacramenta ejusdem rationis cum æquali dispositione suscepta ita necessario æqualem gratiam conferre, quod alter suscipientium nequeat habere majorem. Ex his aliqui Scotum inficientes tribuunt ipsi, docuisse, de facto ita evenire. Falsitas autem hujus imputationis per se patet ex littera Doct. in qua tantum loquitur de possibili: nam de facto, ut constat ex anteced. Concl. asserit, & probat, quod semper est æqualis in æqualiter dispositis, quantum est ex parte Sacramenti, ob rationem tactam ibi. Hæc autem inæqualitas gratiæ, ait Scotus, provenire potest ex triplici capite, nempe, ex speciali Dei benevolentia, ex speciali Passionis Christi applicatione, & ex merito Ministri, vel assistentium.

229 Ex 1. cap. probat Doctor sic: Quia Deus prædestinavit diversos electos ad diversas gradus gloriæ, & hoc ante determinationem hujus Sacramenti ad tantam, vel tantam gratiam conferendam; sed ordinato ad majorem gloriam rationabiliter potest major gratia conferri: ergo posset Deus in determinando certitudinem hujus signi, seu Sacramenti disponere, conferre alicui suscipienti præcisè illam gratiam, quæ nata est causari à signo, seu Sacramento, & majorem alicui, quem ad majorem gloriam prædestinavit. In hoc igitur quæ repugnantia apparere potest? Sed verò ille ulterior gratiæ gradus non conferitur virtute Baptismi v. g. sed ex speciali Dei benevolentia. Ex 2. capite, nempe, ex speciali applicatione Passionis Christi; qui est causa meritoria gratiæ, probat Doctor, posse provenire gratiæ augmentum, sic: Quia Christus ponitur communiter nosse omnia, quæ Deus novit, & per consequens novit electas, & ad quem gradum gloriæ

fuert electi: potuit pro prædestinato ad majorem gloriam plenius offerre Passionem suam, ut ei conferretur gratia proportionata. Explicatur: Quamvis Passio Christi, quoad sufficientiam, æqualiter pro omnibus sit oblata Deo; potuit tamen Christus illam efficacius offerre pro prædestinatis ad majorem gloriam, ut in Sacramentorum susceptione major gratia illis conferatur: ergo. Antecedens nedum non implicat, imò pro illo magna apparet congruitas: nam Christus novit, vel noscere potuit omnia, quæ Deus noscit scientia visionis, & per consequens novit electos, & ad quantam gloriam essent electi, ut docetur Tract. de Scientia Christi: aliunde voluntas ejus humana semper fuit summè conformis voluntati divinæ: ergo sicut Deus voluit majorem gloriam dare uni, quam alteri, & velle potest majorem gratiam conferre uni, quam alteri in Sacramentis; ita etiam potuit Christus sua merita applicare ad majorem gratiam illi, quem videbat prædestinatum ad majorem gloriam.

Ex 3. cap. scilicet, ex merito Ministrorum, vel adstantium, probat Doctor tale gratiæ augmentum ex eo, quod ex opere operantis, & de congruo possunt suscipienti mereri aliquem gradum. Unde infert, quod aliquando datur, vel saltem dari potest, major gratia in Baptismo uni parvulo, quam alteri, propter majorem devotionem actualem Ministri, vel assistentium, vel Parentum ipsius parvuli. Ex quo infert, effectum illum, quo S. Nicolaus Miensis Episcopus, adhuc infans, bis in hebdomada una tantum lactatione contentus erat, fuisse ex peculiari gratia illi à Parentibus impetrata. Roboratur hoc: Preces, & merita Ministri, & aliorum possunt aliis mereri gratiam, & alia bona extra Sacramentum: ergo eandem gratiam possunt mereri in susceptione Sacramenti. Prob. conseq. Nec Minister ministrando, nec suscipiens recipiendo

do Sacramentum, fit deterior conditionis: ergo si potest Minister extra Sacramentum majorem gratiam impetrare suscipienti, poterit etiam in ipsa Sacramenti susceptione. Antecedens 1. probatur ex autoritate, & usu Ecclesiæ, docentis, & adhortantis fideles, ut orent pro peccatoribus, & colligitur ex Epist. Jacobi: *Orate pro invicem, ut salvemini*: item: *Multum valet justis deprecatio*: ergo si mutua oratio potest juvare ad salutem, consequenter etiam ad gratiam, sine qua non datur salus.

130 Unde ex eo, quod orationes justorum gratiam peccatoribus promerentur, docent communiter Patres, quod preces S. Stephani fuerunt meritorie conversionis S. Pauli. Quare Christus movebatur per fidem Parentum, & orantium ad aliis concedenda beneficia, & remissionem peccatorum: *Videns fidem illorum, dixit: Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua*. Glossa hæc: *Quantum valeat apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, ut intus, & extra sanaret hominem*. Sed ne æquivocatione patiaris, ut patiuntur Adversarii, adverte, nos non dicere, nec velle, quod virtus Sacramenti proprie crescat, aut decrescat ex merito, sanctitate, aut oratione Ministri, sed tantum, quod valeat per modum impetrationis, & meriti; non quidem de condigno; quia sic solum potest nobis mereri Christus, à quo Sacramenta habent vim omnem, & non à Ministro, nec ab stantibus: sed tantum de congruo. Quamvis enim Deus regulariter non conferat in Sacramentis uberiorem gratiam ex merito Ministri, nullum tamen est inconveniens, per actus honestos in gratia factos aliquem posse mereri alteri de congruo aliquem gratiæ gradum, ut Theologi satis frequenter sentiunt.

231 Arg. 1. Juxta Tridentinum Sess. 6. c. 7. *In Sacramentis unusquisque recipit gratiam, secundum Tqm. I.*

propriam cujusque dispositionem, & conditionem: ergo magis dispositis magis gratia datur, & minus dispositis minus: ergo tota inæqualitas gratiæ Sacramentalis venit ex dispositione subjecti, & non ex capitibus à nobis assignatis, ergo æqualiter dispositis semper æquale gratiæ conferri debet. Confirmatur 1. Quodlibet Sacramentum ex sua institutione habet effectum à Deo prædefinitum, & determinatum: ergo stante æquali dispositione ex parte recipientis, stabit etiam æqualitas gratiæ: nam quando ex parte agentis, & ex parte passi est æqualitas, non est unde inæqualitas effectus proveniat. Prob. ant. Ad Dei providentiam spectat, ut sicut est determinata significatio Sacramentorum, ita etiam sit determinata ejus efficientia, & causatio: ergo, Confirmatur 2. occurrendo solutioni: Ideo dabilis esset talis inæqualitas, quia tribui potest Divinæ voluntati, & speciali ejus benevolentia; sed hoc falsum est; ergo. Prob. minorem: Non debet tribui voluntati Dei hæc inæqualitas, nisi constet ex revelatione per Scripturam, vel per traditionem Ecclesiæ; sed neutro modo constat, Deum velle sic favere uni præ alio in applicatione æqualis causæ, id est, æqualis Sacramenti: ergo. Major patet: nam Deus, & Christus æqualem, & determinatam vim tribuerunt singulis Sacramentis unius speciei. Prob. minorem: *Non est acceptio personarum apud Deum*; & sicut unus est Deus omnium, sic unus est amor, & una benevolentia, quantum est ex ipso: ergo.

232 Respondeo, Concilium loqui de facto, & prout contingit de lege communi: nos autem loquimur cum Scoto de possibili, & de eo, quod contingere potest ex speciali privilegio. An autem de facto ita sit, inquit, dubium esse, de possibili verò ostensum est. Sic inquit: *dubium est de facto, sed possibilitas est ostensa*. Adversarii autem arguunt

contra Doctorem, ac si assereret de facto æqualiter dispositis Sacra conferre gratiam inæqualem speciali Dei benevolentia, et speciali applicatione Passionis Christi, vel ex merito, & prout auctoritate Ministri. Deinde ex eo Concilii potius deducitur opus situm; quia non assignatur solam dispositionem pro mensura gratiæ conferendæ in Baptismo, sed etiam assignatur voluntas, & liberalitas Dei, qui dividit gratiam singulis, prout vult, ut dictum manet num. 229. Ad primam confirmationem dico, gratiam significatam per Sacramentum esse determinatam, quatenus Deus disposuit gratiam regulariter conferre cum tali signo, ita quod nulli minorem tribuat, ut declarat Doctor: non tamen esse determinatam, ita ut non possit crescere secundum mensuram effectus, prout Spiritus Sanctus, qui partitur dona, vult, quemadmodum loquitur Tridentinum. Neque id efficaciam, & certitudinem Sacramentorum minuit, sed potius ampliat. Unde concessio antecedenti, nego consequentiam. Et cum dicitur, quod quando ex parte agentis, & passus est æqualitas effectus, id conceditur ceteris paribus: sed tamen non est æqualitas ex parte passus, ut consideratur in ordine electionis: neque Sacramentum operatur solum ex virtute limitata ad hunc, vel illum gradum, sed prout movetur, & applicatur à causa principali, nunc æqualiter, nunc perfectius, si voluerit, operante ex benevolentia particulari. Ad 2. dico procedere, perinde ac si Scotus id assereret de facto, & de lege ordinaria, & communi, quo casu auctoritas, seu traditio necessaria esset: attamen hoc Doctor non asserit, nisi de possibili, & secundum legem specialem. Deinde potest negari minor: nam ex Scriptura constat, quod Deus dividit gratias suas, prout vult. Unde sicut non eligit omnes ad æqualem gloriam, ita, si velit, potest

conferre inæqualem gratiam per idem Sacramentum, ceteris paribus. Et cum dicitur, quod non est acceptio personarum apud Deum, est verum de lege ordinaria, ut dicitur.

233 Arg. 2. Ex nostra sententia plura sequuntur absurda; sed hæc sunt vitanda: ergo. Prob. maj. Sequitur 1. habentem minora merita, posse consequi majorem gloriam, quam qui habet majora, & præstantiora merita, dummodo habeat majorem gratiam ex speciali Dei benevolentia; quia gloria confertur secundum mensuram gratiæ; sed sequela est absurda: ergo. Sequitur 2. duos infantes posse decedere ex hac vita in gratia inæquali, & sic possent habere gloriam inæqualem; sed hoc etiam est absurdum; quia Paradisus est domus justitiæ, ubi redditur cuique secundum opera sua: ergo. Sequeretur 3. Deum posse infundere dormienti illam gratiam ex sua benevolentia, atque ita illum salvare absque meritis, & absque Sacramento Baptismi; sed hoc est absurdum; nam est tollere necessitatem Sacramentorum, & meritorum contra Scripturam, dicentem, quod reddet unicuique secundum opera sua, & unusquisque recipiet, prout gessit, sive bonum, sive malum: ergo. In primis argumentum 1. se ipsum destruit; quia uberior gratia actualis, & habitualis in adulto ordinatur proximè ad perfectionem operis, sicut perfectiora media ad perfectiorem finem: ergo sicut adultus prædestinatus ad majorem gloriam requirit etiam perfectiora opera, sic uberior gratia, quam, mediante Sacramento, reciperet, non esset otiosa, sed reduceretur ad actum meriti, ad quem proximè ordinatur. Secundum pariter etiam se ipsum destruit; quia loquitur de infantibus, quibus non correspondet gloria ex propriis meritis, sed tantum ex meritis Christi. Unde si argumentum valeret, sequeretur, nullum infantem posse salvari, quia nullus decedit

dit cum operibus. Deinde respondeo negando minorem 1. sequelæ. Non enim illud absurdum est, loquendo de potentia Dei absoluta, & ex speciali lege, quo sensu loquitur Doct. Subt. Largitor enim gratiæ nemini inferret injuriam, si aliis juxta merita, aliis juxta suam benevolentiam, impertiret præmium, sicuti nemini injuriam facit, eo quod unum ad majorem gloriam, quam alterum, prædestinet. Neque ob id adesset personarum acceptio; quia hæc in gratuitis non datur. Diceret enim illis illud Matth. 20. de parabola laborantium in vinea: Non facio tibi injuriam: tolle, quod tuum est, & vade. Quare in parabola hac de operariis, Paterfamilias, dum largiretur æquale præmium pro inæquali labore, ait de hoc se querelanti: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Loquendo autem de lege ordinaria, & communi, absurdum esset utique; quia Deus non confert modo alicui gratiam majorem, quam alio, præcisè ex causa principali, & meritoria, quæ est Passio Christi, circumscripita omni differentia ex parte suscipientis, ut indicavit Doctor, dum dixit, Deum regulariter non conferre majorem gratiam uni, quam alteri, absque omni differentia extra causam principalem. Ad 2. nego minorem: nam loquendo de parvulis decedentibus ante usum rationis, nullum absurdum est dicere, quod haberent gloriam perfectiorem ratione perfectioris gratiæ, juxta tenentes, eos ad majorem gloriam electos fuisse. Ad 3. dico, solum concludere de potentia ordinaria, & non de absoluta, de qua hic loquimur. Absolutè enim loquendo, posset Deus facere sic: sed tamen regulariter, & de communi lege, sic non se gerit; quia effectum prædestinationis non producit, nisi per media ordinaria, & statuta, qualia sunt Sacramenta, & opera, quo sensu loquitur Sacra Scriptura.

234 Replicabis: Si inæqualitas

gratiæ in dispositis æqualiter aliunde veniret, quam ex subjecti dispositione, veniret, vel ab ipso Sacramento, vel à Deo: sed primum dici non potest; quia Sacramentum idem est, & idem significat in omnibus suscipientibus, ob quod idemmet operatur in omnibus; quia operatur, ut signum præcticum: nec dici potest secundum; quia Deus æqualibus meritis æqualia determinat præmia, & cum æquali causa æqualem exhibet concursum: Sacramenta autem sunt æqualia, æqualia merita, & æquales causæ: ergo. Respondeo negando min: quia utrumque dici potest. Potest enim dici, quod ille excessus proveniret à voluntate particulari Dei, mediante tamen Sacramento, quo stante, causaretur ab eo per modum signi præctici; quia hoc nihil aliud importat; quam quod causet hoc, quod significat, estò determinatè non significet hunc, vel illum gratiæ gradum. Sic campana dicitur esse signum lectionis, licet determinatè non ostendat, quanta sit futura, nempe, num brevis, num longa. Et quamvis Doctor dicat, illum ulteriorem gradum non dari virtute Sacramenti, intelligendus est juxta verba antecedentia, ubi dicit, Deum universali voluntate disposuisse dare gratiam regulariter mediante hoc signo certo in gradu determinato, ita ut nulli conferat minorem. In hoc sensu dicit, æqualem esse in omnibus virtutem Sacramenti; & gradum excedentem conferri ex speciali Dei benevolentia, & non virtute Sacramenti: quatenus, nempe, Sacramentum, ut ex Dei universali voluntate est signum certum, non extenditur ultra illum gradum. Attamen, ut subest etiam voluntati speciali Dei, causat etiam ex opere operato illum gradum excedentem. Et hic videtur mihi aptior modus Theologizandi, ut detur locus quæstioni propositæ: an Sacramenta æqualiter dispositis possint gratiam conferre inæqualem? Potest dici etiam,

ex-

excessum illum non provenire à Sacramento, sed ex speciali benevolentia Dei, & ex motivo prædestinationis; vel ex speciali applicatione meritorum Christi; vel intuitu precum, & devotionis assistentium: concomitanter tamen se habendo illa gratuita gratiæ collatione cum receptione Sacramenti, seu mediante Sacramento. Unde distinguo min. Idem est, & idem significat, quoad speciem effectus, concedo: quoad intensiōnis gradum, nego min. Baptismus ubique significat ablutionem à peccato originali, sed non significat præcisè, quanta sit illa gratia ablutionis; an major, aut minor, ut constat ex exemplari supra adducto. Ad 2. prob. distinguo sic: Æquali causæ, quatenus causa est, & ex eo capite; æquali Sacramento, & ex vi Sacramenti, concedo: ex alio capite, & alio motivo, quàm Sacramenti, nego. Ad cætera patet per dicta ad argumentum præcedens.

235. Arg. 3. Dicere, illam inæqualitatem provenire posse ex merito Ministri est contra communem doctrinam Patrum: ergo. Prob. antecedens: Patres uniformiter negant majorem efficaciam Sacramentis propter majorem bonitatem Ministrorum; nam Baptismus collatus à meliori Ministro non est melius Sacramentum: ergo. Confirmatur: Si quis posset alteri mereri gratiam, hoc vel esset de condigno, aut saltem de congruo? Non de condigno; quia hoc solum competit Christo ex gratia capitis: neque de congruo; aliàs possem ego mereri gratiam alicui non contrito: item, quod parvulus salvaretur absque Baptismo. Demum, quod parvuli ante usum rationis crescerent in gratia, quæ omnia sunt absurda, & contra Dei justitiam, quæ, secundum Apostolum, reddet unicuique secundum opera sua.

236 Respondeo, illud commune dictum SS. PP. nempe, efficaciam Sacramenti non pendere à bonitate Ministri, intelligi quoad substantiam

Sacramenti, quoad effectum, & fructum ejus ordinarium, quem habet annexum ex opere operato. Quoad hoc Sacramentum non est melius utique, nec efficacius propter meliorem Ministrum. Attamen hoc non impedit, quod adhuc possit dici melius ex opere operantis; nam negari nequit, actionem Sacramentalem Ministri probi esse meliorem ex hoc capite actione improbi. Hac ratione D. Thomas 3. part. q. 28. art. 6. docet, Missam boni Sacerdotis meliorem esse, & magis fructuosam, quàm mali Sacerdotis, licet sint æqualiter validæ, & fructuosæ quoad Sacramentum, & quoad orationes, quas proferunt ut Ecclesiæ Ministri. Ad confirmationem concedo, justum posse sua devotione, & operibus mereri alteri augmentum gratiæ, quod sufficit ad tuendam nostram opinionem, quia opus sit, id de prima gratia tueri. Et cum hoc impugnetur per præsentia absurda, nego primam sequelam; quia adultus eo casu ex parte sua esset indispositus, & incapax gratiæ: ut verò justus possit eam alteri mereri de congruo (non de condigno; quia hoc est proprium Christi Domini ex gratia capitis) requiritur, quod in suscipiente non sit indispositio, ut etiam D. Thomas docet. Nego etiam, quod posset justus mereri, parvulum sine Baptismo salvari; quia jam stat præceptum, quod quilibet baptizetur, & quod, qui non baptizatur, non intret in Regnum Cælorum. Si ponatur casus, quod mors infantis insitet, nec adsit commoditas baptizandi, quid tunc accideret, si Sanctus pro illo oraret? Respondent Faver, Centinus, & alii Scotistæ cum Mastro, quod fortè salvari posset; quia præceptum ex impossibilitate impletionis non obligaret infantem, & tunc temporis alia remedia adhiberi non possent. Ratio est; quia meritum de congruo non innititur justitiæ, sicut meritum de condigno, sed innititur misericordiæ: ergo non videtur

tur inconveniens, imò maximè consentaneum divinæ misericordiæ, quod Deus per orationem justi moveretur ex misericordia, non ex debito justitiæ, ad dandam primam gratiam illi infanti, cui Baptismus applicari non potuit. Tertia sequela, nempe, gratiam parvulorum ex precibus augeri posse, nihil infert absurdi. Vide dicta num. 130. Et quando Apostolus inquit, Deum redditurum unicuique secundum opera sua, loquitur non de infantibus, & de merito de congruo, sed de adultis, & de merito de condigno; de quo nos non loquimur, dum dicimus, unum posse alteri mereri gratiæ augmentum, seu gratiam, sed tantum de congruo.

237 Conclusio III. *Nullum Sacramentum gratiam confert ex opere operato, nisi actu susceptum, & postquam est completum, & integrum.* Conclusio frequentissima est inter Theologos cum Subt. Doct. in 4. dist. 1. quæst. 5. num. 4. & quæst. 6. num. 11. contra Baldium in sua Cath. Monac. lib. 3. quæst. 3. asserentem, Sacramentum, ut est tantum in voto, seu in animo, & desiderio, gratiam causare ex opere operato. Est etiam contra alios paucos intendentes, illam causare, dum sunt in fieri, seu in decursu receptionis. Prob. ex Scriptura, in qua promissio conferendi gratiam ex opere operato semper fit Sacramentis actu susceptis: ut *qui baptizatus fuerit: qui manducat carnem Carnem: quorum remisistis peccata &c.* non verò dicit: *qui baptizabitur, nec qui cupierit baptizari: nec quorum remissuri eritis:* ergo. Confirmatur ex ipsa voce *ex opere operato:* Implicat, quod Sacramentum causet gratiam ex opere operato, antequam opus sacramentale sit operatum; sed ante receptionem non est Sacramentum operatum: ergo. Urgetur: Sacramentum, ut tale, formaliter, & reduplicativè est signum sensibile: ergo non operatur gratiam invisibilem, & sacramentaliter, nisi

prout est opus externum, & positum sensibiliter. Atqui non ponitur sensibiliter, quando existit tantum in voto; quia votum, v. g. contritio perfecta cum voto Baptismi, aut Pœnitentiæ, est actus purè internus ergo. Prob. specialiter quoad secundam partem: Tum; Sacramenta, dum fiunt, & antequam actio Sacramentalis sit totaliter completa, non habent perfectam significationem: ergo nec tunc causant gratiam: nam eodem modo causant, quo significant. Tum: fieri Sacramentorum est successivum, & materiale, effectus verò est quid spirituale: ergo non operantur in suo fieri, in quo Sacramentum adhuc non habet completum esse, sed in primo, & immediato facto esse, & consequenter &c.

238 Arg. 1. contra 1. partem Sacramenta in voto conferre gratiam ex opere operato valde confert ad eorum dignitatem, & commendationem: ergo talis modus conferendi gratiam debet illis concedi. Prob. ant. Adulti justificantur per Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ in voto, dum hæc Sacramenta non possunt suscipi in re; sed hoc ipso ad eorum dignitatem confert, quod justificent ex opere operato: ergo. Major est sententia communis Theologorum. Minor patet: aliàs frustra esset illud votum, cum nihil ex se operaretur. Confirmatur 1. Si accipiens Sacramentum in voto tantum, nempe, habens perfectam contritionem, quæ includit votum suscipiendi Baptismum, vel Pœnitentiam, non justificaretur ex opere operato, & ex vi Sacramenti, justificaretur solum ex opere operantis. Nunc sic ad quid tunc haberet ex præcepto votum Sacramenti, ita ut abque tali voto contritio tempore legis gratiæ non justificet? ergo signum est, quod ex se justificat, & hoc ad Sacramenti dignitatem conducit. 2. Ea, quæ suppleunt vicem Baptismi in adultis, qui actu nequeunt baptizari, ut

Mar.

Martyrium, & ad Deum conversio perfecta, habent vim justificandi derivatam ex Sacramento, quod est in voto, & desiderio; ita ut Christus per Sacramentum utroque modo susceptum operetur: ergo debent præstare id, quod præstaret Sacramentum in re susceptum: ergo ex opere operato; quia stant loco Sacramenti in re, & ejus vices gerunt: non igitur hoc eis rationabiliter est denegandum, & consequenter hoc confert ad eorum commendationem, & dignitatem.

239 Respondeo, id potius esse in detrimentum dignitatis Sacramentorum novæ legis: nam si Sacramenta voto tantum suscepta gratiam conferrent ex opere operato, postea illa actu suscipere mera esset cæremonia, & ad illa jam non accederemus, nisi præcepti servandi causa. Dico igitur, quod quando dicitur, adultos justificari per Baptismum in re, vel saltem in voto, non est, quia eodem modo gratiam conferat, nempe, ex opere operato; sed quia contritio, ad cujus intuitum, & mensuram gratia confertur extra Sacramentum, includit propositum recipiendi Sacramenta tempore suo. In hoc sensu loquitur Trident. Sess. 13. c. 8. dum inquit: *Eucharistiam in voto susceptam suum fructum, & utilitatem conferre.* Intelligitur enim de fructu, & utilitate respondente non Sacramento ex opere operato, sed voto, & merito operantis. Ad 1. confirmationem dico, quod cum in lege gratiæ sit præceptum recipiendi Baptismum, & Pœnitentiam, si in re suscipi non possunt, debent suscipi in voto, & desiderio. Unde contritio, per quam homo disponitur ad gratiam; annexum habet propositum recipiendi Sacramentum tempore suo, & aliter non justificaretur. Ad 2. dico, Sacramentum in voto susceptum dici justificare, non quia sic gratiam conferat ex opere operato, sed quia contritio, ad cujus intuitum datur gratia, inclu-

dit propositum suscipiendi Sacramentum. Unde concurret ad gratiam, non causativè, sed terminativè, sicut cætera objecta honesta, & ut conditio, ut Christus causet. Et si Martyrium in adultis, ut fert communis opinio, gratiam confert ex opere operato, non est virtute Baptismi, quem habet in voto, sed ex singulari privilegio, etiam independenter à Baptismo in voto, ut patet de Innocentibus, quos Ecclesia colit, ut Martyres, & non poterunt habere votum Baptismi, cum non haberent usum rationis. Loquor nunc in sententia communiori sic asserente, quamvis mihi certissima sit doctrina V. Scriptricis Agredanç docentis, Deum illis miraculosè dedisse usum rationis, quo liberè sese martyrio traderent. Ex quo negatur antecedens, & quidquid ex illo intenditur inferri. Sequitur ex dictis, quod in contritione justificante ante Baptismum, & Pœnitentiam, hæc Sacramenta concurrunt tunc ad justificationem, quatenus contritio includit in Evangelica lege desiderium ea suscipiendi, quando suscipi possint: sed tunc nec operantur sacramentaliter, nec habent effectum plenè: nam Baptismus in voto nec causat characterem, nec totius pœnæ remissionem, nec jus ad omnia auxilia, ut causat susceptus realiter.

240 Arg. 2. contra secundam partem: Omnis causa causat, quando est; sed Sacramentum non est, nisi quando est in suo esse successivo: ergo tunc causat gratiam tantum, & non quando jam est completum. Explicatur, & præcavetur solutio: Si Sacramenta non causant gratiam, nisi cum primùm completa, & perfecta sunt, illam causarent in instanti extrinseco, seu in primo non esse sui; sed ex hoc magnum, & durum inconueniens sequitur: ergo illam causant, quando fiunt. Prob. minor. Sequeretur, quod qui moreretur in ipso instanti ultimo intrinseco Baptismi, non reciperet

ret gratiam, & damnaretur: nam in primo instanti extrinseco, nec puer viveret, nec ampliùs esset Sacramentum; sed sequela videtur absurda: ergo. Confirmatur: Sacramenta causant pro tempore, quo significant, & quo sunt vera; sed non sunt vera, nisi pro tempore præsentis, quo fiunt, non quo perfecta sunt, seu pro instanti extrinseco, terminante illorum perfectionem: ergo non causant, cum jam perfecta sunt, sed cum actualiter perficiuntur, & fiunt. Prob. majorem: Nam causant per modum signorum naturaliter significantium; sed significant de præsentis, quo fiunt ergo. Respondeo dist. majorem: Omnis causa physica, et physicè causans, concedo: moralis, nego majorem. Hac ratione usi sumus, ut potissimo fundamento, ad sustinendum, Sacramenta physicè non causare gratiam. Sacramentum itaque est causa moralis, & operatur in ratione signi: causalitas autem ejus, sicut & significatio, pendet indivisibiliter à toto ejus completo. Unde hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, si ultima syllaba desit, non significant perfectè id, ad quod instituta sunt à Christo, nec consequenter causabunt existentiam Corporis Christi sub speciebus. Debent ergo verba compleri per prius. Ad explicationem nego minorem. Ad ejus probat. dico, illum casum esse merè metaphysicum, & purè speculativum, qui in moralibus non est admittendus, quia moraliter non est possibilis. Deus itaque in instanti immediato ad formæ prolationem gratiam in puero producit, quin aliquod tempus mediet, ut docet Doct. Subt. inter verba prolata, & gratiæ productionem. Si verò tenaciter velit quis possibilitatem casus defendere, dico, tunc nullum esse inconueniens, sed necessarium, sine gratia decedere, cum auferatur instans, aut signum, in quo gratia produci debet: modo quo, si puer decederet in ultimo instanti antequàm finiretur ultima syllaba for-

Tom. I.

mæ. Ad confirmationem distinguo majorem. Pro tempore, quo significant, & sunt vera integrè, & perfectè, concedo: imperfectè, & incompletè, nego maj. & min. Non enim habent sensum integrum, & perfectum, nec integrum conceptum verba pariunt, nisi post integram prolationem verborum, ut de forma Eucharistiæ abundantius dicitur Tractat. de Euchar. d. 2. quæst. 9. vide ibi.

QUÆSTIO IV.

An Sacramenta aliam gratiam causent, quàm sanctificantem? Et quomodo sint necessaria Sacramenta?

241 PRO prima quæstionis parte, alii quærent sic: *Quid addat gratia Sacramentalis supra gratiam habitualem?* Undè hic titulus supponit, gratiam Sacramentalem, id est, per Sacramentum productam, aliquid addere supra gratiam habitualem, imò & supra virtutes, & dona Spiritus Sancti, quæ ad instar passionum consequuntur infusionem gratiæ habitualis. Et ratio est: Nam ille, qui extra Sacramentum justificatur, habet gratiam habitualem, & omnes virtutes infusas, non tamen habet gratiam Sacramentalem: ergo signum est, gratiam Sacramentalem aliquid addere supra gratiam habitualem. In hoc Theologi jam conveniunt, sed dissident non parum in explicando, quid sit illud superadditum? Quoad 2. quæstionis partem etiam valde differunt Theologi: tota tamen differentia consistit in intelligentia, & explicatione harum vocum *necessitate medii*, & *necessitate præcepti*. Omissis verò variis placitis erga præfatam distinctionem, illud dicitur necessarium *necessitate medii*, quod ita necessarium est juxta legem ordinariam, ut sine illo salus æterna obtineri non possit, & quo prætermisso, etiamsi

S

ex

ex ignorantia, vel oblivione salus non obtinetur. Hujusmodi est gratia justificans, quæ est medium necessarium ad beatitudinem consequendam secundum legem ordinariam. Necessarium necessitate præcepti est illud, quod, oblata opportunitate, necessario præstandum est ad obtinendam salutem, nisi fortè prætermittatur ex ignorantia, vel impotentia, vel oblivione: nam quod sic prætermittitur, cum non imputetur ad culpam, nec impedit consecutionem gloriæ, quod tantum sit necessarium necessitate præcepti. Antiqui Doctores, qui de Sacramentorum necessitate locuti sunt, illam diviserunt in necessitatem simpliciter, & ad bonè, seu melius esse. Sed hæc distinctio, vel coincidit cum nostra, vel si non læt coincidere, nostra est aptior, & jam in Scholis plausibiliter recepta ab omnibus.

242 Dico 1. Sacramenta, præter gratiam habitualementem, operantur in suscipiente jus quoddam morale ad gratias actuales proprias finibus singulorum, & quæ gratiæ Sacramentales dicuntur. Est Subt. Doct. in 4. dist. 2. quæst. 1. ubi loquens de Sacramentorum effectibus, eis singulis tribuit gratias speciales, & auxiliares. Prob. ex Florentino dicente: *Per Baptismum renascimur: per Confirmationem roboramur in fide: nutri-mur divina Eucharistiæ alimonia: per Pœnitentiam sanamur &c.* Simile habet Trident. Sess. 14. de Extrema-Untione. Nunc sic: sed hæc, & similia significant aliquid præter gratiam habitualementem sanctificantem primam, aut secundam: nam gratia habitualis similis est, & eadem specificè in omnibus; non verò illæ gratiæ, seu auxilia: ergo. Unde D. Bernardus illas gratias peculiare uniuscujusque Sacramenti explicans, ita inquit: *Eucharistia tribuit, ut non sentiamus vehementes tentationes invidia, luxurie, iræ... per Baptismum tota pœna remittitur... per Pœnitentiam in temporalem commutatur...*

per Confirmationem datur robor ad resistendum tentationibus infidelitatis... per Ordinem ad divinum cultum aptè exercendum... per Matrimonium adjutorium ad piè agendam vitam conjugalem &c.

243 Ex quibus sic: Gratia habitualis causata à Sacramentis non est specie diversa, sed est ejusdem naturæ in omnibus Sacramentis, ut est evidens; sed certum est etiam, & diversis, & singulis Sacramentis diversas, & singulares gratias causari juxta fines, ad quos instituta sunt: ergo præter gratiam habitualementem, quæ quidem extra Sacramentum haberi potest, dantur aliæ gratiæ, quæ sunt Sacramentales, quæ non habentur extra Sacramentum, seu sine receptione illius. Sed istæ non possunt melius explicari, vel assignari, quàm per illud jus morale ad talia auxilia: nam si omnia similem gratiam, & nihil aliud præstarent, frustrâ essent plura, & diversa Sacramenta; & præterea, unum Sacramentum idemmet præstaret, quod aliud; quo stante, Eucharistia eodem modo juvaret recipientem ad onera Matrimonii Sacramentum, & sic de aliis, quod videtur absurdum: ergo. Si dicas cum aliquibus, illas gratias, & effectus speciales sufficienter explicari per diversos characteres, & ornatus interiores, quos singula Sacramenta operantur in anima. Contra est; quia illi characteres, & ornatus, ut tales, non sunt operativi, nec conferunt ad operandum conformiter ad obligationes contractas per Sacramentorum receptionem, v. g. Matrimonii, vel Ordinis; nisi fortè dicatur, quod illi varii ornatus fundent jus illud morale ad talia auxilia: ergo semper est recurrendum ad illud jus ad tales gratias actuales. Si cum Paludano reponas, gratiam sacramentalem esse habitum particularem à gratia habituali distinctum. Contra: quia nulla est necessitas admit-

tea-

tendi talem habitum distinctum à gratia sanctificante, ut est evidens: ergo ex capite superfluitatis rejiciendus est.

244 Explicantur nunc istæ gratiæ Sacramentales. *Baptismus* præter gratiam remissivam peccati originalis, & aliorum, quæ ipsum præcedunt, & præter characterem, dat baptizato jus quoddam moraliter exigens auxilia necessaria ad christianè vivendum. *Confirmatio* ad constanter tenendam fidem, & tentationes contra fidem vincendas. *Eucharistia* ad actus devotionis expeditè, & alacriter eliciendos, & contra tentationes avertentes à charitate. *Pœnitentia* ad resistendum omnibus peccatis in posterum, & præterita detestanda. *Extrema-Untio* ad resistendum tentationibus desperationis, aut præsumptionis in extremis vitæ momentis. *Ordo* ad promovendum Dei cultum, & sacra munia Sacerdotii ritè obeunda. *Matrimonium* ad onera ejus sustinenda, obligationes ejus implendas, & ad piè educandam prolem &c.

245 Arg. 1. Illæ gratiæ Sacramentales diversæ debent esse habitus supernaturales diversi: ergo consistunt in quodam habitu à gratia distincto, & consequenter non consistunt in jure morali à nobis assignato. Prob. antec. Gratia actuales transeunt; sed illæ gratiæ continuæ, & semper juvant ad operandum, & tentationibus resistendum: ergo. 2. Non potest dici, quid sit illud jus; nam non est quid positivum: ergo neque effectus Sacramenti; quia effectus entis positivi, quale est Sacramentum, debet esse quid positivum: ergo. Ad 1. nego antecedens: quia non requiritur, quod gratiæ Sacramentales sint habitus diversi à gratia habituali, sed sufficit, quod cum gratia habituali, quæ est omnibus Sacramentis communis, adsit illud jus, cujus intuitu paratus est Deus dare recipienti Sacramentum auxilia specialia in occasionibus necessa-

Tom. I.

riis. Ad 2. nego antecedens; quia satis constat ex dictis, quid sit illud jus. Ad probationem dico, quod licet non sit quid positivum physicum, est quid positivum morale, nempe, aliquid resultans ex receptione Sacramenti, & moraliter durans cum gratiis, & effectibus ipsius Sacramenti. Replicabis: ergo amissa per peccatum gratia habituali collata per Sacramentum, perit illud jus; nam cessante effectu principali cessant accessoria. Sed consequens est falsum; quia nec peccatoribus perditissimis desunt auxilia gratiæ: ergo. Respondeo, quod desunt intuitu Sacramenti, quod quidem tunc in pœnam peccati influit, cum Deus indignetur in peccatorem: non verò desunt ex misericordia Dei.

246 Dico 2. *Baptismus* est omnibus necessarius necessitate mediæ ad salutem: *Pœnitentia* est etiam simpliciter necessaria non omnibus hominibus, sed solis adultis peccatoribus: *Eucharistia* est necessaria dumtaxat necessitate præcepti, nedum Ecclesiastici, ut constat ex Tridentino Sess. 13. Can. 9. sed etiam Divini, ut probabilius docent Theologi, & nos dicemus Tract. de Euchar. d. 1. q. 5. Ex cæteris Sacramentis quædam sunt simpliciter necessaria toti Ecclesiæ communitati, non determinando personas, sed vagè, ut *Ordo*, & *Matrimonium*: quædam non sunt simpliciter necessaria, cum innumeri salventur sine illis, ut sine *Confirmatione*, & *Extrema Untione*. Hæc utique utilia sunt, & communitati, & particularibus, sed nullis simpliciter necessaria, nec ex præcepto, cum solùm obligent ad non contemnendum, ut Doctor inquit 4. d. 7. q. 2. & nos in suis propriis locis de quolibet in particulari fusiùs dicemus. Nunc breviter probatur assertum per singulas partes: Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ instituta sunt ad primam gratiam conferendam: Baptismus quidem simpliciter pro originali cul-

S 2

pa

pa delenda in omnibus: Sacramentum verò Pœnitentiæ pro actuali delenda in adultis, si post susceptum Baptismum illòs contingat peccare; sed gloria haberi nequit sine prima gratia: ergo hæc duo Sacramenta sunt simpliciter necessaria, seu necessaria necessitate medii, præfato modo explicata.

247 Deinde, quòd Eucharistiæ Sacramentum sit necessarium necessitate præcepti Ecclesiastici, constat ex Trident. Sess. 13. ubi damnatur quicumque dixerit, homines non teneri ex præcepto Sanctæ Ecclesiæ in Festis Paschalibus communicari, statim ac ad rationis usum pervenerint. Pro necessitate de præcepto etiam Divino stat major pars Theologorum, qui fundantur in textu Joan. 6. ubi Christus expressè dicit, se velle sumi in Eucharistia à quolibet Christiano illis verbis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: quod utiquè intelligi debet de manducatione vera, & Sacramentali: cum igitur non loquatur de necessitate medii; quia est Sacramentum vivorum, sequitur, quòd de necessitate præcepti sit intelligendus. Ecclesia autem præscripsit tempus, in quo fideles communicare debent semel in anno, scilicet, in Festo Paschatis. Et pro consuetudine communicandi Corpus Sanctissimum Jesu Christi obiter scies, quòd in Ecclesiæ nascentis exordiis fideles singulis diebus solliciti erant hoc divino cibo saginari, ut ex Actibus Apostolorum colligere est: eò quòd, ut inquit Catech. Rom. qui tunc profitebantur legem christianam, vera, & sincera charitate ardebant. Eam postea consuetudinem, quæ intermitti videbatur, aliqua ex parte renovavit Sanctus Pontifex, & Martyr Anacletus, præcipiens, ut Ministri, qui Missæ Sacrificio interessent, communicarent, affirmans, hoc ab Apostolis constitutum esse. Sed cum deinde charitas, ac pietatis studium adeò

refrixisset, ut rarò admodum accederent fideles ad communionem, sancitum est à Fabiano Pontifice, ut ter quotannis omnes Eucharistiam sumerent, nempe, in *Natali Domini, Resurrectione, & Pentecoste*. Pontifex autem Soter quartum diem adjecit, scilicet, *feriam quintam in Cœna Domini*. Tandem decrescente in dies fidelium pietate, ac fervore, indultum est, ut tantum semel in anno ad Sacram Communionem fideles Ecclesiastico præcepto tenerentur. Sic primò statutum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 21. quam sanctionem innovavit Tridentinum Sess. 13. Can. 9. scribens: *Si quis negaverit, omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, anathema sit.*

248 Denique, quòd quædam Sacramenta sint toti communicati Ecclesiæ simpliciter necessaria vagè, non determinando personas, ut Sacramentum *Ordinis, & Matrimonii*, de se satis constat: etenim homines nequeunt salutem consequi, nisi aliqua recipiant Sacramenta; sed hæc nequeunt confici, & ministrari, nisi à Sacerdotibus, & personis Deo sacratis: ergo simpliciter est necessarium Sacramentum Ordinis, per quod fiunt homines Dei Ministri. Sic discurrendum est etiam de Sacramento Matrimonii; quia propagatio generis humani debet in Ecclesia dari, ad quod in lege nova Christus contractum Matrimonii, qui est de jure naturali, elevavit ad esse Sacramenti: ergo etiam Sacramentum Matrimonii est necessarium simpliciter in Ecclesia Dei. At verò vagè, & indefinitè, ita ut aliqui ex tota communitate debeant Sacramenta ista sumere, licet nullus teneatur in particulari. Quod demum Sacramenta Confirmationis, & Extremæ-Uncionis non sint necessaria necessitate

te

te medii, nec præcepti, patet quoad 1. partem; quia cum sint Sacramenta vivorum, & instituta ad dandam secundam gratiam, seu augmentum gratiæ, apertè deducitur non esse necessaria necessitate medii: nam gratiæ augmentum non est medium ad salutem simpliciter necessarium, cum salus haberi possit sine illo. Patet quoad secundam partem; quia nullum stat præceptum de illis, ut Doct. cap. 4. dist. 7. quæst. 2. ostendit, sed solum obligant ad non contemnendum. Quare ad summum dici possunt necessaria *secundum quid*, hoc est, utilia: non enim negandum est, quòd sint maximè utilia, & proficua ad eandem salutem obtinendam, cum per ipsa conferatur gratia, & ad particularem finem in salutem hominis viatoris sint instituta.

249 Arg. 1. Distinctio assignata de Sacramentis necessariis necessitate medii, & de Sacramentis necessariis solum necessitate præcepti videtur voluntaria, & sine fundamento sufficienti; nam omnia Sacramenta, quæ sunt necessaria, necessario simpliciter sunt necessaria: ergo. Probatur assumptum: Ipsa præceptorum observatio est medium ad salutem necessarium: ergo necessitas præcepti non differt à necessitate medii, sed prorsus coincidunt; etenim omnia media necessaria ad salutem sunt præcepta, & pariter ipsa præceptorum observatio est medium ad salutem necessarium: ergo. Respondeo negando antecedens, & consequentiam probationis. Quamvis enim præceptorum observatio in communi modo loquendi, & generatim, dici solet quoddam medium ad salutem necessarium, quatenus salvari non potest, qui præcepta non observat: tamen, quando speciatim est sermo de necessitate medii, prout distinguitur à necessitate præcepti, certum est, non esse necessariam observantiam præceptorum necessitate medii. Ratio est, quia illud est propriè necessa-

rium necessitate medii, quod positivè, aut per influxum positivum concurrat ad salutem, quo pacto gratia præveniens, Baptismus, dolor de peccatis, & similia positivè concurrunt ad justificationem. Observatio verò præceptorum, præcisè sumpta, quatenus talis est, non concurrat positivè, sed negativè, & per modum removentis prohibens justificationem, nempe, removendo peccatum, quod ex non adimplètionem præcepti sequeretur. Exempli gratia, auditio Sacri in die festo in tantum est necessaria ad salutem, in quantum peccatum mortale impedit assecutionem vitæ æternæ, & auditio Sacri removet peccatum, quod committeret, qui Sacrum non audiret. Quapropter juxta potestatem modum explicandi utramque necessitatem in Scholis, illud est *necessarium necessitate medii*, quod est omnino necessarium ad gloriæ consecutionem: sic est necessarius de lege ordinaria status gratiæ. *Necessarium necessitate præcepti* solum est necessarium quasi per accidens, quia tantum se habet, ut removens prohibens, quatenus, scilicet, implendo præceptum, tollitur peccatum, quod gloriæ consecutionem impedire poterat, destruendo statum gratiæ, qui ad gloriæ necessarius est simpliciter. Hinc, ut diximus initio quæst. aliud oritur inter has necessitates discrimen, nempe, quòd necessarium primo modo adeò ad salutem est necessarium, ut sine illo obtineri non possit, etiamsi ex ignorantia invincibili, aut ex impotentia absit. Patet de Baptismo respectu parvulorum, & de Pœnitentiæ respectu adultorum. Quod verò necessarium est tantum secundo modo, cum sit tantum quasi per accidens necessarium, si ob ignorantiam, vel impotentiam præmittatur, non impedit gloriæ consecutionem; quia in tali casu non imputatur ad culpam. Patet in præcepto jejunii: quia enim jejunium solum est necessarium necessitate præcepti, qui non jeju-

na.

naret ob impotentiam, vel ob inculpabilem ignorantiam præcepti, non peccaret, ac consequenter non impediret salvationem.

250 Arg. 2. Si quis eliciens actum contritionis, aut dilectionis Dei super omnia moriatur ante susceptum Baptismum, salvabitur: & idem dicendum de eo, qui post Baptismum susceptum peccaret, & non reciperet Sacramentum Pœnitentiæ: ergo hæc Sacramenta non sunt necessaria simpliciter, seu necessitate mediæ. Respondeo, illos in prædictis casibus salvari; quia prædicta Sacramenta habent in voto, & desiderio suscipiendi, & de facto suscipiendi, si possent. Suavis enim Dei providentia sic disposuit, ut cum prædicta duo Sacramenta sint necessaria simpliciter; quando in re nequeunt recipi, sufficiant in voto, vel in alio æquivalenti, si votum locum non habet, ut in parvulo, cui Martyrium sufficit, si Baptismum suscipere nequit. Tunc enim salvaretur per Baptismum sanguinis.

251 Replicabis 1. Dato casu, quo aliquis hæc Sacramenta invincibiliter ignoraret, tunc illa nequit in voto habere: nam habere in voto supponit aliquam cognitionem illius, quod dicitur haberi in voto: ergo tunc salvaretur sine istis Sacramentis adhuc in voto, & consequenter non sunt simpliciter necessaria. Rep. 2. In contritione, ut sit medium justificans, non minus includitur votum restituendi, & quodcumque aliud præceptum adimplendi, quam Baptismum, aut Pœnitentiam recipiendi: ergo si id est necessarium necessitate mediæ, quod in re, vel in voto requiritur ad justificationem, non minus restitutio, jejunium, & alia hujusmodi, quam Baptismus, & Pœnitentia, erunt necessaria necessitate mediæ. Patet conseq. quia Baptismus dicitur necessarius necessitate mediæ, quia sine ipso in re, vel in voto gratia justificans haberi nequit. Respondeo ad primam replicam, quod

dato casu, quem aliqui negant, quod aliquis hæc Sacramenta invincibiliter ignoraret, tunc si ille benè viveret, & naturæ legem servaret, Deus per Angelum, vel alio modo illum instrueret, ut ait Doct. quæst. 1. Prologi de enutrito in sylvis. Vel dicito, quod ille saltem implicitè haberet votum prædictorum Sacramentorum, quatenus promptus esset ad exequendum quicquid præciperet Deus: aliàs non haberet perfectum actum contritionis, aut dilectionis Dei super omnia. Qui enim efficaciter vult aliquid, eo ipso supponitur, omnia velle, quæ sunt connexa illi; explicitè, quæ novit esse annexa, implicitè verò, quæ ignorat; quia hoc exigit connexorum natura. Et advertendum, quod qui invincibiliter necessarium necessitate mediæ ignoraret, non damnaretur ob ejus omissionem, quæ tunc casus esset inculpabilis, sed ob peccatum, quod per tale medium erat delendum. Unde qui tali ignorantia, aut impotentia omitteret Baptismum, damnaretur, non quidem ob transgressionem præcepti, quæ tunc esset inculpabilis, sed ob culpam originalem, quæ ob defectum Baptismi remaneret. Ad secundam replicam nego consequentiam, & ejus probationem. Licet enim ad id, quod dicitur necessarium necessitate mediæ, requiratur, quod salus obtineri non possit sine ipso, vel in re, vel in voto: tamen non sufficit hoc, sed requiritur ulteriùs, quod per se, & positivè influat in justificationem, modo explicato ad primum argumentum, & non tantum per accidens, & per modum removentis prohibens, ut concurrat restitutio, jejunium, sive in re, sive in voto.

QUÆS.

QUÆSTIO V.

Quæ Sacramenta characterem imprimunt? Et quodnam sit ejus immediatum subjectum?

252 Pro prima hujus difficultatis parte est sciendum, quod nomen græcum *character* idem latinè significat, ac *signum*, *nota*, aut *sigillum* alicui rei impressum, & affixum, quo aliquid notatur, & distinguitur ab alio. Tribus de causis res aliqua signari solet. 1. Ut cognoscatur, & ab aliis distinguatur, quo pacto oves signantur caractere Domini sui. 2. Ut in majori pretio res habeatur, & sic pecunia obsignata est sigillo regio. 3. Ut ad aliquod officium deputetur, atque ita milites caractere militari signantur. De caractere Sacramentali, qui est sigillum, & nota spiritualis, plurima scitu dignissima docet Doct. Subt. 4. dist. 6. quæst. 9. & 10. Pro secunda parte quæstionis, certum est primò, difficultatem non esse de subjecto remoto; indubium est enim, hoc solum posse esse hominem, qui solum est capax Sacramentorum, & ipsorum effectuum, inter quos enumeratur character. Certum est secundò apud Theologos, characterem recipi in anima, ut definitum est in Florentino, & Tridentino. Sed quia in anima distinguitur ipsa ejus essentia, & duæ ejus facultates, seu potentie, nempe, intellectus, & voluntas, disputant Theologi, ubinam proxime, & immediatè subjectetur character? an in ipsa substantia animæ? an in aliqua ejus facultate, scilicet, in intellectu, aut voluntate? Plurimi docent, immediatè recipi in ipsa substantia, & essentia animæ, quibus N. Pontius adheret. Thomistæ frequentius in intellectu reponunt characterem, & Scotistæ in voluntate.

253 Conclusio I. *Baptismus, Confirmatio, & Ordo characterem im-*

primunt: aliis verò novæ legis Sacramentis non competit characteris impressio. Prima Conclusionis pars est de fide, contra Lutheranos, Calvinistas, & alios nostri temporis Novatores, qui characterem, ut figmentum à Catholicis in Ecclesia introductum, rejiciunt. Probatur, ex Tridentino Sess. 7. Can. 9. dicente: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, anathema sit.* Item ex Innocentio III. cap. *Majores de Baptismo*, dicente: *Qui fide accedit ad Baptismum, suscipit christianitatis signum, scilicet, characterem.* Item ex SS. PP. qui Baptismum vocant *signaculum sanctum, & indelebile*, ut Cyrillus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Augustinus, & Hieronymus super illud ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem Redemptionis.* Hanc veritatem eximè inter DD. Theologos probat Subt. Doct. 4. dist. 6. quæst. 10. eleganti congruentia ex humana politia desumpta: nam sicut qui in familia Principis benè ordinata, & in benè ordinato exercitu ad diversa officia applicantur, notari solent diversis notis, ac signis, quibus eorum munus cognoscatur, & ab aliis discernantur: ita in exercitu, & familia Christi diversi sunt hominum ordines, singulis propriis characteribus notati, quibus eorum munus cognoscatur, & discernatur ab aliis. Nam per *Baptismi characterem* homo adscribitur Christi familiæ, & ab omni alio extra hæc familiam distinguitur. Per *characterem Confirmationis* deputatur, tamquam Christi Miles ad certamen spirituale professionis fidei, & pugnam strenuè contra fidei persecutores. Per *characterem Ordinis* deputatur, tamquam Christi Minister ad Sacramenta dispensanda, & varias actiones sacras juxta Ordinum diversitatem obeundas: ergo valde congruum est, ut per tria illa Sacramen-

menta diversi imprimantur characteres, juxta graduum, & munerum diversitatem.

254 Secunda Conclusionis pars, nempe, *alia novæ legis Sacramenta non imprimere characterem.* Prob. 1. Quia de illis tribus Sacramentis, & non de aliis stat declaratio, & traditio Ecclesiæ, cui in his, & similibus standum est. 2. Quia si omnia imprimerent characterem, non essent iterabilia, sicut hæc tria non iterantur: cum enim character non deleatur, frustra iterarentur illa Sacramenta, quæ characterem imprimunt. Unde Tridentinum rationem, cur illa tria imprimunt characterem, & non alia, eam esse docet; quia illa non sunt iterabilia, bene verò cætera, ut Can. cit. constat per hæc verba: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* 3. Sub. Doct. rationem congruentialem, cur alia Sacramenta, præter hæc tria, characterem non imprimant, sic optimè assignat: quia nullus habet determinatum gradum in familia, quia comedit vel bibit; nec quia post offensam Domini reconciliatur sibi; nec quia multiplicat personas in illa politia: sicut alium gradum habet aliquis, quando recipitur in familia Domini; alium, quando ulterius proficit, & constituitur miles ad defendendam Rempublicam; alium quando constituitur specialis Minister ad varias sacras actiones. Unde Eucharistia ad nutritionem spiritualement ordinata, Matrimonium ad procreationem corporalem, Pœnitentia ad reconciliationem, Unctio Extrema ad reliquias peccatorum purgandas in nullo certo gradu constituunt in Ecclesia; sed possunt isti actus communes esse omni membro Ecclesiæ in quocumque gradu: ergo nulla est ratio, vel congruitas, cur hæc Sacramenta caracte-

rem imprimant, sicut illa tria. Et hac ratione, ac congruitate Sub. Doct. ad suadendam hanc veritatem utuntur passim omnes alii Theologi.

255 Arg. 1. pro Hæreticis nostri temporis, negantibus aliqua Sacramenta imprimi characterem, ac pertinacissimè vocitantibus, characterem esse in Romana Ecclesia voluntariam quamdam inventionem: Character non continetur in Scriptura, aut Patribus; sed nihil est asserendum in Sacramentis, nisi ita constet: ergo. Prob. maj. Innocentius III. fuit characteris inventor: ergo. Distinguo maj. Non continetur expressè, concedo; implicitè, nego majorem. Itaque veritatem hanc: *Character imprimitur in receptione aliquorum Sacramentorum*, desumpsit Ecclesia ex Scriptura, & Traditione Apostolorum, in qua ejus cognitio continebatur, non clarè, & explicitè, sed implicitè. Unde cum à temporibus Apostolorum Baptismus, Confirmatio, & Ordo fuerint irreiterabiles, & hoc notum fuerit; insuperque fuerit notum, Baptismus esse adscriptionem alicujus in familiam Christi, Confirmationem in militiam, & Ordinem in ministerium speciale domus ipsius Christi, paulatim notum factum est, ista tria Sacramenta imprimere characterem, & declaratum, quomodo illum imprimerent. Quare hæreticum est asserere, veritatem hanc in Scriptura non contineri. Propter hanc continentiam tempore opportuno definitum est expressè ab Ecclesia sub Innocentio III. cap. in Concl. citat. Idem postea definivit Eugenius IV. in Concilio Florentino, cujus verba assumpsit Tridentinum jam adductum. Unde Innocentius non fuit inventor characteris in sensu Hæreticorum, sed qui primus fecit expressam mentionem illius, & insimul qui hanc veritatem infallibilem declaravit, quæ usque tunc solum fuerat probabilis, quatenus adhuc non erat ab Ecclesia proposita, ut credibilis.

Sed

Sed replicabis: Si veritas hæc continebatur in Scriptura: ergo ante Ecclesiæ determinationem, & declarationem quilibet Pater, aut Doctor poterat eam deducere. Distinguo conseq. Poterat deducere probabiliter, concedo; certitudinaliter omninò, nego. Ratio est; quia sicut sola Ecclesia docet, & declarat omnimoda certitudine, quæ sint Scripturæ Canonice, ita ipsa sola est, quæ omnimoda certitudine sensum legitimum declarat, ac proponit, ut expressè credenda fidei mysteria, quæ ante tantum implicitè erant nota.

256 Arg. 2. Nulla necessitas, vel ratio suadet, dari talem characterem: ergo non datur. Prob. antecedens: Vel esset necessarius, ut dispositio ad gratiam, vel ut signum distinctivum, aut rememorativum suscepti Baptismi, aut Confirmationis, vel Ordinis; sed neutra ratio valet: ergo. Prob. minor. quoad primam partem: Tum; quia alia Sacramenta causant gratiam sine caractere: ergo non est dispositio ad gratiam: Tum; quia character potest poni sine gratia; sed dispositio non ponitur sine forma, ad quam est dispositio: ergo. Tum; quia potius videtur dicendum, gratiam præcedere characterem, quàm e contra: ergo ille non est dispositio gratiæ. Sed nec est necessarius ad distinctionem: ergo. Prob. sub. Tum; quia illud signum est purè spirituale, quod non agnoscitur nisi à Deo, Angelis, & Beatis; sed nec Deus, nec Angeli, nec Beati egent tali signo ad discernendum: ergo. Tum; quia animæ nostræ satis notantur, & distinguuntur per gratiam habitualement, quæ quidem est quædam participatio naturæ, & similitudinis Dei: ergo frustra fingitur aliud signaculum.

257 Respondeo negando antecedens, & minorem probationis. Ad primam probationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Ad reliqua dico, quod character respec-

Tom. I.

tu gratiæ sanctificantis, quæ datur virtute Baptismi realiter suscepti, est dispositio, non physica, seu ex natura rei, sed ex ordinatione divina. Unde licet anima sine peccato sit summè disposita ad gratiam physicè, non autem moraliter, & ex ordinatione Dei in Sacramentis imprimentibus characterem. Cæteram probationes solum valent de dispositione physica, & ex natura rei. Quare Sub. Doct. cujus est argumentum contra se objectum, respondet in 4. dist. 6. quæst. 9. *quod de potentia ordinata non potest haberi perfecta innocentia (id est gratia) sine tali forma intrinseca, cui Deus assistet ad talem innocentiam causandam.* Ad ultimam probationem dico ex Doctore, quod licet gratia sit effectus principalior, veluti ad sanctificandam animam formaliter ordinatus; tamen Deus voluit, formam imperfectiorem gratia, qualis est character, ipsam gratiam præcedere, licet ex opere operato in eodem instanti temporis uterque effectus producat, dum Sacramentum ultimò perficitur in subiecto disposito. Ad probationem secundæ partis distinguo min. Non est necessarius ad distinctionem necessitate simpliciter, concedo: ex beneplacito Dei, nego. Ratio ad hoc congruentialis est, quam Scotus assignat in probatione Conclusionis. Unde Deus voluit, animas per illa Sacramenta interiùs signari; quia licet hoc non sit simpliciter necessarium ad illas distinguendas, ita congruit, & ita placuit. Per quod patet ad illud de gratia; quia licet illa distinguat, placuit Deo pluribus ornamentis, & notis insignire animas suscipientium sua Sacramenta. Utra quod, character perseverat, & distinguit, etiam absente gratia.

258 Conclusio II. *Character proximè, & immediatè recipitur in voluntate.* Ita Doctor in 4. d. 6. quæst. 11. ubi ait: *Ergo congruum est, ponere characterem formaliter in volum-*

T

14-

rate. Hanc assertionem probat congruentiis valde rationabilibus, & rationibus satis evidentibus. 1. Quia dispositio, & forma debent esse in eodem subjecto immediatè; sed character est dispositio quædam ad gratiam, & hæc ponitur immediatè in voluntate: ergo & character. Minor quoque ad primam partem asseritur à Doctore ibi dicente: *Character convenienter ponitur dispositio ad gratiam sacramentalem.* Quoad secundam: Quia signum obligationis animæ ad Deum poni debet in eadem facultate, & potentia, cui primò, & immediatè incumbit obligatio; sed obligatio, quam significat character, immediatè incumbit voluntati: ergo & character ipse. Prob. minorem: Character significat obligationem animæ ad serviendum Deo, militandum Christo, & illi conformandum, sed hæc immediatè, & formaliter incumbunt voluntati: ergo. Major est Doctoris sic dicentis, & munera characteris explicantis: *Character 1. est forma assimilativa, in qua conveniunt habentes, & distinctiva istorum à non habentibus. 2. Est signum rememorativum Sacramenti suscepti. 3. Est signum conformationis Christo, cujus Sacramentum suscipit. 4. Notat obligationem, quam contrahit suscipiens, scilicet, servandi legem Christi. Denique designat officia in domo Dei, ut Ordo.* Nunc prob. minorem: Intellectus non est capax præcepti, vel obligationis; quia non est potentia electiva, sed naturalis, licet ipse debeat proponere voluntati præceptum, & obligationem, ut conditio applicans objectum ad potentiam: item, obedientia est formaliter in voluntate, & est actus ejus: ergo.

259 Arg. 1. Character ex sua principali ratione habet signare, & consignare animam; sed hoc potius pertinet ad animæ essentiam, quam ad ejus potentiam: ergo immediatè subjectatur in anima sub ratione animæ. Confirmatur: Character non datur ad cooperandum cum aliqua po-

tentia, sicut dantur habitus infusi, vel acquisiti, sed potissimè datur ad exornandum subjectum: ergo potius debet poni in anima, quam in aliqua ejus potentia. Respondeo, quod character consignat animam, dum consignat potentiam, quæ physicè, & realiter est idem cum anima, quin ad hoc opus sit, quod immediatè recipiatur in ipsa formaliter, seu sub ratione animæ, de quo est difficultas præsens. Unde argumentum premit Thomistas potentias ab anima realiter distinguentes, non Scotistas illas identificantes. Ad Confirmationem concessa antecedenti quoad primam partem, nego quoad secundam, & consequentiam. Licet enim character non sit potentia physica operativa; tamen est quædam potentia moralis, reddens homines idoneos, & aptos ad exercendos actus spectantes ad recipienda, vel ministranda Sacramenta, qui actus ad virtutem religionis spectant. Cum autem hæc virtus, quæ est species justitiæ, subjectetur in voluntate, etiam character in hac potentia reponi debet. Unde character non est purum signum præcisè datum ad ornandum subjectum, ut ex dictis, & Conclusionem fit perspicuum.

260 Arg. 2. Dato, quod character non reponatur immediatè in anima, in intellectu debet reponi: ergo non in voluntate. Prob. antecedens: Tum, quia character dicitur à PP. *quoddam lumen spirituale*; sed lumen est in intellectu: ergo & character. Tum, character est signaculum christianæ fidei; sed fides est in intellectu: ergo. Tum, character est ad ea, quæ ad cultum divinum pertinent; sed cultus divinus præcipuè consistit in actibus intellectus, ex quo omnes aliæ operationes incipiunt: ergo. Nego antecedens. Ad primam ejus probationem dico, characterem solum metaphoricè dici lumen, quatenus, nempe, nuntiat, & signat, tale subjectum esse de familia, vel militia Christi. Sic character servi, vel mi-

militis etiam alios illustrat, ut illum agnoscant esse servum, vel militem, quin ex hoc sequatur in intellectu servi recipi, nec esse lumen verè, & propriè. Ad 2. nego consequentiam: nam etiam Crux in Equite est signum christianæ militiæ manibus exercendæ, & tamen Crux non imponitur manibus, sed in pectore geritur. Pariter ergo poterit character esse signaculum fidei christianæ, quæ est in intellectu, licet ipse in intellectu non sit. Quinimò ex eo, quod character ordinatur ad professionem fidei, quæ est actus intellectus, potius probatur, quod character sit in voluntate, quia ab ea oritur volitio credendi, assensus fidei, atque ejus externa protestatio, quæ est actus à voluntate imperatus, sicut & ipse assensus internus. Nec alio modo est actus humanus, & meritorius. Cum ergo primum principium actus credendi sit voluntas, ac etiam omnis moralitatis, & meriti, in ea potissimum requiritur auxilium ad efficaciter volendum assensum, vel protestationem: ergo in ea quoque statui debet dispositio ad tale auxilium, qualis character esse dicitur. Unde omnis fidei assensus necessariò pendet à voluntate, in qua pia credibilitatis affectio præcedere debet. Per hoc ad ultimum: nam si character est ordinatus ad actum cultus, & religionis, cum isti primò, & per se à voluntate causentur, sive elicitive, sive imperative: & deinde actus ipse fidei non sit moralis, & meritorius, nisi à voluntate imperatus: & denique virtus religionis pertineat ad voluntatem: sequitur ex omnibus his, quod etiam character pertinet.

261 Arg. 3. Signum obligationis non semper debet poni in voluntate, dummodò ponatur, ubi videri possit, ut contingit in signo imposito servis; sed hoc adhuc magis habet locum in characterem Sacramentali; quia non semper suscipitur liberè, ut patet in parvulis baptizatis, qui etiam pos-

Tom. I.

sunt confirmari, & ordinari ante usum rationis: ergo. Confirmatur 1. Quia nec character videtur esse signum obligationis, nec voluntas potentia obligationis contractiva; omnia enim ista in alio juris debito possunt fundari: ergo non probat ratio Scoti. 2. Actus fidei etiam disponere potest ad actum charitatis, qui est in voluntate, & actus fidei in intellectu: ergo non debet poni in eodem subjecto forma, & ejus dispositio: ergo ratio Scoti ex hoc principio desumpta vera non est. Distinguo antecedens: Non semper, si commodè potest, nego: si non potest commodè, concedo. Quamvis enim illud non sit prorsus necessarium, certè rationabilius, & convenientius videtur, tale signum obligationis ponendum esse in potentia obligationis contractiva, quam alibi, dum commodè potest. Unde si Dominus posset mancipium suum in voluntate signare, certè faceret. Nec est ad rem illud de parvulis, qui possunt obligari voluntate Curatorum, aut Parentum: aliàs, Adamo peccante, Posterius ejus non cecidissent: nec votum publicum à Magistratu contractum deberet solvi à Plebe, quod utrumque falsum est. Ad Confirmationem nego antecedens primæ probationis: nam irrationabiliter negatur, signum militiæ christianæ esse signum obligationis, ut constat de signo servis imposito, quod planè obligationem servitutis inducit. Magis adhuc irrationabiliter negatur, voluntatem esse potentiam obligationis contractivam; nam homo non obligatur nisi per voluntatem, quæ exclusa ab homine, planè incapax foret obligationis, seu omnis debiti, & juris proprii. Ad secundam probationem nego utramque consequentiam. Ratio Scoti solum procedit, quando subjectum formæ est etiam capax dispositionis. In exemplo autem adducto voluntas non est capax actus fidei, qui ex se est actus immanens intellectus. Unde ratio Scoti intelligenda est, nisi aliquid obstet.

T 2

262

262 Colliges 1. pro aliis solvendis, characterem non esse dispositionem ad gratiam sanctificantem, ut sic, ut patet in eo, qui ante Baptismum justificatur per contritionem. Nec est dispositio physica, seu petita ex natura rei, ut patet in gratia collata vi aliorum Sacramentorum characterem non imprimendum. Est itaque dispositio moralis, & pendens ex divina dispositione, quatenus Deus disposuit, nulli dare gratiam Sacramentalem vi Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, nisi impressio characteris præcesserit. Ita Doct. Subt. Colliges 2. quod si quærat: *An character sit effectus horum Sacramentorum principalior gratia?* Dico, non posse fieri comparisonem multum accommodatam; quia sunt diversi ordinis, seu dantur ad diversos fines. Character enim datur ad deputandum hominem in familiam, militiam, & ministerium specialissimum in domo Domini: gratia verò sanctificans datur in ordine ad ipsum justificandum. Vel character solum justificat dispositivè, gratia verò formaliter. Colliges 3. characterem solum esse dispositionem ad gratiam Sacramentalem, seu vi Sacramenti realiter suscepti ex opere operato causatam: non quando ante Sacramentum quis per contritionem justificatur.

QUÆSTIO VI.

Quid sit, & in quo consistat character Sacramentalis?

263 **M**odi dicendi in materia de characterè olim fuerunt varii valde, ac diversi. Ut verò mens Subt. Doct. declaretur, & ab imposturis aliquorum ipsum non capientium vindicetur, præmitto 1. characterem non esse formam substantialem, nec corpoream, & materialem, sed accidentalem, spiritualement, & supernaturalem. Secundò, characterem, adhuc dato, quòd con-

sisteret in relatione, non esse intrinsecus, sed extrinsecus advenientem. Hoc præmisso, aliqui cum Vazquez semper Scotum inficientes, ei tribuunt docuisse, characterem esse ens rationis, aut extrinsecam denominationem. Sed allucinantur in hac assertionem, cum Scotus numquam id docuerit: quin potius clarissimè sentit, esse formam realem, quod variis probat congruentiis, & omnia argumenta in oppositum acutè solvit. Refert ergo Scotus sententiam, quæ affirmabat, characterem non esse formam realem, sed quamdam designationem, seu extrinsecam denominationem, ex Sacramentis susceptis provenientem. Modo quo, dum Calix consecratur, Ecclesia, aut vestes Sacrae, nihil reale imprimitur, sed solum quædam designatio; aut extrinseca denominatio, per quam res illæ verè dicuntur designatæ in Dei cultum. Hoc etiam in professione religiosa cernitur. Hanc sententiam, quæ postea fuit Durandi cum aliquibus aliis, impugnavit D. Thomas, adducendo quasdam SS. auctoritates. Scotus verò dicit, solum propter auctoritatem Ecclesiæ asserendum esse, characterem imprimi; quia tunc nulla alia auctoritas expressa stabat præter auctoritatem Innocentii III. quam Scotus adducit. Quamvis enim in Conc. Florent. & Trident. apertè videatur jam definitum, utrumque fuit post Scoti tempora: eò quòd Scotus vixerit ad an. 1306. & Florentinum celebratum fuerit ad an. 1431. ac Trident. 1548. Unde apertè constat, Scotum sensisse, characterem esse formam realem: nam dist. 6. quæst. 9. num. 14. ait: *Sentiendum est de Sacramentis Ecclesiæ, sicut sentit Romana Ecclesia: Hæc autem sentit, characterem imprimi in anima, sicut dicit Innocentius III.* Nunc sic: sed Ecclesia Romana docet, characterem esse formam physicam, & realem: ergo cum Scotus asserat, se sentire, ac sentiendum esse, sicut Ecclesia sentit,

tit, indubium est apud ipsum, non esse extrinsecam denominationem, sed formam veram, & realem.

264 Transeamus ad aliam imposturam. Thomistæ, inter quos rasa fronte Gonetus, communiter tribuunt Subt. Doct. quòd absolutè, & assertivè docuerit, characterem esse formam realem relativam, non verò absolutam. Et addit Gonet, non magis propriè salvari verba Conciliorum, dicentium, *characterem esse animæ impressum*, in Scoti doctrina, quam in opinione Durandi, quam temerariam vocat. Sed quam falsò hoc Scoto imponat, constat ex eo, quòd in 4. d. 6. q. 10. §. *Ad questionem*, expressè dicat, & doceat, *quòd character est forma realis; & spiritualis à Deo impressa cuicumque suscipienti Sacramentum non iterabile*: igitur docet opinionem Durando oppositam. Deinde eadem expressione asserit, characterem esse formam realem absolutam, vel relativam extrinsecus advenientem. *Sive enim ponatur forma realis absoluta, sive respectus extrinsecus adveniens immediatè in ipsa anima causatus à Deo, omnia, quæ rationaliter dicuntur de characterè, possunt salvari*, ait Scotus. Numquam igitur Scotus asserit, nec determinat, esse formam absolutam, vel relativam; sed ita indifferens, & problematicus est in hac materia, ut dum dicit: *Si ponatur forma relativa*, subtiliter solvat omnia argumenta contraria, & cum dicit: *Si ponatur forma absoluta*, idem omnino faciat, ita ut asserat, neque unam partem, neque aliam posse evidentè convinci. Et in Parisiensi d. 6. q. 9. idem repetit, sic resolvens: *Quòd autem character sit forma, patet, sive sit absoluta, sive respectiva. Utrum autem sit forma respectiva, vel absoluta, non credo, quòd possit demonstrativè probari &c.* Si igitur cum hac indifferencia, & indeterminatione loquitur Scotus de characterè, quare,

sicut dicit Gonetus, docuisse esse formam relativam, non dicit, docuisse etiam esse formam absolutam? His luce clarioribus de mente Scoti animadversis.

265 Conclusio I. *Quamvis probabile sit, characterem esse formam relativam extrinsecus advenientem, probabilius verò, ac mihi longè verius est, esse formam absolutam.* In hac assertionem non conveniunt Scotistæ omnes: nam licet uniformiter asserant, Subt. Doct. hac in parte problematicum esse, tamen Faber, Brancatus, & plures alii censent, characterem esse formam realem relativam magis esse demerente Doct. E contra celebriores Scotistæ, Mastrius, Pontius, Hiquens, Cavellus, Frassen, Krisper, & recentiores communiter, qui uno calamo sustinent, quòd quamvis Doctor problematicè teneat, quòd sit forma absoluta, vel relativa; *quia non potest una, vel altera pars evidentè convinci*: Tamen magis inclinat in formam absolutam, ex eo quòd in 4. d. 6. q. 10. §. *Ad questionem*, valde efficaciter probet, characterem reponendum esse in 1. vel 2. specie qualitatis. Ita ait: *Respondet deo, quòd si character ponatur accidens absolutum, potest poni in 2. specie qualitatis, vel etiam in 1. nec alter istorum potest evidentè improbari.* Mihi verò certum est, nunquam Scotum dixisse, probabilius esse, quòd character sit forma relativa, nec probabilius esse, quòd sit forma absoluta, ut apparet ex num. antec. Quare probabilius extimo de mente Scoti, characterem esse formam absolutam, non quidem ex capite, quo Scotistæ citati inferunt, sed ex eo, quòd Doctor expressè asserat, quòd de Sacramentis sentiendum est, sicut sentit Ecclesia. In Ecclesia autem communior sensus est, quòd character consistat in absoluto.

266 Prima Conclusionis pars, nempe, probabile esse, characterem esse

esse formam relativam, expressa est in Scoto loc. cit. §. *Hic dicitur*. Confirmatur ex Tridentino Sess. 7. Can. 9. dicente: *Characterem esse signum quoddam spirituale*: ergo probabiliter defendi potest, quod est relatio. Consequentia tenet; quia signum, qua tale, est relatio, cujus fundamentum proximum potest esse ipsamet anima, vel ejus potentia. Quod autem sit relatio extrinsecus adveniens, quas relationes omnes admittunt Scotistę in de *Prædicamentis*, claret ex textu Doctoris, & ex eo, quod non consurgit ab intrinseco, & ex natura extremorum, sed ab extrinseco agente, nempe, à Deo illam producente ad exhibitionem Sacramenti. Si quæras, ad quod prædicamentum ex extrinsecè advenientibus talis relatio pertineat? Fatetur Mastrius, difficilimum esse assignare, ad quod prædicamentum reduci deberet ista relatio. Attamen juxta illud ad Galat. 3. *Qui in Christo baptizati estis, Christum induistis*, potest dici character baptismalis relatio extrinsecus adveniens de genere habitus: nam sicut relatio habitus est inter vestitum, & vestem, ita relatio characteris Baptismi est inter animam hominis, & Christum, quem baptizatus quasi induit, ut supremum Dominum familiaris, & constituitur Christianus. Sic respectivè de aliis characteribus, juxta diversa munera, ad quæ ordinantur, & propter quæ animæ imprimuntur.

267 Secunda Conclusionis pars, videlicet, *quod probabilius, ac verius est, characterem esse formam absolutam*, quæ resolutio videtur mihi absolutè tenenda, probatur 1. In eo constituenda est characteris essentia, quod magis conducit ad illius dignitatem, & efficacitatem; sed characterem esse formam absolutam realem, magis ad hoc conducit: ergo. Major patet: siquidem effectus Sacramentorum ea majori commendatione celebrandi sunt, qua possunt

rationabiliter, & absque ulla repugnantia, & contradictione. Hoc enim maximè confert ad dignitatem Christianæ religionis, & Dei bonitatem celebrandam erga homines. Probatur. Forma realis absoluta multò perfectior est, quàm quælibet respectiva, ut unanimiter fatentur Philosophi: relationes enim sunt tenuissimæ entitatis, magisque dependent, quàm formæ accidentales absolutæ: ergo. Antecedens constat: nam forma absoluta dumtaxat dependet à subjecto, cui inhæret: relativa verò non solùm dependet à subjecto, sed etiam à fundamento, & termino. Probatur 2. efficacius: Tum; quia per formam absolutam multò facilius, convenientius, & manifestius salvantur dicta Conciliorum de characterem. Dicunt enim, characterem propriè imprimi: quod autem verè, & propriè dicitur imprimi, verè, & propriè videtur aliquid absolutum; nam respectus propriè imprimi, non dicitur. Tum denique; quia juxta Scotum, *sentiendum est de Sacramentis, sicut Ecclesia sentit*; sed in Ecclesia communior sensus est, ac probabilior, quod character consistit in absoluto, ut tenent D. Thomas, & D. Bonaventura, cum Alensi: ergo.

268 Secunda Conclusio: *Character est forma indelebilis*. Est communis inter Catholicos contra Sectarios, & expressa Sub. Doctoris in 4. d. 6. q. 9. num. 20. ubi docet, characterem de via ordinaria esse indelebilem. Hanc veritatem apertè tradunt Florentinum, & Tridentinum, dum docent, characterem indelebiter inesse animæ. Pariter constat ex SS. P. P. præcipuè ex Augustino lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13. ubi ait: *Hæc Sacramentorum nota inviolabilis, & impolluta manet in bonis ad præmium, in malis ad judicium*. Suadetur ratione: Conveniens fuit, ut ille character omnino esset indelebilis, ita ut per nullum posset evacuari: ergo. Probatur an-

antecedens de Sacramento Ordinis, & sic de aliis: Si potestas ordinis, quæ significatur per characterem posset per aliquod peccatum deperdi, consequens esset, quod homines forent plerumque dubii, an validè Sacramenta susciperent, cum nullum habeant judicium, utrum Sacerdotes, à quibus suscipiunt Sacramenta, sint in statu gratiæ, nec ne? Quod certè in magnum fidelium detrimentum vergeret. Denique Ecclesia semper sentit, characterem esse inamissibilem, & indelebilem, cui sensui firmiter standum est, ut Scotus monet.

269 Arg. 1. pro sententia asserente, characterem unicè consistere in extrinseca denominatione: In aliis rebus consecratis non imprimitur aliquid reale, ut sint, & maneat sacræ, & consecræ: ergo in receptione Baptismi nihil reale imprimitur in baptizato, & sic pariter in Confirmatione, & Ordine. Antecedens constat in Calice, & Templo, dum consecrantur, in quibus nihil reale imprimitur, sed solùm resultat quædam denominatio extrinseca, per quam res illa verè dicitur in cultum Dei designata. Patet etiam in professione religiosa, per quam quis constituitur in illo sacro statu, quid aliquid recipiat intrinsecum. Probatur consequ. Pluralitas non est ponenda sine necessitate; sed nulla apparet necessitas ponendi characterem formam realem, si in aliis rebus consecratis nihil per hoc reale ponitur, ut multipliciter suadet Subt. Doct. 4. d. 6. q. 9. §. *Ad 2. principale*: ergo. Confirmatur ex ipso Doct. qui quæst. 10. §. *Ad quæstionem*, loquendo de characterem ait: *Si ponatur forma realis*, quo loquendi modo videtur insinuare, posse defendi, characterem esse extrinsecam denominationem.

270 Hæc, & alia valde ingeniosa, contra se objicit Doct. ad quæ respondet, negando consequentiam, & paritatem. Ait enim, *quod alia*

consecrata non recipiunt formam inherenter eis, quia non sunt capacia: homo autem capax est gratiæ, & dispositionis cujusdam ad gratiam. Et ideo quando propter impedimentum suum non recipit gratiam, & ista est character. Unde ponitur character, non quia sine illo (ut alia præcludantur) baptizatus absolutè non posset distingui à non baptizato, & assimilari baptizato, atque ita de reliquis Sacramentis characterem imprimantibus: sed quia assimilari, & distingui per aliquid intrinsecum est perfectior modus assimilandi, & distinguendi. Unde meritò, prosequitur Doctor, *quod si homo recipiens hominum alterius, vel Prælati recipiens alium ad professionem, posset aliquam formam imprimere obligato, magis hoc faceret, quàm quod absolutè per actum præteritum sibi esset obligatus &c.* Deinde negandæ sunt omnes paritates cum Doctoris, ex eo, quod Christus Dominus sic voluit, instituens aliqua Sacramenta imprimantia characterem, & hanc Christi voluntatem Ecclesia nobis declaravit. Ad confirmationem dico, falsissimum esse, Scotum ita sensisse, ut abundè constat ex dictis ab initio quæstionis, & ex plurimorum argumentorum subtili solutione. Solùm enim ibi id asserit Doctor *permissivè*, hoc est, positivè non damando (quia tunc non erat ad ejus intentum) sententiã asserentem, esse extrinsecam denominationem, cujus oppositum multoties docet. Illam igitur sententiã, adhuc post citata Concilia, sustinent cum Durando alii Theologi; eamque ab omni censura Vazquez liberat, & cum dictis Conciliorum concordat. Ipsi verò videant.

271 Arg. 2. suadere intendens, non esse probabile, characterem in relativo consistere. 1. Quia in quolibet Sacramento suscepto habetur in anima aliqua relatio de novo: ergo si character non est nisi relatio, sequi-

quitur, quòd character per quodlibet Sacramentum imprimeretur. 2. Quia juxta Ecclesie determinationem character verè, & propriè dicitur imprimi; sed quod verè, & propriè dicitur imprimi, verè, & propriè est aliquid absolutum; nam respectus, quicumque sit, non dicitur verè, & propriè imprimi: ergo. 3. Si character est relatio, assignari debet terminus talis relationis: nec assignari posset, quomodo inter se differrent characteres diversorum Sacramentorum; quia omnes essent sub una specie relationis: nec explicari sufficienter potest, ad quod prædicamentum spectet: ergo. Respondeo cum Scoto ad primum, dato, quòd in quolibet Sacramento aliquis respectus acquiratur sequens actionem, vel passionem cujuslibet Sacramenti, tamen talis respectus non esset, qualis character ponitur, secundum conditiones characteris superius enumeratas. Sicut si ponitur forma absoluta, non est quæcumque forma absoluta causata à Deo in anima in susceptione Sacramenti initerabilis. Ad secundum dico, quòd *imprimi* propriè est formæ realiter inhærentis, sive sit absoluta, sive relativa, ad distinctionem denominationis purè extrinsecæ: non enim propriè dicitur visionem imprimi objecto, quod extrinsecè denominat. Ad tertium dici potest, fundamentum proximum characteris esse ipsam animam, vel ejus potentiam. Unde terminus ejus est Christus sub ratione capitis, & peculiaris Domini, ac Regis. Per characterem namque baptismalem ascribitur homo particulariter in familia Christi: per impressum in Confirmatione refertur eidem per modum Militis ejus in defensionem fidei: & per Ordinem refertur Christo, quatenus peculiariter est deputatus, ut alios introducat in familiam, & in gradus familie Christi. Nec cætera obstant; quia sicut si character poneretur, ut à nobis ponitur, forma absoluta, characteres

distinguerentur se ipsis formaliter; causaliter verò, & extrinsecè à Sacramentis, à quibus imprimerentur: ita pariter si ponantur respectus, se ipsis distinguentur formaliter, licèt ab extrinsecò possint per alia extrinsecè distingui. Ad quod verò prædicamentum pertineret? dictum est in fine probationis primæ partis primæ Conclusionis.

272 Arg. 3. adversus veram Conclusionem, characterem in absoluto constituentem. 1. Sicut non sunt ponenda plura sine necessitate rationis, vel fidei, ita non sunt ponenda perfectiora sine tali necessitate; sed nulla apparet necessitas nec fidei, nec rationis, ut character ponatur quid absolutum: omnia enim possunt salvari in forma respectiva, ut dictum probabiliter manet: ergo. 2. SS. PP. appellant characterem signum; sed ratio signi est relativa: ergo. 3. Relatio servi ad Dominum est relatio prædicamentalis tantum: sed per characterem Baptismi v. g. refertur baptizatus, tamquam servus, ad Christum: ergo est pura relatio. 4. Si character esset forma absoluta qualitatis, deberet suscipere magis, & minus, seu esset capax intensio- nis; sed character non est capax intensio- nis; quia tunc unus diceretur magis Christianus, quàm alter, quod quidem est inconueniens: ergo.

273 Respondeo ad primum, quòd licèt non appareat necessitas simpliciter, tamen majorem congruentiam videt ratio in forma absoluta ad melius intelligenda ea, quæ de characterè à PP. & Conciliis dicuntur. Unde licèt salvari possint omnia de ipso, etiamsi ponatur relatio, sed non ita convenienter, & evidenter secundum intentionem loquentium de characterè, ut visum est in probatione Conclusionis. Ad 2. distinguo minorem: Ratio signi formaliter sumpti est relativa, concedo: materialiter sumpti, nego minorem. Sicut causa aliquando sumitur formaliter, nem-

nempè, pro relatione causæ ad effectum, & aliquando materialiter, scilicèt, pro ipsa entitate causæ, quæ est fundamentum talis relationis, quo sensu dicimus, ignem esse causam caloris, naturam esse principium motus, & quietis; ita discurrendum est de signo formaliter, & materialiter sumpto. Formaliter sumptum est relatio signi ad signatum; materialiter sumptum est qualitas, quæ est fundamentum proximum talis relationis. Hoc modo hedera est signum vini vendibilis, & in hoc sensu appellant signum characterem Concilia, & PP. Ad 3. nego minorem cum Subt. Doct. quia character non constituit propriè servum Christi, sed solum ostendit, hominem illo signo notatum, esse talem: sicut etiam in humanis servus signatur characterè aliquo, ut miles, qui character eum non facit servum, neque militem, sed solum eum ostendit, esse talem. Præterquamquod argumentum nimis probat, cum probet, esse relationem intrinsecus advenientem, uti est relatio servi, quod est contra mentem Doctoris. Ad 4. nego majorem. Licèt enim character ex natura sua sit intensibilis, non sequitur, quòd de facto dentur characteres inæquales, seu magis, & minus intensi: etenim omnes ex Dei dispositione æquales sunt secundum latitudinem gradualem; quia à Deo ordinantur secundum omnes gradus ad indivisibiliter notandum, & denominandum hominem baptizatum, confirmatum, & Sacerdotem. Ultra quòd, licèt darentur characteres magis, & magis quoad gradus intensi, tamen quoad denominationem christiani, aut confirmati præstandam, omnes essent æquales, eò quòd talis denominatio in indivisibili consistit. Hoc explicat Brancatus exemplo Equitum S. Joannis, & S. Jacobi, qui per crucem consignantur. Ex eo enim, quo quis obtineat crucem magis pulchram, magis albam, aut rubram, nec dicitur, nec dici debet magis Eques.

Tom. I.

274 Arg. contra secundam Conclusionem: Si character esset indelebilis, maxime, Ordinis; sed iste per peccata, & nefaria scelera deleri potest: ergo non est indelebilis. Prob. minor. Character Ordinis est potestas administrandi, & gerendi ea, quæ peculiariter ad cultum divinum, Sacramentorum administrationem, & publicum Reipublicæ christianæ regimen spectant; sed illa autoritas per peccatum ita amittitur, ut quidquid à Ministris nefariis gestum est, tamquam irritum, & nullum, ab Ecclesia reprobetur: ergo. Prob. minorem Ex pluribus actibus, & exemplis, quibus constat, ordinationes ac Ecclesiastica munia aliquorum Episcoporum irrita, ac nulla esse declarata. Sic in Synodo Romana coacta à Nicolao I. Photius, & Maximus Cynicus Episcopi Constantinopolitani damnantur, & privantur, eorumque acta reprobantur, & irritantur. Idem legitur de Proculo Massiliensi Episcopo, & de Ebbone Archiepiscopo Remensi, quorum primus reprobatus est variis in Synodis, Zozimo Summo Pontifice, & secundus tempore Gregorii Papæ IV. Urgetur ex eo, quòd ipsimet Summi Pontifices improbarunt aliquando ordinationes à suis prædecessoribus factas, & ab eis ordinatos censuerunt iterum esse ordinandos: ergo non existimabant, Sacramentum Ordinis imprimere characterem indelebilem, quod idem de aliis affirmari debet. Antecedens probatur primò exemplo Stephani IV. qui, convocato Romæ Concilio anno 769. irritas declaravit ordinationes factas à suo prædecessore Constantino. Quam irritationem ratam habuit Concilium, ut in ejus Actis legitur, & refert Anastasius Bibliothecarius. 2. Exemplo ipsius Stephani, qui cum Formosus Pontifex, ejus Prædecessor plures, sive Episcopos, sive Presbyteros ordinasset, Stephanus, congregato Romæ Concilio, non modo eos omnes deposuit, sed etiam iterum ordinavit. Hæc, & alia plura exem-

V

exem-

exemplaria cum satis erudita historiarum relatione producit Frassenius Disp. Procem. art. 2. q. 3. de charact. Sacram. ex Baronio, & Luithprando. Nobis non licet in hoc multum immorari, idēque.

275 Respondeo breviter negando utramque minorem. Ad 1. exemplum dico, ordinationes à Photio factas reverà fuisse validas, non tamen licitas, eò quòd contra Ecclesiæ Canones Photius est ordinatus, & cum excommunicatus esset, ordinatus fuit Episcopus per Gregorium Episcopum Syracusanum. Unde licet ab eo ordinati nunquam potuerint licitè exercere munera Ordinis suscepti, à cuius executione suspensi erant, eò quòd Ordinem suscepissent ab excommunicato, & ab eo, qui in aliena Diocesi, & sine consensu Episcopi illius loci manus impositionem dederat: tamen validè ordinati fuerunt, & Sacramentalem characterem susceperunt. Idē dicendum est de Proculo, qui idcirco dictus fuit à Pontifice non Episcopus; non quia non habuerit characterem Episcopalem, sed quia Præfecturam exercuit illicitè, & contra Sacros Canones. Ad urgentiam dico ad 1. exemplar cum Baronio, quòd Episcopi, qui dicuntur à Stephano IV. consecrati, non debent considerari, denuò ordines suscepisse, sed dicuntur consecrari; quia more majorum acceperunt benedictionem Pontificiam, & ritus omnes servandi solitos in Schismaticis, vel Hæreticis reconciliandis; quæ utique reconciliatio necessaria fuit eis, qui à Constantino fuerunt ordinati; quia ille erat Pseudo Pontifex, ac Sedem Apostolicam vi, & potentia invadens, & per annum sedens, plures Diaconos, Presbyteros, & Episcopos, nullis servatis Interstitiis, ordinavit. Quare merito à suis officiis, & ministeriis suspensi sunt, donec benedictionem cum suis gradibus, & honoribus acciperent.

276 Casus Stephani IV. cum For-

moso est specialis. Onofrus in annotatione ad Palatinam ait, esse fabulosum, quòd adversus Formosum narratur. Sed casu admissio à fere omnibus, ait Baronius de Stephano, illum meritò posse reprobari de numero Romanorum Pontificum, sicut & Sergium. Et meritò quidem: nam Stephanus tot, ac tantis criminibus infamis fuit, ut Romani Pontificis nomine, & appellatione indignissimus sit. Inter varia namque ipsius horrenda facinora, Formosum Prædecessorem præcepit è sepulchro extrahi, atque in sede Romani Pontificatus, sacerdotalibus vestimentis indutum, collocari. Postea iidem exutus, absolisque tribus digitis, quibus Populum solebat benedicere, in Tyberim corpus Formosi, sic mutilatum, projectum est. Unde factum illud Stephani reordinantis, jam ordinatos à Formoso, tyrannicum fuit, non verò error in fide: nam quidquid à Stephano, & Sergio gestum est, non nisi minis, & terroribus fuit peractum, reclamantibus bonis, malis autem suo facto perterritis. Quare postquam infelici exitu ex hac vita sublatus est Stephanus; (nam anno 900. detrusus fuit in carcerem, ibidemque laqueo suffocatus) tres succedentes Pontifices, nempe, Romanus, Theoderus, & Joannes IX. acta ejus omnino resciderunt. Nec obstat, quòd decretum Stephani probatum fuerit à Romana Synodo ab eo celebrata anno 897. nam totum id factum est per tyrannidem. Ideò quotquot Episcopi interfuerunt illi Pseudo Synodo, veniam admissi reatus exorarunt in Concilio Romano sub Joanne IX. Sed quia Hæretici, protestantes præsertim, ex hoc facto intendunt probare, Pontificem errare posse in rebus fidei, standum est cum nostro Laurea, Barro, & communiori Theologorum, Stephanum, & Sergium in hoc casu non errasse in falsa doctrina de characterē, sed ex odio, & nequitia peccasse. Jussit ergo de facto,

facto, non de iure, ordinatos à Formoso iterum ordinari. At verò per hoc non intellexit Stephanus iterum conferre Ordinis characterem, sed gradum, ministerium, dignitatem, & jurisdictionem. Declaraverat enim, vel habuerat Formosum pro degradato, ac deposito, & dubitare non poterat, quòd ordinatus ab Episcopo deposito recipit characterem, quamvis suspensus sit ab exercitio, & jurisdictione. Hoc significat Luithprandus ibi dicens: *cunctos, quos Formosus ordinaverat, gradu proprio depositos, iterum ordinavit.* Hoc est, à ministerio suspendit, & postea restituit. Quòd autem Stephanus, non ex errore in fide, sed ex tyrannico odio contra Formosum, qui religione, morum integritate, ac doctrina laudatur à cunctis Scriptoribus, hoc fecerit, ex ejus facto jam relato apparet. Qua in re de Stephano scribit Spondanus: *Ita furore percitus homo, non quod jure liceret, sed quod æstivans rabies suaderet implens. Non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto.*

277 Dubitabis 1. *An character subsistat post mortem, tam in Beatis, quàm in damnatis?* Respondeo affirmativè. Suadetur: Si character cum vita periret, esset, vel propter corruptionem subjecti, vel propter oppositionem contrarii, vel propter defectum conservationis; sed nullo ex his modis deleri potest: ergo. Prob. minor. quoad omnes partes: Non ex corruptione subjecti; nam anima, quæ est subjectum, corrupti non potest: non ex oppositione contrarii, quia ut ait Doctor, characteri nihil est contrarium, nec ex natura rei, nec ex divina ordinatione: neque ex defectu consecrationis; nam Deus eum in Beatis ad ornatum, & dignitatem conservat; in damnatis verò ad ignominiam: ergo. Urgetur: Concilia, & PP. absolutè pronuntiant, characterem esse indelebilem: ergo intelligendi sunt de

Tom. I.

indelebilitate, nedum usque ad mortem, sed etiam post eam. Patet hoc; nam licet eorum non fuerit mens terminare, an subsisteret etiam post mortem; quia de hoc non erat controversia cum Hæreticis; tamen istud constans apparet ex praxi Ecclesiæ, quæ resuscitatum à mortuis non solet denuò baptizare, confirmare, & ordinare, permittitque, eum Sacramenta suscipere, ac ministrare. Si dicas 1. Deum de novo reproducere characterem, sicut vitam reproducit. Contra: quia est admittere miraculum sine necessitate, & sufficienti ratione: ergo asserendum est, mentem Ecclesiæ esse, quòd in eo subsistat character. Si dicas 2. cessante fine, cessant ea, quæ sunt ad finem; sed in morte cessabit finis characteris, scilicet, exterior cultus Dei, qui nec in Patria, nec in Inferno erit: ergo. Distinguo majorem: Si finis omnino cesset, concedo: si tantum quoad aliquid, nego, & distingo minorem: In Patria cessabit cultus exterior, quantum ad materiam externam, concedo: quantum ad finem, nego minorem, & consequentiam. In culto divino duo considerari possunt, & materia cultus, nempe, opera quædam externa, & finis cultus, qui est honor Dei, & gloria, quæ exhibetur ei per hæc opera externa. Cessabunt enim in Patria illa opera externa, sed remanebit finis, scilicet, honor, & Dei gloria, ac consequenter perseverabit ipse character, in bonis ad gloriam, in malis ad ignominiam, ut Augustinus affirmat. Si dicas 3. Damnati omni dono superno, quale est character, indigni sunt, ut testatur Dionisius lib. de Divinis nom. cap. 4. dicens: *Dæmones carere omnibus divinis donis, tam secundum habitum, quàm secundum operationem:* ergo. Respondeo, quòd damnati, etsi indigni sint omni dono supernaturali, quod ad eorum solatium conducere possit: non tamen omni eo, quod ad eorum poenam,

V 2

&

& supplicium conferre potest, qualiter haud dubie conferuat illi characteres, quibus divinitus sunt insigniti. Modo quo character Militaris perseverat in Militibus post adeptam victoriam, in his, qui vicerunt, ad gloriam, & in his, qui victi sunt, ad poenam, & ignominiam.

278 Dubitabis 2. *An in Christo Domino fuerit character Sacramentalis?* Respondeo negativé. 1. Quia insignitus fuit caractere Verbi Divini modo longe perfectiori, ac proinde characteribus imperfectioribus eum obsignare non congruit. 2. Quia character non est perfectio simpliciter, sed secundum quid, supplens imperfectiorem, ait Subt. Doctor, & prosequitur; & ideo non competit omni perfecto, neque etiam illi personae, in qua est aliqua perfectio major supplens imperfectiorem, quam sit ista. Haec autem major perfectio reperita in Christo supplens imperfectiorem, quam alias suppleret character, est esse supremum Dominum familiae, regem militiae, & caput domus. Sicut enim in rebus visibilibus esse Dominum familiae majoris est ponderis, & estimationis, quam esse il-

lius membrum: & sicut esse supremum militiae ducem majoris dignitatis est, quam esse militem: & sicut esse caput domus majoris excellentiae est, quam esse servum; ita in praesenti, longè altioris dignitatis, & excellentiae sunt in Christo Domino supremum dominium familiae, potestas regalis militiae christianae, & esse caput totius domus, quam potestas, quam quodlibet membrum, seu fidelis recipit virtute characteris. Unde sicut vi characteris Baptismi expellitur ab homine imperfectio non essendi de familia Christi; per characterem Confirmationis imperfectio non essendi de ejus militia; & per characterem Ordinis imperfectio non essendi destinatum in speciali ministerio domus: ita longè altiori modo Christus ratione supremi dominii, quod habet supra suam familiam, gaudet perfectione essendi in praedicta familia: ratione ducis, & regalis potestatis gaudet perfectione illius militiae; & ratione potestatis capitis, seu quia est caput domus, gaudet perfectione potestatis exercendi quodcumque speciale domus ministerium: ideoque exercuit Sacerdotale munus.



DISPU.

DISPUTATIO IV.

DE SUSCIPIENTE SACRAMENTA: DEQUE SACRAMENTALIBUS, & Sacris Cœremoniis.

Nonnulla de Sacramenta suscipiente dicenda veniunt in hac Disputatione; pauca quidem; quia uberior notitia aptius consequetur, dum de quolibet in particulari pertractetur. Utque finem imponamus huic Tractatui, pauca etiam subjungemus de Sacramentalibus, & Cœremoniis.

QUÆSTIO I.

*Quisnam sit suscipiens Sacramenta?
& quid requiratur in illo ad illa
suscipienda?*

279 **Q**uamvis mens mihi fuerit, quasdam alias hic resolvere difficultates, nempè: An Sacramentum possit esse validum, & informe? An aliquid operetur in eo, qui illud recipit cum fictione? Per quid tollatur obex? Quomodo, & quando Sacramentum preteritum tunc operetur? seu quænam sit Sacramentorum reviviscentia? tamen cum diversa sit Sacramentorum efficacitas, requirantque dispositionem diversam, convenientius duxi, harum quæstionum enucleationem ad disputationes speciales de singulis Sacramentis differre. Oportet verò, aliqua pertractare de suscipientibus Sacramenta in genere: nam de singulis dicemus sigillatim. Pro quo nota primò: Subjectum Sacramentorum solum esse hominem viatorem, saltem ex vi præsentis decreti, & divinæ institutionis. De facto namque ea Christus instituit in remedium animarum ad conferendam, & augendam gratiam in ordine ad gloriam consequendam. Remedia autem curativa sunt pro infirmis, quales non

sunt in cœlo Beati, nec in termino damnati, qui non possunt mereri, nec demereri, sed soli homines viatores, qui gratia primâ indigent, ut à peccato curentur, & augmento ejus, ut in sanctitate accepta firmentur. Unde in definitione Sacramenti hæc particula additur: *ordinatum ad salutem hominis viatoris*. Nota 2. Aliqua esse Sacramenta, ut Pœnitentia, Matrimonium, Extrema-UNCTIO, quæ non conveniunt, nisi adultis, & ratione utentibus; non autem pueris, nec perpetuo amentibus. Eos esse capaces Baptismi, sicut erant Circumcisionis, docet communis Ecclesiæ praxis. Unde difficultas est de consensu, & intentione in his, qui sunt capaces rationis, & libertatis.

280 Dico 1. *Omnis, & solus homo viator est subjectum Sacramentorum: requiritur verò in adulto, & ratione utente consensus, seu intentio aliqua, ut validè suscipiat*. Prima pars est in Ecclesia communis contra Hæreticos, Wiclephum, & Joan. Hus, qui ab eis excluderunt reprobos, & limitarunt ad solos justos. Probatur: Tum; quia si aliqui excluderentur, vel esset ex natura rei, vel ex lege divina; sed neutrum dici potest: ergo. Prob. minorem: Non ex natura rei; nam quos ad

ad hoc omnes sunt similes, omnesque viatores indigent aliquibus saltem Sacramentis: omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei; sed nec ex Dei institutione: nam limitatio illa non constat ex ulla Scriptura, aut traditione: ergo. Tum: Sacramentum essentialiter est signum sensibile: ergo institutum pro solo homine viatore. Patet consequens; quia nec Angelus, nec anima separata capaces sunt illorum signorum, cum purè spirituales sint. Nec pariter Beati, qui uti in termino, non sunt in statu gratiæ augendæ, aut perdendæ. Nec demum damnati, qui non sunt in statu gratiæ acquirendæ, aut recuperandæ: ergo.

281 Secunda pars, in qua dixi in omni adulto, ut excludam pueros, qui habent usum rationis impeditum: & ratione utente, ut excludam amentes perpetuos: nam qui aliquando usi sunt ratione, potuerunt aliquo tempore velle, Sacramenta opportunè sibi ministrari; atque ita possunt habere consensum, & intentionem habitualement: hæc, inquam, pars probatur primò ex SS. Canonibus, in quibus cap. 12. definitur, quòd invitus non debet baptizari, & quòd tunc characterem imprimit Sacramentalis operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem. Idem decernunt Concilium Araus. I. & Cartaginense III. ergo saltem intentionem habitualement exigunt ad validam receptionem. Prob. 2. Tantum valent Sacramenta, quantum Deus institutor voluit: sed Deus noluit, ut valeant non volentibus, aut nolentibus: ergo. Prob. minor. ex traditione, & praxi Ecclesiæ, quæ depositaria est consilii, & voluntatis divinæ per Christum Apostolis dicentem: Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota facio vobis. Hæc enim in omnibus adultis requirit aliqualem consensum, ut patet ex Canonibus, & Conciliis citatis, & ex perpetua ipsius praxi. Unde Doct. Subt. inquit: *Nolentem Deus non justifi-*

cat, secundum illud Augustini, qui creavit te sine te, non justificabit te sine te: igitur, ut adultus suscipiat Sacramentum, debet velle recipere illud. Prob. denique ex Doct. 4. dist. 4. quæst. 4. ubi præclarissimè casus omnes hujus difficultatis percurrit, & resolvit. 1. De parvulo, de amente perpetuo, qui numquam usus est, nec speratur usus ratione. 2. De eo, qui actu non utitur, sed aliquando usus est, aut speratur usus. 3. De eo, qui actu utitur ratione. 4. De isto, si positivè dissentit susceptioni Sacramenti. 5. De eodem, si consentit simpliciter, & dissentit secundum quid. Et 6. de eo, qui positivè nec dissentit, nec consentit, sed se habet negativè. Semper autem exigit aliqualem consensum ab eo, qui potest. Lege totam illam quæstionem, in qua plura curiosa edocet.

282 Dico 2. Non requiritur in suscipiente adulto intentio actualis, sed sufficit virtualis, imò & habitualis, & interpretativa. Pro istarum intentionum intelligentia vide supra disp. 2. q. 4. num. 138. Resolutio est communis. Prob. 1. ex Concilio Arausiano, & Cartaginensi citatis, quæ apertè id docent de obmutescens, vel egrotantibus erga administrationem Sacramenti Baptismi, si actualiter non utantur ratione, modo aliquando ea usi fuerint; sed intentio in illis solùm potest esse habitualis, aut interpretativa: ergo. Major patet ex Concilio Arausiano. I. cap. 3. dicente: *Obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* Et ex Cartagin. III. *Egrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum, illi qui sui sunt, testimonium dixerint, baptizentur.* Prob. 2. ex praxi Ecclesiæ: nam Extrema-unctio dari solet cuilibet in extremis, licet ratione careat, modo christianè vixerit, quamvis explicitè non petierit; quia, ut bo-

nus

nus Christianus, qualis apparuit, censetur, velle nihil omittere ex his, quæ conducunt ad suam salutem; ergo saltem in aliquibus Sacramentis sufficit intentio habitualis, & etiam interpretativa. Dixi in aliquibus; quia non sufficit in omnibus, & maxime in Matrimonio, ut suis locis dicitur. Sed maxime advertendum, quòd in adultis ad recipiendâ fructuosè Sacramenta, præter intentionem internam, & præter alias speciales dispositiones, de quibus singulis agemus in particulari, requiritur adhuc aliqua alia conditio, nempe, ad Sacramenta mortuorum saltem attritio supernaturalis, quæ tollat affectum omnem in peccatum mortale in habentibus illud: & ad alia, scilicet, ad Sacramenta vivorum requiritur status gratiæ. Sic communissimè Theologi. Patet inter alia plura ex Tridentino sess. 6. cap. 6. docente, in Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ requiri dispositiones aliquas ad justificationem: nam pro Baptismo exigit fidem, timorem, spem, initium charitatis, & odium peccati, seu pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; & pro Pœnitentiæ Sacramento exigit detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, & confessionem: denique contritionem, vel attritionem. Hæc ratione ante Baptismum adulti exercebantur olim in actibus virtutis pœnitentiæ: ergo ad susceptionem Sacramenti mortuorum requiritur saltem attritio, quæ tollat omnem affectum ad peccatum. Si verò adultus accederet ad Baptismum sine peccato personali, & cum solo originali, non egeret attritione, sed fide, spe, & initiali charitate. Quod autem ad Sacramenta vivorum fructuosè recipiendâ requiritur status gratiæ, ex se patet, & de unoquoque suo loco patebit. Eadem doctrina pulchrè traditur à Subt. Doct. 4. d. 4. q. 5.

283 Dices contra 1. Conclusionem. 1. In parvulis nulla requiritur

intentio, aut consensus: ergo nec in adultis; eadem est enim ratio de omnibus, cum utristuræ æqualiter sit Baptismus necessarius. Confirmatur: Si Sacramentum exigeret intentionem in suscipiente, semper, & in omnibus eam exigeret; sed hoc est falsum: nam Extrema-unctio administrari solet in morbis subitaneis, & extremis, licet nullus consensus appareat in recipiente: ergo. 2. Si voluntas recipientis necessaria esset, esset utique per modum conditionis, aut dispositionis in subiecto necessario requisita: non quidem est talis intentio pars essentialis Sacramenti, ut nemo negabit; sed non est talis; ergo. Prob. minor. Si esset conditio, vel dispositio necessaria, constaret ex Scriptura, vel aliquo decreto Ecclesiæ, quæ non deficiunt in necessariis; sed non constat ex ullo tali capite: ergo. Denique: nulla intentio requiritur ad Eucharistiam validè suscipiendam: ergo nec in aliis Sacramentis est necessaria.

284 Respondeo ad 3. negando consequ. & probationem ejus. Disparitas in eo stat, quòd nec Deus, nec Ecclesiæ exigunt à suis impossibile, seu ultra posse. Cum autem parvuli non habeant usum rationis, nec libertatis, sicut adulti, idèo istos, & non illos obligat ad velle Sacramenta, ut validè illis conferantur. Ex quo ad Confirmationem, concessa majori de adultis, neg. minor. & distinguo ejus probationem: licet nullus consensus actualis appareat in recipiente, concedo habitualis, implicitus, & interpretativus, nego. Itaque hoc ipso, quòd adultus se gessit, ut Christianus, ostendit intentionem habitualement, & implicitam suscipiendi omnia remedia salutis suæ, quibus juvantur ceteri Christiani. Et hoc maxime, si dum poteratur usu rationis, Sacramentum petiit, aut inclinationem ad illud aliquo signo manifestavit. Si dicas hoc contingere posse in peccatore sine

sine

sine pœnitentia; sed per peccatum mortale, de quo non vult pœnitere, præcluditur, & interrumpitur illa intentio implicita, & habitualis. Ergo huic Sacramentum hoc non posset ministrari. Respondéo, quod si aperte constet de statu peccati mortalis, & de impœnitentia, non puto, hoc Sacramentum conferendum esse illi. Sed de hoc alias. Ad 2. nego min. & maj. probationis; quia satis id constat ex Conciliis, & praxi Ecclesiæ, ut apparet in Conclusionè. Ad ultimum negatur consequentia, & est disparitas, quod Eucharistiæ validitas non pendet ab usu, sicut in cæteris evenit, sed est Sacramentum permanent. Præterquamquod, non puto, Eucharistiam invito datam magis significare sacramentaliter nutritionem animæ, quam cibum injectus in os mortui nutrimentum materiale significaret. Contra 2. Conclusionem nihil speciale opponitur, quod supra disp. 3. q. 4. a num. 152. non sit solutum.

obasson **QUÆSTIO II.**
De Cæremoniis Sacris, & de Sacramentalibus.

285 **C**Æremonia Sacra, quæ aliquomodo ad Sacramenta spectant, eò quod adhibeantur, ut quædam præparatoria, ut cum majori reverentia suscipiantur, vel comitantia, ut ritè administrantur, vel subsequantia, ad uberio-rem gratiam conferendam subjecto, sic describi possunt: *Circumstantiæ religiose ad decentem, & devotam Sacramenti administrationem ab Ecclesia institutæ.* Eas rejiciunt impudenter Sectarii, velut *superstitiosas, & humanas inventiones.* Et hæc pro 1. quæst. parte. Pro 2. notandum, quod licet per *Sacramentalia* impropiè, & largè intelligi possit, quidquid ad Sacramenta quomodocumque pertinet: at verò propriè intelliguntur ritus, & cæremonia aliquæ

sensibiles ab Ecclesia institutæ, habentes analogiam cum Sacramentis propter effectus aliquos spirituales, ad quos sunt institutæ. De his late agit Cardinalis Noster Brancatus Tom. de Pœnitentiâ disp. 15. art. 12. & de eorum Sacramentalium existentia conveniunt omnes Catholici. Enumerari solent ita. 1. *Orationes* maxime *oratio Dominicalis.* 2. *Unctiones*, quæ adhibentur in consecratione Episcoporum, vel Abbatum, aut Regum. 3. *Comestio panis benedicti*, quæ olim dabatur eis, qui non sumebant Eucharistiam; & nunc in Ecclesiis parochialibus, sicut & apud Græcos, adhuc frequenter. 4. *Confessio generalis*, illa, scilicet, quæ fit in principio Missæ, & in aliquibus horis Canonicis. 5. *Elemosinæ*, quæ est opus valde pium. 6. *Asperimus aque benedictæ.* 7. *Actus omnes externi pœnitentiæ*: & etiam actus omnes sensibiles religionis, ut *genitæxiones*, *mortificationes*, & *opera misericordiæ*: quibus aliqui addunt *sumptiones pœnitentiæ*, quæ sunt in signum pœnitentiæ. Denique *Benedictio* Episcopalis, vel Abbatialis, aut Sacerdotalis. His scitis.

286 Dico 1. *Licitus, & utilis est usus cæremoniarum Sacramentalium: easque Ecclesia instituere potuit.* Est de fide contra Sectarios. Prob. 1. pars 1. ex Tridentino Sess. 7. Can. 14. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi solitos, aut contemni, aut mutari, vel omitti posse pro libito, anathema sit.* Confirmatur ex Apostolo Cor. 14. ubi præcipit, *quod omnia honestè, & secundum ordinem fiant*, nempe, secundum cæremonias, & ritus debitos: nam aliter, nec honestè, nec secundum ordinem fiunt. Prob. 2. ex traditione, & perpetua Ecclesiæ praxi, etiam ab ipsis Apostolis: Ipsi Apostoli, & eorum Successores Pontifices, & Episcopi varios ritus, & cæremonias disposuerunt, quibus majori

jori cum reverentia, & devotione Sacramenta administrarentur, & reciperentur: ergo licitus, & utilis est usus, & institutio cæremoniarum. Prob. antec. ex Apostolo citato, qui circa Eucharistiæ usum, ut notat, & explicat Augustinus, aliqua tunc præscribit, & alia sibi reservat disponenda, cum venerit: *Cætera, cum venero, disponam*: ergo Paulus auctoritate Apostolica ordinavit aliquos ritus circa Eucharistiæ usum. Confirmatur: nam a primis sæculis multas habemus cæremonias, quæ non constant ex Scriptura, sed ex pura traditione, & quæ creduntur institutæ ab ipso Christo, & ab Apostolis, ut benedictio Chrismatis, sumptio Eucharistiæ à jejunis, aquæ mixtio in Calice, signa crucis, & alia ab Ecclesia statuta, ut de celebratione Paschæ aliter, quàm à Judæis; de die Dominico loco Sabbati celebrando &c. Unde regula est Augustini: *Ritus, qui non sunt contra fidem, aut bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus, vel institutos cognoscimus, laudando, & imitando, sectemur.* Denique in his cæremoniis nihil est malum, aut indecens, sed potius excitantur fideles cum illis ad majorem reverentiam in Deum, & Sacramenta: ergo licitæ, & utiles sunt. Prob. secunda pars ex Scriptura: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, ait Paulus. Unde ad ministros, & dispensatores pertinet determinare modos, & ritus dispensandi Sacramenta, salva eorum substantia, & in his, quæ Christus non determinavit, prout ritus illi, & modi conducunt ad majorem gloriam Dei, eorum authoris, & ad subditorum utilitatem: sed ad utrumque valent cæremonia: ergo hanc potestatem dedit Deus Ecclesiæ suæ, cum illi commisit suorum Sacramentorum, ac mysteriorum dispensationem. Confirmatur ex Tridentino Sess. 21. c. 2. declarante: *Hanc Tom. I.*

potestatem perpetuam in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illarum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.

287 Arg. cum Hæreticis: Deus præcipit observanda, & prohibet quidquam illis addere: nam Deuter. 22. *Hoc observabis, nec addes, aut quidquam detrahes*; sed Deus non præcipit illas cæremonias: ergo non debent addi Sacramentis. Unde Deus queritur de Judæis Matth. 15. *quod eum colant juxta mandata, & doctrinas hominum.* Et Augustinus conqueritur, quod *multitudine cæremoniarum aliqui ita Ecclesiam enervaverunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum*: ergo irrationabilis est cæremoniarum institutio: nam tot cæremoniarum multitudo videtur conscientias onerare, & sapere Judæismum. Disting. major: Prohibet quidquam illis addere, quæ distrahant à significatione, & fide, ad quam sunt instituta, concedo: quæ in eundem finem tendant, & cultum Dei augeant, nego majorem, & consequent. Cæremonia enim non distrahunt fidelium mentes à fide, & intelligentia mysteriorum; sed potius valde juvant, & excitant in cordibus fidelium ad majorem fidem, reverentiam, ac devotionem. Unde sic majori cum fructu recipiuntur, eò quod majori fide, devotione, & reverentia ad illa disponuntur. Doctrina patet: nam si Eucharistiæ Sacramentum conficeretur, aut ministraretur nudè sine solemnitate, sine sacris vestibus, & aliis Missæ devotis ritibus, quis dubitet, quod in animis fidelium non parum vilesceret, & devotio valde refrigesceret? Idem est respectivè de aliis. Quare Deus ibi queritur de mandatis purè humanis, procedentibus ex hypocrisi, & contrariis mandatis Dei: ideòque dicit: *Populus hic labiis me honorat... sine*

causa colunt me, docentes doctrinas
dominum &c. Augustinus conqueritur
de caeremoniis, quae ab hominibus
privatis proprio motu, & arbitrio
in Ecclesiis suo tempore introducuntur.
Hoc autem non licet cullibet, sed
solum reservatur Ecclesiis, quae cum
pondere, & mysterio caeremonias
apposuit, quae magis mysteria
explicent, & quibus fideles ex-
citentur ad pietatem, & ferventio-
rem devotionem. Nec est paritas de
caeremoniis Judaicis, quae serviles
erant, ac vacuae, & in quibus Iu-
dei tantum fidebant, quod in eis
suam ponerent fidem totalem. Et col-
liges, Ecclesiam caeremonias sacras
divino Spiritu ductam instituisse, cui
Christus commisit potestatem, ut
circa religionem, cultum, & Sacra-
menta, quae instituebat, statueret,
quae utilia judicaret: voluitque obe-
diendum esse ei, sicut sibi, in om-
nibus his, quae statueret. Unde dixit
Apostolis, & suis Successoribus in
illis: *Sicut misit me Pater, & ego
mitto vos. Qui vos audit, me au-
dit &c.*

288 Dico 2. In Ecclesia sicut
Sacramentalia, quibus in homine jus-
to remittuntur ex opere operantis pec-
cata venialia. Qualia sint, initio ques-
tionis invenies. Resolutio, quae est
communis, & docetur a Subt. Doct.
in 4. dist. 27. patet 1. ex traditio-
ne, & communi usu Ecclesiae, quae
utitur talibus rebus, & signis, & fi-
deles invitatur ad eorum praxim. Patet
2. specialiter de singulis: nam de
Oratione dicitur Proverb. 15. *Ora-
tiones exaudies justorum.* De Oratio-
ne Dominica dicit Augustinus: *de
quotidianis levibusque peccatis, sine
quibus haec vita non ducitur, sa-
tisfacit.* De Unctione ratio suadet,
quod non adhibetur frustra ab Eccle-
sia in consecratione Episcoporum, Sa-
cerdotum, & aliorum: ergo per il-
lam aliquis gradus gratiae confertur,
& venialia remittuntur. De sumptio-
ne panis benedicti, qui est actus re-
ligiosus, orat Ecclesia, ut omnes ex

eo gustantes inde corporis, & animae
sanitatem percipiant. De Confessione
generali patet, quod sit actus mag-
nae humiliationis, per quam Chris-
tianus coram Deo, Sanctis, & ho-
minibus se agnoscit peccatorem, &
de peccatis veniam petit: hancque
instituit, & approbat Ecclesia ad ob-
tinendam veniam de peccatis quoti-
dianis. Eleemosina ponitur inter Sa-
cramentalia, quia est opus Deo ma-
ximè gratum, & de illa dicitur, *quod
peccata redimat.* Idem est de bene-
dictione, tum ex parte subditi, qui
humiliatur coram Praelato suo, vel
Sacerdote, qui super subditos Deum
invocant, & ab eo misericordiam
impetrant. Tunc est actus
internus poenitentiae, ostendens in-
ternum dolorem de peccatis, & ve-
niae petitionem.

289. Denique aspersio aquae lusa-
tralis efficaciam sumit ab ejus insti-
tutione, & benedictione, de qua Ale-
xander I. dixit: *Aquam sale cons-
persam populis benedicimus, ut ea
cuncti aspersi sanctificentur, & puri-
ficentur.* Quod autem hanc expiatio-
nem efficiant, non tam ex opere o-
perantis, quam operantis, probabiliter
videtur; quia nullibi constat satis,
Deum ad hanc efficaciam illa insti-
tuisse: alioquin verò Sacramenta es-
sent, haberentque vim Sacramentali-
lem, atque eis conveniret definitio
Sacramenti. Confirmatur: nam in
usu omnium istorum requiritur ex
parte suscipientis aliquis bonus mo-
tus interior, intuitu cujus gratia ob-
tinetur per modum meriti, vel im-
petrationis. Sed quia aliqua efficacia
videtur tribuenda ex parte ipsorum
operum: alias non magis Sacramen-
talia dicerentur, quam actus alii ex-
teriores virtutum, maximè theolo-
gicorum, dicendum puto, nec ali-
ter hanc difficultatem solvi posse, si-
cui, quod, ut ista opera specialiter
dicantur Sacramentalia, debent ha-
bere aliquam specialem sanctitatem,
& efficaciam, praeter aliis operibus vir-
tutum, ita ut aliquam gratiam re-
mit-

missivam operentur, dum in statu
gratiae, & cum intentione, ut pec-
cata deleant, fiunt. Hoc autem sal-
tem habent ex meritis Ecclesiae, quae
ad hoc illa consecrat, petens à Deo,
ut qui ea sibi applicant, aliquam
obtineant veniam. Sic Ecclesia, &
fideles per illa opera tales gratias ob-
tinent per viam impetrationis.

290 Ex his constat 1. Quod Sa-
cramentalia non sunt immediatè à
Christo instituta, ut vera Sacramen-
ta, sed sunt immediatè instituta ab
Ecclesia per facultatem sibi à Chris-
to datam. 2. Quod in Ecclesia sunt
plura Sacramentalia, seu opera, &
signa sensibilia, quibus, ex facul-
tate sibi à Deo concessa, aliquam
alligavit efficaciam, qua leviora pec-
cata deleant, sive quoad culpam,
sive quoad poenam. Et dicuntur Sa-
cramentalia; quia instar Sacramen-

torum instituta sunt, sed longe mi-
noris efficaciae, & dignitatis: eò
quod Sacramenta à Christo immédia-
tè sunt instituta ad salutem hominis
viatoris, & ex opere operato ope-
rativa gratiae. Et adverte, quod hæc
eadem Sacramentalia adhibentur ad
alia bona impetranda, v. g. ad re-
pellendos Demones, maleficia levan-
da, vel impedienda, contra temper-
tates, & temporum injurias, contra
sterilitatem, animalium infestationem,
aëris intemperiem, & infectionem &c.
ut patet ex eorum ritibus, & ora-
tionibus consecratoriis. In benedictio-
ne aquae sic Ecclesia orat: *Ut quicquid
in domibus, vel in locis fidelium
hec unda respenderit, careat omni
immunditia, liberetur à noxa &c.* Et
hec de Sacramentis in genere suffi-
ciant ad Dei laudem, & ut ad sin-
gula properemus in particulari.



TRACT. II. DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.



PRIMUM EX SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS A
Christo Medico infinitè piissimè in peccati remedium
institutus est Sacramentum Baptismatis. Et quamvis, ut
Seraph. Doct. præmonet, omnia novæ legis Sacra-
menta divinitus ordinata, ac instituta sint in varia-
rum infirmitatum, quibus in hoc miserie statu premi-
tur humana mortalitas, curam, & medelam, nihil-
ominus in peccati emaculatione virtus, & efficacia Bap-
tismi viget potissima. Tanta igitur est, tamque stu-
penda hujus divini Sacramenti virtus, & præstantia,
ut Gregorius Nazianzenus jure merito illud dixerit omnium Dei beneficio-
rum præclarissimum, ac præstantissimum. Similibus, & majoribus adhuc en-
comiis dignitatem Baptismi efferunt Augustinus *Serm. 36. de tempore*, ali-
que SS. PP. adeo ut non vereantur asserere, emulum esse Incarnationis Di-
vini Verbi. Concludendum est igitur cum magno Tertulliano *lib. de Bapt.*
cap. X2

cap. 1. sic affante: *Quis dignis laudibus celebrare potest felix aquæ Sacramentum, quo, ablutis delictis pristinae cœcitatæ, in vitam æternam libamur?* Nunc methodo servata, & in posterum servanda, dividendus est Tractatus hic in tres Disputationes, in quarum I. de essentia, & existentia hujus Sacramenti pertractabitur: In II. de ejus Ministro, & insimul de ejus subjecto: & in III. de effectibus Baptismi, ac ejus cœremoniis. Sed antequam de tanto Sacramento tractemus, videas, quæso, quid de illo dicat Sac. Concilium Florentinum.

„ Primum omnium Sacramentorum locum tenet Sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua, & spiritu renascimur, non possumus (ut inquit veritas) in Regnum Cœlorum introire. Materia hujus Sacramenti est aqua vera, & naturalis: nec refert, frigida sit, an calida. Forma autem est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel mulier, imò etiam Paganus, & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia. Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum, & Dei visionem perveniunt.

DISPUTATIO I.

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA SACRAMENTI BAPTISMI.

Baptismus, cujus existentiam Evangelium expressè docet, profiteamur in Symbolis, asserunt Concilia, & nullus, adhuc Hæreticorum, negare est ausus, omnium Dei beneficiorum est præclarissimum, ait Nazianzenus. Unde ejus existentia meritò supposita, cetera, quæ ad hoc attinent mirabile Sacramentum, unicè in hoc Tractatu sunt investiganda, & quæ ad ejus essentiam, & institutionem pertinent, controversandum, & resolvendum est in hac Disputatione prima.

QUÆSTIO I.

Quid sit Baptismus? Et quando à Christo fuerit institutus?

PRO 1. controversiæ parte notandum est, Catholicos, & Hæreticos convenire in eo, quòd

Baptismus est verum novæ legis Sacramentum: nam qui Sacramenta aliqua Evangelicæ legis fatentur, Baptismum deputant omnium primum. Et hanc veritatem potius esse supponendam, quàm disputandam, aut probandam, luculenter exprimit Doct. Subt. in 4. disp. 3. quæst. 4. num. 2. Hanc institutionis primitatem inter

3.

Sacramenta docet Concilium Florentinum in decreto Unionis per hæc verba: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptismus...quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Si igitur per Baptismum, tamquam per januam, in Christi Ecclesiam intramus, consequens est, quòd sit primum Ecclesiæ Sacramentum. Quoad 2. quæstionis partem magna est controversia inter Catholicos DD. Conveniunt namque invicem, quòd Christus suum Baptisma non instituerit, antequam ipsemet Dominus à Joanne baptizaretur in Jordane: sed invicem discordant de tempore inter Christi baptismationem, & ejus in cœlum mirabilem Ascensionem: nam ante illam etiam omnes consentiunt, Baptismum institutum fuisse. Triplex igitur est capitalis sententia in hac parte. Prima asserit, Baptismi institutionem factam fuisse post Christi Passionem, & illo tempore, quo ascensurus in cœlum, dixit Discipulis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Ita Alensis noster 4. parte, quæst. 8. art. 3. Albertus Magnus in 4. dist. 3. His astipulantur ex SS. Patribus, Chrisost. hom. 28. in Joannem. S. Leo Epist. 4. ad Episcopos Siciliae, cap. 3. Et Tertullianus lib. de Baptismo cap. 11. Secunda Sententia contendit, Christum Baptismum instituisse, dum in Jordane ipse baptizatus fuit à Joanne. Sic Magister Sentent. dist. 3. D. Thomas quæst. 66. art. 2. & omnes discipuli ejus. Tertia sententia est N. Subt. Doct. in 4. dist. 3. quæst. 4. n. 2. ubi contendit, non fuisse institutum tempore, quo duæ priores opiniones affirmant, sed fuisse ante illud tempus, quo Discipuli Domini baptizabant, licet hora institutionis non legatur in Evangelio. Nos in præsentì controversia per varias resolutiones procedemus.

2 Conclusio I. Baptismus rectè definitur: *Est Sacramentum novæ*

legis à Christo Domino institutum causativum gratiæ regeneratiivæ. Hæc est Baptismi definitio metaphysica, scilicet, ejus essentiam explicans per genus, & differentiam. Verba *Sacramentum novæ legis à Christo institutum* sunt genus: nam per illa convenit cum cæteris Sacramentis. Cætera verba sunt differentia; per illa namque ab aliis differt, eò quòd gratia cæterorum Sacramentorum non sit regenerativa, sicut est gratia Baptismi, qui esse naturale hominis supponens, illum in esse regenerat supernaturali. Definitio physica Baptismi est hæc: *Ablutio exterior corporis facta sub præscripta verborum Sacramentalium forma.* Vel expressius: *Est Sacramentum regenerationis factum per exteriorem abluitionem corporis in aqua, & verbo.* Definitio hæc explicat essentiam, seu naturam Baptismi per verba *Sacramentum regenerationis.* Per cætera verba exprimit materiam, tam remotam, quàm proximam, ac formam, nempe, materiam remotam per *ly in aqua*, proximam per *ly exteriorem abluitionem corporis*, & formam per *ly in verbo.* Subt. Mag. in 4. dist. 3. quæst. 1. n. 3. hanc aptissimam tradit definitionem: *Baptismus est Sacramentum abluitionis animæ à peccato; consistens in abluitione hominis aliquantulum consentientis facta in aqua ablute, & in verbis sentis simul ab eadem ablute cum debita intentione prolatis.* Omnia in Doct. definitione apposita adeò clara sunt, ut explicatione non indigeant, præter illa verba *aliquantulum consentientis.* Hæc autem indicant baptizatum non debere esse coactum, sed consentire, vel per actum propriæ suæ voluntatis, si sit adultus, qui baptizandus est, vel voluntatis aliene, qualiter parvulus censetur consentire.

3 Ex his apparet 1. definitionem illam Apostoli ad Ephes. 5. nempe, *Lavacrum aquæ in verbo vitæ: & illam, quàm tradit Mag. sent. dist.*

3.

3. scilicet: *ablutio corporis exterior facta sub prescripta verborum forma*: unice esse Baptismi definitiones phisicas, juxta a nobis n. ant. dicta. Apparet 2. omnino rejiciendas esse definitiones, quas de Baptismo proferunt Hæretici, præsertim Melancton, & Calvinus. Ille in locis Theologicis sic Baptismum definit: *Signum, quo Deus nobiscum agit, & nos in gratiam recipit*. Definitio hæc nêdum est omnibus Sacramentis communis, sed etiam verbo Dei, quod Sacramentum non est. Iste, nempe, Calvinus lib. 4. instit. cap. 15. sic: *Baptismus signum est initiationis, quo in Ecclesiâ cooptamur societatem, ut Christo insiti, inter filios Dei censeamur*. Hæc utique definitio datur per effectum secundarium tantum, nempe, per consignationem inter filios Dei, quæ dumtaxat fit per gratiam sanctificantem, quæ est Baptismi primarius, ac præstantior effectus, quo justificamur, & in Christo regeneramur. Nihil speciele adversus hanc conclusionem occurrit, quod solutum non sit Tract. ant. de Sacram. in gen. quæst. 1. præsertim Conclusionem 3. vide ibi, & argumenta contra illam.

4 Conclusio II. *Probabilis est, Baptismum institutum fuisse ante Christi Passionem: non tamen dum Christus baptizatus est in Jordane, nec in colloquio, quod habuit cum Nicodemo, sed paulo postquam Iesus baptizatus est*. Resolutio hæc tres continet partes, quarum 1. est contra primam capitalem sententiam. II. contra secundam, & etiam contra aliquos asserentes Baptismi institutionem factam fuisse, dum Dominus Joan. 3. dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Est verò quoad omnes partes expressa N. Subt. Doct. qui in 4. dist. 3. quæst. 4. n. 3. ait: „ Quando Baptismus primò fuit institutus? dubium est. „ Non quidem, quando Christus baptizabatur à Joanne, quia ille non fuit Baptismus Christi, id est, in

„ forma Christi, sed in forma Joannis: tamen Christus dedicavit tunc „ aquam, tamquam materiam idoneam suo Baptismo, ex contactu „ suæ mundissimæ carnis. Nec etiam „ in illo verbo Joan. 3. dicto Nicodemò. Neque etiam differebatur institutioni, usque ad tempus Ascensionis, Matth. ult. nam Discipuli „ Christi ante Passionem baptizabant „ Baptismo Christi, Joan. 3. dicunt „ Discipuli Joannis ad ipsum. „ Rabbi, cui testimonium perhibuisti, ecce ipse baptizat, & omnes veniunt ad eum: *Convincitur ergo tempus institutionis fuisse ante illud tempus, quo Discipuli Christi baptizabant, licet præcisè hora institutionis non legatur in Evangelio*. Hæc pulcherrimè Doct. cui præter suos, subscripserunt Gabriel dist. 3. q. un. art. 3. Richardus art. 5. q. 1.

5 Probatur Conclusio quoad primam partem, nempe, Baptismum institutum fuisse ante Christi Passionem, ratione efficaci, quam insinuat Subt. Mag. Christus Dominus una cum suis Discipulis baptizavit ante suam Passionem; sed non baptizavit Baptismo Joannis: ergo Baptismo à se instituto. Major apertè constat ex Scriptura: nam Joan. 3. legitur: *Post hæc venit Iesus, & Discipuli ejus in terram Judæam: & illic demorabatur cum illis, & baptizabat*, scilicet, per Discipulos suos, ut colligitur ex ipso contextu & apparet ex cap. 4. ubi Joan. ait: *Ut ergo novit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quòd Iesus plures Discipulos facit, & baptizat, quàm Joannes, quamquam Iesus non baptizaret, sed Discipuli ejus, reliquit Judæam*. Idem expressè docetur à Cyririllo lib. 2. in Joan. c. 57. & Augustino Tract. 5. dicente: „ Baptizabat plures, „ quàm Joannes, quamvis ipse non „ baptizaret, sed Discipuli ejus. Adhuc erat ibi Judas inter Discipulos: „ quos baptizavit Judas, hi non „ sunt iterum baptizati; quos baptizavit Joannes, iterum baptizati „ sunt:

„ sunt: quia datus à Juda Baptismus Christi erat: datus à Joanne, Joannis erat. Per hæc probatur min. à D. Augustino. Sed ultra probatur multipliciter, & efficacissimè: tum ex Glossa super verba Joan. relata, quibus subdit: *Baptizabat suo Baptismo, non quo baptizatus est: illud enim subit, ut esset præparatio, & preparatio*. Tum ex ipso Augustino tract. 13. in Joan. repetens sic: *Christus baptizatus baptizabat non eo Baptismo baptizabat, quo baptizatus est &c.* ergo Christus per suos Discipulos baptizabat Baptismo distincto à Baptismo Joannis. Tum, quia Discipuli ipsius Joannis conquesti sunt, quòd Iesus baptizaret: ergo supponebant, Christum non baptizare Baptismo sui: Magistri Joannis: aliàs, videntes, Christum Baptismum Joannis approbasse, & ille uti, non sumpsissent occasionem emulationis, & querelæ; sed potiùs gratulationis, & gaudii. Antecedens constat ex Joan. 3. per verba laudata num. 4.

6 Confirmatur eadem veritas ex Patribus, & Ecclesiasticis Authoribus, affirmantibus, Dominum suis manibus sacratissimis baptizasse aliquos. Clemens apud Sophronium in Prato Spirituali c. 76. inquit: *Christum suis manibus Petrum baptizasse: Petrum verò baptizasse filios Zebedæi Jacobum, & Joannem*. Euthimius in Joan. 3. addit: *Scribunt Apostolorum temporibus proximi, quòd Christus Petrum, ac Virginem Matrem baptizaverit*. S. Vincentius Ferrerius Ser. feriæ 6. post Domin. in Passione, ait: *Joannes Baptista, & Virgo Maria voluerunt baptizari à Christo*. Hanc doctrinam, quæ mihi certissima est, magnificè extollit, & maxime illustrat V. M. Maria & Jesu, in sua *Mystica Civitate Dei, part. 2. lib. 5. cap. 24. num. 981.* ubi docet, Baptistam, postquam ipse Christum baptizavit, à Christo fuisse baptizatum. Dicit enim: quòd quamvis Evangelium non dicat, nisi

quòd Baptista Baptismum petiit à Domino, non negat, Dominum ei illum contulisse: quia absdubio Dominus noster Jesus Christus, postquam fuit baptizatus, Baptismum, quem petiit, dedit Præcursori suo, & quem Dominus extunc instituit, quamvis ejus generalem promulgationem, & usum communem postea ordinaverit, & Apostolis præceperit. Baptizavit etiam Dominus postea suam BB. Matrem ante ipsius Baptismi promulgationem. Unde Baptista fuit Primogenitus Baptismi Christi, per quem, præter gratiam plenitudinem, Christiani accepit characterem. Hæc ad litteram V. Doctrix. Denique, D. Augustinus tract. 5. in Joan. ad illa verba Christi ad Petrum: *quis lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, dicit: *Christum: adeo talia verba Petrus dixisse, quia Petrus jam per Baptismum lotus erat: ergo certum est, Sacramentum Baptismi à Christo ante ejus Passionem institutum fuisse*. Per dicta impugnari potest efficacissimè quæcumque incoegitabilis responsio, qua oppositum nostræ assertioni suaderi, aut defendi, intendatur.

7 Probatur jam Conclusio quoad secundam partem, videlicet, quòd Baptismus non fuit institutus, dum Christus à Joanne fuit baptizatus: nec pariter, dum Christus dixit Nicodemo: *Nisi quis &c.* Probatur, inquam, quòd 1. Dum Christus à Joanne fuit baptizatus, non gerebat Personam Legislatoris, sed potiùs poenitentis; sed institutio Sacramentorum est actus Legislatoris: sunt enim Sacramenta leges fundamentales Ecclesiæ, & in tota illa præceptæ, ac stabilitæ: ergo non instituit Baptismum, dum à Joanne fuit baptizatus. Major certa est: nam tunc Christus gessit munus poenitentis, & satisfaciens pro nobis: causam namque gerens, & sustinens naturæ humanæ Baptismum poenitentiae voluit suscipere. Confirmatur argenter: Dum Christus in Jordane fuit baptizatus, non fuit baptizatus suo Baptismo, sed

Bap-

Baptismo Joannis : ergo tunc non recepit suum Baptismum : ergo per illam receptionem suum Baptismum non instituit. Antecedens constans est ex dictis num. 4. & 5. Consequentie videntur necessarie. Pariter, quod Baptismum non instituerit in colloquio cum Nicodemo, probat Subtil. Doct. ex eo, quod non sit verisimile, tam generale præceptum omnibus necessarium, & solemne, quale est Sacramentum Baptismi, institui, ac præcipi coram privata persona, & maxime quia per Nicodemum promulganda non erat talis Baptismi institutio.

8 Sequitur 3. Conclusionis pars, nempe, Baptismum fuisse institutum paulo postquam à Joanne baptizatus fuit Dominus. Dubium est, inquit Doctor de tempore fixo, & determinato institutionis, eo quod ex Evangelio non constet. Censet tamen, & cum eo frequenter Scotistæ, & non pauci Extranei, institutum fuisse paulo post Baptismum susceptum à Joanne, & Apostolorum vocationem, quos in materia, & forma hujus Sacramenti instruxit, & ejus mandato ceperunt baptizare, non quidem Baptismo Joannis, sed ipsius Christi, ut ex num. 5. fit evidens. Sed tamen juxta doctrinam paulo supra num. 6. traditam, meum iudicium aperiens, & tempus fixum determinans, quo Baptismus fuit à Christo institutus, firmiter sentendum iudico, Baptismum institutum fuisse, dum Christus suum Præcursores in Jordane baptizavit, ut V. Doctrix Agretensis docet, asserens, sic sibi ostensum fuisse, S. que Joannem primogenitum fuisse Baptismi, quem tunc Sacramentum Evangelicæ suæ legis instituit. Cum autem verisimile non sit, quod illum instituerit, dum suo sacratissimo contactu aquas Jordanis sanctificans, baptizatus fuit à Joanne, ut D. Thomas cum suis sentit, eo quod, ut diximus, Christus non fuit baptizatus suo Baptismo, sed Joannis: & ex alia par-

te, Christus non dilasset ejus institutionem usque ad Discipulorum vocationem, & dum jam recesserat à Jordane, ut Subt. Schola videtur frequentius sentire: aliquomodo conciliatur utraque Schola hac resolutione medians inter hos Doctores. Est ergo institutus Baptismus in Jordane non quidem dum Christus aquas tetigit, & baptizatus est, sed postquam fuit baptizatus, Nec post Baptismum, usque ad Discipulorum vocationem, differens tempus, sed in ipso Jordane, dum Præcursores suum suo baptizavit Baptismo. Vide dicta num. 6. Hanc amplectitur doctrinam N. Gonz. Math. in Sum. Morali, Tract. 21. de Sacramento Baptismi, n. 6.

Occurritur Argumentis.

9 **A** Rg. 1. pro asserentibus, Baptismum fuisse institutum post Christi Passionem: Plures SS. Patres, præsertim S. Chrysostomus hom. 28. in Joan. S. Leo, Epist. 4. ad Episcopos Siciliae, cap. 3. Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 11. expressè docent, Baptismum post Passionem Christi institutum fuisse: ergo ita sentiendum est. Antecedens est certum, & fundatur in eo, quod si ex aliquo Evangelii loco colligenda est Baptismi institutio, maxime ex illo Matth. ult. dum Christus dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine &c. in nullo utique Evangelii loco expressè traditur forma Baptismi.* Nunc sic: sed illa verba dicta sunt à Domino post ejus Resurrectionem: ergo post illam Baptismum instituit. Confirmatur 1. Si Christus suum instituisset Baptismum ante Resurrectionem, Apostolis præcepisset, ut illum ministrarent, & præsertim quando Lucæ 9. *dedit illis virtutem, & potestatem, super omnia Daemonia, ut languores curarent, & misit illos prædicare Regnum Dei, & curare infirmos;* sed ibi nulla fit mentio de Baptismo conferendo: ergo signum est, tunc adhuc

adhuc non fuisse institutum. 2. Per Christi Baptismum conferebatur Spiritus Sanctus; sed hic ante Christi Passionem non fuit datus, seu non conferebat gratiam (in qua stat Spiritus Sancti datio) ut colligit Chrysostomus citatus ex illis verbis Joan. 7. *nondum Spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus:* ergo. 3. Baptismus institutus est in symbolum mortis, & sepulture Christi, juxta illud ad Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus:* ergo non debuit institui ante Christi mortem. Denique, omnia Sacramenta, ut Augustinus dicit, fluxerunt de aperto latere Christi, quæ lateris vulneratio fuit post ejus mortem.

10 Respondent plurimi, tam Thomistæ, quàm Scotistæ, illos SS. Patres solùm obiter, & dum aliud agerent, id dixisse, ac proinde illorum dicta variis modis conantur explicare. Verùm si eorum verba, ut advertit Mastrius, & ut ab Authoribus illius sententiæ referuntur, accuratè perpendantur, talem explicationem non admittunt. Verius, ac facilius est dicendum, Patres relatos in ea fuisse sententia, ob quorum auctoritatem nulla censura dignum est asserere, Baptismum fuisse institutum post Christi Passionem. Nec ob hoc minuitur major probabilitas nostræ opinionis: nam D. Augustinus, D. Thomas, Subt. Mag. plerumque alii Patres expressè sunt pro illa, illique expressè favent Scripturæ testimonia, quæ num. 5. sunt videnda. Dico igitur, quod licet forma Baptismi non legatur tradita Apostolis ante Passionem, non valet inferri, quod non fuisset instituta antea, cum sit argumentatio ab auctoritate negativa. Sufficit enim, quod legamus, ut expressè legimus, Baptismum fuisse ante Passionem ab Apostolis collatum, ut teneamus, ejus veram formam præscriptam fuisse eis à Christo, illamque post Resurrectionem præcepit eis præcepto pu-

Tom. I.

blico, ut prædicarent, & sub ea baptizarent. Ex tunc Baptismus cœpit obligare sub præcepto, & usque tunc solùm fuerat de consilio, ut num. 28. dicemus. Ex hoc autem non sequitur, tunc primùm fuisse institutum: nam plura multo tempore antea instituuntur, quàm promulgentur. Hinc Serap. Doct. 4. d. 3. quæst. 1. egregiè dixit, quod Christus non solùm Baptismum instituit, sed etiam insinuavit, antequàm institueret, ac denique illum institutum stabilivit, & approbavit. Insinuavit quidem, quando fuit à Joanne baptizatus in Jordane: instituit verò, quando ipse, & Discipuli ejus baptizabant: confirmavit denique, & approbavit post Resurrectionem, quando Matth. ultimo dixit Apostolis: *Euntes in mundum universum, prædicate &c. baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Fuit ergo Baptismus institutus ante Christi Passionem, ut colligitur ex Joan. cap. 3. & 4. quamvis in nullo alio loco, quàm citato Matthæi, forma illius expressè contineatur.

11 Ad primam confirmationem concessa majori, non de præcepto publico, & omnes ex tunc obligante ad recipiendum Baptismum, sed de præcepto particulariter Apostolis imposito; siquidem credibile non est, quod Apostoli baptizarent, nisi jussu, & ordinatione ipsius Domini: & concessa etiam minori; quia cum potestas baptizandi jam eis esset concessa, & ab Apostolis exercita, novum non est, quod ibi non fiat mentio de ea, nego consequentiam propter dicta. Ad secundam distinguo minorem: Non erat datus sensibiliter, & visibili communicatione, concedo: absolutè, & invisibili modo, aut communicatione, nego minorem, & consequentiam. Itaque auctoritas illa intelligi debet de plenitudine gratiæ, & visibili communicatione Spiritus Sancti, quæ non nisi in die Pentecostes data est: non verò de invisibili communicatione, quæ confertur

Y

per-

per dona charitatis, & gratiæ. Et quidem ante Passionem Christi datam fuisse per ipsum Christum gratiam Apostolis, & Magdalene, aliisque, quibus peccata dimissa fuerunt, ex Evangelio constat. Et quis negabit, ante Christi Passionem collatam fuisse gratiam Apostolis per aliquod Sacramentum, nempe, per Eucharistiam in nocte Cœnæ? Pariter ergo per Baptismum, quo Christus ante Passionem per Discipulos baptizabat, verè collata fuit gratia, tam virtute præcedentium meritorum Christi, quàm Passionis, & mortis jam prævisæ, & acceptatæ. Ad tertiam nego consequentiam; siquidem Eucharistia in ratione Sacrificii instituta est etiam ad crucis Sacrificium cruentum representandum, & nihilominus instituta fuit ante illud. Quid ergo prohibet, quòd Baptismus, etiamsi in symbolum mortis, & sepulture Christi sit institutus, institui potuerit ante ipsam in signum prognosticum illius, hoc est, signum anticipatum ad rem futuram significandam, & quod re jam facta, & præterita, dicitur rememorativum? Certè nihil, ut in Eucharistia fit evidens. Ad ultimum jam dictum manet *Tract. I. de Sacram. in Gen. Disp. 2. quest. 1. post 2. Conclus.* sensum D. Augustini de lateris Christi prævisa, & acceptata vulnere esse. Vide ibi extensius expositam ejus mentem.

12 Arg. 2. pro propugnantibus, Baptismum institutum fuisse à Domino, dum à Joanne fuit baptizatus: tunc aliquod Sacramentum institutum est, quando accepit virtutem producendi gratiam; sed Baptismus hanc virtutem accepit, quando Christus in Jordane baptizatus est: ergo tunc à Christo institutus fuit. Prob. minor. ex D. Augustino *Serm. 3. Dom. infraoct. Epiph.* ubi sic legitur: *Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua. Et ex D. Ambrosio in Luc. cap. ult. dicente: Baptizatus est ergo Dominus, non mundari volens, sed mun-*

dare aquas, ut abluta per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, Baptismatis jus haberent. Similia proferunt alii Patres. Confirmatur: Nul- lum est fundamentum ad asserendum, Christum potius postquam baptizatus est, quàm in ipso Baptismo, instituisse Baptismi Sacramentum; sed aliunde non desunt congruentiæ ad docendum è contra, talem institutionem factam fuisse in Jordane, quando Christus à Joanne baptizatus est: ergo ita potius dicendum. Majorem probat Gonetus, sed non contra nostram assertionem, sed adversus alias à nobis jam impugnatas. Minorem sic suadet: quia mysterii Trinitatis confessio pro forma Baptismi tradita est: in Baptismo autem Christi tale mysterium declaratum fuit: vox enim Patris audita est, Spiritus Sanctus in specie columbæ apparuit, & ipse Christus in propria persona adfuit. Item: tunc indicatus fuit Baptismi effectus per apertionem Cœlorum: significat enim hæc apertio, Baptismum esse veluti clavem Cœli, & de sacro fonte animas in Cœlum immediatè evolare posse: ergo congruè dici potest, Sacramentum Baptismi tunc institutum fuisse. Hæc proferunt Gonet *de Baptismo, art. 1. ex D. Thoma.*

13 Respondeo, SS. Patres citatos suis dictis solùm significare, non quòd Christus in suscipiendo Baptismate aliquam sanctificativam virtutem, & vim remittendi peccata aquis Jordanis indiceret, ut per Baptismum fit: aliàs in sola Jordane aqua Baptismus esset conferendus, cum illæ dumtaxat ipsam retinissent virtutem justificandi: sed solùm significant tunc temporis, & ex tunc, aquam designatam esse in materiam Baptismi, per quem sanctificarentur homines. Est enim communis modus loquendi SS. Patrum, aquam destinatam per benedictionem Sacerdotis ad Sacramentum Baptismi sanctificare, & vim sanctificandi habere, ut videri est in S. Cle-

mente

mente *lib. 2. constit. Apostolicarum, c. 24.* In Tertulliano, *lib. de baptismo, cap. 4.* In S. Cypriano *Epist. 70.* sic dicente: *Oportet ergo mundari, & sanctificari aquam prius à Sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Sanctificavit utique Christus aquam Jordanis suo contactu, illam in Baptismi materiam ex tunc dedicando, ut Subt. Doct. docet, & ex dictis num. 4. claret, & ex Serap. Doct. num. 10. Sed tunc Baptismum, nisi ad summum quoad materiam, non instituit, cum ejus formam tunc nec tradiderit, nec protulerit, usque dum ipse baptizavit Joannem, aut eam postmodum docuit Discipulos. Nec negamus, aliquas adesse congruentias pro Thomistarum sententia, quia illam, ut verè probabilem, judicamus: dicimus verò, pro nostra sententia efficaciores esse, cum verisimilius sit, Christum suum Baptismum instituisse, dum ipse baptizavit, & Apostolis ordinavit baptizare, propter rationes, & auctoritates, quibus nostram firmamus assertionem. Negamus denique, tunc designatam fuisse formam Baptismi; quia vox illa Patris tunc audita nihil convenientiæ habet cum verbis ad Baptismi formam requisitis; nec illa verba prolata fuerunt à Christo, qui formam Baptismi instituit. Nec demum illa manifestatio publica, & sensibilis fuit, qualis ad institutionem Sacramenti requirebatur, sed fuit privata; & solùm Joanni, ex ibi adstantibus, patuit. Sequitur ergo, quòd estò in Baptismo Christi in Jordane mysticè figuratum fuerit Sacramentum Baptismi, hoc satis non est ad propriam Sacramenti institutionem, ad quam necessè est exprimere verba, quæ adhiberi debent ad formam Sacramenti, quod factum fuit nobis. Sequitur ex nostra, mihi probabiliori opinione, Baptismi institutionem factam fuisse anno 15. imperii Tiberii Cæsaris, ætatis Christi viginti novem annis comple-

Tom. I.

tis, & ut communiter existimatur, die 6. Januarii, quæ est dies Epiphaniæ, ut ab universali Ecclesia celebratur.

QUÆSTIO II.

Quando Baptismus sub præcepto incepit?

14 **I**N hujus controversiæ resolutione etiam divisi sunt Doctores. Existimant Thomistæ, obligationem Baptismi viguisse statim post Christi Passionem, & Resurrectionem. E contra Subt. Doct. cum suis, & fere omnibus Extraneis, censet, Baptismum non fuisse de præcepto usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, quæ quidem fuit post Pentecostem respectivè ad Gentiles, quibus usque tunc non fuit Evangelium prædicatum, & respectivè ad Judæos in die Pentecostes, quo die Apostoli publicè prædicaverunt in Jerusalem, & baptizaverunt illa die circiter tria millia, ut ex Actis Apostolorum constat. Quidam Theologi antiqui, quorum meminit D. Bernardus *Epist. 77.* olim opinarunt, quòd Baptismi præceptum ab eo tempore vim obligandi habuit, quo Christus Nicodemo dixit: *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.*

15 Sit Conclusio: *Baptismus non statim, ac fuit institutus, cepit esse sub præcepto: nec statim post mortem Christi, aut ejus Resurrectionem: sed ejus obligatio generaliter, & quoad omnes incepit post sufficientem, & solemnem Evangelii promulgationem.* Prima pars asserti est communis: secunda contra Thomistas: quoad omnes verò est expressa N. Subt. Doct. qui in 4. d. 3. q. 4. eam multis probat. Illum sequuntur plurimi, & graves Doctores, & novissimè Augustinianus P. Berti, qui asserit, & probat, fuisse expressam sententiam D. Bernardi, & amplius constabit n. 21. Prob.

Ya

quoad

quoad 1. partem, nempe, quod Baptismus non coepit esse sub praecepto statim ac institutus est: Licet Baptismus ante mortem Christi fuerit institutus, non tamen ex tunc fuit hominibus propositus, ut medium ad salutem necessarium; sed hoc stante, ex tunc non incepit esse sub praecepto: ergo, Minor, & consequentia patent, si vera sit major. Ostenditur ejus veritas ex eo, quod praeceptum ejus non fuit eo tempore latum: non enim traditum est, nec scriptum ante mortem Christi, & Resurrectionem, sed tantum post, cum dixit: *Hæc, docete omnes gentes &c.* Et quamvis antea Nicodemo dixerit: *Nisi quis renatus fuerit &c.* verisimile non est, eo tempore, quo Christus hæc verba protulit, Baptismus necessarium fuisse. Tum; quia ut apparet in præced. quæst. illa non protulit, ut condens, vel promulgans legem, sed in privato colloquio sermonem habens. Tum; quia Christus illis verbis non indicavit, quod tunc jam necessarium esset ad salutem, sed quod futurum erat suo tempore, pro illo, nempe, quo hominibus præscriptus foret talis modus renascendi. Tum; quia non est credibile, Christum voluisse homines eodem tempore obligare duplici lege, illosque gravare eodem tempore intolerabili onere veteris, & novæ legis: Lex autem vetus obligavit, & duravit saltem usque ad Christi mortem, ut frequentissimè docent Theologi.

16 Probatur assertio quoad 2. illius partem: Baptismus statim post ejus institutionem, & ante Christi mortem non fuit sub praecepto, sed tantum sub consilio: ergo nec statim à morte Christi incepit esse sub praecepto, sed sub consilio mansit tantum. Antecedens conceditur à Thomistis. Et patet; quia lex Evangelica, quæ perfectissima est, non debuit præcipitanter imponi, sed prius per consilium debuerunt ho-

mines ad ejus observantiam allici, ut postea posset illis sub praecepto imponi. Consequentiam probat Doctor sic: nullus aliter se habet nunc, quam prius ad aliquam legem, vel praeceptum, nisi quia sibi aliter est promulgatum; sed nec Evangelica lex, nec Baptismi praeceptum fuit aliter promulgatum statim à Passione Christi, ac ante Christi mortem: ergo respectu illius non aliter homines se habuerunt statim post Christi mortem, quam ante illam, & consequenter ex tunc non fuit sub praecepto. Major claret; quia lex, aut praeceptum non incipit obligare ante ejus sufficientem promulgationem. Unde axioma commune est apud Jurisperitos, *quod lex non obligat, nisi promulgata.* Est enim promulgatio, vel de intrinseca ratione legis obligantis, ut tenent plures, vel saltem econditio necessaria ad obligationem, ut frequentius Theologi censent. Prob. min. In Passione Christi, & immediatè post ejus mortem nulla fuit publica, ac solemnis promulgatio, quin potius oppositum legitur, & sic à Legislatore ipso fuisse Apostolis ordinatum ergo. Antecedens apertissimè constat quoad utramque partem: siquidem Apostoli præcones futuri Evangelicæ legis post Christi mortem, ejusque Resurrectionem latuerunt usque ad Pentecostem ob metum Judæorum: Christusque toto eo tempore tantum privatim instruebat Apostolos, quomodo post acceptum Spiritum in die Pentecostes promulgare deberent Evangelium. Confirmatur urgenter: Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 4. loquens de justificatione, vocat eam *translatio peccatoris de statu peccati ad gratiam*, & inquit: *Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.* Notentur illa verba: *post Evangelii prædicationem.* Ex quibus sic: Iuxta Concilium, nemo sine Baptismo potest justificari, non

sta-

statim post Christi mortem, vel Resurrectionem, sed post promulgatum Evangelium: ergo ex mente Concilii ante Evangelii promulgationem, & praecepti de Baptismo, per aliud medium, nempe, per Circumcisionem poterant homines justificari, & solum per solemnem Evangelii promulgationem obligatio Baptismi incepit, saltem generaliter, & quoad omnes.

17 Dicunt Thomistæ, Concilium promulgationem hanc tantum requirere, ut tolli possit ignorantia, qua homines excusentur à Baptismi susceptione, & quæ ignorantia illos à peccato excusaret, si Baptismus non reciperent: non autem ad inducendam ejus obligationem, quæ post Christi mortem statim incepit. Per eandem doctrinam conantur solvere rationem Subt. Doct. in eo insistentes, quod non requiritur legis promulgatio, ut obliget: obligat namque statim ac lex proponitur à Principe. Sed contra 1. Quia talis expositio Concilii omnino est contra ejus mentem eo in loco. Ibi namque minime intendit docere, qua ratione homines peccent, aut non peccent; non suscipiendo Baptismus: sed qua ratione abque illo peccent justificationi, sive ignorantem, sive non ignorantem ejus obligationem. Contra 2. Quia ratio nostra in minimo infirmatur propter talem Adversariorum solutionem: siquidem licet lex vim obligandi habeat à potestate, & voluntate Principis, & non à promulgatione, hoc intelligi debet, quasi in actu primo; non verò usque ad debitam promulgationem obligatoria est in actu secundo. Unde quamoptimè componitur, quod promulgatio non sit de essentia legis, & quod sit econditio necessariò requisita, ut lex obliget. Doctrina hæc postea amplius patebit.

Solvuntur Objectiones.

18 **A**Rg. 1. Vetus lex in ipsa Christi morte expiravit, & lex nova statim successit: ergo ex tunc Evangelica lex obligavit, & consequenter obligatio Baptismi: ergo ante promulgationem à nobis stabilitam. Prob. ant. pluribus Sacrae Scripturae testimoniis: 1. Joap. 19. dixit Christus: *Consummatum est*, quibus verbis jam moriturus expressit, veterem legem sua morte habituram esse consummationem; sed veteris legis consummatio in inchoatione novæ legis consistit, ac in abolitione antiquæ: ergo. 2. Ad Rom. 7. Paulus proclamat nos exemptos per Christi mortem à jugo legis, & peccato. Et ad Hebræ 7. docet, legem fuisse translata, Sacerdotio translato, reprobaturumque fuisse præcedens mandatum: ergo. Ad Hebræ. 9. inquit, quod Christus Sacerdos in æternum se obtulit Patri, & in cruce sanctificatos consummavit, & condito novo testamento, virtutem veteris abrogavit; quia duo testamenta non poterant simul manere: ergo tunc, evacuato priori testamento, novum statim incepit esse sub praecepto. Denique ad Rom. 7. ait: *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis per Corpus Christi*, ubi intelligendus est de Corpore Christi crucifixo: & utitur exemplo mulieris, quæ per viri sui mortem solvitur ab ejus lege: ergo per Christi mortem solvuntur homines à veteri lege: ergo manent sub novæ legis obligatione, & consequenter obligatio Baptismi à morte Christi incepit. Hæc, & aliqua alia similia congerunt contra nos Adversarii.

19 Ad 1. respondet Doctor, quod verbum illud Christi in cruce, *consummatum est*, debet intelligi de his, quæ scripta sunt de Filio hominis, juxta illud Lucæ 18. *Eccc accendimus Jerosolimam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas*

pbe-

pbetas de Filio hominis: vel si illud referatur ad antiquam legem, sic debet intelligi, quod antiqua lex consummata est tamquam in causa in morte Christi, quæ causa erat confirmationis legis Evangelicæ. Sed hæc non fuit confirmata, tamquam necessaria ad observandum ante ejus publicam prædicationem, quæ in Passione non incoepit, sed in Pentecoste: tempore namque intermedio sederunt Apostoli in Cœnaculo, nemini solemniter, & publicè prædicantes. Ex hac Scoti doctrina colligitur, quod hæc propositio: *Lex Christi incoepit in ejus morte, vel Passione*, dupliciter potest intelligi: vel ita ut lex Evangelica tunc incoeperit, quoad necessitatem obligationis, ut Thomistæ intelligunt, & hoc modo falsa est: vel quod in Christi morte incoeperit, tamquam in causa, à qua efficaciam, & valorem habebat: & hoc modo verum est, legem Christi incoepisse in ejus Passione, & morte. Per hanc pulchram doctrinam, solvit Subt. Doct. & clarissimè solvuntur omnia allata ex Scriptura.

20 Paulus itaque ad Rom. 7. intellexit, mortem Christi fuisse causam institutionis Evangelicæ legis, & liberationis à veteri lege: non verò dicit, in ipso Passione, & mortis articulo incoepisse obligationem ad novam, & liberationem à veteri. Sic etiam intelligitur ad Hebr. 7. quod mors Christi fuit causa translationis Sacerdotii, & quod in illa facta est hujusmodi Sacerdotii translatio casualiter, non formaliter, & actualiter quantum ad novæ legis obligationem. Similiter ad ultimum. Nec obstat, quod Apostolus utatur exemplo mulieris, quæ per mortem viri sui solvit ab ejus lege: quia ibi non comparat mortem Christi cum morte viri. Unde non dixit: *mortificati estis legi in morte, aut Corpore Christi, sed per Corpus Christi*, hoc est, per ejus mortem, quæ causa fuit, cur lex Mosayca obligare desineret. Hoc, meo videri, explicuit

Paulus ad Hebr. 9, cum dixit: *Novum antiquavit prius: quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est*. Ubi non dicit, quod antiquato veteri testamento, statim interierit, sed quod senescit, & prope interitum est, hoc est, paulo post, & post promulgationem antiquationis illius.

21 Arg. 2. SS. Patres, inter quos præsertim Augustinus, & Hieronymus, *Epist. 19.* videntur convenire in eo, quod expirante Christo vetus lex expiravit, & nova incoepit: ergo ita sentiendum est. Respondeo, citatos Patres in eo tantum convenire, quod Christi mors causa fuit cessationis veteris legis, & incoepitionis novæ, ut dictum est ad præcedens: non tamen loquuntur, nec resolvunt de tempore incoepitionis obligationis sensu, quo intendunt Thomistæ. Quin potius Aug. *Epist. cit.* expressè docet, legalia cessasse, & obligationem novæ legis coepisse, quando fides revelata est post mortem, & resurrectionem Christi, quod quidem factum est per Evangelii promulgationem. Præterea S. Bernardus adeo pro Scotistarum sententia est expressus, ut P. Berti *de Theologicis disciplinis tom. 3. lib. 31. cap. 4.* Scholam Thomisticam in hac parte deserat, ac Scoticæ subscribat, igne fatendo, ad id moveri, tum autoritate Tridentini à nobis adducta in probatione conclusionis, tum D. Bernardi. Hic enim S. Pater hanc pertractat quæstionem, *Epist. 77. ad Hugonem Farsitum*, cujus opinionem asserentem, neminem potuisse salvari absque Baptismo, ex quo primum dictum est à Domino Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit &c.* ostendit alienam esse à ratione. Affert Bernardus contra illum tria argumenta, quorum unum est, obligationem Baptismi incoepisse primum post sufficientem ejus promulgationem. Prosequitur affirmando, parvulis, atque nedum ratione utentibus, quibus sola nocet peccati originalis contagio, tandiu an-

antiqua voluisse Sacramenta, quando palam interdicta non fuisse constituit. Hæc Bernardus, cujus sententiam, quæ expressa est Scoti, amplexatus est Hugo Victorinus, Estius, & plurimi alii.

QUÆSTIO III.

Resolvens aliquas difficultates ad dictorum intelligentiam valde conducentes.

22 **D**ifficultas I. *Quandonam facta fuerit sufficiens, & solemnitas Baptismi promulgatio, ita ut coeperit omnes obligare?* Idem ac de Baptismo, de Evangelicæ legis solemnitate promulgatione intelligitur. N. Gonz. Math. in 2. sent. tract. 4. de legibus, disp. 2. quæst. 5. quærit: *quando lex vetus fuerit mortua, seu abrogata, & quo tempore mortifera?* Et per varias conclusiones, ibi videndas, resolvit 1. Quod vetus lex tempore vitæ Christi mortua non fuit, sed languescere coepit. 2. Quod lex vetus mortua fuit à die Pentecostes respectu Jerosolimorum, & quotquot Jerosolimis in illa die adfuerunt; respectu verò absentium non multo post. 3. Quod lex vetus non fuit mortifera statim ac mortua, sed Judæis mansit permissa, non quia utilis, sed honoris ipsius legis causa. 4. Quod lex Mosayca nunc, & pluribus ab hinc sæculis, est mortifera, & observatio legalium illicita. His generatim quoad universam legem Evangelicam præmissis, nostra difficultas contracta est ad Sacramentum Baptismi. Circa quam aliqui dicunt, obligationem Baptismi ubique pro toto Orbe terrarum incoepisse sub præcepto in die Pentecostes. Ratio; quia illo die prædicaverunt Apostoli variis linguis omni Nationi, quæ sub Cœlo est, ut Actorum 2. patet. Unde sentiunt, illam promulgationem fuisse universalem, & solemnem, atque adeo ex tunc Baptismi lex omnes ubique obligavit. Hic dicendi mo-

us est illorum, qui defendunt, quod ut lex in aliquo toto Regno obligandi vim habeat, sufficit, quod in unica tantum Civitate capitali promulgetur. Alii per oppositum affirmant, non eodemmet die, nec tempore in universum obligavit illa nova lex, sed successivè, & aliquo temporis tractu requisito ad solemnem publicationem per totum Orbem. Hanc resolvendo difficultatem.

23 Dico: *Lex Baptismi obligare coepit à die Pentecostes respectu Jerosolimorum, & quotquot Jerosolimis in illa die adfuerunt; respectu absentium successivè, & medio tempore prudenter sufficienti, ut publicari posset illis solemniter.* Est Subt. Doct. D. Bernardi locis in anteced. quæst. citatis, & fere omnium, qui pro illa sunt adducti. Prob. primà pars: Præceptum Baptismi incoepit sub obligatione eomet tempore, quo lex Evangelica ad ejus observantiam obligationem induxit; sed lex Evangelicæ obligationem ad ejus observantiam induxit Jerosolimis in die Pentecostes: ergo. Major indubia debet esse. Prob. minorem: Lex obligare incipit à tempore authentical, & solemnitas promulgationis; sed populo Judaico, Jerosolimis existente in die Pentecostes, & Gentilibus ipso die tunc degentibus facta est novæ legis authentica promulgatio, & quidem maximis confirmata miraculis, ut constat Actor. cap. 2. ergo. Prob. secunda pars: Leges humanæ non statim, ac publicantur in Metropoli, obligant in toto Regno, sed post tempus, quod prudenter judicatur sufficiens, ut publicari possit in Civitatibus, & in subditorum venire notitiam: ergo hoc potius discurrendum est de lege Evangelica. Antecedens satis est frequens apud Juristas, & Theologos, ut in quæst. antecedenti est manifestum. Consequentia est certa, cum Evangelica lex sit lex Dei, quæ magis, quam humani Legislatoris, comparatur, & attemperatur nostræ infirmitati.

tati. Unde non est cur aliqui ex Adversariis antecedens concedant, & consequentiam negent, dicentes, legem Divinam non exigere promulgationem, ut obliget. Hoc autem irrationale est: quia homo ad nihil obligari potest, etiam per legem Divinam, nisi supposita sufficienti notitia, ut exprimit Apost. ad Rom. 10. dicens: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Sed dico: numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

24 Ex dictis sequitur, obligationem Baptismi, sicut & legis Evangelicæ non omnibus cœpisse eodem tempore, sed successivè, & medio intervallo prudenter sufficienti ad habendam illius notitiam per solemnem, & publicam promulgationem. Etenim respectu Jerosolimorum, & quotquot Jerosolimis die Pentecostes adfuerunt, ipsomet die incoepit obligatio, respectu verò totius Palestinæ, & totius populi Judaici incoepit paulò post. Tum; quia in die Pentecostes erant Jerosolimis Judæi, viri religiosi ex omni Natione, quæ sub Cœlo est, Actor. cap. 2. Unde isti vel per se, vel per nuntios, vel per Epistolas ad Synagogas suæ Nationis notitiam mitterent novæ legis, ac mirabilium, quibus à Deo confirmata est. Tum; quia saltem per totam Palestinam citius divulgaretur, dum quotquot ad Paschæ celebrationem concurrerant, in suas Civitates reverterentur. Tum; quia paulò post Apostoli, & Discipuli in omni Judea, & Samaria Evangelium prædicaverunt. Respectu tamen aliarum remotarum Nationum, per quas Apostoli peragrarunt, & in quibus prædicaverunt, talis sollemnis, & sufficiens Evangelii, & Baptismi prædicatio prudenter extendi potest usque ad Apostolorum mortem, quo tempore jam Evangelium

prædicaverunt in universum.

25 Doctrina hæc, quæ certè rationabilior apparet, est Subt. Doct. in 4. cit. ubi concedens in die Pentecostes novam legem obligare cœpisse; quia tunc incoepit sollemnis promulgatio Evangelii, & illud Apostoli publicè cœperunt prædicare: negat tamen in illa die simul, & semel omnes ubique Terrarum obligasse gentes: sed inquit, quòd in die Pentecostes misso Spiritu Sancto, sollemniter prædicaverunt, & appositæ sunt animæ in illo die circiter tria milia, & baptizati sunt Act. 2. Inde autem ad alias Civitates secundum ordinem cuilibet loco, vel genti erat tempus, in quo publicè, & sollemniter prædicabatur lex Evangelica, ita quòd tempus non incoepit simul apud quoscumque, sed de Sion exibat lex, & verbum Domini de Jerusalem juxta prophetiam Isaia: & quibusdam incoepit tempus obligationis in Pentecoste, aliquibus ad mensem post Pentecostem, aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & sic deinceps, sicut eis prædicabatur. Ita ut non possit certa regula temporis designari pro singulis locis, sed debet res hæc moraliter estimari, nempe, ut intercedat tempus moraliter requisitum, quo notitia legis prudenter diffundi possit, sicut in humanarum legum promulgatione evenit. Hæc Doct. Subt.

26 Nec ex hac doctrina sequitur, nullum hactenus assignari posse tempus, in quo Baptismus per totum Orbem cœperit esse necessarius, & evacuata fuerit Circumcisio: nec pariter sequitur ex illa, etiam hodiè in aliquibus partibus Orbis, ad quas numquam Evangelium pervenit, Baptismus non esse necessarium necessitate medii, ut Pontius, & Coninch intendunt urgere. Non quidem. I. nam etiam in nostra sententia hujusmodi tempus est assignatum, licet non ita determinatum, ut in eo simul, & semel apud omnes Nationes evacuata fuerit Circumcisio, & cœperit

Bap-

Baptismus esse necessarius: sed successivè per aliquem notabilem temporis tractum. Nec 2. siquidem, ut aliqua lex obliget, & censeatur sufficienter promulgata, minimè opus est, quòd notificetur omnibus, & singulis, sed sufficit promulgatio talis, ut illa lex ad talem locum possit pervenire per se loquendo, licet non pervenerit de facto. Evangelium autem per Apostolos, & eorum Successores ita sufficienter est promulgatum per se loquendo, ut potuerit ad omnium hominum pervenire notitiam, ut constat ex dicto Apost. ad Rom. *In omnem terram exivit sonus eorum &c.* Dixi per se loquendo; quia si ad aliquos adhuc non pervenit, hoc est per accidens, & ea, quæ sunt per accidens, non veniunt consideranda ad statuendam legis obligationem. A sufficienti ergo Evangelii promulgatione, modo jam declarato, per totum Orbem cœpit Baptismus omnes obligare Nationes, & esse necessarius necessitate medii apud omnes. Unde si ad aliquos hæc promulgatio non pervenit, id est per accidens; quod proinde non impedit ejus obligationem.

27 Hinc sequitur, quod si aliqui legem Evangelicam adhuc invincibiliter ignorent, Baptismus apud eos est sub præcepto, & necessitate medii necessarius: non tamen ad illius observantiam tenentur sub peccato, cum ignorantia invincibilis legis à peccato excuset, ut omnes Theologi sentiunt. Hic casus contingere potest in terris adhuc non cognitis: cum hoc tamen stat, præceptum Baptismi ibi obligare ob jam factam in mundo sufficientem Evangelii promulgationem. Quod si non observant, non peccant, non ex obligationis defectu, sed ob obligationis ignorantiam: nullus enim peccat non adimplendo præceptum, quod invincibiliter ignorat. *Sed quid fiet de illis?*

27 Dico ex doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 10. artic. 1. & Subt. Doct. in 2. dist. 29. in solutione ad pri-

Tom. I.

num principale, infideles illos adhuc salvari posse, si servaverint legem naturalem; quia servanti illam, credibile est, Deum daturum lumen, & auxilium speciale, quo ad ipsum valeat se convertere; provisurumque tali modo, ut haberet Baptismus in re, vel in voto, saltem implicitè. Possèt etiam alio modo salvari à Deo sine Sacramentis; quia absolute loquendo Divina virtus non est ligata Sacramentis. Consonat doctrina hæc Apost. ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.* De parvulis verò eorum infidelium, dicit Faber lib. 4. dist. 10. num. 35. quòd Judæus invincibiliter ignorans Evangelicam legem, haberet remedium legis Moysis: si Gentilis, remedium legis naturalis, de quibus pertractavimus Tract. de Sacram. d. 1. quæst. 2. Verùm sic respondere est supponere, quòd Evangelica lex non esset adhuc sufficienter promulgata pro eis. Hoc autem est extra nostrum casum, in quo supponimus, legem Evangelicam sufficienter esse promulgatam toto Orbe terrarum, licet per accidens ad aliquos non pervenerit, quod sufficientiæ, & sollemnitati promulgationis illius non officit. Supposita jam ista sollemni promulgatione Evangelicæ legis per totum Orbem, certissimum debet esse, quòd lex vetus, & lex naturæ quoad remedium originalis evacuata est toto terrarum Orbe. Dicendum ergo est de parvulis eorum infidelium, ut dici solet de his, qui inter fideles moriuntur in utero Matris, & absque Baptismi commoditate. Nec adulti illi damnarentur propriè loquendo, nisi propter originale peccatum, cujus remissionem non acceperunt defectu Baptismi eis non applicati, tamquam unici remedii per novam legem subrogati, loco remedii legis naturæ, & Scripturæ. Pariter propter peccata actualia commissa contra legem naturæ, seu quia non vixerunt honestè moraliter: non verò propter infide-

Z

li.

litem, quæ negativa tantum est in eis, & quæ peccatum non est juxta illud ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?*

28 Difficultas II. *Quando incepit Baptismus esse utilis, & sufficiens pro expiando originali?* Ang. Doct. 3. part. quæst. 66. art. 2. distinguit duo tempora Baptismi. Primum, quo dumtaxat fuit sub consilio, & hoc fuit ab ejus institutione usque ad Christi mortem. Secundum, in quo Baptismus fuit sub præcepto, & hoc fuit immediatè à morte Christi, à qua omnes incepit obligare. Similiter distinguit, & statuit tria tempora Circumcisionis. Primum usque ad mortem Domini, in quo Circumcisio non solum fuit de consilio, sed sub præcepto, eò quòd lex Mosayca necdum fuerat abrogata. Secundum tempus fuit à Christi morte usque ad solemnem promulgationem legis Evangelicæ, quæ facta est in die Pentecostes, quo tempore intermedio, dicit, licitam fuisse Circumcisionem, sed inutilem, eò quòd omnis ejus virtus, sicut & omnium aliorum Sacramentorum veteris legis, desierat vigere in morte Christi Domini. Tertium tempus statuit ab ipsa solemnè Evangelii prædicatione in die Pentecostes, post quam prædicationem Circumcisio non solum fuit inutilis, sed etiam prorsus illicita, & mortifera. Unde videtur sentire, quòd Baptismus eo tempore, quo fuit de consilio, scilicet, ab ejus institutione usque ad Christi mortem inutilis fuit quantum ad causationem gratiæ, cum tunc adhuc lex Circumcisionis vigeret; modo quò dicit de Circumcisione tempore intermedio à Christi morte usque ad Pentecostem. Oppositum sentit Doctor Subt. quem sequuntur quotquot retulimus pro antecedentium difficultatum resolutione, & cum quo:

29 Dico I. *Baptismus utilis fuit, & sufficiens ad expiandum peccatum originale ante Christi Domini mortem.* Est dicere, quòd à tempo-

re suæ institutionis, & dum adhuc non erat de præcepto, sed tantum de consilio, habuit vim conferendi gratiam, & remittendi originale peccatum. Est expressa Subt. Doct. in 4. dist. 3. cit. ubi pulchrè inquit: *Dico, quòd in Baptismo non est distinguere nisi duo tempora. Primum, quo erat sub consilio, & secundum, quo erat sub præcepto. Primum duravit à principio Baptismi usque ad prædicationem solemnem authenticam ejusdem post Ascensionem Christi. Secundum tempus, ut credo, incepit die Pentecostes in Jerusalem; quia usque ad illum diem Apostoli non prædicaverunt publicè... inde autem ad alias Civitates &c.* Et num. 8. optimè, & consequenter dixerat: *Si ante Passionem aliquis Judæus ad prædicationem Christi, vel Petri parvulum suum baptizasset, & non circumcidisset, si parvulus fuisset mortuus, salvus fuisset; quia recepit gratiam in Baptismo: à prima enim institutione Baptismus contulit gratiam: ergo utilis, & sufficiens fuit Baptismus ad delendum originale & tempore suæ institutionis; & ante mortem Christi. Constat veritas hæc ratione efficaci: Tum; quia ex eo die, quo Baptismus fuit institutus, eque fuit verum Sacramentum, ac post solemnem publicationem ejus, & nunc est, ut nemo negabit: ergo ex vi, & ex die suæ institutionis, utpote verum Sacramentum habuit efficaciam gratiæ, & utilitatem. Tum: qui ante Passionem, & Resurrectionem Christi fuerunt baptizati, iterum nec baptizati sunt, nec debuerunt baptizari: ergo ex tunc efficaciam habuit, & utilitatem: aliàs iterum debuissent baptizari. Quare cum indubium sit, Apostolos baptizatos esse, antequàm instituerentur Sacerdotes in nocte Cœnæ; quia ad Sacerdotium legis gratiæ Baptismus necessariò supponi debet, indubium etiam debet esse, per Baptismum accepisse christianitatis characterem, ac augmentum gratiæ, eò quòd Circum-*

cumcisio remiserat eis originale, & ob hanc causam non potuit Baptismus tale peccatum in eis delere. Quòd autem tunc Baptismus fuerit de consilio, & non de præcepto omnibus, patet; quia tunc adhuc vigeat lex Circumcisionis, quæ evacuata non fuit, consentientibus Thomistis, usque ad Christi mortem, & juxta nostram sententiam, usque ad solemnem legis gratiæ promulgationem: tunc autem incipit obligare lex præceptiva, quando ritè est promulgata.

30 Dico II. *Tempore, quo Baptismus utilis fuit, sed de consilio tantum, Circumcisio utilis fuit, & de præcepto; non verò necessaria ad salutem, aded ut hæc non posset assequi sine Circumcisione.* Est contra Thomistas, intendentes, quòd ex quo Baptismus fuit utilis, Circumcisio fuit inutilis: consequenterque asserentes, quòd ex quo Baptismus fuit utilis, fuit de præcepto, à quo tempore inutilis, ac reprobata fuit Circumcisio. Assertio verò nostra sequitur ex dictis, & probatur ex Subt. Doct. qui dist. 3. cit. quæst. 4. quatuor tempora distinguit in Circumcisione. Pro primo dicit, quòd *Circumcisio erat necessaria.* Pro secundo dicit, quòd Circumcisio comitabatur primum tempus Baptismi usque ad illius solemnem prædicationem, & quòd in hoc tempore Circumcisio non fuit revocata quantum ad utile, nec quantum ad licitum, imò nec quantum ad præceptum, quamvis, jam Baptismo existente, non esset necessaria necessitate medii ad delendum originale; quia etiam per Baptismum poterat deleri. Unde dicit Doctor, quòd pro secundo isto tempore *Circumcisio fuit utilis, non necessaria.* Pro tertio, dicit, *nec utilis, nec necessaria, fuit tamen licita.* Pro quarto omninò *illicita, & mortifera.* Plurima, ac eruditione plena adducit Subt. Mag. ad resolutionem efficacissimè suadendam: nobis verò sufficiant, quæ diximus in

antecedenti de virtute Baptismi à tempore suæ institutionis, & quando solum de consilio fuit. Tunc utique præceptum de Circumcisione adhuc vigeat, pariterque vim habebat conferendi effectus, ad quos causandos fuit à Deo instituta. Quare, licet per Baptismum ante mortem Christi poterat parvulus mundari ab originali, & salvari, ut dicit Doctor, casu quo Judæus suum baptizasset parvulum, & hic decederet incircumcisus: (ob quòd jam tunc Circumcisio non erat necessaria necessitate salutis) at verò, cum ante Christi mortem obligaret, & esset in sua vi vetus lex, Parentes tenebantur suos parvulos intra Synagogam constituere, intra quam non constituebantur nisi per Circumcisionem. Unde, quamvis infans tunc fuisset baptizatus, tenebantur Judæi illum circumcidere, si non propter ejus effectum primarium, quatenus jam causatus erat à Baptismo, nempe, originalis remissio, propter effectum secundarium, scilicet, ut intra Synagogam constituerentur, & capaces fierent observandi legalia præscripta per Mosaycam legem, cui tenebantur adhuc esse subditi.

31 Dico III. *Per Baptismi legem mortua fuit lex Circumcisionis: non verò statim, ac mortua, fuit mortifera, sed mansit aliquantulum Judæis permessa: non quia utilis, sed causa honoris ipsius legis.* Est dicere, non statim illicitam fuisse Judæis ejus observationem cum Evangelica lege, sed quòd, quamvis jam non esset utilis, permessa fuit eis, ut sepeliretur cum honore. Assertio quoad omnes partes est, aut debet esse communis. Patet quoad 1. Nam nova lege sufficienter promulgata, obligabat in conscientia, & antiqua per illam fuit abrogata, & evacuata. Quoad 2. partem constat apertè ex Scriptura: nam ut dicitur Actor. 16. Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Judæa erat natus. Ti-

tum verò, ut ipse Paulus ad Galatas dicit, non circumcidit, eò quòd erat Gentilis: ergo lex Circumcisionis non statim, ac mortua fuit mortifera, sed aliquantulum mansit permessa; non quia necessaria, nec quia utilis, cum, publicata lege Baptismi, nullam vim justificandi haberet, sed honoris causa, & quia oportebat sepeliri cum honore. Sic docuit Subt. Doct. 4. d. 3. q. 4. §. Hoc ergo supposito, n. 5. dicens: *Lex vetus non erat mala, sicut est Idolatria, & ideo non debuit subito repelli: in hoc enim fuisset repulsa, quasi mala. Sed debuit Synagoga cum honore sepeliri, ut ostendetur, fuisse bonam pro tempore suo.* Hoc ipsum docuerat D. August. Epist. 19. quæ est ad Hieronymum, idque declarat exemplo corporum defunctorum, quæ officiis religiosè peractis, & cum honore ad sepulturam deducuntur.

Corolaria ex dictis.

32 Sequitur 1. Idem dicendum esse de tota Mosayca lege, ac de particulari lege Circumcisionis, nempe, quòd non statim, ac mortua fuit per Evangelicæ legis solemnem promulgationem, fuit mortifera: & omnino illicita, sed aliquantulum mansit Judæis permessa. Constat ex Actor. cap. 18. ubi dicitur, quòd Paulus more Nazareorum totondit caput in Cenchris. Et cap. 21. consilio Jacobi usus est Jerusalemis judaica purificatione cum quatuor viris Judæis. Et ipse Apost. 1. ad Corinth. c. 9. ait: *factus sum cum Judæis, tamquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem.* Sequitur 2. Quòd lex vetus nunc, & pluribus ab hinc sæculis mortifera est, & illicita: à quo autem tempore determinato, & fixo, mortifera esse incœpit Judæis, adhuc est incertum. Sed advertendum, quòd in Mosayca lege erant præcepta *Moralia, Judicialia, & Cæremonialia.* Moralia erant,

quæ ad mores pertinebant, & continentur in Decalogo, & alia, quæ ad Decalogum reducuntur. Judicialia, quæ instituta erant in ordine ad regimen politicum, ac civile illius populi, & quibus homines ad se invicem ordinatè viverent. Cæremonialia, quæ ad cultum Dei ordinabantur, sive immediatè, sive præparatoriè. Hoc animadverso, 1. pars corolarii de fide est, & constat innumeris testimoniis, tam veteris, quàm novi Testamenti: Apostolus namque ex veteri testamento id sæpissimè probat, & statuit, ut videri est ad Hebræ. 7. Ad Gal. 3. & 5. Ad Rom. 6. & 7. Ad Galat. 4. allegorica locutione, & explicatione ab ipso Apostolo tradita in Agar, ejusque filio Ismael, & in Sara, ac ejus filio Isaac, duo Testamenta significat: ac legem veterem in Agar, novam seu Evangelicam in Sara, quæ erat libera, designat. Hoc ab Apostolo ibi declarato, subdit: *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Quibus in verbis reprobatio legis veteris manifesta est. Similiter SS. Patres abrogationem veteris legis, & illius translationem in Evangelii legem expressè prænantiant. Denique constat ex cap. *Majores de Baptismo in Extravag.* ubi dicitur: *absit, ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat, legem cum Evangelio, & Circumcisionem cum Baptismo servandam.* Hanc veteris legis revocationem factam fuisse ante obitum S. Ignatii Martyris, constat ex ejus Epist. ad Philip. ubi dicitur: *Qui cum Judæis celebrat Pascha, aut symbola festivitatis eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt, & Apostolos ejus.* Non ergo, ut aliqui putaverunt, Mosayca lex mortifera incœpit esse à dispersione Judæorum post destructio-

tionem templi à Tito, & Vespasiano, nec à sola Judæorum omissione observandi legalia.

33 Sequitur 3. Legem Mosaycam mortuam esse, tam quoad præcepta cæremonialia, & judicialia, quàm quoad moralia. Quoad 1. & 2. partem est indubium: at verò Bellarminus docet oppositum, lib. 4. de just. cap. 6. cum pluribus aliis, quoad 3. partem. Sed probatur ex omnibus, & supra immediatè allatis testimoniis, in quibus vetus lex absolutè, & quoad omnia dicitur evacuata. Confirmatur: Præcepta moralia legis Mosaycæ, ut præcepta illius legis, tunc non obligabant Gentiles: ergo nec obligant nunc Christianos, ut sunt præcepta Mosaycæ legis. Antecedens patet; quia illa lex solùm pro Hebræo populo data est Moysi, ut probatur ex Exodi cap. 20. ubi postquàm traduntur omnia præcepta moralia legis, subditur: *Dixit præterea Dominus ad Moysen; hæc dices filiis Israël Et ex Deuter. 6. Audi Israël, & observa, ut facias, quæ præcepit tibi Dominus.* Constat denique ex pluribus aliis sacris locis, legem Mosaycam ad solos Israëlitas directam, ipsisque solis promulgatam fuisse. Prob. consequ. Christiani, vel sunt ex Gentibus, vel ex Judæis? Si ex Gentibus? ergo non sunt magis obligati ad Moysis legem post conversionem ad legem Evangelii, quàm erant ante conversionem: non enim, ut ex Actor. cap. 15. constat, impositum est eis onus, aut obligatio post conversionem. Si ex Judæis? pariter non sunt obligati ad legem Moysis, etiam quoad moralia. Tum; quia per Evangelicam legem ex Gentibus, & Judæis unum ovile factum est sub uno Pastore. Si enim omnes unum sunt sub uno omnium Pastore Jesu Christo, omnes in hoc ovili sub una lege sunt, & sub uno regimine. Tum; quia id expressè docet Apostolus ad Galat. 3. & addit cap. 10. *Non est distinctio Judæi, & Græci.* Nec ob-

est, (ut replica solvatur) quòd Decalogi obligatio confirmatur in lege Evangelica ex veteri Testamento: ergo quoad moralia adhuc habet vim vetus lex. Respondeo itaque, quòd præcepta moralia, in lege veteri contenta, obligant in Evangelica: at verò non in vi legis veteris, quæ evacuata est, sed in vi Evangelicæ legis. Unde vetus lex manet quoad moralia materialiter, non formaliter. Quare textus veteris Testamenti adducuntur, ut exempla, & veteri lege translata ad novam, in qua nova lege clariùs sunt explicata, & perfectiùs contenta. Obligant utique, non quidem ex vi veteris legis, sed ex vi novæ. Vide infra, numer. 37.

Solutio Objectionum adversus nostras resolutiones.

34 Arg. 1. contra assertiones stabilitas: nam adversus resolutionem pro prima difficultate nihil occurrit alicujus momenti, quòd evacuatum non sit per ibi dicta, & per doctrinam quæst. antecedentis. Cesante lege Circumcisionis, lex Mosayca mortua est, & præceptum Baptismi cœpit obligare; sed lex Circumcisionis cessavit ante Christi mortem: ergo ex quo Baptismus vim habuit conferendi gratiam, fuit necessarius, & de præcepto: ergo cum à tempore suæ institutionis habuerit vim causandi gratiam, & delendi originale, ex tunc fuit de præcepto, & non de consilio. Major certa est: tum; quia incircumcisis nec lex Mosayca obligabat, nec qui priùs non circumcidebantur, ad observanda, & celebranda cæremonialia admittebantur, nec admitti poterant. Tum; quia si Circumcisione cessante, obligatio Baptismi non incœpisset, nullum remedium necessitate salutis necessarium tunc fuisset obligatorium, quòd pro nullo tempore est dicendum. Prob. minor. Lex Circum-

cumcisionis debuit cessare post institutionem, & usum Baptismi; sed Baptismi institutio, & usus fuit ante mortem Christi, ut jam à nobis stabilitum manet: imò & præceptum de suscipiendo Baptismate: siquidem ipse Dominus ante suam mortem Nicodemò dixit, Joan. 3. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei, ergo.* Confirmatur, & occurritur solutioni: Hoc ipso, quòd Baptismus fuit sub consilio ante mortem Christi, Circumcisio desiit esse sub præcepto; sed dum Circumcisio desiit esse sub præcepto, mortua fuit, imò tota vetus lex: ergo tempore, quo Baptismus asseritur de consilio, Circumcisio nec erat utilis, nec minus de præcepto. Prob. maj. 1. ex Subt. Doct. 4. dist. 3. quæst. 4. num. 18. ubi loquens de Baptismo, & Circumcisione, ait: *Quòd consilium de alio remedio (de Baptismo) relaxavit præceptum de priori; (scilicet, de Circumcisione) ergo. 2. ratione: Consilium rei perfectioris tollit præceptum rei minus perfectæ: ergo.*

35 Respondeo, negando minorem, & distinguo major. probationis: Lex Circumcisionis debuit cessare post institutionem, & usum Baptismi sub præcepto, concedo: post usum Baptismi de consilio, nego major. & similiter intellige 1. minoris partem, negando 2. quia juxta dicta num. 4. verba Christi Domini, etsi prolata ante ejus mortem, non fuerunt inductiva obligationis, & necessitatis Baptismi pro tunc, sed pro futuro tempore, post Christi mortem, & Evangelii promulgationem, ut quæst. 2. dictum manet. Ad Confirmationem distinguo major. Eo ipso, quòd Baptismus fuit sub consilio, Circumcisio desiit esse sub præcepto simpliciter, & absolutè, nego: secundùm quid, & ut necessaria ad salutem, seu ad mundandum à peccato originali, concedo majorem. Ad primam probationem constat de men-

tè Subt. Doct. n. 30. qualiter, nempe, dum Baptismus fuit de consilio, Circumcisio mansit sub præcepto, & qualiter non. Probatio 2. solùm tenet, quando quod est præceptum, non est observabile cum eo, quod est de consilio: vel quando, quod est præceptum, non habet alium finem, nec effectum desideratum, quàm habet id, quod est de consilio. Unde consilium de servanda virginitate tollit præceptum de Matrimonio ineundo; quia virginitas, & Matrimonium consummatum simul stare, & observari non possunt. Quare dum dicit Subt. Doct. 4. cit. *Si enim unum præceptum impositum totaliter revocatur aliud, consilium, seu monitio de uno facit aliud non necessarium*, nostram confirmat doctrinam, quidquid Frassenius disp. 1. de Baptismo, artic. 1. quæst. 2. conc. 4. dicat: ipse namque Doctor pluries fatetur, ante mortem Christi, tam Circumcisionem, quàm Baptismum fuisse proficuum. Non ergo tempore, quo Baptismus utebatur de consilio, erat necessaria Circumcisio necessitate medii ad salutem, propter jam tactam rationem, & quoad hoc ablata est per Baptismum, etiam dum tantùm erat de consilio, ac evacuata: at verò simul perseveravit necessaria necessitate præcepti adultis, & parvulis in signum professionis legis Mosaycæ, quæ nondum omninò desierat vigere.

36 Arg. 2. Ley Mosayca dicitur in Sacris litteris in perpetuum duratura: ergo per legem Evangelii nec mortua est, nec abrogata. Confirmatur 1. Si mortua debet dici per Evangelii promulgationem post mortem Christi, etiam talis deberet dici ante Christi mortem; sed hoc non conceditur à nobis: ergo nec illud stabiliri debet. Sequela majoris patet ex Luca 16. ubi Dominus dicit: *Lex, & Prophetæ, usque ad Joannem. 2. Lex Mosayca non est mala, sed bona, utpote à Deo lata: ergo nec mortua est, nec abrogata, & consequen-*

quenter numquam potest esse mortifera. Prob. consequentiam: Si abrogata esset, & ob hoc prohibita observatio illius simul cum Evangelio, vel esset lege divina, vel humana? Si 1. præterquamquòd talis prohibitio ex Scriptura non constat, eo ipso esset mortifera, statim ac mortua, contra tertiam assertionem, num. 31. Insimul peccavissent Apostoli in cæremonialium observatione; quia procederent contra Divinam legem, quam non poterant ipsi dispensare, nec relaxare. Si 2. ergo Ecclesia dispensare poterit, & uti legalibus, & cæremonialibus simul cum Evangelio; quia Ecclesia in omni Ecclesiastica lege dispensare potest.

37 Respondeo conformiter ad dicta num. 33. prope finem, quòd in Sacris litteris dicitur lex Mosayca perpetua, & æterna, non quia maneat in se, sed in æquipollenti, & ut figura in suo figurato. Manet itaque secundùm moralia materialiter, vel secundùm materiam in Evangelica lege, ut in perfectiori: non verò manet, nec perpetua est formaliter in ratione talis legis, ut fuit ante legem Evangelii. Et quia in Mosayca lege erant *Judicialia, Cæremonialia, & Moralia*, quorum explicatio videnda est num. 32. de illis sequentia perpendenda sunt. *Judicialia*, inquit Subt. Doct. dist. 3. quæst. 4. sub num. 19. *manent non in se, sed in æquipollenti, quantum ad finem. Finis enim Judicialium erat pacifica cohabitatio hominum: mores autem Evangelici plus valent ad pacificam conversationem, quàm lex talionis.* De Cæremonialibus inquit, *quòd non manent in se, sed in suis significatis: quia umbra transiit, & veritas successit.* Moralia verò materialiter manent, sed perfectius, eò quòd illamet, quæ in Mosayco Decalogo continentur, in Evangelica lege explicantur perfectius, quàm à Judæis intelligebantur. Patet ex Matth. 5. ubi inquit Dominus: *Audistis, quia dictum est antiquis: non*

occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio &c. Quæ igitur in Decalogo continentur, non obligant nunc, nisi in vi, & autoritate legis Evangelicæ, & non vi, & autoritate legis veteris. Præterea, responderi potest, *in æternum* in Sacra Scriptura sæpè sæpius sumi pro diuturno, & longiori tempore.

38 Ad 1. Confirmationem nego majorem, & consequentiam. Dicitur in Scriptura: *Lex, & Prophetæ, usque ad Joannem*; quia Joannes ultimus fuit, qui adventum Christi prophetavit. Unde in Joanne terminatæ sunt prophetiæ legis veteris, & immediatè in Christo incæpit Evangelium, Baptismusque fuit institutus, ac lex Evangelica, & Ecclesia cœpit institui. Ex tunc vetus lex languescere cœpit, & infirmari: non verò mortua illicò fuit, sicut nec Evangelica firmata quoad vim obligandi usque ad Christi mortem, ut Paulus inquit: *Ubi testamentum est, mors necessè est intercedat testatoris.* Ad 2. concedo, quòd lex Mosayca secundùm se est bona, sed imperfecta, & non propter se lata, sed propter Evangelicam, cujus umbra erat, & figura, & nego consequentiam. Ad cætera dico, de jure diviniò esse prohibitionem legis Mosaycæ cum lege Evangelica. Et quidem de prohibitione constat ex cap. *Majores extra de Baptismo*, cujus verba retulimus num. 32. sicut & Epist. S. Ignatii ad Gal. ubi supponitur damnatum, tamquam hæreticum, affirmare, servandam esse legem veterem cum Evangelio, & Circumcisionem cum Baptismo. Dicta prohibitio constat, si non expressè, implicite ex Sacra Scriptura illis in locis, in quibus asseritur institutio legis Mosaycæ pro determinato tempore, nempe, usque ad legem Evangelicam, cujus umbra, & figura erat. Declaratio autem inclusionis prædictæ prohibitionis in Scriptura fieri de-

debet ab Ecclesia, & proponi, ut obligatoria, quod opportuno tempore factum est ab Apostolis, vel eorum Successoribus, qui non per modum novæ institutionis, sed per modum declarationis juris divini, fidelibus proposuerunt hanc prohibitionem. Deinde sufficit ad obligandum jure divino, quod sit, & constet ex traditione Divina, & Apostolica prædicta prohibitio, uti constare mihi est indubium.

QUÆSTIO IV.

Quid sentiendum de Baptismate Joannis?

39 **C**onstat, Joannem in suo deserto prædicasse, quemdam Baptismum contulisse, ac Dominum Jesum Christum baptizasse, unde habet cognomen *Baptistæ*. Quod in præsentem quæritur, est: an ille Baptismus Joannis verum Sacramentum fuerit, causans gratiam, & veram peccatorum remissionem? Hæretici Petilianistæ, sic à Petiliano denominati, affirmarunt, solamque differentiam agnoverunt inter Baptismum illum, & nostrum, quod Christus in igne baptizasset, & Joannes in aqua. Calvinus postea utrique Baptismo tribuit æqualem vim, & efficaciam conferendi gratiam. Et cum contra animadverteret expressè militare D. Chrisostomum, citantem locum ex 3. Lucæ, & dicentem: *Venit Joannes in regionem finitimam Jordanis prædicans Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum; quamquam remissionem hoc baptisma non habebat, sed hoc munus illius baptismatis erat, quod postea instituit Christus*: hoc, inquam, animadvertens Calvinus, petulanter dixit, se non credere Chrisostomum. Contra hos.

40 Sit Conclusio: *Baptismus Joannis non fuit verum Sacramentum: atque adeo non causabat gratiam ex opere operato. Est de fide contra præ-*

fatos Hæreticos. Hanc veritatem expressè docet Sub. Mag. in 4. d. 2. q. 2. dicens: „Potest intelligi dupliciter, Joannem baptizasse. Primum in forma Baptismi Christi, & tunc non diceretur propriè Baptismus Joannis, sicut nunc non dicitur Baptismus Petri, vel Pauli. Secundò alio modo potest intelligi baptizasse non in forma Baptismi Christi, sed vel in aliqua forma propria, scilicet, in nomine Christi venturi, vel sine aliqua forma: iste Baptismus Joannis erat sicut dispositio merè præparativa ad Baptismum Christi.“ Prob. 1. ex Sacra Scriptura: Matth. 5. ipse Joannes sic loquitur: *Ego baptizo in aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est, ipse baptizabit in Spiritu Sancto.* Prob. 2. ex Tridentino Sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit*; sed si causasset gratiam ex opere operato, ut Hæretici intendunt, eandem vim habuisset cum Baptismo Christi, ut per se patet: ergo. Prob. 3. ex SS. Patribus in eandem veritatem conspirantibus, pro quibus sufficiant D. Chrisostomus num. anteced. laudatus, & Augustinus Enchir. 49. dicens: *Non renascebantur, qui baptizabantur Baptismo Joannis*: ergo. Prob. denique ratione: Verum Sacramentum constat rebus, & certis verbis à Deo præscriptis, & est signum efficax gratiæ; sed nihil tale constat de Baptismo Joannis: ergo. Major apertè constat ex sæpius dictis, & quoad 1. partem ex professo tract. 1. de Sacram. in gen. disp. 1. quæst. 7. quoad 2. verò quæst. 1. concl. 2. n. 5. Prob. min. quoad 1. partem: nam nullibi constat, quod dum Joannes baptizabat, aliqua uteretur forma, sed solùm, quod prædicabat poenitentiam, & Christum venturum. Unde Marci 3. dicitur: *Baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua.*

sua. Quoad 2. constat ex dictis ex Scriptura, Tridentino, & Patribus, supra adductis.

41 Arg. multipliciter: Tum: in Baptismo Joannis idem signum est cum Baptismo Christi: ergo & eadem significatio, & efficacia. Probant. Erat eadem materia, nempe, aqua, eadem ablutio, quæ quidem significabat interiorem ablutionem, quæ fit per gratiam: ergo & idem signum sensibile, & consequenter eadem efficacia, & significatio. Tum: ille Baptismus non erat frustraneus, sed conferebatur à Joanne ex instinctu, & missione Dei, ut testatur ipse Joannes: ergo aliquam gratiam operabatur; aliàs inutilis fuisset. Tum: Circumcisio fuit verum Sacramentum, & causabat gratiam ex opere operato, ut tract. de Sacram. disp. 1. quæst. 3. manet demonstratum: ergo multò magis Baptismus Joannis habuit hoc privilegium. Patet consequens: quia hic Baptismus mediabat inter Circumcisionem, & Baptismum Christi, atque adeo, licet minoris efficaciam fuerit, quàm iste, majoris tamen, quàm illa. Confirmatur hoc: dum Joannes baptizabat, cœli aperti sunt, & Spiritus Sanctus descendit: sed hoc nunquam Circumcisio fecit: ergo Baptismus ille efficacior fuit Circumcisione. Denique: Baptismus Joannis, ut ex sacro textu constat, fuit in remissionem peccatorum: ergo gratiam causabat, cum sine illa peccata non remittantur.

42 Ad 1. nego antecedens. Ad ejus probationem dico, ad summum fuisse idem signum materialiter, & extrinsecè, & hoc solùm partialiter: nempe, conveniebat uterque Baptismus in eo, quod uterque ministrabatur in aqua, quæ est signum partiale Sacramenti Baptismi: nego tamen fuisse idem signum formaliter quoad significationem, & in modo operandi. Nec constat de ulla forma talis Baptismi, ex qua, & ex materia consurgit signum completum, &

Tom. I.

significativum effectus Sacramenti, scilicet, gratiæ ex opere operato collatæ. Ad 2. dico, illum Baptismum non fuisse frustraneum, & inutilem, sed fuisse, ut inquit Doct. Subtilis, *dispositionem præparativam ad Baptismum Christi, ut per illam ablutionem inclinarentur homines ad suscipiendam ablutionem sibi salutarem.* Fuit etiam in signum condignæ poenitentiae pro peccatis in illum recipientibus, & ad hunc finem ad Joannem venientibus. Conferebatur insimul à Joanne ex missione, & instinctu Dei, & in hoc sensu Baptismus ille dici potest divinus, & à Deo institutus: non tamen fuit institutus expressè, & directè à Deo, sicut nostra Sacramenta fuerunt: nam nullibi constat de tali institutione in ratione Sacramenti, nec de ulla ejus forma præscripta, & determinata, sicut de Christi Baptismo, & de aliis Sacramentis legitur. Per quod solvitur dubium illud à Theologis controversum, scilicet: *An Baptismus Joannis ab ipso Deo institutus fuerit?* Fuit quidem à Deo, quatenus Joannes ad tale opus à Deo fuit missus, ut ipse fatetur, dicens Joan. 1. *Qui misit me baptizare, nempe, Deus: non verò institutus est à Deo, tamquam verum Sacramentum, operans in recipientibus aliquod divinum, cœleste, & supernum.* Doctrina hæc expressè confirmatur ex Tertulliano, lib. de Baptismo dicente: „Cum Christus peteret à Phariseis, an Baptismus Joannis cœlestis esset, an terrenus; de quo non valuerunt illi constanter respondere, ut pote non intelligentes, quia non credentes. Nos porrò æstimare possumus, divinum quidem eum Baptismum fuisse, eò quod & Joannem à Deo missum legimus in hoc munus: cæterum humanum conditione; nihil enim cœleste prætabat.“ Ex quo concesso antecedenti, negatur consequentia. Ad 3. nego conseq. & distinguo probationem: mediabat in ratione figuræ,

Aa

Bb

& temporis, concedo: in ratione efficaciam, & virtutis, nego. Mediabat quidem Baptismus Joannis inter Circumcisionem, & Baptismum Christi quoad tempus; quia Circumcisio ad finem tendebat, & mox Baptismus instituendus erat. Repræsentabat itaque Baptismum Christi materialiter, non verò formaliter, aut sacramentaliter. Ad confirmationem dicendum est, quòd cœli aperti sunt propter Christum, se humiliantem in tali Baptismo, non præcisè propter illum Baptismum: aliàs superasset etiam Baptismum Christi, de quo tale miraculum non legitur. Ad ultimum distinguo antecedens: in remissionem, mediante virtute poenitentiam, concedo: ex virtute talis ablutionis, & operis, nego. Dum Joannes manibus abluibat, ore poenitentiam prædicabat: *erat baptizans, & prædicans poenitentiam*, Marci 1. cujus operibus justificari poterant, non verò per illam ablutionem externam.

43 Ex dictis colliges, utrumque Baptismum pluribus inter se differre. Differunt 1. isti Baptismi *ex Authore*: nam Christi Baptismus immediate institutus est ab ipso Domino; Baptismus verò Joannis institutus est ab ipso, Deo inspirante. Unde iste dicitur Joannis, ille Christi. Differunt 2. *ex effectu*: nam Baptismus Christi gratiam confert, & characterem imprimi, quorum neutrum de se operabatur Baptismus Joannis. 3. *ex forma*: nam ille dabatur in forma à Christo determinata: iste verò in sola aqua, & absque ulla forma determinata verborum, nisi fortè in nomine Christi venturi daretur. 4. *ex significato*: nam Baptismus Joannis præfigurabat Baptisma Christi, veluti preparatorium, & dispositionem hujus. Unde ille gratiam hujus significabat, non causabat: conveniebantque in sola materia, & ablutione ex aqua. Denique differabant *ratione subiecti*: siquidem ille præcisè conferebatur adultis, qui

soli capaces sunt poenitentiam, ad quam excitabat, & insimul circumcisis, quibus jam remissum erat originale; iste verò etiam pueris, & gentilibus conferebatur, quos omnes sanctificat, & mundat ab originali peccato.

QUÆSTIO V.

An Sacramentum Baptismi unum sit, aut multiplex?

44 **T**Riplex Baptismus solitè à Theologis distinguitur, *fluminis*, nempè, *fluminis*, & *sanguinis*. Baptismus *fluminis* est ille, qui confertur in aqua naturali cum expressa invocatione SS. Trinitatis. Baptismus *sanguinis* est Martyrium; & Baptismus *fluminis* est contritio cum voto, seu proposito suscipiendi Baptismum aquæ. Et vocantur Baptismata hæc duo; quia quemadmodum Baptismo aquæ abluimur, ita Martyr proprio sanguine perfunditur, & poenitens propriis lacrymis irrigatur. Baptismus sanguinis designavit Christus Dominus, dum filios Zebedæi alloquens, dixit Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Hunc sanguinis Baptismum adeò commendat S. Cyprianus, ut Epist. ad Jubaianum loquens de Catechumenis Martyrium subeuntibus, dicat: *illos non privari Baptismi Sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo, & maximo sanguinis Baptismo, de quo & Dominus dicebat, habere se alio Baptismo baptizari.* Baptismus fluminis pluries à SS. Patribus commendatur, maximè Augustino Lib. 4. *de Baptismo*, cap. 21. loquens de Catechumenis, dicit, illos per contritionem Spiritu Sancto repleri. Et cap. 24. cum dixisset, fidem formatam, seu fragrantem charitatem interdum justificare extra Sacramentum, & ad salutem sufficere, id probat exemplo boni Latronis, & Cornelii

nelii Centurionis, qui nondum baptizatus Baptismo aquæ, dicitur Actor. 10. *Vir justus, ac timens Deum.* Sic pariter sentiunt cæteri Patres, ac Theologi, qui omnes cum Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 24. docent, contritionem, quæ sit Baptismus fluminis in voto, hominem justificare, de quo amplius tract. de Poenitentia. Sola igitur remanet difficultas de Baptismo sanguinis, an, nempè, sit verum Sacramentum? & ultra: an gratiam conferat, estò non sit Sacramentum, ex se, aut ex opere operato?

45 Ut autem omnia hæc resolvantur, præmittendum est, quid sit Martyrium? & quæ conditiones ad illud requirantur? Baptismus sanguinis, seu Martyrium, definitur sic: *Est mors illata pro fide Christi, aut vera virtute homini non resistenti.* Ex quo quatuor necessariae conditiones declarantur ad Martyrium perfectum. 1. Quòd sit *mors illata*; nam requiritur ad plenum, & perfectum Martyrium, quòd quis reverà animam suam pro fide, aut religione ponat; adeò quòd reverà sequatur mors, aut saltem naturaliter sequeretur, nisi vita servaretur divinitus, prout servata fuit tribus pueris in fornace Babylonica, & S. Joanni Evangelistæ misso in ferventis olei dolium, aliisque pluribus, qui ab Ecclesia inter Martyres computantur. Et quidem quòd mors impediatur divinitus, rationem auget Martyrii; nam per hoc omnibus manifestum fit, Deum approbare causam hominis patientis. Unde acceptio illa mortis tam efficax est fidei testimonium, quàm si reverà ipsa mors sequeretur. 2. conditio est, quòd illa mors *violenter illata sit*. Quare, quamvis quis pro gloria Dei, & fratrum salute moreretur, non propterea censendus esset Martyr perfectus. Unde qui pro fratribus animas ponunt, sive in obsequium pestiferorum, sive in bello justo, non sunt Martyres propriè: possunt verò dici *veluti Martyres*, ut in Marty-

Tom. I.

rologio ad diem 28. Februarii reperitur, ac sic legitur: *Commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, ac cæterorum Ministrorum, qui tempore Valentiniani, cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantes ministrantes, libentissimè mortem oppeterunt, quos, veluti Martyres, religiosa piorum fides venerari consuevit.* Et dicuntur *veluti Martyres coli*, quamvis propriè tales non sint; quia verè mortui sunt pro fratribus. At verò, quia mors non fuit eis pro fratribus illata violenter, non sunt Martyres propriè. Aliud est enim pro fratribus mori, & aliud pro eis mortem inferri; & hoc ultimum desideratur ex communi Ecclesie sensu ad Martyrium propriè dictum. 3. conditio est, quòd *mors illata sit in odium fidei, aut alicujus veræ virtutis*; nam ut Augustinus in Psalm. 38. dixit: *Martyrem non facit pœna, sed causa.* Notanter dixi: *aut alicujus veræ virtutis*; quia Ecclesia pro veris Martyribus colit, non solùm eos, qui mortem obeunt propter veræ fidei confessionem, sed etiam qui violenter moriuntur propter alicujus virtutis defensionem. Sic numerantur inter Martyres Thomas Cantuariensis, occisus propter defensionem Ecclesiasticæ libertatis, & plurimæ Virgines propter castitatis custodiam occisæ. Conditio 4. ad verum Martyrium est, quòd mors violenter inferatur homini non resistenti. Unde ortum duxit effatum illud commune: *Martyr non pugnat, sed patitur.* Conformari utiquè debet Christo Domino, qui veritatis perhibuit testimonium, non contradicendo, sed patiendo, & tamquam ovis ad occisionem ductus non aperuit os suum. Unde licet Milites in bello ob defensionem fidei, & Religionis generosè occumbentes plurimum mereantur, tamen veri Martyres censerì non possunt. Milites namque ordinariè pugnant cum spe evadendi mortem, imò & occidendi invasorem. Pariter nec est verè Martyr mulier

Aa 2

vir-

virgo; & valde pudica, quæ ob virginitatis amorem non vult curationem in pudendis, sed potius eligit mortem. Meretur enim plurimum; sed quia mors non est violenter illata in odium illius virtutis, propriè non est Martyr. His prælibatis, ut resolvamus propositam difficultatem claritate possibili.

46 Conclusio I. *Martyrium non est verum Sacramentum: confert verò gratiam ex opere operato.* Prima pars est de fide, & demonstrata est Tract. de Sacram. Disp. 1. quæst. 6. num. 68. contra Hæreticos, intendentes augere numerum septenarium Sacramentorum, contra stabilitum dogma catholicum. Demonstrata est sic: Sacramentum verum, & propriè dictum est signum efficax gratiæ à Christo institutum, constatque materia, & forma determinata cum debita Ministri intentione; sed Martyrium non est tale: ergo Major, & minor suat innegabiles, ex ibi dictis, & ex toto Tractatu citato constat evidenter, quia opus sit repetitione. Secunda pars communior est præsertim inter Scotistas, & Thomistas, teste Gonetio, citante D. Thom. cujus verba adducuntur quæst. 6. num. 66. Prob. 1. ex Subt. Doct. qui in Oxoniensi 4. dist. 4. quæst. 6. dicit: *Si Baptismus sanguinis sit completus; quia homo ille moritur, & non manet nobiscum viator, non est obligatus ad præceptum viatoris, nempe, Baptismi fluminis: ergo gratiam recipit, & justificatus est ex vi Martyrii.* Et Mastrius addit, quod si *Martyr moritur, statim evolat in caelum.* Dicit Doct. quod si homo ille moritur; nam si non moreretur ex actione mortis illativa, quia à Deo ejus vita divinitus conservaretur, esset verus Martyr, ut dictum est n. antec. in 1. conditione ad verum Martyrium, & simul teneretur ad recipiendum Baptismum, ut certissimum est, & docetur ab ipso Doctore in Report. dist. 4. quæst. 6. ubi docet, quod *justificati per Marty-*

rium completum, (qui moriuntur in illo) non tenentur ad Baptismum fluminis: si verò Baptismus sanguinis non sit completus, ut in illis, qui non moriuntur per Martyrium, sed nobiscum restant viatores... tales, qui sic justificantur, & baptizantur Baptismo sanguinis, tenentur ad Baptismum fluminis.

47 Prob. 2. Martyrium gratiam conferre, & hoc ex opere operato, constat ex pluribus Sacris textibus, in quibus Christus Dominus vitam æternam spondet ei, qui temporalem vitam pro Dei gloria perdidit. Matth. 16. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam.* Marci 8. *Qui autem perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam.* Rursum Matth. 10. *Qui confitetur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est.* Quæ utique propositiones generales sunt, non minus, quàm illa Christi comminatio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Unde M. Par. Augustinus lib. de Civit. cap. 2. hanc efformat ratiocinationem: Tam certum est, perfectum Martyrem sua passione consequi gratiam, & remissionem omnium peccatorum suorum, propter illud Christi testimonium: *Qui me confessus fuerit &c.* quàm certum est, neminem posse salvari sine Baptismo, propter hæc verba: *Nisi quis renatus &c.* sed hoc omnino est certum: ergo & illud. Quod autem Martyrium ex opere operato præstet hunc effectum, vel quasi ex opere operato, ex sensu Ecclesiæ comprobatur, quæ, inquit Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 23. *Non frustra etiam infantes illos, qui, cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat.* In eandem veritatem conspirat S. Cyprianus Epist. 37. Sent. Et S. Prosper: *Qui non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessio-*

ne

ne moriuntur, tantum eis valet ad abolenda peccata, quantum si abluerentur fonte Baptismatis. Subsumo: sed hæc ablutio justificat ex opere operato: ergo & illa mors. Denique constat ratione: Si Martyrium non conferret gratiam ex se, seu ex opere operato, illam daret ex solo merito recipientis, v. g. Catechumeni, ex vi, nempe, charitatis, aut contritionis; sed hoc falsissimum est: ergo. Prob. minor. Tum; quia sic Baptismus sanguinis non differret à Baptismo fluminis, quod est contra omnes. Sequela patet; quia ex eadem charitate procederet, & ex eodem principio suam vim haberet: non ergo differrent. Tum; quia parvuli incapaces sunt actu charitatis, & consequenter Martyrio etiam essent incapaces, quod est contra SS. Patres, & unanimum sensum Ecclesiæ, ut constat ex supra dictis.

48 Reponunt Adversarii, verum Martyrium impossibile esse absque charitate, si non actuali, ad minus habituali. Ex quo ad rationem pro SS. Innocentibus, quæ efficacissima est, dicunt, eos dumtaxat Martyres ab Ecclesia coli, qui prius mundati fuerant à peccato originali per Circumcisionem. Sed quàm futilis prorsus hæc responsio sit, patet 1. ex D. Augustino, qui libro de Symb. ad Catechumenos cap. 4. generaliter pronuntiat de ipsis infantibus, eos per Martyrium ab originali peccato fuisse mundatos. Sic inquit M. Par. *Ipsi qui moriebantur, natura filii iræ erant, sicut & cæteri. Sed quid eis præstitit gratia, nisi ut eos erueret à potestate tenebrarum? Præstitit eis Christus, ut pro Christo morerentur, præstitit, ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur.* Quid clarius? Constat 2. ex ipsa Ecclesia, quæ de omnibus illis universaliter in eorum festo canit: *Deus, cujus hodierna die præconium Innocentes Martyres, non loquendo, sed moriendo, confessi sunt.* Et in Hymno: *Salvete flores Martyrum &c.* Et quis ambigat, multos

ex illis necdum fuisse justificatos, & mundatos ab originali? Nullus certè, cum plures necdum essent octiduo nati, ac proinde, nec circumcisi. Variæ etiam erant proles infidelium permixtorum Judæis, quæ proles, seu qui infantes absdubio ab impio Herode fuerunt occisi; nam à bimatu, & infra occidit pueros, quotquot invenit. Præterea: quamvis omnes antea fuissent justificati, quod non videtur credibile; quia potius credibile est, quod in illis centum quadraginta quatuor millibus aliqui non fuerant circumcisi, aut nondum acceperant remedium peccati originalis, præter hoc, inquam, cui isti omnes magis, quàm alii parvuli in gratia decedentes, colerentur specialiter ab Ecclesia, tamquam Sancti, si ratione mortis illatæ specialem gratiam, aut sanctitatem non accepissent? Non utique ob Circumcisionem honorantur, sed ob mortem toleratam pro Christo. Consonat S. Leo Papa Serm. 1. de Epiphani. c. 3. Prædictæ rationes ex Scriptura, & Patribus veræ sunt, & valde urgent, etiam præcisivè à doctrina, mihi certa, V. M. Mariæ Agretensis, citata, & adducta Tract. de Sacram. disp. 3. q. 3. n. 238.

49 Conclusio II. *Solus Baptismus fluminis est verum Sacramentum: ac proinde Baptismi Sacramentum est unicum.* Est dicere, quod licet Baptismi sint tres, nempe, fluminis, fluminis, & sanguinis, non isti duo, sed solùm ille primus obtinet rationem veri Sacramenti. Est inter Theologos communis contra Majorem in 4. d. 4. q. 3. existimantem, Martyrium, èò quod gratiam causet ex opere operato, esse verum Sacramentum, & reduci ad Baptismum. Hæc doctrina rejecta est conc. antec. Probatur 1. ex illo ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma,* quod utique de Sacramento Baptismi à Christo instituto, quod est fluminis, ab omnibus intelligitur; ergo. Prob. 2. ex Subt. Doct. in

in Report. d. 4. q. 6. ubi docet, quod Baptismus fluminis hominem justificat, & quod aliquo sensu Baptismus est, & idem docet de Baptismo sanguinis ibidem, neuter tamen, dicit Doctor, est Baptismus propriè, & Sacramentalis, sed solus Baptismus fluminis. Prob. 3. ex essentia Sacramentorum in communi, quæ in neutro illorum reperitur, ut cuilibet fiet notum: siquidem in illis non reperitur materia, nec forma, nec imprimunt characterem baptismalem; alioquin nec iterari possent, nec postquam homo per alterutrum justificatus fuisset semel, teneretur baptizari, data occasione, quod utrumque falsissimum est, ut mox amplius apperebit: ergo.

50 Arg. contra 1. Conclus. Per nos, Martyrium non est verum Sacramentum: ergo non dat gratiam ex opere operato. Patet consequens: Tum; quia talis efficacia propria est solius Sacramenti propriè dicti. Tum; quia ex 1. Corinth. 13. Martyrium sine charitate non prodest: *Si tradidero corpus meum... & charitatem non habeam, nihil mihi prodest*: ergo Martyrium efficaciam habet à charitate, & non à se ipso: ergo non ex opere operato. Confirmatur 1. Ut adultus justificetur per Martyrium, debet habere votum Sacramenti, & si supervivat, illud recipere: ergo hæc gratia datur intuitu Sacramenti, & non Martyrii: igitur ex opere operantis, seu Sacramentum desiderantis. Confirm. 2. Si Martyrium ex opere operato justificaret, id faceret, vel ante mortem, vel in ipsamet morte; sed neutrum potest dici: ergo. Prob. minorem: Non ante mortem; quia tunc non est Martyrium completum, quod solùm per nos est, quod per se causat gratiam ex opere operato: nec in morte; quia pro illo instanti homo non est: ergo. Denique: Martyria Machabæorum, Baptistæ, & Innocentium vera Martyria fuerunt; sed hæc ex opere operato gratiam non dabant:

ergo nec nostra Martyria. Minor patet; quia nostris ex Christi promissione hanc vim tribuimus, & tunc adhuc non stabat Christi promissio. Alia argumenta proponuntur, ac solventur quæ. seq.

51 Respondeo negando consequentiam, & ejus primam probationem. Non enim est de ratione solius Sacramenti, quod Deus ex speciali privilegio gratiam præstet intuitu illius operis; sed quod illud opus institutum sit ab ipso Domino, velut actio sacra, & religiosa, ac ad Deum cultum ordinata. Martyrio quidem convenit primum ex Christi promissis in conclusione laudatis: secundum verò ei non convenit; quin potius ex parte Ministri, seu Tyranni, & ex parte tortoris in Dei contemptum tendit. Ad secundam probationem, negatur consequentia utraque. Apostolus ibi loquitur de Martyrio, prout in adultis, in quibus aliqua dispositio est necessaria, sicut & ad Baptismum. Et nec loquitur de charitate antecedente perfecta, quæ ex se justificat, sed de comitante, saltem inchoata, aut negativa. Hoc est, quod nihil sit contrarium, ut si quis cum odio proximi, vel alio mundano respectu morti se exponeret. Tunc quidem ipsi nihil proficeret. De dispositione necessaria in adulto ad Martyrium, dicitur mox num. 61. Ad primam confirmationem dico, quod si Martyr moriens advertat ad præceptum Baptismi, debet velle baptizari, si posset; quia subjectus est Baptismi legi. Si verò non advertat ad illius obligationem, nec actum volendi Baptismum eliciat, adhuc virtute Martyrii, & ejus intuitu recipiet gratiam. Ad 2. dico, in ipsis Sacramentis eodem modo urgere, & pro illis maximè, qui eis efficientiam physicam tribuunt, ut sunt Thomistæ. Nos conformiter ad nostras doctrinas, dicimus, quod talis efficientia est moralis, & à Deo pendens, & qui intuitu operis justificat Martyrem, & hoc in illo momento sufficienti,

quo

quo id vult facere, & quod ipse Deus perfectissimè novit. Fortè id Deus facit post acceptum vulnus lethale, ut volunt aliqui; vel in ultimo instanti physico præcedente ipsam mortem. Utrumque enim Deus distinctissimè videt, & gratiam dare potest in utroque. Nego itaque minorem. Ad ultimum nego minorem, & dico ad probationem, quod non stabat promissio ex ipsomet ore Christi, & formaliter; stabat verò virtualiter ex aliis Oraculis: ex ipsis namque Sacris historiis satis colligitur efficacia talis mortis pro lege, & Dei gloria acceptata, & perpessa. Sed advertendum, quod si instante morte Martyrii in adulto, hic habeat lethale peccatum, debet contèri, aut saltem atteri supernaturaliter de illo. Hæc attritio sufficit cum Martyrio; aliter non posset dici, quod gratiam ex opere operato causet, sed quod illam causaret charitas imperans contritionem. Sed quia vis contritionis tutior est, & tunc urgeat maximè præceptum charitatis, tenetur homo se ad illam excitare, quantum potest. Sic etiam dicitur à Theologis, dum quis accipit Pœnitentiæ Sacramentum in articulo mortis.

52 Arg. in secundam Conclusionem: Baptismata fluminis, & sanguinis eundem effectum habent cum Baptismo fluminis: ergo idem sunt cum illo, vel æquæ sunt Sacramenta, ac ille. Antecedens videtur innegabile: nam contritio, & vera charitas hominem justificat, delendo tam peccatum originale, quàm personalia, ut habetur de fide, & constat ex Tridentino Sess. 6. cap. 4. & ex pluribus locis Sacris, pro quibus sufficiat illud Ezechiel. 18. *Cum averterit se impius ab impietate sua, animam suam vivificabis*. De Martyrio satis ex jam dictis constat. Probo consequentiam: Quæ eandem vim, & effectum habent, ejusdem speciei, & naturæ debent esse: ergo si Baptismata fluminis &c. Confirmatur ex SS.

Patribus, præsertim Cypriano, & Augustino, Baptismata sanguinis, & fluminis Sacramenta appellantibus, & Baptismata propriè talia: ergo ita est dicendum, ac per consequens, vel triplex est Sacramentum Baptismi, vel Baptismus adæquatus coalescit ex triplici. Ad argumentum negari potest antecedens, cum illa priora Baptismata non causent characterem, nec easdem gratias actuales, saltem ex se, ut causat Baptismus fluminis. Unde solùm partialiter habent causare eundem effectum, quoad gratiam, nempe, non quoad alios effectus Baptismi fluminis ex institutione Christi proprios. Per hoc ad ejus probationem, quam concedimus, & negatur consequentia. Si verò antecedens gratis concederetur, neganda est consequentia: etenim licet causent similes gratias, nec eas, præsertim contritio, eodem modo causat, nec habent alias condiciones veri Sacramenti, quod essentialiter debet esse signum sensibile, & externum à Christo institutum, & à vero Ministro ministratum. Hinc probatio nullius est momenti, cum nec eosdem effectus causent, nec quando causarent, esset eodem modo, nec eadem ratione. Præterea, id posset concedi de causis physicis, & univocis, non de æquivocis, & minus de moralibus, quæ dispositioni, & voluntati Divini instituentis subjacent in omnibus. Ad confirm. dicendum est, appellari Sacramenta propter analogiam, quam habent cum Baptismo aquæ, & maximè quoad illius effectum, quem dicuntur supplere: reverà tamen Sacramenti dignitatem, ac definitionem non vendicant sibi: nam nec Martyrium, nec contritio sunt signa certa, & sensibilia à Christo instituta ad gratiam significandam, & omnibus confereandam, ut per se est manifestum.

§. VI.

QUÆSTIO VI.

De Baptismi necessitate: ac quomodo suppleri possit tam in adultis, quàm in parvulis?

53 PRO prima difficultatis propositæ parte, pro eoque clara resolutione recolenda sunt dicta quæst. 2. & 3. de præcepto Baptismi, ac quando ejus usus sub obligatione incœperit? Ex quo evincitur, Baptismum necessarium esse. Quanta verò sit, ac qualis ejus necessitas, an *medii*, ita ut sine illo salus haberi non possit? an solum *præcepti*, adeò ut præcepto cessante, sine Baptismo posset quis salvari? examinatum in præsentia. Quæ sit necessitas *medii*, & quæ *præcepti*? explicatum manet Tract. antecedenti de Sacram. disp. 3. quæst. 4. Pariter, quomodo unumquodque ex Sacramentis sit necessarium, stabilitum manet in eadem quæst. Sed verò, cum ibi peractum sit in communi, & quasi in genere, hic de Baptismo pertractari oportet in particulari. Pelagiani negarunt Baptismo necessitatem *medii*, ex quo non agnoverunt peccatum originale; nec alium effectum Baptismo tribuebant Hæretici isti, quàm jus quoddam ad Cœlestis Regni assecutionem, quam consequentur etiam non baptizati, quamvis sine tali jure. Effrenatiores adhuc fuerunt Manichæi, qui sic Baptismi utilitatem negabant, ut dicerent, à Diabolo esse inventas ipsas baptismales aquas, sicut & cætera corporalia Sacramentalia. Waldanses illum dixerunt inutilem; & tandem Calvinus, ac alii ejusdem furfuris unice tribuunt illi necessitatem *præcepti*. Pro secunda parte difficultatis præmemorandus est triplex Baptismus quæst. antecedenti declaratus, *fluminis, sanguinis, & fluminis*. Primus unice est pro adultis, qui non potest Baptismo aquæ baptizari, gratiæ justificationem recipiunt, mediante

perfecta contritione cum voto suscipiendi Baptismum fluminis. Secundus est pro parvulis, & adultis, dum in casu necessitatis positi Martyrium patiuntur pro fide, & sic proprio baptizantur sanguine. Tertius est Baptismus in aqua, qui solus est verus Baptismus, ac Sacramentum. Et quæritur: *An Baptismus fluminis verè suppleri possit per Baptismata fluminis, & sanguinis?* Resolvendo jam 1. partem.

54 Dico 1. *Sacramentum Baptismi in re, vel saltem in voto, est necessarium omnibus necessitate præcepti, & mediis*. Est dogma fidei contra prædictos Hæreticos. Prob. 1. ex Subt. Doct. quoad necessitatem præcepti ex dictis cum ipso quæst. 2. & 3. *Promulgatio hujus Sacramenti fuit duplex, una per modum consilii, alia per modum præcepti... debuit autem aliquando sequi promulgatio per modum præcepti*. Hoc præceptum incœpit esse obligatorium à die Pentecostes in Jerusalem, & in cætero Orbe post solemnem ejus promulgationem, quod totum constat ex jam à nobis superius resolutis. Et contra pestiferam Pelagii doctrinam ipse Doct. dist. 4. quæst. 1. num. 2. dicit: *Quia cum secundum Scripturam, & fidem parvuli contrahant originale peccatum, ad ejus deletionem, quæ necessaria est ad salutem, sunt baptizandi*: ergo post promulgationem Baptismi adultis est necessarius necessitate præcepti, & parvulis, qui incapaces sunt per se præcepti, est necessarius post evacuatam Circumcisionem de necessitate salutis. Dixi de adultis, *necessarium esse illis necessitate præcepti*, per quod nequam excluditur, quòd Baptismus in re, vel in voto saltem, si in re haberi non possit, sit etiam eis necessarius necessitate *medii* ad salutem: sed intelligitur, quòd hoc medium omnibus necessarium est ipsis ex Divino præcepto obligatorium, & curare debent, quòd suis parvulis conferatur. Prob. 2. ejus necessitas *medii* ex Scriptura, & Con-

ciliis. Ex Scriptura: nam Joan. 2. dixit ipse Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, quæ lex universalis est pro omnibus, & quam Concilium Florentinum citat, dicens: *Nisi ex aqua, & Spiritu Sancto renascimur, non possumus in Regnum Cœlorum introire*. Trident. Sess. 7. can. 5. *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit*. Et Can. 4. *Post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest justificatio*: ergo omnibus necessarius est necessitate salutis. Eadem veritas constanter docetur à SS. Patribus. Denique constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ providentia summa providit, parvulos, & Catechumenos, & vita periclitantes, sine mora baptizari: semper ergo credidit Ecclesia, hoc medium necessarium esse ad salutem, tam parvulis, quàm adultis, & istis quidem saltem in voto, si in re haberi non possit. Per dicta præcluduntur cavillationes Hæreticorum, dicentium, solam fidem salvare homines. Et per illud Matth. 28. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: ergo sola fides non sufficit.

55 Dico II. *Quando in adultis necessitas impedit susceptionem Baptismi fluminis, illius effectus haberi potest per Baptismum fluminis, aut sanguinis*. Utraque pars verissima est apud Catholicos, & docetur à Subt. Doct. supra laudato. Prob. 1. pars ex Trident. Sess. 7. Can. 4. dicente: *Sacramenta novæ legis esse necessaria, & sine illis, aut eorum voto non posse homines salvari, aut justificationis gratiam adipisci*: igitur sentit, hominem gratiam justificationis posse consequi cum voto hujus Sacramenti, quod est Baptismus fluminis. Idem docet de Sacramento Pœnitentiæ, quod suppletur per contritionem, dum recipi non potest. Eandem veritatem passim docent

Tam. I.

SS. Patres. Confirmatur: Deus impossibilia non juvet: ergo dum poenitentiam novit, & obediendi huic præcepto paratam voluntatem, non denegat gratiam Baptismi, suppositis illis dispositionibus cum impossibilitate inculpabili. Dico *inculpabili*: nam de illo, qui ex longa, & culpabili negligentia eam impossibilitatem incurreret, non facile asseram, habiturum talem gratiam, nisi sincerè doleret de hac negligentia; quia tunc videtur, non denegandam ex divina clementia. Pars 2. satis manet probata ex rationibus, & locis Sacris adductis q. 5. concl. 1. Dixi, *quando necessitas impedit susceptionem Baptismi fluminis*, in quo solum casu dispensatur homo à præcepto generali Baptismi. Unde si Martyr supervivat suis pœnis, tenetur baptizari, ut constat ex Subt. Doct. laudato num. 46. cujus pulcherrima doctrina ibi est videnda.

56 Dico III. *In casu etiam necessitatis Baptismus suppleri potest in parvulis per Martyrium, illatum ipsis in odium fidei*. Assertio communior est, ac verior. Probat 1. ex dictis cum Ecclesia, ex D. Augustino, & Leone num. 48. de SS. Innocentibus. Sed quia fortassè quis respondet, illud fuisse in Innocentibus ex privilegio à Christo recen- ter nato valde speciali: vel quòd ipse Dominus ipsis miraculosè dedit usum rationis, atque auxilia, ut pro ipso mortem subirent ex propria, ac pronta voluntate: prob. 2. generaliter, & quoad omnes pueros ex Subt. Doct. & ex Angelico. Ille 4. d. 4. q. 3. n. 2. ait: „ Si quis „ persequitur Matrem gravidam, „ eadem de causa persequitur par- „ vulum in utero ejus: ergo si Ma- „ ter occiditur pro justitia, simili- „ ter, & parvulus. Si autem parvu- „ lus occideretur extra uterum ha- „ beret Baptismum sanguinis, si pro „ justitia, vel fide, occideretur, „ etiam non baptizatus. Dicit extra „ uterum; „ quia si esset intra, „ cum

Bb

cum

cum tunc nondum esset natus, nec posset per Baptismum sanguinis esse renatus. D. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. dicit: *Quod effusio sanguinis propter Christum vicem gerit Baptismi.* Et expressius in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. ubi tam de adultis, quam de parvulis loquens, asserit, Martyrium ex opere operato illos iustificare eodem modo; ac Baptismus fluminis. Hæc habet: *Sicut in Baptismo aquæ liberatur homo ab omni culpa præcedente, & pœna, ita in Baptismo sanguinis.* Et in respons. ad 1. *Baptismus sanguinis non habet hoc tantum ex opere operationis, sed hoc habet ex imitatione Passionis Christi: & ideo pueri, quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo sanguine baptizati salvantur.* Consonat Serap. Doct. part. 2. n. 39. Confirmatur ratione: Pueri capaces sunt Baptismi: ergo & Martyrii: ergo istud, sicut Baptismus, potest movere, & movet Deum ad illos sanctificandos. Nec de divina misericordia præsumi potest, tales parvulos relinquere sine remedio salutis in casu Martyrii, nec dedignari sacrificium illud accipere, & acceptare.

57 Arg. 1. adversus 1. resolutionem cum Hæreticis: Licet in filiis infidelium admittatur necessitas, ac Baptismi præceptum, in fidelium filiis non est necessarius: ergo Baptismus nec in re, nec in voto est omnibus omnino necessarius. Prob. anc. Licet filii infidelium habeant peccatum originale, illud non habent fidelium filii: ergo licet &c. Patet consequens; quia solum propter illud delendum illa necessitas statui potest. Prob. ant. ex 1. ad Corinth. c. 7. *sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt:* ergo sine peccato fidelium filii nascuntur. Confirmatur 1. ex illo Matt. 19. *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum Cælorum:* ergo parvuli sine Baptismo salvari pos-

sunt. 2. Si ex aliquo sacro textu necessitas Baptismi probaretur, maxime ex illo textu adducto: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Sed ex illo non recte probatur: ergo. Prob. min. Si ex illo probaretur necessitas Baptismi, idem esset de Sacramento Eucharistiæ; sed hoc non concedetur a nobis: ergo nec illud concedi debet. Prob. maj. Sicut universaliter dictum est: *nisi quis renatus fuerit &c.* dictum est etiam: *nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis:* ergo si comprehendit parvulos textus ille, etiam iste, & consequenter, si ex illo probaretur necessitas Baptismi, ex isto necessitas Eucharistiæ.

58 Respondeo pro nunc breviter ad has Hæreticorum cavillationes, negando utrumque antecedens. Ad locum ex 1. Corinth. dico usque ad tract. de Matrimonio, in quo locus iste amplius explicabitur, sanctitatem respondentem mulieri infideli, quam dicit Apostolus, sanctificari per virum fidelem, solum esse sanctitatem externam, & legalem in facie Ecclesiæ, Matrimonium, & filios inde genitos, legitimantem: & hæc est sanctitas, quæ filiis eorum correspondet: neutiquam esse, nec intelligi, de sanctitate peccatum originale, ac peccata alia personalia remittente. Unde consequentia falsissima est, cum omnes indiscriminatim, contrahant originale, ut contra Pelagianos demonstratur Tract. de peccato originali. Ad 1. Confirmationem, quæ Scripturæ Sacræ sensum genuinum contorquet, & Molinistarum impurissimæ doctrinæ redolet, dico, quod parvuli, de quibus textus loquitur, sunt adulti vere humiles, ut ex ipso sacro testimonio liquet, & explicat D. Augustinus, dicens: *Qui sunt parvuli, nisi humiles, parvuli quidem malitia carentes, non sensu: istis revelantur mysteria divina.* Unde negatur consequentia. Ad 2. nego min. & maj. probationis, & probationem

hu-

hujus. Parvuli igitur capaces non sunt illius propriæ, & materialis manducationis Eucharistiæ: sunt vero capaces Baptismi, per quem, cum recipiant sanctificationem, & fiant membra Christi, ejus Corpus, & sanguinem participant spiritualiter. In hoc secundo sensu universale est illud dictum, non in primo. Sed de hoc latius, dum de Sacramento Eucharistiæ, deque ejus necessitate pertractemus.

59 Arg. 2. contra 2. resolutionem: Si Martyrium Baptismum suppleret, nobis licitum esset illud eligere; sed hoc falsum est: ergo & quod effectus Baptismi fluminis haberi possit per Baptisma sanguinis. Major apparet certa ex S. Cypriano, tribuente majorem vim Martyrio, ut dictum est num. 47. ac proinde melius est: quod autem est melius, liberum debet esse sequi illud. Suadetur minor: Tum; quia illud præceptum: *Nisi quis renatus fuerit &c.* hanc optionem non admittit. Tum; quia sic posset homo Baptismum negligere, expectans occasionem Martyrii. Urgetur: Lex divina præcipit Baptismum, ut medium salutis; sed nulla talis lex Martyrium pro medio salutis statuit: ergo Martyrium non potest Baptismum supplere. Minor constat: quia non lex naturæ, cum hæc potius dicit bonum vitæ præferendum esse omnibus aliis: nec lex positiva, quia nullibi invenitur scripta. Nego majorem, & distinguo ejus probationem: Melius est, cæteris paribus, & in casu necessitatis, concedo: absolute, & dum Baptismus recipi potest, aut possibilis est, nego. Baptismus omnibus, & absolute est de præcepto, non vero Martyrium: priusque adimplenda sunt opera præcepta, quam quæ non sunt talia. Et quamvis Martyrium in se melius esset, quam Baptismus, de quo in fine hujus quæstionis aliquid dicitur, non ob hoc esset melius respectu illius, qui posset recipere Baptismum, cum in tali casu deberet

Tom. I.

sub obligatione gravi recipere illum. Unde non est optio eligendi Martyrium præ Baptismo. Ad urgentiam nego minorem, & probationem. Primo; quia lex naturæ dicit, Deo loquenti esse credendum, & eum super omnia diligendum: ergo dicit, fidem, & divinam charitatem præferendas esse propriæ vitæ. Secundo, quia lex divina positiva dicit Eccles. 4. *certandum esse pro justitia usque ad mortem.* Et Matth. 10. dicit Christus: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum;* quæ confessio intelligitur de Martyrio pro Christo accepto. Denique constat talis lex ex omnibus aliis testimoniis, supra n. 47. memoratis.

60 Arg. 3. in tertiam resolutionem: Martyrium non causat gratiam nisi intuitu charitatis, & fidei; sed infantes non sunt capaces exercitii alicujus virtutis: ergo nec Martyrii. Prob. majorem: Martyrium est actus charitatis, & fortitudinis, ac fidei, saltem imperativè, aut alterius virtutis propter Deum: ergo Urgetur: Ideo Martyrium prædesse puenis in casu necessitatis, quia supponitur tunc non adesse aliud medium salutis; sed hoc est falsum: ergo. Prob. minorem: Tunc posset illis applicari fides, & meritum parentum, aut propinquorum; sed hoc esset medium sufficiens saluti eorum: ergo falsum est, quod tunc non esset aliud medium. Prob. min. Istud remedium sufficiebat in lege naturæ pro omnibus, & in lege Scripta pro foeminis, & pro parvulis ante octavum diem decedentibus: ergo in lege gratiæ multo melius. Deinde, D. Bernardus Epist. 77. ad Hugonem a Sancto Victore videtur asserere, ad Martyrium requiri necessariò fidem, & desiderium recipiendi illud, quorum neutrum reperiri potest in parvulis.

61 Respondeo, distinguendo majorem. In adultis, concedo: in infantibus, nego majorem, & similiter distinguo probationem. Itaque Marty-

Bb2

ty-

tyrium præcisè sumptum nihil aliud est, quàm mors pro Dei gloria tolerata, vel in odium fidei, aut Religionis illata, qualiter ab actu virtutis præsciindit. Sic evenire potest in parvulis, & in Innocentibus evenit. In adultis verò, in quibus Martyrium voluntariè toleratur, est actus virtutis charitatis, fortitudinis, & fidei, aut Religionis. Hos actus, vel charitatem saltem, necessarios esse præviè, vel ad minus concomitanter ad Martyrium, omninò est certum: quinimò implicat, adultum fidelem pro Christo velle animam fundere, & de facto se exponere absque eo, quòd habeat charitatem. *Fidelem* dixi; quia si Hæreticus pro articulo, quem credit, occideretur, non esset Martyr dicendus, eò quòd Christo per veram charitatem, & fidem infusam non uniretur. Utrique autem huic Martyrio, tam infantium, quàm adultorum, voluit Deus gratiam, aut ejus augmentum esse annexum, ut Ecclesia, & Patres in assertionem adducti clarissimè testantur. Ad Confirmationem nego minorem, & majorem probationis, & distinguo sequentem maj. Sufficiebat hoc remedium, nempe, fidei, cum aliquo signo externo Sacramentali, concedo: purè interno, aut sola fides interna, nego. Solutio constat Tract. anteced. Disp. 1. quæst. 2. conc. 2. Vide dicta ibi, ac de Circumcisione pro lege Scripta quæst. 3. Ad ultimum dico, D. Bernardum loqui de adultis, & ratione utentibus, qui utique consentire debent, & non invitè Martyrium subire: hic autem consensus à fide, & à charitate est eliciendus. Unde S. Bernardus Serm. de SS. Innocentibus distribuit omnes Martyres in tres classes. In 1. illos reponit, qui voluntate, & opere externo Martyrium consummant. In 2. eos constituit, qui Martyrium fecerunt solùm voluntate, & desiderio, ut S. Martinus, & Seraph. P. Franciscus, quibus non Martyrio voluntas, sed voluntati defuit Martyrium, In 3. eos

ordinat, qui opere dumtaxat externo Martyres sunt. Martyrium primi, & secundi ordinis, ne frustraneum sit, debet esse actus virtutis: non verò ita posterioris ordinis, in quo ipse D. Bernardus Innocentes collocat, & eos fuisse veros Martyres, pronuntiat.

62 Si inquiras: *An Baptismus sanguinis dignior sit Baptismo fluminis?* Respondeo, quòd est, & quòd non est secundum diversam considerationem. Dignitas igitur, & præminentia illorum conspicitur ex consideratione effectuum. Isti sunt in hoc utroque Baptismo, in liberando hominem à malo, & ordinando ad bonum. Utraque efficacia, nempe, in liberando à malo, & ordinando ad bonum sumi potest, vel extensivè, vel intensivè. Unde dico 1. *Quòd Baptismus fluminis in liberando à malo excedit extensivè Baptismus sanguinis;* quia plures personas liberat à peccato, cum plures recipiant Baptismus, & pauca Martyrium: intensivè verò, & in quantum ad detenda peccata equalis sunt efficaciam in parvulis, & in adultis, supposita debita dispositione. Si autem Martyrium in adultis oriatur ex charitate perfecta, tunc solùm poterit remittere venialia, cum mortalia jam supponat remissa. Dico 2. *Quòd in ordinando ad bonum etiam præcellit Baptismus aquæ;* quia dat gratiam gratiam datam, scilicet, characterem, & gratiam gratum facientem, nempe, sanctificantem, tribuitque jus ad plures gratias auxiliantes: at verò Baptismus sanguinis non tribuit characterem, per quem anima distinguitur, & ad gratiam præparatur: solùmque confert gratiam gratum facientem; & apud asserentes, Martyrium solo adulto Deo jam grato prodesse, solùm illam consummat. At verò intensivè efficacius ordinat ad bonum Baptismus sanguinis; quia statim, & sine mora perducit ad gloriam, & baptizatus hoc Baptismo perfectiorem, ac gloriosiosem consequitur palmam.

nam. Hæc fere ad litteram ex Seraph. Doct. D. Bonaventura dist. 4. p. 2. art. 2. q. 2.

QUÆSTIO VII.

De materia tam remota, quàm proxima Sacramenti Baptismi.

63 **D**uplex materia assignatur in Sacramentis, quæ in usu consistunt, & circa utramque in Sacramento Baptismi plurimæ controversiæ excitantur, & Authores in plures opiniones dividuntur. Propter hæc quæstio proposita per varias Conclusiones est resolvenda, & ejus difficultas evacuanda. Ad hoc notari oportet 1. ex Subt. Doct. 4. dist. 3. q. 3. n. 2. materiam Sacramentorum talem dici analogicè, & secundum quamdam proportionem, quam habent res sensibiles, deservientes Sacramentorum confectioni, cum materia, quæ est pars compositi physici. Hæc analogia, & proportio stat in eo, quòd sicut in composito physico materia ex se est indifferens ad varias formas, & per particularem formam determinatur ad aliquam specialem compositi constitutionem; ita in Sacramentali composito illud obtinet rationem, & appellationem materiæ, quod ex se est indifferens ad diversa munia, & varias applicationes: determinatur verò ad rem Sacram determinandam, & efficiendam per Sacramentalia verba, & intentionem Ministri Sacramentum conficientis. Notari oportet 2. ex eodem Doct. & ibidem, materiam Sacramentorum, quæ in usu rei sensibilis, & in actione Ministri consistunt, qualis est Baptismus, *remotam, & proximam* esse. Remota est res sensibilis, quæ sumitur ad Sacramentum cum ea conficiendum, ut *chrisma* in Confirmatione, *aqua* in Baptismo. Proxima est ipsius rei sensibilis usus, & applicatio, ut *unctio*, vel applicatio chrismatis in fronte Confirmandorum,

& *ablutio* in Baptismo. At verò, quia aqua alia est naturalis, alia artificialis, & destilata: pariter, cum ablutio alia sit per aspersionem, alia per immersionem, & alia per infusionem, circa omnia hæc statuenda dividuntur magna ex parte Catholici Doctores. Sed priusquam nostrum judicium aperiamus, referre placet plura deliramenta Hæreticorum, circa materiam remotam Baptismi plurimùm aberrantium.

64 Itaque errores præcipui erga Baptismi materiam, aliis relictis, videndis apud P. Berti lib. 31. de Theologicis disciplinis. cap. 4. sunt sequentes. *Manichei*, teste D. Augustino hæres. 46. cum asseruissent, omnes res corporeas, & elementa à Deo malo, seu Diabolo condita esse, dixerunt etiam, Baptismus in aqua nihil conferre ad salutem. Quare in baptizandis suis sectatoribus nec aquam, nec aliquid hujus generis adhibuerunt. *Martionista*, refert Theodoretus lib. 1. hæretic. fabularum, idem crediderunt de productione rerum corporearum à malo principio: sed tamen, propter Domini præceptum, aqua utebantur in suo Baptismo. *Flagellantes*, sic dicti, quia sanguinem ex propria carne per flagella fundebant, in sanguine constituerunt Baptismi materiam. Hi, ut referunt omnes, qui veterum, & recentiorum Hæreticorum historiam, & indicem texuerunt, turmatim per vicos, & plateas errantes, maximè in Germania, mundi spretis divitiis, paupertatemque Evangelicam sese profiteri janctantes, ajebant, Baptismus aquæ suo tempore jam periisse, atque omnes quotquot salvi fieri optarent, proprio sanguine per flagella baptizari debere. *Seleuciani, ac Herminiani* aqua non utebantur, pravè intelligentes illud Baptistæ: *Ego vos baptizo in aqua... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*. Unde putaverunt, usum aquæ solius Baptismi Joannis fuisse proprium. *Jacobita* idem Joannis

nis oraculum perverso sensu accipientes, ferro ignito, & candente in infantium fronte, vel genis imprimebant crucem. Sic refert Sanderus lib. 3. de visibili Monarchia, & Prateolus verbo *Jacobita*. Pauliciani, aquam non adhibentes, utebantur solum his Christi verbis: *ego sum aqua viva*. Verum isti Hæretici non tantum videntur errasse circa Baptismi materiam, sed circa ipsum Sacramentum, putantes, ad salutem non esse necessarium. Qui directe negarunt, aquam necessariò esse materiam Baptismi, fuerunt Lutherus, qui in colloquiis synopiacis, id est, convivialibus, cap. 7. asseruit, sufficere ad Baptismum *vinum*, & quidquid rationem balnei habere potest. Calvinus lib. 4. instit. idem docet. Beza id ipsum censuit epist. 2. ad Thomam Tiliam, dicens, quocumque liquore Baptismum posse licite conferri. Et quod plus est, ut notat Vossius disp. 1. dicere est ausus, non aliter sentire Scholasticos. Hanc pravam opinionem adoptarunt Novatorum complures, Hinc nonnulli, sedente Stephano III. puerum in solo vino baptizarunt: quidam alii tempore Gregorii IX. cum deesset aqua, baptizarunt *cervicia*. Error iste secutus est & fere omnibus modernis Hæreticis. Contra hos omnes stabilitur.

65 Conclusio I. *Materia remota Baptismi est sola aqua naturalis*. Est de fide expressè definita in Conciliis Lateranensi sub Innocentio III. in Florentino sub Eugenio IV. in decreto Unionis, ubi dicitur: *Materia hujus Sacramenti est aqua vera, & naturalis, nec refert, frigida sit, an calida*. Et denique in Tridentinosess. 7. can. 2. Sic decernitur: *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi: atque idè verba illa Domini nostri Jesu-Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorsevit, anathema sit*. Eandem veritatem luculenter docet Doct. Subt. 4.

dist. 3. quæst. 3. per hæc verba: *Aqua est materia remota, quæ applicatur corpori in ista lotionè: & quidem aqua naturalis ad distinguendam aquam artificialem: quia aquæ illæ, quæ communiter dicuntur artificiales, sunt corpora quædam mixta, & non dicuntur aquæ, nisi æquivocè*. Constat præterea expressè ex Sacris Scripturis: nam Actor. 8. ait Eunuchus ad Philippum: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? & descenderunt uterque in aquam... & baptizavit eum*. Et Act. 10. dixit Petrus: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut baptizentur hi, qui Spiritum acceperunt, sicut & nos?* Omitto alia quamplura Scripturæ loca, in quibus aperte legitur, Baptismum confici debere in aqua. Constat denique ex perpetuo usu, & universali traditione Sanctæ Ecclesiæ, necnon ex constanti doctrina SS. Patrum, Augustini lib. 3. de doct. cap. 10. Irinei lib. 3. contra Hæreses, cap. 19. Nazianzeni oratione 40. Cypriani Epist. 65. Hieronymi Epist. 83. qui omnes, & posteriores alii Patres unanimi calculo docent, aquam naturalem esse materiam legitimam, ac necessariam Baptismi. Alia tamen ratio hujus rei assignari à priori non potest præter voluntatem Dei, cui placuit, hoc tam necessarium Sacramentum in elemento communissimo instituere: rationes verò congruentiæ ab Authoribus assignantur plures, apud ipsos videndæ.

66 Ex his infertur 1. ad Baptismum validè conferendum sufficere quamlibet aquam, modò sit naturalis, sive fontis, sive putei, sive pluvie, sive fluminis, aut maris; sive resoluta ex nive, grandine, glacie: sive clara, aut turbida, aut colore tincta, & licet transierit per sulphureos meatus, aut cineres. Et generaliter validus est Baptismus collatus in aliquo liquore, qui in communi sensu est, & vocatur aqua vera naturalis, & elementaris, sive usualis. Infertur 2. quòd *cervicia*, jusculum aqua,

benè decoctum, sudor, lac, urina, lacrymæ, sputum, saliva, phlegma, aqua ex rosis, vel aliis floribus, & herbis distillata non est Baptismi materia valida. Tales enim non dicuntur aquæ simpliciter, sed æquivocè, habentque qualitates diversas ab elementari, & fiunt per coctionem ignis decoquentis, & resolventis: ignis autem non habet vim conversivam corporum mixtorum in aquam elementarem; quæ omnia luculenter explicat Doct. Subt. loc. supra citato. Infertur 3. aquam lutosam, arenosam, & impuram validam esse Baptismi materiam: modò illa impuritas tanta non sit, ut aqua à ratione, & statu aquæ naturalis, aut elementaris non recedat. Hoc clarè, & solidè explicat Doct. ibidem. Et prosequitur, aquam in spongia imbibitam, vel in spisso luto, & sic de aliis, dum non deserviunt ad abluendum, non esse materiam Baptismi. Si verò ex liquore aliquo inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea Baptismus fieri. Sic etiam D. Thomas sentit. Hinc est, apud utrumque Doctorem, quòd si aqua vera, & naturalis solum transmutatione accidentaria transmutata fuerit, ita ut retineat naturam aquæ naturalis, & sit apta ad abluendum, pro materia Baptismi sufficet. Quare aqua vino in ea quantitate mixta, quòd vinum notabiliter excedat, & magis sit aqua, quàm vinum, seu ea mixtio corpus illud à natura aquæ naturalis non solvat, est valida Baptismi materia. Similiter de aqua decoctionis carniùm, quam jusculum vocamus, aut aliarum rerum, dum modò non sit tanta resolutio corporum lixatorum, ut illa, plusquam de aqua, habeant de alia substantia.

67 Infertur 4. quòd extra casum necessitatis unicè potest licite uti ad baptizandum aqua pura, naturali, ac benedicta. Hujus aquæ benedictionis mentionem fecit S. Dionisius lib. de Cœlest. Hierarch. cap. 2. S. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 6.

S. Augustinus hom. 27. S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 2. ubi significat, aquæ benedictionem, & consecrationem esse Apostolicam traditionem. Rituale Romanum tit. de Sacram. Bapt. docet, aquam istam benedici debere in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes, his verbis: *Aqua solemnè Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quæ in fonte mundo nitida, & pura diligenter observetur*. Et quidem Ecclesia summà curat sollicitudine, ne usquam, extra casum necessitatis, Baptismus solemnè administraretur sine ejusmodi aqua benedicta. Unde Rituale Romanum ubi supra præclarè monet sic: " Si aqua benedicta tam
" imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta administrari potest; in minori tamen quantitate. Si verò corrupta fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem benè mundum, ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat. Sed si congelata sit, curetur, ut liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiscere aquæ baptismali in vasculo ad id parato, & ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infanti."

68 Arg. 1. Non est ratio efficaciter convincens, Baptismum necessariò in aqua conferendum esse, ut validum sit: ergo ejus materia non est necessariò aqua naturalis. Prob. antecedens: Validus fuit Baptismus collatus in aliis materiis: ergo. Prob. antecedens: Tum; quia legitur, Judæum morientem baptizatum fuisse in arena humida fontis, defectu aquæ. Tum; quia dicitur, Sacerdotem, deficiente aqua, & urgente necessitate, vino baptizasse infantem, circa annum 764. consultusque Stephanus II. & juxta alios Stephanus III. respondit: *si in vino quis, prop-*
te-

fered, quod aquam non inveniebat, infantem omnino periclitantem baptizavit, nulla ex inde illi adscribitur culpa: infantes sic permaneant in Baptismo: si aqua adfuit praesens, Sacerdos ille excommunicetur, ergo saltem in casu necessitatis in alia materia baptizari potest, & consequenter validus est Baptismus in aliis materiis. Confirmatur ex Scriptura, quae distinguit Baptismum Christi à Baptismo Joannis, eo quod iste fiebat in aqua, ille vero in igne, & Spiritu Sancto: ergo noster Baptismus, qui est Christi, debet fieri non in aqua, sed in igne.

69 Respondeo, negando utrumque antecedens. Ad primam probationem dico, illum Judaeum factum illo non fuisse baptizatum: Deus tamen propter Judaei, & sociorum fidem, ei dedit sanitatem miraculose, & baptizatus fuit postea rite. Ad secundam dico 1. frivolum, ac falsum esse, quod objicitur ex Stephano, cujus non satis extant authentica, & certa testimonia, ut à pluribus eruditissimis Theologis adnotatur. Unde negatur talis casus, & tale Papale responsum. Sed casu gratis admissio, respondeo, Papam ibi non decidere de valore Baptismi, sed de culpa Sacerdotis, nempe, nullam culpam, nec poenam ei esse adscribendam, si hoc fecit deficiente aqua: eo quod innocenter, & bona fide putaverat, melius esse illam materiam adhibere, quam infantem sine aliquo remedio mori, & quidem in statu damnationis. Unde constructio textus sic emendari debet: *Nulla ei adscribitur culpa, si sic infantes permaneant. Quare subditur: Nam, si praesens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur, & poenitentiae submitatur; quia contra Canonum sententiam agere praesumpsit.* Non ergo fit quaestio de valore Baptismi, sed de culpa, vel poena baptizantis: ob quod si tales infantes periculum evaserint, aqua debent legitime baptizari. Ad confirmationem negatur consequentia: siquidem per

illa verba significatur inefficacia Baptismi Joannis, qui erat in aqua pura pure materialis, & non verum Sacramentum, sicut noster, qui confert gratiam, seu charitatem, figuratam in igne, qui symbolum est Spiritus Sancti. Videatur quaest. 4. per totam.

70 Arg. 2. Aqua artificialis est ejusdem substantiae cum naturali: ergo sufficit ad Baptismum; deficiente saltem aqua naturali. Prob. ant. 1. ubi sunt eadem accidentia, ibi est eadem substantia; substantia namque cognoscitur ex accidentibus sibi connaturalibus; sed aqua elementaris, & artificialis habent eadem accidentia, scilicet, humiditatem, frigiditatem, perspicuitatem, & ejusmodi alia: ergo. Prob. 2. Si aqua elementaris non esset ejusdem substantiae cum artificiali, & artificialis cum elementari, sequeretur, illam esse aliquod corpus mixtum; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. Tum: corpus mixtum crassius est elementari; sed artificialis aqua subtilior est, aut saltem non est crassior elementari: ergo artificialis aqua non est corpus mixtum. Tum: omne corpus mixtum constat ex elementis: subindeque omnis liquor constat ex aqua elementari: ergo illa aqua elementaris elici posset ex liquore mixto, beneficio artis elixativae, ac distillativae: nam ex Aristotele lib. 1. de generat. text. 38. *miscibilia possunt à mixto separari:* ergo aliquis potest adhibere activum passivo ad faciendum talem separationem: ergo aqua artificialis separata à mixto fieri potest elementaris. Denique: Aqua Baptismi figuratur per illam, quae fluxit ex latere Christi; sed haec fuit phlegma, aut humor caerosus, & non aqua naturalis: ergo Baptismus in tali aqua caerosa esset validus. Maj. docetur à SS. Patribus, Cypriano, Hieronymo, & Augustino.

71 Respondeo ad omnia haec cum Subt. Doct. citato, negando antecedens,

dens, & distinguo probationem: Habent eadem accidentia genericè, concedo: specificè communia, nego minorem. Dum accidentia specificè sunt communia, tunc probatur, in pluribus eadem esse specificam substantiam: non verò dum solùm sunt communia genericè: aliàs vinum album esset ejusdem substantiae, ac speciei cum aqua; nam habent plura, & eadem accidentia communia. Ad 2. probationem nego min. & min. 1. probationis. Etsi aliqua artificialis aqua subtilior videatur; quia magis penetrativa, ut constat de ea, quam spiritum vini appellant, quam elementaris: tamen ista subtilitas non est subtilitas simpliciter, sed virtutis activae ob spiritum igneos, qua ratione vinum dicitur aqua subtilius. Subtilitas autem conveniens aquae elementari est subtilitas simpliciter, eo modo, quo elementum simpliciter est mixto. Ad 2. probationem negat Doct. ullam aquam artificialem posse dici naturalem quacumque arte; nam ars non potest ex mixto transformare immediate elementum. Sicut enim agit motu ordinato per medias formas in producendo mixto, pariter eisdem mediis formis uti debet in eodem resolvendo. Unde contingit, mixtum non resolvi in idem elementum, ex quo fit, sed in aliud mixtum, ut lignum in cineres. Praeterea, admissio, quod elementa formaliter manent in mixto, quod à celebrioribus antiquis Doctoribus negatur, & quod ex mixtis illa aqua erui posset, semel quod asseratur, illam esse aquam elementarem, ut argumentum videtur intendere, tunc nullum esset inconveniens dicere, eam fore veram materiam Baptismi. Ad ultimum respondeo 1. negando min. cum Subt. Doct. dicente: *Innocentius respondet, quod illa aqua, quae fluxit de latere Salvatoris, non fuit phlegma, sed vera aqua.* Resp. 2. negando consequ. Tum; quia figura, & figuratum non semper debent physicè

Tom. I.

assimilari: alioquin propter eandem figuram posset infundi in calicem phlegma, aut sputum pro aqua. Tum; quia Baptismus etiam figuratur in aqua maris rubri, & in ea, quam de petra eduxit Moyses, & in aliis, quae fuerunt naturales: ergo ex ea figurazione nihil rectè inferitur contra materiam stabilitam Baptismi.

72 Petes: *An sal in aquam resolutum sit materia apta Baptismi?* Respondeo, sub dubio esse. Existimant nonnulli, quod sicut ex aqua, & hordeo generatur cervisia, tamquam corpus mixtum, ita vi caloris solis ex aqua salsa corpus mixtum distinctum exurgat, quod proinde resolvitur, non in aquam elementarem, sed in alium liquorem. Alii existimant, eandem esse rationem de sale, ac de gelu, nive, & grandine. Unde quemadmodum haec nihil aliud sunt praeter aquam, nimio frigore densatam, ita pariter sal nihil aliud est, quam aqua marina aestivo sole condensata: proindeque per resolutionem videtur suam priorem aquae naturam recipere. Utraque sententia est probabilis, ex quo sequitur, quod ad minus liquor resolutus ex sale est materia dubia Baptismi, adeoque dumtaxat usurpanda tempore necessitatis. Sed advertendum, resolutionem illam, sive salis, sive nivis, aut grandinis supponi debere jam factam, priusquam assumatur à baptizante, ut sic applicet materiam aptam ablutioni. Unde, si tantum imponeret nivem, aut grandinem super caput baptizandi, quae resolveretur per ejus calorem naturalem, tunc Baptismus nullus esset; quia eo in casu Minister non ablueret, sed baptizandus se ipsum lavaret.

73 Conclusio II. *Materia proxima Baptismi est ablutio ab alio facta, & in corpore suscipientis recepta.* Est communis inter Theologos. Ante probationem est notandum, ablutionem, seu lotionem duplicem esse,

Cc

esse,

esse, unam *activam*, aliam *passivam*. Activa est ipsa aquæ motio facta à baptizante in baptizatum: passiva est ipsa aquæ motio super baptizatum, quatenus successivè tangit ipsum. Seu activa est actio à Ministro facta, & ipsum denominans baptizantem: passiva est ipsa actio, ut recepta in corpore baptizati, illum baptizatum, seu ablutum denominans. Utrum verò lotio, in qua simul cum forma ratio proxima signi Sacramentalis, seu significatio gratiæ baptismalis fundatur, sit ablutio activa, vel passiva, vel utraque simul? non unanimiter conveniunt Doctores, nec Scotistæ erga mentem Subt. Mag. Aliqui cum Suarrio disp. 20. sect. 2. colligunt, Doctorem sentire, abluitionem Sacramentalem potius consistere in actione Ministri, quàm in passione, seu receptione baptizati, eò quòd inquit: *Sacramentum est actio ipsius Ministri*: ergo & Baptismus ex parte materiæ proximæ erit lotio, ut facta à Ministro. Alii per oppositum, & hæc est sententia communior, asserunt, Scotum sensisse, abluitionem passivam esse materiam proximam Baptismi; quia in 4. dist. 6. q. 2. n. 4. ait: *Quòd Sacramentum Baptismi magis est baptizatio passiva, quàm activa*. Alii cum Irribarne existimant, hac in re Scotum problematicum fuisse. Alii demum cum Frassenio, & Dupasquier existimant, materiam proximam Baptismi in utraque abluitione, tam activa, quàm passiva, consistere: quia cæremonia sacra Baptismi fieri non potest separatim ab illa passione, sive receptione actionis in subjecto, neque vicissim passio sine actione. Unde utraque ingredi debet conceptum abluitionis Sacramentalis. An autem ratio formalis, & essentialis Sacramenti magis tribuenda sit actioni, quàm passioni: vel é converso; an verò utriusque competat æqualiter? res est, inquit Frassenius, parvi momenti, ac utilitatis.

74 Prob. 1. Conclusio ex Subt. Doct. dist. 3. q. 3. dicente: *Proxtimum (loquitur de materia Baptismi) est ipsa ablutio visibilis: ipsa enim cum verbis, tamquam signum proximum, significat effectum Baptismi*: ergo lotio, in qua proximè fundatur, simul cum verbis formæ, significatio gratiæ baptismalis, includit lotionem, quam infans recipit à baptizante, & lotionem ipsius baptizantis, prout illa ab isto recipitur in baptizato: ergo importat utramque lotionem: etenim impossibile est, Sacramentum stare sine utraque: ergo materia proxima Baptismi est ablutio, prout à Ministro facta, & prout in baptizato recepta. Prob. 2. ex illis Christi verbis: *Baptizantes eos &c.* id est, abluentes, in quibus Dominus præcipit lotionem; sed lotio hæc debet esse à Ministro, debetque esse actio ablutiva, tam activa, quàm passiva: nam si una sine alia verificaretur, non esset Sacramentum, ut est per se notum: ergo ad Sacramenti rationem utraque tamquam necessaria ingreditur. Si dicas: materia proxima Eucharistiæ non est consecratio, nec manducatio: ergo nec Baptismi erit ablutio: nego consequentiam. Disparitas est obvia: nam Sacramentum Baptismi in usu consistit, Eucharistia verò in esse permanenti: ideòque, licet à nemine detur, aut sumatur, est Sacramentum.

75 Conclusio III. *Baptismus valide confertur, sive per effusionem, sive per aspersionem, sive per immersionem*. Est dicere, quòd ablutio Sacramentalis triplici prædicto modo fieri potest. Ratio est; quia cum Christus Dominus, statuendo, materiam proximam hujus Sacramenti esse abluitionem, non determinaverit modum, quo illa ablutio in ipsum baptizatum fieri deberet, ille triplex baptizandi modus diverso tempore secundum rerum exigentiam, & opportunitatem ab Ecclesia fuit usurpatus. Per *aspersionem* fit, quando quis aqua

asper-

aspergitur: per *immersionem*, ut dum quis in aquam immergitur: & per *effusionem*, dum aqua supra baptizatum vase, vel manu effunditur. Conclusio est omnium Theologorum, & à Subt. Doct. expressè docetur. Prob. Quocumque ex illis modis fiat lotio, salvatur materia instituta à Christo quoad substantiam: etenim semper est sensibilis baptizatio, quam Christus præcepit, dicens: *Baptizantes eos &c.* Et quicumque baptizatus fuerit &c. sed hoc salvato sub debita forma verè confertur Baptismus: ergo. Confirmatur: Constans est apud Theologos, S. Petrum Baptismum contulisse per aspersionem, dum, ut Act. 2. legitur, quinque millia hominum baptizavit ab hora nona usque ad solis occasum. Cum enim hoc fieri tunc non potuisset per aquæ infusionem supra singulorum caput, aut eorum immersionem, meritò colligunt Theologi, Petrum, & alios Apostolos illa die baptizasse per aspersionem: unica enim, aut saltem paucis aspersionibus poterant plures baptizare simul. Et D. Thomas part. 2. quæst. 66. artic. 7. putat, S. Laurentium baptizasse per aspersionem: isteque per aliquot sæcula usus fuit Ecclesiæ Latinæ. Pariter constat, quòd Apostoli usi sunt aliquando immersione, ut cum Actor. 8. Philippus, & Eunuchus *descenderunt uterque in aquam*. Præterea, mos postea ab Apostolis invaluit, ut Baptismus per trinam fieret immersionem. Tandem rationabili de causa ab Ecclesia sancitum est, ut Baptismus dumtaxat conferretur (extra casum necessitatis) per aquæ infusionem in caput, aut aliam notabilem partem corporis baptizati. Sequitur ergo evidenter, quòd Baptismus collatus altero ex tribus prædictis modis validus esset, quamvis nunc solum liceat baptizare per infusionem ex præcepto Ecclesiæ.

76 Conclusio IV. *Ad valorem Baptismi requiritur ablutio notabilis, tam quoad partem corporis, quàm quoad quantitatem aquæ: at verò unica*

ablutio sufficit. Prima pars est satis communis, & docetur expressè à Subt. Doct. dist. 4. quæst. 3. ubi determinat, *puerum in utero matris non posse baptizari; bene verò, si pars principalis ejus extra maternum uterum appareat, ut caput. Si autem apparet pars minus principalis, scilicet, manus, vel pes, illa est baptizanda; quia ibi est tota anima, licet non omnis sensus, sicut in capite. Et si hoc minus sufficeret ad hoc, ut esset simpliciter baptizatus, si nasceretur postea vivus, esset sub conditione baptizandus, ut docetur Extrav. de Baptismo, & ejus effectu, cap. De quibus*. Hæc Doct. Subt. cui per omnia consonat Angelicus part. 3. quæst. 68. artic. 11. Probatur eadem pars ex communi Ecclesiæ praxi: nam in Rituali Romano, tit. de Sacramento Baptismi statuitur, & præscribitur, quòd notabilis pars, imò & præcipua trina abluitione perfundatur. Secunda pars, nempe, quòd ad sacramentalem abluitionem requiratur pars notabilis, hoc est, quòd non sufficiat una, ac minima aquæ guttula, patet ex eo, quòd homo moraliter, & juxta Sapientium communem estimationem non rectè dicitur lotus, & ablutus, nisi per abluitionem, quam Christus instituit pro materia proxima Sacramenti Baptismi. Unde, ut Gonzal. Math. Tract. de Bapt. in Summ. Moral. advertit, ablutio ad hujus Sacramenti valorem talis debet esse, ut aqua aliquo motu successivo fluat: si namque guttula adeò minima sit, ut immota omnino in parte, quam tetigit, permaneat, non verificaretur ablutio per præcisum aquæ contactum, eò quòd ultra contactum, ad veram abluitionem necessè sit, quòd intercedat aliquis motus successivus aquæ, aut quòd hæc per corpus, quod labat, fluat. Videatur Reiffenstuel tract. 4. dist. 3. q. 2. à n. 13.

77 Pars 3. Conclus. scilicet, unicam abluitionem sufficere ad valorem Baptismi, communis est apud omnes

Cc 2

nes

nes Catholicos, imò de fide, quam definiuit S. Gregor. Mag. lib. 1. Epist. 41. ad Leandrum Hispalensem Episcopum, cuius decretum refertur in Concilio 4. Toletano, cap. 5. in illoque iuvetur, *Baptismum deinde unica immersione fieri.* Hoc statuit hoc Concilium ad extinguendum Schismata, quæ oriebantur in Hispania ex diversitate opinionum circa trinam immersionem. Nec verisimile est, Concilium ex nobilioribus Ecclesiæ Hispanicæ Episcopis adunatum errasse in solemnī, & essentiali administratione Sacramentorum: ergo una, aut trina ablutio est sufficiens ad validam Baptismi administrationem. In sensu itaque, in quo Concilium Toletanum procedit, S. Greg. Epist. cit. illud approbans, dicit: *reprehensibile esse asserere, infantem in Baptismate trina immersione baptizandum esse.* Quòd autem Concilium unicam immersionem præceperit, ut exterminaret hæreticæ dogmæ, asserens, trinam esse necessariam necessitate Sacramenti, manifestum fit ex ejus verbis: *Propter vitandum autem Schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, ne videantur apud nos, qui tertium mergunt, Hæreticorum approbare assertionem.*

78 Arg. 1. adversus 3. Conclusionem: nam contra 1. jam sunt argumenta soluta, & nihil occurrit momenti contra 2. Per Baptismum configuramur Christo Domino mortuo, sepulto, & resurgente, ut constat ad Rom. 6. sed per Baptismum per infusionem, nec per aspersionem, non configuramur Christo moriente, & resurgente; quia representatio mortis, & Resurrectionis Christi fieri non potest nisi per immersionem, & emersionem, cum per alia Baptismata non inducamur, nec educamur ex aqua: ergo solus Baptismus per immersionem est validus, & consequenter falsa est nostra assertio. Confirmatur: Sola ea ablutio est sufficiens materia proxi-

ma Baptismi, quam hoc verbum *Baptizo* directè importat, & significat; sed non significat contactum aquæ ad corpus utcumque, sed eum dumtaxat, qui fit per immersionem: ergo. Respondeo negando majorem, loquendo de Baptismo in se sumpto, & concedendo de illo, ut involvit suum effectum: nam per gratiam sanctificantem morimur, & sepelimur peccato, & resurgimus, seu generamur Deo. In hoc sensu loquitur Paulus, & explicandi sunt Patres, qui eodem modo loquuntur. Vel dicendum, abluitionem baptismalem secundariò tantum ordinari ad Christi sepulturam significandam: per se verò, & primariò ad significandam abluitionem animæ à peccato, ut præclare docet D. Ambros. lib. de bono mortis cap. 2. & D. August. Serm. 9. de tempore. Ad Confirmationem negatur minor. Quamvis enim verbum *baptizo* nihil aliud significet secundum suam derivationem grammaticalem ab idiomate Græco: tamen ab Ecclesia usurpatur ad omnem, & quamlibet abluitionem significandam, sive fiat per infusionem, sive per aspersionem, sive per immersionem. Quòd utique apertius ex eo constat, quòd numquam reprobaverit Baptismum per infusionem, vel aspersionem aquæ collatum, tamquam nullum, & invalidum; quin potius usa est triplici baptizandi prædicto modo pro diversitate, & circumstantiis temporum, ac pro diversis moribus Ecclesiarum particularium. Et nota, quòd dum Fabianus Antiochenus, ut refertur, qui per aspersionem Novationum quemdam baptizaverat, consuluit Cornelium Papam, qui talem Baptismum non approbavit, vel ad minus de illo Pontifex dubitavit, hoc dubium fuit non de valore essentiali, cum ex dictis num. 75. Apostolos sic baptizasse constet, sed de valore effectus quoad gratiam sanctificantem. Petierat enim Novationus ille in extremis Baptismum, quem

toto

toto vitæ tempore contempserat; & ideò Papa meritò dubitavit, an syncerè, & cum debita dispositione eo in statu petierit, ac receperit.

79 Arg. 2. adversus 4. Conclusionem, & insimul adversus 3. Tum: Can. 50. Apostolorum sic decernitur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter non trinam mersionem unius Mysteriorum celebret, sed semel mergat in Baptismate, deponatur.* Pelagius Papa Epist. ad Gaudentium videtur asserere, trinam mersionem esse à Domino præceptam. Deinde D. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Tertullianus lib. de Corona Militum asserunt, trinam mersionem recensendam esse inter traditiones non scriptas. Eunomius denique damnatus fuit à Concilio I. Constantinopolitano, eò quòd trinam mersionem in Baptismo auferret, eumque conferri vellet una mersione, ut Theodoretus lib. 4. cap. de Eunomio refert. Eodem sensu videntur loqui alii Patres, & intendere, necessariam in Baptismo esse trinam mersionem, ut sic tres Personæ distinctæ SS. Trinitatis represententur expressè, & distinctè: cum ergo hæc trium Personarum expressio sit de Baptismi necessitate, pariter dicendum est de mersione, ac per consequens sola una non sufficit aspersione, aut infusio.

80 Respondeo 1. illum Canonem à pluribus nullius esse authoritatis, eò quòd non credatur esse ab Apostolis. Respondeo 2. nec Canonem, nec cætera argumenti nobis adversari. Canon enim ille non decernit, unicam mersionem esse contra præceptum Domini, sed Baptismum collatum sub invocatione mortis Christi. Similiter Pelagius Papa refert Evangelicum præceptum non ad trinam mersionem, sed ad trium Personarum invocationem; nam loquitur de his, qui Eunomii hæreses sectantes baptizabant una mersione, & unice in nomine Christi. Unde ait: *Multi sunt, qui in nomine solius Christi,*

una etiam mersione se asserunt baptizatos. Et definiens postea, hos Hæreticos ad Ecclesiam revertentes rebaptizandos esse, nihil meminit de trina mersione, sed solum de invocatione Trinitatis. Similiter Eunomius non fuit damnatus præcisè, quia trinam tolleret mersionem, sed quia non adhibebat trium divinarum Personarum invocationem; baptizabatque vel in nomine Christi mortui, vel Patris increati, Filii creati, & Spiritus Sancti creati ab utroque, ut sentiebant Ariani. Unde meritò censuit Concilium, ab eo baptizatos iterum esse rebaptizandos. Eunomius itaque & trinam mersionem, & SS. Trinitatis invocationem substulit, atque ita contra præceptum Divinum, & Ecclesiasticum sensit: contra Divinum, quia mandata est à Christo in Baptismate trium Divinarum Personarum invocatio: contra Ecclesiasticum, quia ex Ecclesiastica traditione servanda est trina mersio, & hoc solum est, quòd citati Patres innuere volunt. Ab Ecclesiæ namque primordiis usque ad tempora Gregorii Magni trina immersio semper usitata fuit, eamque non esse necessariam statuit, ut Ariatorum errorem cohiberet, ut num. 77. dictum est. Denique illa trina mersio non tantum fiebat propter Trinitatem Personarum representandam; quòd utique expressius, & formalius fit per formam, quantum propter tri-duanam Domini sepulturam significandam, ut Concilium Toletanum Can. 5. testatur per hæc verba: *Nos autem, quòd tertio mergimus, tri-duanæ sepulture Sacramentum significamus.*

81 Ex dictis colliges 1. antiquum fuisse Ecclesiæ ritum baptizare per immersionem: Unde tunc peccasset, qui, necessitate seclusa, aliter baptizaret, utpotè recedens in re gravi à tali consuetudine. At verò consuetudo illa modò rejecta est jam ab Ecclesia, sicut autoritate ipsius fuerat introducta; decrevitque, Baptismum solum conferri per effusionem aquæ

su-

supra caput baptizandi, & hoc ubique. Quare dictum. S. Thomæ, art. 2. monentis, tutius esse, baptizare per immersionem, quàm per aspersionem, vel effusionem, sicque baptizandum esse sub pœna peccati, intelligendum est, ut Gonetus ait, pro illo tempore, quo ritus baptizandi per immersionem non erat adhuc immutatus; aliter enim tale assertum esset falsum. Et si quæras: *Cur abolitus est ille antiquus ritus, & nova incepit Ecclesiæ consuetudo baptizandi per effusionem?* Respondeo, hoc factum fuisse pluribus de causis. 1. Propter infantium teneritudinem, cum modò jam Baptismus aduitorum rarissimus sit, & infantes vix possunt immersionem sufferre. 2. Quia, usu Diaconorum cessante, nimis laboriosa evadebat immersio Ministris senibus, & invalidis. 3. Quia præter periculum in pueris, adhuc magis onerosa erat pudori propter fœminas: nam Catechumeni toto immergebantur corpore, & nudi prorsus, etiam fœminæ: istarum verò pudori providebatur: tum, quia distinctum à viris habebant Baptisterium. Tum; quia seorsim, & alia hora baptizabantur. Tum; quia seipsas exuebant, & induebant, vel id ministerio Diaconissarum, aut Monialium fiebat. Colliges 2. quòd licet plures cum Delgadillo doceant, Baptismus in qualibet minima parte corporis ministratum esse validum: si tamen infans postea supervivat, baptizari debet sub conditione, ut monet Subt. Doct. num. 76. laudatus. Quod etiam observari debet, sæmp ac dubitent Doctores de Baptismi valore, ut evenit, quoties circa aliquem casum variantur opiniones.

82 Inquires: *Utrum validus esset Baptismus per immersionem sine emersione*, hoc est, per immersionem occisivam? V. g. si expontè projiciatur adultus, aut infans in flumen, vel puteum, in quo suffocaretur; nec aliter ad aquam pertinere posset. In hujus dubii resolutione Authores sunt

valde divisi. Afirmativam partem tumentur plurimi, nedum Thomistæ cum Goneto, Suario, Vazquez, Bonacina, Valentia, Ledesma, & aliis passim, sed etiam Scotistæ cum Brancato, Delgadillo, Potesta, & aliis. Frequentior verò opinio, maximè inter Scotistas, est negativa. Ita Mastrius, Hiquès, Pontius, Frassenius, Dupasquier, Gonz. Matheo, & frequentissimè cæteri Scotistæ cum Extraneis innumeris. Et quod plus est, Scotistæ eademmet verba Subt. Doct. diverso sensu intellecta, allegant ad suam opinionem tam afirmativam, quàm negativam roborandam. Et observandum, quòd licet apud omnes illicitus esset talis Baptismus; nam projicere puerum in puteum, vel flumen gratia Baptismi, esset directè occidere innocentem, quæ occisió à peccato gravi excusari non potest: sunt tamèn aliqui, etiam ex Nostratibus, existimantes, quòd si baptizandus jamjam animam ageret, licitum esset illum prædicto modo baptizare, quando aliter sine Baptismo moriturus esset. Ratio est, dicunt, quia salus spiritualis, & vita æterna, quam per illum Baptismus acquiret, præferenda est, secundum rectam rationem, exiguo spatio corporalis vitæ, quo ille sine Baptismo vixisset. Imò addunt, Ministrum teneri ex charitate tunc casus sub obligatione gravi ad illius Baptismi applicationem: & si sit Parochus baptizandi, nedum contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccaret, si ita non faceret.

83 Dico tamen: *Probabilius videtur, abluionem occisivam, seu ex qua directè mors sequeretur, non esse materiam validam ad Baptismi Sacramentum.* Sic Doct. Subt. in 4. dist. 4. quæst. 3. num. 3. ubi dicit: *Projectus de ponte non baptizatur; quia hoc non est ad vitam ordinatum, vel lotionem, sed ad mortem.* Ex quibus verbis probatur assertio: Christus non instituit pro materiâ legitima Sacramenti, quod in præjudicium, & detri-

trimentum humanæ naturæ vergit: pariter nec voluit, spiritualem vitam comparari cum dispendio, & jactura vitæ propriæ, loquendo ordinariè: ergo nec approbat, nec instituit illam materiam, seu illam abluionem, ex qua directè sequeretur interitus ipsius baptizati. Prob. antecedens: Christus materiam, & formam Sacramentorum, & maximè hujus, instituit, quæ magis decebat suavem suam providentiam, & habebat rationem lotionis usualis; sed ablutio occisiva non spectat ad suavem Dei providentiam, nec rationem usualis abluionis habet: ergo. Præmissæ videntur certæ, benè in se inspectæ. Confirmatur: Credibile non est, Deum voluisse, abluionem illam esse Baptismi materiam, cui necessariò, & per se annexum est homicidium, & mortale peccatum ex natura ipsius actionis Ministri; sed qui sic puerum, aut adultum baptizaret, aut demergeret, mortaliter peccaret: ergo. Minor patet; quia talis projectio in puteum, aut flumen, ex qua illius vita salvari non posset, esset occisió directà innocentis, ut Doct. docet dist. 5. quæst. 5. num. 1. ubi ait: *Dico, quòd quando præsumitur mors, nullo modo debet quis eum propellere, & projicere: quia peccabit mortaliter occidendo: & quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in se ipso, quàm querere salutem proximi; quia ordinata charitas magis est ad se ipsum.* Per hæc præclara verba possunt solvi objecta ex motivo charitatis proximi, in mortis periculo constituti: siquidem cum peccato proprio nemo tenetur, nec potest succurrere proximo.

84 Arg. multipliciter. Tum; quia quamvis Deus non instituerit illam Baptismi materiam regulariter, seu in casibus ordinariis, benè verò in casu extremæ necessitatis, & dum alius modus ministrandi Baptismus non suppetit: ergo nostra probatio solùm regulariter, & de via ordinaria convincit, & non in casu neces-

sitatis, in quo opinio contraria afirmat unicè. Tum: si quid obesset, quominus eo in casu projici posset infans in puteum, aut flumen; maximè, quia esset occisió directà, & non licet innocentem occidere; sed occurrere potest circumstantia, in qua innocenti occisió licita sit, & laudanda: hac enim ratione excusatur mors Sanson, qui ut Judicum 16. legitur, se ipsam, una cum suis hostibus Philistæis oppressit, & cum ruina concussæ domus occidit: ergo. Tum: licet mors baptizati sequatur, Baptismus potest esse validus: ergo actio occisiva potest esse sufficiens ad Baptismus. Prob. antecedens: In casu, quo Sacerdos, qui puerum fontis Baptismatis mergit, subita infirmitate destitueretur viribus, adeò ut prolatis verbis formæ, non posset infantem educere, & tunc contingeret, eum suffocari; sed in hoc casu, infans ille censeretur verè baptizatus, & talis ablutio esset illius occisió: ergo. Tum: satius est occidere corpus quoad vitam corporalem, quàm permittere animam æternè mori; sed nisi tunc puer projiceretur, anima ejus æternè moreretur: Denique, quia ex Subt. Doct. projectio illa esset quidem illicita; eò quòd esset homicidium, non quia nullus esset Baptismus, ut plures Scotistæ intelligunt: ergo probabile est juxta ipsum, Baptismus illum, estò illicitum, esse validum.

85 Ad 1. nego antec. quia Deus non tenetur de communi lege providere de medio, quod debeat applicari extraordinario modo, ubi aliqua necessitas urget. Ideò infanti in materno utero existenti noluit applicari Baptismus, ut fert omnium opinio, & innuimus num. 76. Non ergo voluit, actionem occisivam, etiam in casu necessitatis, esse materiam Baptismi. Ad 2. nego minorem, & dico ad probationem, occisionem Sansonis à culpa excusari; quia instinctu divino id præstitit: nam D. Augustinus de Civit. Dei cap. 21. inquit: *Nec*

Nec Sanson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit; nisi quia Spiritus Sanctus latenter id jusserat, qui per illum miracula faciebat. Ad 3. dico, quod si mors indirecte sequatur ex mersione, validus esset Baptismus: quia tunc illa infantis mersio per se ordinatur ad facilem emersionem, & tantum ex accidenti evenit, quod talis emersio non consequatur. Secus est de mersione, quae occisiva esset directe; quia tunc emersionem, seu exitum ex flumine, aut puteo ex natura sua non haberet, & extra miraculum evadere non posset incolumis. Unde haec mersio potius, quam lotio, esset occisio: illa vero solum per accidens, & indirecte esset occisio, & per se, ac directe esset lotio. Ad 4. nego majorem ex dictis num. 83. cum Subt. Doct. Non enim vult Deus eo in casu illam animam sic salvari, sed suae providentiae reservat aliter illi, si placuerit, providere. Ad ultimum constat de mente Scoti per dicta num. 83. pro assertionis probatione. Et si aliquando videatur, dubitare de talis Baptismi valore, hoc est, vel quia Adversariis id tunc permittit, ut a suo intentu non se divertat: vel magis propendens in negativam sententiam. Hinc in Reportatis quaest. 3. num. 2. eandem expendens difficultatem, inquit: „ Sed si adultus projiciatur in flumen, dicendo: baptizo te &c. credo quidem, quod non baptizatur; quia projiciens non habet intentionem Ecclesiae; quia intentio Ecclesiae est sic madefacere eum, quod ipso vivente, posset iterum desiccari: vel esto, quod baptizetur, non dubito, quod projiciens peccet mortaliter. Ex quibus numquam suadere possunt cum fundamento Scoticarum Cavellus, Brancatus, neo Delgadillo, ut intendunt, pro affirmativa sententia stare Scotum.

QUAESTIO VIII.

Quenam sit Baptismi legitima forma? aliquaque resolvuntur dubia.

86 **E**RRORES plurimi, ac totidem insaniae ortae a primis saeculis Ecclesiae, & ad nostra usque tempora, fuerunt seminatae erga formam Baptismi. In ipsis namque nascentis Ecclesiae primordiis baptizabant nonnulli in nomine trium principiorum, vel trium Filiorum, vel trium Paracletorum, ut colligitur ex Can. 29. Apost. in quo conceptis terminis dederunt, quod qui ita baptizaverit, deponatur. Eosdem commemorat Vigilus Papa epist. 2. cap. 2. ac anathematizat baptizantes in una Persona Trinitatis, aut in tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis. Paulianistae, Photiniani, & Montanistae, sicut Personas distinctas in Trinitate non agnoscebant, seu Trinitatis Mysterium negabant, sic vana, & irrita utebantur forma in Baptismo: ideoque declaratus est nullus in Concilio Niceno Can. 19. & in Laodicensi Can. 8. ac jusserunt, illos rebaptizari. Aliqui Arianorum baptizabant in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto; nolebant autem baptizare in nomine Filii, ne cogerentur, eum fateri Deum; ideoque dicebant per Filium, quasi per instrumentum. Unde S. Epiphanius haeresi 76. testatur, Arianorum exemplo Aetianos, & Eunomianos hanc usurpasse formam in baptizando: in nomine Dei increati, & Spiritus Sancti sanctificantis, & a procreato Filio procreati. Similiter fecerunt Sabelliani, Novatiani, Donatiani, & similes, qui in Africa grassabantur, qui forma debita non utebantur, ut Concilium Arelatense innuit Can. 1. Lutherus lib. de Captiv. Babil. cap. de Baptismo scribit: utendum esse quidem forma consueta: sed tamen Baptismum valere quibuscumque verbis confertur, esto solum sit in nomine Domini:

ni: imò sufficit, quod in nomine Domini suscipiatur a baptizato. Idem docuit Zuinglius lib. de vera, & falsa Religione Cap. de Baptismo, & Brentius in suo Catechismo. Omnes isti moderni Hæretici circa Baptismi formam non videntur errare, eo quod admoneant, Ecclesiae formam esse servandam. Unde Ecclesia Baptismum ab eis collatum validum habet, ac ratum. Sed verò si doctrina eorum attendatur, non leviter in hoc articulo, sicut & in pluribus aliis, a catholica veritate deflectere, invenitur: siquidem putant, necessarium non esse ad Baptismi valorem uti verbis determinatis, nec constare, quod Christus, aut Apostoli id jusserint. His animadversis:

87 **C**onclusio I. *Forma legitima Baptismi hæc est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Est de fide definitum in Concilio Lateranensi cap. Firmiter, in Florentino in decreto Eugenii, & in Tridentino in Sess. 7. cap. 4. Hæc Catholica veritas colligitur ex Matt. 28. ubi Christus Apostolis jubet, ut doceant omnes gentes: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi licet expressè Dominus non præcipiat, ut baptizando hæc verba proferant, in quo Hæretici hujus ævi valde inculcant; constat tamen illud Domini præceptum sic esse intelligendum, tum ex Can. 28. aliis 29. Apostolorum, ubi dicitur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti... abjiciatur.* Tum ex perpetua Ecclesiae traditione, & continua praxi, quæ semper prædictam formam in baptizando adhibuit. Unde Alexander III. ad hanc veritatem suadendam a N. Subt. Doct. adductus, decrevit, ut refertur cap. de Baptismo, & ejus effectu: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Pa-*
Tom. I.

tris, Filii, & Spiritus Sancti, non est puer baptizatus. In eandem conspirant veritatem SS. Patres, maxime Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 10. Probatur ratione: I. est legitima forma Baptismi, per quam significantur omnia, quæ in Baptismo sunt; sed talis est assignata in conclusione: ergo. Probatur minori in Baptismo quatuor distinguuntur. 1. ipse actus Sacramentalis. 2. persona recipiens. 3. causa principalis. 4. Minister. Sed ea quatuor exprimuntur per prædictam formam: nam pronomen *ego* significat Ministrum: *te* personam recipientis: verbum *baptizo* actum Sacramentalem: & alia verba exprimunt causam principalem, nempe, SS. Trinitatem: ergo.

88 **C**onclusio II. *Explicita invocatio Personarum SS. Trinitatis hodie necessaria est ad valorem Baptismi.* Equivaleat huic: In forma Baptismi exprimi debent tres divinæ Personæ sub distinctis nominibus, *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, ita ut aliter Baptismus invalidus esset. Dixi: *hodie*; quia ut apparebit n. 93. valde probabile est, aliquando validum fuisse Baptismum collatum nomine Christi. Conclusio, quæ communissima est inter Catholicos, expressè docetur a Subt. Doct. 4. dist. 4. q. 2. num. 9. ubi vult, eas significari, & exprimi in Baptismo sub proprietate constitutiva earum in ratione personæ, quin sufficiat illas exprimere per suas proprietates, v. g. *Genitoris, Geniti, & Spirati.* Sic inter alia præclara ibi videnda ait: *Nam Christus voluit Personas vocari nominibus personarum, & rationaliter... dedit Ecclesiae nomina significantia personas sub propriis nominibus... de nomine Trinitatis patet, quod Christus intellexit, istas personas explicandas.* Hanc eandem tumentur sententiam Alensis 4. parte, q. 8. Angelicus Doct. 3. parte q. 66. art. 5. Doct. Seraph. dist. 3. Prob. ex dictis in præcedenti: Nam illi
Dd tex-

textus Scripturæ, Conciliorum, & Canonum docent, Baptismum ita fuisse institutum, ut conferatur in nomine trium Personarum SS. Trinitatis formaliter, & explicitè: *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Adest etiam ratio congruentissima, quam Subt. Doct. supra laudatus innuit: nam Baptismus, ut loquitur Innocentius III. cap. *Debitis de Baptismo*, & Augustinus Epist. 103. est janua, qua ad veram fidem intramus: sed explicita fides Trinitatis est de necessitate salutis: ergo congruum fuit, quod fidei Sacramentum, & fidei janua ex vi suæ institutionis exigerit trium Personarum explicitam invocationem.

89 Arg. 1. Christus nullibi determinat, illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* In Baptismo esse proferenda: ergo talia verba non sunt legitima, vel ad minus non sunt necessaria, ac determinata Baptismi forma. Prob. ant. Christus nihil aliud determinat, nisi quod baptizetur *in nomine Patris &c.* Sed ad hoc invocatio Trinitatis sufficit, quin necesse sit illa verba proferri: ergo. Prob. min. Licet Christus pro Eucharistia dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem*, non sequitur, prolationem horum verborum esse de essentiali forma consecrationis, nec præcepit, quod Sacerdotes dicerent in consecrando: *Hoc facio in Christi commemorationem*: pariter, dum Marci ult. Discipulis potestatem dedit ejiciendi dæmonia, dicens: *in nomine meo dæmonia ejicient*, non præcepit, ut dæmones expellendo, dicerent: *Dæmon, ego te ejicio nomine Christi*: nec dum dixit: *docete baptizantes &c.* præcepit, ut dicerent: *ego te doceo*: ergo pari ratione, nihil aliud Christus præcepit, quam quod docerent, & baptizarent in fidem, & potestatem SS. Trinitatis: ergo non determinavit verba illa proferenda in Baptismo; sed quocumque modo, & quibuscumque, dummodo in

nomine, & potestate Trinitatis fiat, Baptismus erit validus: modo quo in Exorcismis sufficit, ut dæmones jubentur exire nomine Christi. Confirmatur, & solutioni occurritur: Ideo talis forma in Baptismo esset necessaria, quia constaret ad minus ex traditione, & permanenti Ecclesiæ praxi; sed talis praxis in Ecclesia non fuit semper: ergo. Prob. min. Si talis fuisset Ecclesiæ continua praxis, omni sæculo innotuisset; sed ita non est: ergo. Prob. min. Tum; quia, ut colligitur ex Petro Episcopo Claramontano, in sua diocesi baptizabatur per solam ablutionem, omissis verbis illis: *ego te baptizo*, sed dumtaxat infundendo aquam, dicebatur: *in nomine Patris &c.* Petrus autem Episcopus consuluit Mauritium Episcopum Parisiensem, & Stephanum Abbatem S. Euvettii apud Aurelios: sententia autem Episcopi fuit, eum Baptismum non esse validum; sententia verò Abbatis, eum esse legitimum. Tum; quia aliqui antiqui Theologi, ut Præpositivus, Comestor, Hugo Victor, & alii dixerunt, verba illa: *ego te baptizo*, saltem in casu necessitatis, non esse de necessitate Sacramenti. Unde dicunt quod ante decretum Alexandri III. quod S. Raymundus retulit inter Decretales Gregorii IX. circa annum 1241. verba hæc: *Ego te baptizo*, non erant necessaria, sed subintelligebantur ex ipsa abluendi actione: ergo tunc temporis comportum non erat, hanc formam esse ipsam praxi per universam Ecclesiam.

90 Respondeo negando antecedens, antecedens probationis, & ad hujus probationem nego consequentiam cum paritate. Licet ex verbis Scripturæ Sacræ, secundum se dumtaxat sumptis, & præcisivè ab Ecclesiæ traditione acceptis, aperte concludi non possit, eam formam necessariò proferendam esse, ut Baptismus validus sit: tamen verbis Scripturæ acceptis cum traditione per-

perpetua, ex qua accipiendus est sensus præcepti Christi Domini, concludi infallibiliter debet, quid tenendum sit. Constat ex traditione, quæ nobis innotescit ex dictis num. 87. cum Conciliis, Canone Apostolorum, & definitione Alexandri, insimulque ex Ecclesiæ praxi, ac SS. Patrum autoritate, illam formam inter baptizandum usurpandam fore; quin idem constet pro aliis locis in argumento adductis: quin potius constat, voluntatem Domini fuisse, eam exerceri, sicut Ecclesia illam intelligit, & exercet. Ex quibus ad confirmationem utraque minor est neganda. Nec probatio subsequens alicujus est roboris. Quomocumque enim illa controversia fuerit, & Petrus Claramontanus Episcopus, sicut & Stephanus Abbas de illa traditione ab Ecclesia recepta dubitaverint: & pariter Doctores Catholici citati, quibus addit Tourneli apud P. Berti Magistrum Sententiarum, de valore talis Baptismi opinati fuerint: Alexander VIII. quæstionem prorsus, meo videri, dirimit, dum die 7. Decembris, ann. 1690. hanc proscripsit propositionem: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: prætermis- sis illis: ego te baptizo.* In hac definitione Alexander normam traditionis secutus fuit: siquidem quæ per universam custodiuntur Ecclesiam, ex Apostolis tradita sunt, ac commendata, ut lib. 2. de Baptismo cap. 7. num. 12. inquit D. Augustinus. Unde in his, quæ pendent ab institutione Divina, & non sunt expressa in Scripturæ, traditio est nobis rerum judicandarum certissima regula.

91 Arg. 2. Plurimi SS. Patres, & Doctores Catholici docent, ad essentialiam formæ Baptismi non esse necessariam invocationem explicitam Personarum Trinitatis, sed sufficere invocationem implicitam, dicendo: *ego te baptizo in nomine Christi*, aut in nomine alicujus Personæ Divinæ; quia

Tom. I.

in quolibet ex his est Trinitas tota: & multo melius sic: *te baptizo in nomine Trinitatis*, nullam exprimendo Personam in particulari: ergo expressio trium Personarum Trinitatis non est de essentia, aut non est de necessitate Sacramenti Baptismi, quantum ad ejus valorem. Anteced. videtur doceri à D. Ambrosio, D. Bernardo, Beda, Hugone Victoriano, quos sequuntur, & pro se citant Magister Sent. in 4. d. 3. Adrianus in 4. quæst. 2. de Baptismo. Et quod plus est, pro hac sententia videtur stare Nicolaus I, ad consulta Bulgarorum cap. 104. & refertur cap. 24. de consecratione, dist. 4. ubi inquit: "A quodam Judæo, nescitis, utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de eis sit agendum, consulitis. Hi profectò, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, (sicut in Actibus Apostolorum legimus) baptizati sunt: (num quippè, idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius) constat, eos non esse denuò baptizandos: ergo hic Pontifex pro hac stat sententia.

92 Respondeo prædictos PP. & Doctores in illa fuisse sententia, Baptismum collatum in nomine Christi validum fuisse ex speciali dispensatione, ut nos etiam statuemus num. 93. An etiam nunc de facto, & ex eodemmet speciali privilegio sit aliquando validum? adhuc apud plures controvertitur, ut mox num. 98. videbitur. Non verò, meo videri, sensit aliquis eorum, quod essentialis forma Baptismi ex vi suæ institutionis non fuerit sub expressione Personarum SS. Trinitatis. Unde distinguo consequens: ergo expressio Personarum Trinitatis non est de necessitate formæ Baptismi ex vi institutionis, nego: ex speciali dispensatione, concedo. Itaque, quamvis Christus Dominus instituit, tamquam quid essentialiale, pro Baptismi forma expressionem trium Personarum Trinitatis, ut

Dd 2

in.

indubium apud Catholicos debet esse; tamen aliquando dispensavit, vel saltem dispensare potuit, ut Baptismus collatus nomine Christi validus esset. Quapropter ad illud Nicolai dicendum est, quod verba illa: *si in nomine Sanctæ Trinitatis* intelligi debent de Trinitate explicitè; sic enim in Deoretalibus, & Patribus intelligitur Baptismus in nomine Trinitatis datus. Quantum ad Baptismi valorem, si collatus fuerit nomine Christi, non reuam concedere, Nicolaum in ea opinione fuisse cum D. Ambrosio, quem citat ipse Pontifex. Sed advertendum, tam pro hoc loco, quam pro aliis similibus, ut perperam intendunt non pauci, sed in hoc puncto locutum fuisse, ut particularem Doctorem, & ut privatum Magistrum. Pontifices enim solum per sua verba respondent definitivè, aut definiendo id, de quo interrogati sunt. Nicolaus interrogatus fuit tunc: *An esset validus Baptismus collatus à Judæo, vel Pagano?* Et ad interrogationem respondendo, definit, validè posse Judæum, aut Pagani baptizare. Postea verò per accidens ad interrogata, & ut privatus Doctor, addit suam sententiam de valore Baptismi dati sub nomine Christi tantum, de quo nullatenus fuerat interrogatus, & citans pro hac opinione D. Ambrosium. Regula igitur generalis, quæ communiter traditur, ad cognoscendum, quando Papa loquitur, ut Pontifex, seu ut Pastor Ecclesiæ, & quando, ut Doctor particularis, hæc est. Pontifex tunc loquitur ex Cathedra, seu definit, quando directè respondet ad illa, de quibus interrogatur, si aliàs ad fidem, vel ad mores pertinentia sunt. Quando verò aliqua alia docet, vel tamquam fundamentum, aut exemplum suæ definitionis, aut alio quovis modo ad interrogationem directè non pertinentia, tunc procedit, ut privatus Doctor. Ex quo sequitur, quod licet Nicolaus reverà arbitratus fuerit, quod

tempore suo valeret Baptismus in Christi nomine collatus, hoc non decrevit, ut Pontifex, sed ut Doctor particularis, tamquam opinionem, quam putavit esse S. Ambrosii, & quam citat pro tali modo opinandi. At verò, quia hoc majorem petit discussionem, pluraque alia dubia exoriantur ex dictis in duplici antecedenti Conclusionè, resolvenda sunt sequentibus dubiis.

93 Dubium I. *An Baptismus sub nomine Christi datus aliquando fuerit validus?* Respondeo affirmativè. Hæc fuit sententia celebriorum Doctorum antiquorum cum Magistro dist. 3. Sic Alensis 4. parte quæst. 8. artic. 3. Doct. Angelicus 3. parte quæst. 66. artic. 6. Seraphicus dist. 3. parte 1. artic. 2. quæst. 2. Subt. 4. d. 3. quæst. 2. num. 9. Ricardus, Albertus, & alii, quos citat noster Cavellus in scholio ad locum Subt. Doct. cit. Huic astipulantur assertioni SS. Patres, præsertim S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. Theophilactus, & alii cum Nicolao I. num. 91. adducto. Veritas hæc nititur apertis Scripturæ testimoniis: nam D. Petrus Actor. 2. monet sic: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu-Christi in remissionem peccatorum.* Et iterum jussit, Cornellum, & Socios baptizari in nomine Domini Jesu-Christi. Et illi, qui fuerunt baptizati Baptismo Joannis, juvante Paulo, baptizati sunt in nomine Jesu. Et Philippus Act. 8. baptizans Eunuchum de sola fide in Christum interrogat illum; & cum dixisset: *credo, Filium Dei esse Jesum Christum*, baptizavit eum. Et de ipso Philippo ibidem dicitur, quod Christum prædicabat Samaritanis, & *in nomine Jesu-Christi baptizabantur viri, ac mulieres.* Alia plura id generis leguntur in Acti. Apost. Ex quibus constare videtur, tempore Apostolorum licitum fuisse baptizare sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Jesu-Christi.* Advertendum verò, hoc fuisse propter specialem dispensationem cum

cum enim generaliter disposerit Christus, Baptismum conferri sub forma exprimente nomina trium Personarum, illis verbis Matth. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: sequitur, quod ut validè, & licitè daretur Baptismus in nomine Jesu-Christi, necessariò dispensatio ab ipso Christo facta debuit præcedere, & Apostolis manifestari. Et quidem ad talem dispensationem adest ratio satis congruentialis, nempe, ut nomen Christi, quod, ut ait Paulus, *Judæis erat scandalum, & Gentibus stultitia*, per Orbem divulgaretur, hominum animis infingeretur, augeturque credentium numerus. Itaque congruum fuit initio nascentis Ecclesiæ apud Judæos dari Baptismum in remissionem peccatorum sub nomine Christi, eo quod Judæi negabant necessitatem Redemptionis, & Redemptoris, ponentes salutem ex sola lege. Pariter apud Gentiles, qui credebant ex mirabilibus, quæ fiebant nomine Christi. Unde congruum erat, ut baptizarentur in nomine ejus, quem credebant.

94 Hoc non obstante, plures DD. cum Ægidio, Bellarmino, Suario, Cano, & nuper Berti, defendunt, numquam Baptismum solum nomine Christi, & sine invocatione expressa Trinitatis fuisse validum. Ad auctoritates Scripturæ, & Patrum dicunt, eas esse interpretandas, dum dicitur, Baptismum nomine Christi fuisse datum, quod autoritate, & potestate Christi fuerit ministratus; sicut Marci ultimo dicitur: *in nomine meo demonia ejicient*, id est, mea autoritate, & potestate. Vel prædicitas auctoritates ita esse intelligendas, non quod Apostoli, dum baptizabant, omittebant invocationem Trinitatis sub expressis nominibus, sed quod in forma Baptismi nomen Christi interponebant, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Jesu-Christi, & Spiritus Sancti. Amen.* Fateor, has solutiones non facile posse convinci falsitatis; quia

cum sic potuerit contingere, non facile ostenditur, quid de facto contigerit. Contra illas verò obstat primò, nostram sententiam autoritate celebriorum Doctorum fulciri, ut patet ex num. anteced. Obstat illis secundò, sententiam nostram nulla explicatione indigere ad intelligendum verba Scripturæ, & illius auctoritates, quibus toties in Actibus Apostolorum dicitur, Baptismum in nomine Jesu-Christi fuisse collatum: at verò opposita sententia diversis indiget explicationibus, quibus multiplicatis, suspicionem potius generat, quam securitatem: ædificium enim, quod multis indiget adminiculis, ne labefactetur, ipsismet proclamat non esse securum. Obstat 3. mirum esse admodum, quod si tunc temporis Baptismus conferebatur sub expressis nominibus Trinitatis, nullibi Scriptura exprimat id, sicut exprimit datum fuisse sub nomine Jesu-Christi: nostra ergo sententia probabilior apparet.

95 Dices 1. Nullibi constat de tali dispensatione, & privilegio: ergo liberè, & absque ratione adstruitur. 2. In Canonibus Apostolicis præscribitur forma Baptismi, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, nulla facta mentione solius nominis Christi: & idem cernitur ex Matth. 28. ut videri est num. 87. Conclus. 1. ergo adhuc Apostolorum tempore Baptismus non fuit collatus solum in nomine Christi Domini. 3. Quia Actor. 19. cum Paulus quosdam Ephesi Discipulos interrogasset, si accepissent Spiritum Sanctum? & ille respondissent: *Neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*: dixit Apostolus: *In quo ergo baptizati estis?* Ubi Paulus omninò supponit, Baptismum conferri non posse sine expressione Spiritus Sancti, & consequenter Patris, & Filii. Si enim Baptismus tunc temporis solitus fuisset conferri in nomine Christi, sine expressione Personarum Trinitatis, ineptè conjecisset Paulus, eos non esse

esse baptizatos, ex eo, quod non audivissent, an sit Spiritus Sanctus?

96 Respondeo ad 1. negando antecedens. Colligitur utique talis dispensatio ex ipso facto Apostolorum; nobis per Scripturam manifestato. Sicut enim ex facto antiquorum Patrum, seu ex hoc, quod plures uxores habuerint, infertur, dispensatum fuisse in bigamia cum illis: pariter, sicut ex facto aliquarum foeminarum, quas Ecclesia Martyres celebrat, quae carnificum manibus elapsae, flammis, & morti se ipsas tradiderunt, colligitur, & colligit D. Augustinus de S. Apollonia, & quidem efficaciter, ad hoc habuisse specialem dispensationem, per revelationem notam ipsis, seu impulsum quemdam Spiritus Sancti: ita ex ipso Apostolorum facto efficaciter colligitur, dispensationem extitisse illis intimatam, ut omissa pro tunc communi forma Baptismi, illum sub nomine Domini Jesu-Christi conferrent. Unde sic argumentor: Si Deus dispensavit cum antiquo populo in bigamia, seu in hoc, quod idem vir plures simul haberet uxores, ut electus populus cresceret, & augetur ad cultum veri Dei: quid mirum dispensasse in forma Baptismi in ipso exordio Ecclesiae, ut Christianorum numerus cresceret in amorem, cultum, & reverentiam veri Dei, illustriusque fieret nomen Christi Domini, quod, ut ait Apostolus, *est super omne nomen?*

97 Ad 2. ex Apostolorum Canone, & Matthaei textu desumptum, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ibi enim solum determinatur, formam sub expressa invocatione Personarum SS. Trinitatis esse de necessitate Sacramenti Baptismi ex sua institutione. Hoc quidem non negamus, quin potius dogma Catholicum esse dicimus: & etiam, quod non solum in praesenti, sed tempore Apostolorum fuit necessarium, quando non fuit specialis dispensatio: hac vero stante, licite,

& valide conferebatur nomine Jesu Christi. Praterquamquod, in illo Canone non agebatur de forma Baptismi, sed de numero mersionum, quibus erat conferendus. Nec ibi reprobatur, ut invalidus, Baptismus sub unica mersione factus, sed reprobatur Minister tunc temporis sic baptizans. Et nota, ibi reprobari Baptismus datum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*; quia sic collatus numquam fuit validus. Ad 3. dico, mirari Apostolum, quod non audivissent quidem de Spiritu Sancto: quia cum essent adulti, prius baptizari non poterant, quin prius instructi fuissent de praecipuis fidei Mysteriis, ac proinde de Mysterio Trinitatis, ac consequenter de existentia Spiritus Sancti. Sic continebatur in Catechismo praecedente Baptismus. Hac autem praecedente instructione, valide, & licite baptizabantur sub nomine Jesu Christi, ex Dei dispensatione, ut Christi nomen illustrius fieret. Quare, dum illi interrogarentur, *quo nomine baptizati essent*, & respondissent, *in Joannis Baptismate*, tunc, ait textus: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu &c.* Sequitur ergo ex ipso textu, & facto nostra assertio. Quidquid autem sit de veritate alterius sententiae, quam etiam judico satis probabilem, major difficultas exurgit ex memorata speciali dispensatione. Pro illa evacuanda.

98 Subdubitabis: *An post Apostolorum tempora validus sit Baptismus collatus sub hac forma: Baptizo te in nomine Jesu Christi?* Pro sententia affirmativa adducuntur plures Patres a nostro Delgadillo, de Baptismo cap. 3. dubio 7. ut sunt, Papa Nicolaus I. D. Ambrosius, D. Bernardus, Hugo a Sancto Victore, & quotquot adducti sunt num. 91. Inducit etiam problematicum Subt. Doct. eo quod 4. dist. 3. q. 2. loquens de Baptismo, si conferretur nomine Christi, & ex suppositione, quod

quod adfuit dispensatio ad illum conferendum sub hoc nomine, dixerit: *Neque audeo dicere, quod non esset baptizatus: quia non lego, ubi fuerit illa dispensatio revocata.* Unde ipse Delgadillo problematicè procedens utramque propugnat opinionem, adducendò authoritates, & rationes utriusque partis. Ratio, in qua fundatur pars affirmans, in eo maximè sistit, quod, juxta dicta, Baptismus Apostolorum tempore ex dispensatione fuit validus, & non constat, talem dispensationem fuisse revocatam. Si autem non est revocata, subsistit utique etiam his temporibus, praesertim aliqua gravi causa occurrente in aliquibus gentibus, Jesu Christi nomen adhuc ignorantibus: quia in hoc casu eadem est causa dispensationis, ac fuit tempore primitivæ Ecclesiae. Sed venia tot virorum doctorum, & sua in pace relicta opinione.

99 Censeo firmissimè tenendum: Baptismus sub hac forma collatum: *ego te baptizo in nomine Jesu Christi*, nunc temporis, & post Apostolos, invalidum esse, ac nullum. Hac communior est SS. Patrum, & Theologorum, quorum aliqui tenent sic a Pontificibus Pelagio, & Zacharia definitum fuisse. Videtur expressa etiam Subt. Doct. loc. supra cit. ubi postquam docet, aliquando, nempe; tempore Apostolorum licitum fuisse baptizare in nomine Christi, addit: *Sed an modò esset baptizatus, si sic traderetur, dubium est. Videtur, quod sic baptizans peccaret mortaliter, imò omninò non baptizaret.* Expendantur verba: *omninò non baptizaret.* Nullitatem Baptismi sub tali forma collati probat Doctor ex eo, quod *nullus inferior potest revocare nec simpliciter, nec ad tempus legem superioris; sed lex de baptizando in ista forma communi: in nomine Patris &c. promulgata fuit a Christo: ergo eam pro tempore, quo Christus non revocavit, nullus alius revocare potest.* Prosequitur

Doctor clarissimè docens, dispensationem illam solum Apostolis, & pro tempore primitivæ Ecclesiae fuisse factam, causamque illius jam cessasse; ac illa cessante, omnes omninò teneri ad servandam legem generalem, nedum in conscientia, sed etiam sub nullitate Sacramenti. Constat igitur ex Subt. Doct. revocatio illius dispensationis per cessationem causae, ratione cujus fuit concessa; & constat etiam ex Conciliis, praesertim Florentino, & Tridentino definientibus, ad valorem Baptismi necessariam esse in forma expressionem Personarum SS. Trinitatis. Verba a Delgadillo adducta minimè probant, Subt. Doct. problematicum fuisse in hoc puncto: sed videns aliquos Patres, & graves Doctores, opinare de valore illius Baptismi, noluit illorum sententiam omninò reprobare, sed modestè in sua probabilitate relinquere: non enim tunc temporis Concilia adducta celebrata fuere adhuc. Ex dictis sequitur, quod dispensatio illa non fuerit absolutè pro quocumque tempore, sed determinatè pro tempore nascentis Ecclesiae; quo elapso, etiamsi alicubi gentium reperiretur eadem causa, non verò stabit talis dispensatio: nam ad hoc requiritur, quod lex generalis a Superiori relaxetur. Ad summum sequeretur inde, dari sufficientem causam dispensandi; non verò dari dispensationem legis.

100 Dubium II. An pronomen *ego*, pronomen *te*, & verbum *baptizo* proferri, & exprimi debeant in forma Baptismi necessariò necessitate Sacramenti? Suppono, totam formam ab Ecclesia in Rituali praescriptam proferri debere a Ministro sub praeccepto gravi, adeò ut, si malitiosè, & multò plus si ex contemptu aliquod illius verbum omitteret, mortaliter peccaret. Hoc supposito, triplicem continet partem dubium propositum. Ad 1. respond. cum Subt. Doct. dist. 3. quæst. 2. num. 7. pronomen *ego* absolutè non requiri ad

valorem Baptismi. Ratio est; quia illo omisso, sufficienter exprimitur in verbo *baptizo*, quod cum indicativum sit primæ personæ, implicite includit illud pronomen. Unde, *baptizo* idem est, ac *ego te baptizo*: atque adeo sensus substantialis formæ integer manet. Ad 2. dubii partem respondeo, pronomen *te*, vel aliud æquivalens debere proferri. Resolutio est communis, & docetur à Doct. loco laudato, ubi ait, in collatione Baptismi necessariò exprimi debere actum baptizantis, & Baptismum suscipientem; quia illa duo, scilicet, *actus*, & *suscipiens exprimitur sic, vel sic in illo Matth. Baptizantes eos &c.* Dicit, *sic, vel sic*; quia sufficit, quod tam actio, quam suscipiens alio modo exprimantur, dummodo idem in substantia sit sensus, ut evenit in forma Græcorum, ut ibi advertit ipse Scotus. Dixi: pronomen *te* suppleri posse per aliquid æquivalens, ut si quis diceret: *baptizo Petrum*: vel *baptizaris à me*, quemadmodum Græci dicunt: *baptizetur servus Christi*; nam hoc, aut alio simili loquendi modo sufficienter apparet persona, quæ baptizatur. Si dicas: Florentinum asserit, quod si in Baptismo exprimaturs actus Ministri cum SS. Trinitatis invocatione, Sacramentum perficitur, quin mentionem faciat personæ, quæ baptizatur: ergo non est necessaria illius expressio. Nego consequentiam. Nec mirum est, quod Eugenius IV. in suo Florentino decreto non meminerit personæ baptizandæ, cum nulla esset circa hoc cum Græcis controversia, utpote qui personam suscipientem Baptismum exprimerent, dicendo: *baptizetur servus, vel ancilla Christi*, ut constat ex supra dictis. Quare veritas hæc supponebatur in illo decreto.

101 Ad 3. dubii partem respondeo, necessarium non esse, quod verbum *baptizo* activè proferatur in Baptismi forma, ut valida sit. Ratio est; quia ab Ecclesia est approbatus Bap-

tismus Græcorum, qui tali verbo non utuntur activo, sed passivo modo. Sic definitum est in decreto Eugenii ad calcem Concilii, ubi postquam materiam, & formam hujus Sacramenti expressit, subdit: *non tamen negamus, quin & per illa verba: Baptizetur servus Christi in nomine Patris &c. verum perficiatur Baptisma.* Rationem profert dicens: *Quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas: instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exteriorius Sacramentum, sufficit, si exprimaturs actus, qui per ipsum exercetur Ministerium cum Sanctæ Trinitatis invocatione.* Eandem veritatem docuerat Subt. Doct. loco superius laudato num. 3. & 7. ubi scribit: *De forma necessaria ex parte Sacramenti, patet, quod ista (Ecclesiæ Latinæ) non est talis, quantum ad omnia verba, ex hoc quod dictum est, quod Græci verè baptizant, non tamen sub eadem forma.* Ex his convincitur, variationem formæ Baptismi in Ecclesia Latina, & Græca solum esse accidentalem, & substantialiter utramque convenire, cum in utraque exprimaturs actus Ministri, persona baptizata, & Personæ SS. Trinitatis; quod, & non amplius, necessarium est ad Baptismi valorem. Sed advertendum, necessarium non esse ad Baptismi valorem, Ministri personam exprimi directè, sed sat esse, quod exprimaturs indirectè, & virtualiter, ut in Græcorum forma apparet, & infra clariùs apparebit.

102 Sed quare formam Baptismi modo passivo, potius quam activo, Ecclesia Græca usurpaverit? Huic interrogationi respondet Subt. Doct. §. De secundo num. 5. provenisse ex eo, quod refert Paulus 1. ad Corinth. ortum fuisse dissidium inter christianos aliquos corinthios, qui gloriabantur, se baptizatos esse ab Apostolis, & censebant, præferendos esse cæteris, qui Baptismum recipiebant à Discipulis. Unde gloriabatur

unus-

unusquisque de suo Ministro Baptismi, & dicebant: *Ego sum Pauli: ego sum Cephæ*, & sic videbantur Ministro adscribere virtutem Baptismi. Quare Apostolus eos reprehendit, dicens: *numquid divisus est Christus?* Ad tollendum igitur hoc schisma inter eos, ordinatum fuit, ut Minister in propria persona non exprimeretur, ne haberent occasionem gloriandi in Ministro: & insimul ad signandum, non esse Ministerium, sed ipsum Deum, qui virtutem dat Baptismo. Voluerunt insuper exprimere suscipientem in tertia persona, & non in secunda, ut faciunt Latini, ut significaretur, illud, quod recipit suscipiens, non recipi ab eo, nempe, à Ministro, qui verba in ipsum dirigit, sed à Deo. Hæc omnia fuerunt ordinata ad tollendam illam Corinthorum opinionem, quod Baptismus à Ministro recipiat virtutem, & quod vel ferret Baptismus datus ab hoc, vel illo Ministro: Et quod controversia illa vitiosa fuerit tempore D. Pauli in aliquibus Corinthiis, docent etiam S. Chrysostomus hom. 3. in cap. 1. Corinth. expendens illa verba: *aut in nomine meo baptizati estis?* & D. Augustinus lib. de uno Baptismo cap. 5. & 11. An autem illa cessante causa, liceat adhuc Græcis Catholicis præfatam usurpare formam? Respondeo cum Subt. Doct. quod stante permissione Ecclesiæ Latinæ, illa uti possunt validè, ac licitè. Verum quidem est, quod, scrupulo cessante, illa forma tolli potuit: quia forma hæc: *Ego te baptizo*, magis conformatur institutioni Christi: *Baptizantes eos &c.* & verba illius significant, Baptismum à Ministro procedere tantum ministerialiter, & non principaliter. Sed tamen illa approbata est à Florentino pro Græcis, tamquam vera substantialiter forma Baptismi.

103 Nec immoror in controversando: an vox *baptizetur* usurpata in forma Græcorum accipienda sit deprecativè, ut innuit Sub. Doct.

Tom. I.

quod utique convenientius apparet, si attendatur ad supradictam rationem, ob quam Græci non expriment personam Ministri, scilicet, ne quis in se ipso glorietur, & ne Baptismus videatur virtutem ullam à Ministro sortiri tamquam à causa principali: vel usurpanda sit imperativè, ut volunt cum D. Thoma alii. Hæc utique controversia, ut Mastrius advertit, quantum ad essentialia Baptismi attinet, magis quam de re, est de nomine. Qui asserunt namque formam esse deprecativam, nequam excludunt, actionem Ministri: nam exprimendo per verbum *baptizetur* actionem Dei, vel Christi, seu influxum causæ principalis, ad evertendum prædictum errorem, intelligitur, quod agit medio instrumento, seu mediante actione instrumenti, quod est Minister: atque adeo in tali forma deprecativa exprimitur Deus, ut causa principalis influens, mediante Sacramento sensibili, quod ponitur per Ministerium, & consistit proximè in actibus ejus sensibilibus. Sufficienter ergo importatur per hoc actio, & concursus Ministri, sine alia expressione. Unde, qui dicunt, actionem baptizandi à Ministro exprimentam esse de necessitate Sacramenti à forma Baptismi, intelligere non possunt, exprimentam esse directè, & explicitè, sed sufficere expressionem indirectam, & implicitam, ut Græcorum forma locum habeat. Sequitur ergo, quod solum in modo loquendi differunt. In summa, cum forma Baptismi utriusque Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ in substantia sit eadem (nec ego crederem, Ecclesiam Latinam permisisse Græcis uti prædicta forma, si substantialiter esset diversa ab ea, qua ipsa semper fuit usa) necessariò dicendum, quod licet meliùs & aptiùs in nostra forma exprimaturs actio Ministri; tamen talis expressio etiam in Græcorum forma salvatur sufficienter. Addo, de medio tolli has, & alias dif-

Ee

dif-

difficultates, si verum sit, quod Archudius, & alii observant ex Eucharologio, seu rituali Græcorum, in quo forma Baptismi nunc usurpatur à Græcis, non modo imperativo, nec depretativo, sed indicativo: nam ajunt, dum baptizant: *Baptizatur servus, vel serva Dei, in nomine Patris &c.* Et intelligunt sic: *baptizatur à me, vel manibus meis.*

Corollaria ex dictis, plures solventia difficultates.

104 **C**olliges 1. de necessitate Baptismi esse invocationem explicitam trium Personarum SS. Trinitatis. Est contra Magistrum, Adrianum, & alios, Ambrosium, Bernardum, Bedam, & Nicolaum I. citantes, & dicentes, necessariam non esse ad Baptismi formam explicitam invocationem trium Personarum Trinitatis, sed implicitam sufficere, dicendo: *baptizo te in nomine Christi; aut in nomine Dei: aut in nomine alicujus Personæ divinæ; quia in quolibet ex his tribus est tota Trinitas: & multo melius, in nomine Trinitatis.* Colliges 2. hanc formam: *Te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque, irritam esse: pariter istam: In nomine primæ, & secundæ, & tertiæ Personæ.* Sic Doct. Subt. 4. dist. 3. & 4. q. 2. Angelicus 3. parte q. 66. art. 5. Seraphicus, Alensis, & Theologi communiter contra Glossam, Can. *Multi de consecratione* dist. 4. Cajetanum, Victoriam, & aliquos alios asserentes, necessarium non esse ad essentiam formæ Baptismi exprimere Personas nominibus consuetis *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, sed sufficere nominibus æquivalentibus illas exprimere. Requiritur ergo, Personas Divinas exprimi in Baptismo sub proprietate earum constitutiva in ratione Personæ, & non sub ratione aliæ, & hoc ex Christi institutione.

Unde Doct. Subt. dicit dist. & quest. cit. *De nominibus significantibus proprietates, & non Personas, ut Genitor &c. Dico, quod non servatur in eis forma; quia Christus voluit Personas vocari nominibus Personarum, & rationabiliter &c.* Per quæ Doct. verba, & per doctrinam, quam consequenter tradit, solvuntur Adversariorum objecta.

105 Quæ talia sunt. 1. Quia Florentinum in decreto fidei rationem reddens, cur forma Græcorum valida sit, dicit: *quia in ea denotatur actio Ministri cum invocatione SS. Trinitatis: ergo sat erit, Trinitatem exprimere, quocumque modo invocetur.* 2. Variatio accidentaliter non variat substantialiter formam, nec illam invalidat, ex dictis de *Sacram. in Gener. Disp. 1. quæst. 8. conc. 2. § num. 89.* sed illa variatio solum accidentaliter est: siquidem nomina illa, *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque* æquivalent nominibus *Patris, Filii, & Spiritus Sancti: ergo.* Ad 1. negatur consequentia. Concilium enim determinat, invocationem Trinitatis esse necessariam, relinquendo praxi Ecclesiæ, quomodo id debeat fieri. Cum autem tam in nostra, quam in Græcorum forma tres divinæ Personæ sub nominibus personalibus consuetis nominentur, ac invocentur, non est, unde inferamus, sufficientem esse formam sub aliis nominibus. Ad 2. negat minor. Subt. Doct. num. 15. ubi huic argumento, à se objecto, respondens, inquit: *Ad illud dicendum, quod Augustinus 5. de Trinit. cap. 7. intelligit, quod idem est Genitor, ac Pater, quantum ad hoc, quod est dici ad alterum, sive importare proprietatem ejusdem personæ: sed non sunt idem, quantum ad primum conceptum significatum utrobique: quia Pater significat primum, & per se suppositum in natura divina: aliud autem significat primum, & per se proprietatem.* Ex quibus apparet, Christum Dominum instituisse pro forma hujus Sa-

cr-

cramenti voces, quæ significarent Personas divinas sub propria sua constitutione in ratione talium, & quæ aliàs essent magis communes, & usitatae ad illas significandas. Quare, quamvis materialiter loquendo, seu grammaticaliter, istæ voces *Genitor, Genitus, et Procedens ab utroque*, idem significant, ac *Pater, Filius, et Spiritus*; non tamen formaliter, & secundum communem, & usitatum modum intelligendi: seu non theologice, & quatenus à Christo sunt institutæ pro forma Baptismi. *Pater* enim significat primam personam sub ratione propria, prima, ac essentiali personæ: *Genitor* autem illam significat diverso modo, & idem de voce *Genitus* &c. nempe, sub ratione secundaria, & proprietatis. Et concludendum cum D. Thoma citato, quod sicut sola aqua usualis electa est à Christo pro materia Baptismi, excludendo rosaceam, & alios liquores, etiam si lavare, & mundare possint, ita elegit pro forma illas voces, quæ communius, facilius, & aptius Personas significant, excludendo alias, licet idem significant. Quod in terminis docetur à Subt. Magistro. Pariter non prodesset forma, si loco vocis *Filii* ponatur vox *Jesu-Christi*; quia sufficienter non exprimitur secunda persona, hoc est, nomine personali proprio. Secus esset, si ad *ly Spiritus* addatur *Paracleti*: quia mutatio illa non esset substantiæ, sed solius epitheti: nam *Spiritus* personam tertiam significat Trinitatis.

106 Colliges 3. particulam *in nomine* necessariam esse in forma Baptismi. Particula namque ista significat unitatem Essentiæ divinæ subsistentis in tribus divinis Personis, ut SS. Patres, & Theologi omnes docent. Vel, ut existimant alii, *in nomine* idem est, ac in autoritate, potentia, majestate, & virtute. Unde, cum ex Christi voluntate, & institutione non minus in Baptismo sit necessarium, ut exprimatur Es-

Tom. I.

sentia unitas, quam Personarum Trinitas, cum utrumque ex æquo desideretur ad fidem Catholicam, sequitur, necessariam esse illam particulam *in nomine*, per quam talis unitas Essentiæ designatur. Ex quo inferitur, invalidum esse Baptismum sub hac forma collatum: *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quia sic non declaratur Essentiæ unitas, virtus, majestas, aut potestas. Valeret tamen replicando *ly in nomine*, dicendo: *in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti*; quia per talem repetitionem non denotatur pluralitas Essentiæ, virtutis, aut autoritatis, sicut non denotatur, quando dicimus: *Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus.* Unde Bonacina disp. 2. q. 2. de *Sacramentis* n. 5. non recte existimat, invalidum esse Baptismum sub prædicta repetitione, eo quod judicet, idem esse, ac dicere: *in nominibus Patris &c.* Falsum itaque est hoc; quia ex unanimi convenientia Doctorum particula *in nominibus* plures Deitates, autoritates, aut virtutes significat: secus verò est de particula *in nomine* in numero singulari. Nec valet Baptismus sub hac forma: *Te baptizo in fide, seu in confessione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*; quia sic non significatur unitas, majestas, aut autoritas Dei. Nec valet istæ formæ: *Baptizo te in Patre, Filio, et Spiritu Sancto*: aut *in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum*, ex defectu particulæ *in nomine*, aut æquivalentis. Et advertendum contra Tolletum, & Comitolum, particulam *in* non esse de necessitate Sacramenti; quia illa omissa, idem sensus remanet, ut fieret dicendo: *cano citbara, ac cano in citbara.* Norunt enim grammatici ablativum absolutum eandem habere significationem, ac ablativum per præpositionem *in* designatum. At verò illius omissio, sicut & omittere *ly et, ly ego, ly*

Ee 2

Amen,

Amen, esset peccatum; quia contra consuetudinem, & præceptum Ecclesiae. An autem mortale, vel veniale? dividuntur Authores in resolutione, semel quod ex contemptu non omitteret; nam si ex contemptu, mortale esset, nemine dubitante.

107 Colliges 4. Et pro praxi stabilendum est, quod semper, ac quando conferatur Baptismus, & non sit collatus sub forma omnino certa, & indubia, qualis est hæc: *ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, Minister mortaliter peccat, ut docet Doct. 4. d. 3. quæstio. 2. §. *tertio de forma*, nisi ignorantia, bona fide, aut aliqua urgentissima necessitate procederet, proferendo alias formas, quæ ad summum probabiliter sunt validæ. Et in hoc casu, supplendus est defectus, si possibile sit, rebaptizando sub conditione sub consueta forma Ecclesiae. Aliiter ingens injuria, & periculum, ac irreparabile salvationis damnum fieret baptizato, si nullus in re esset Baptismus sub aliis formis ipsi collatus, nempe, sub his: *Ego te baptizo in nomine Jesu-Christi. Vel: te baptizo in nomine SS. Trinitatis. Vel: te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, et Procedentis ab utroque*: vel aliis similibus, cujus valor est sub opinione. Idem dicendum est, si applicatur materia tantum probabilis, vel baptizatur in parte minus principali, de qua dubitari possit, an Baptismus validus sit, necne? Similiter si inter ablutionem, & prolationem formæ non sit talis simultas, ut aliquid prolationis formæ conjungatur cum tota ablutione, aut aliqua saltem illius ablutionis parte: aut è converso, aliquid ablutionis cum tota prolatione formæ, vel cum aliqua illius parte. Est ergo certissimum, simultatem inter materiam, & formam necessariam esse, quamvis controversia sit inter Doctores de qualitate hujus simultatis. A nobis dicendum est, non in omnibus Sacramentis eam-

dem, ac æqualem requiri simultatem inter materiam, & formam, sed illam sufficere, qua, juxta Ecclesiam usum, & estimationem prudentum, ac etiam juxta qualitatem, & institutionem Sacramentorum, certè conficitur Sacramentum. Unde hanc maximam tradidit Subt. Doct. 4. dist. 6. quæst. 3. *Dico ergo, quod talis simultas requiritur; qualis requiritur in actibus humanis. Noluit enim Christus nos obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere, vel servare.* Ex quo Doctor talem simultatem requirit ibi ad valorem Baptismi, ut antequam finiatur prolatio formæ, cæperit ablutio, aut è contra. Idem videtur dicendum respectivè de aliis Sacramentis, præter Matrimonium, & Pœnitentiam, in quibus, ut suis locis dicetur, simultas physica necessaria non est, sed moralis sufficit.

108 Denique, rationem, quare Baptismus, aut aliud Sacramentum iterari debeat, si non est omnino certus quoad substantialia, sed quoad aliquid sub dubio, sub opinione, aut controversia maneat, tradidit Subt. Doct. nuper citatus, versu *Circa istum*, his verbis valde notabilibus: „ Universaliter in omnibus dubiis, „ quantum ad materiam, & formam, „ sunt tres maxime. Prima est: si „ possibilitas adest, via tutissima est „ eligenda. Secunda, si non adest „ possibilitas, via tutissimæ proximæ „ est tenenda. Tertia, cessante im- „ possibilitate, cautè est supple- „ dum, quod impossibilitas prohibe- „ bat, „ hoc est, Sacramentum sub „ conditione reiterandum. Vide præterea plura huc spectantia dilucidata Tract. de Sacram. disp. 1. quæst. 8. præsertim conc. 2. ubi pertractatur de mutatione accidentali, & substantiali materiæ, & formæ Sacramentorum, & quæ irritet, aut non irritet illa.

DISPU-

DISPUTATIO II.

DE MINISTRO, AC DE SUBJECTO BAPTISMI.

Baptismi natura quoad ejus essentielles partes explicata, necnon explanatis, quæ attinent ad ejus essentiam, aut sunt extra illam, ad Ministros tantum dispensantes Sacramentum, & ad homines tanti boni capaces, quod progrediamur, ipse stylus, quem sequimur, & ipsa ratio, quam sequi debemus, expostulat.

QUÆSTIO I.

Quidquid ad Baptismi Ministrum attingit declarat.

109 **O**mnia fere, quæ de Baptismi Ministro examinari solent, discussa, & resoluta invenies tract. ant. de Sacram. in gen. disp. 3. de causa, tam effectiva, quam ministeriali Sacramentorum. Ibi enim, inter alia non pauca, determinatum est quæst. 3. solum hominem viatorem esse Ministrum ordinarium Sacramentorum. Et quæst. 4. explorato; *quotuplex sit intentio?* stabilitur, necessariam esse in Ministro ad valorem Sacramenti intentionem faciendi, quod Ecclesia facit, aut Christus fecit, quin sufficiat intentio faciendi solum actum exteriorem. Pariter quæst. 5. resolvitur, quæ fides, & probitas requiratur in Ministro ad Sacramenti valorem, referuntur circa hoc deliramenta Donatistarum, Novatianorum, & aliorum similium, erroresque Lutheri, & Calvini erga Ministri probitatem refutantur, ac conclusio Catholica stabilitur, nempe, quod Minister debitam intentionem habens verè Sacramentum Baptismi conficit, si cætera Sacramentis essentialia adsint, sive Catholicus sit, sive Paganus, sive Hæreticus, sive Schismaticus,

sive maximus peccator. Similiter quæst. 6. statutum est, quando liceat, & quando non, petere à malo Ministro Sacramentum Baptismi? Ubi plures casus ad moralitatem attinentes etiam resolvuntur. Cum igitur omnia hæc prædictis in locis satis dilucidata sint, quæ de Ministro Baptismi restant investiganda, pauca sunt. Unde hæc quæstiones inquirendum est 1. *Quisnam sit proprius Baptismi Minister?* 2. *An unus Minister plures simul baptizare possit?* 3. *Et an plures unum, et eundem?* 4. *An idem se ipsum in casu necessitatis possit baptizare?*

110 Ad harum difficultatum resolutionem, per prius, & primò sciendum est, quod Baptismus ministrari potest, vel in casu urgentis necessitatis, ut si instet periculum mortis; vel extra necessitatis casum, ut dum quis in sanitate integra est baptizandus. Hinc duplex distinguitur Baptismi Minister: *Unus solemnitatis*, alter *necessitatis*: atque adeò dupliciter potest Baptismus ministrari, scilicet, *solemniter*, & cum omni publico ritu, & Ecclesiasticis solitis cæremoniis; vel *citra omnem solemnitatem*, & cæremonias, adhibitis dumtaxat, quæ ad Baptismi confectionem sunt essentialia. Rursus: Baptismi solemniter administrandi alius potest esse *Minister ordinarius*, & ex propria mu-

munere, & officio; alius *extraordinarius*, & ex delegatione. Sciendum est secundò, aliud esse Sacramentum *validè* ministrare, seu conficere, & aliud *licitè*. Ad 1. sufficit, quòd Minister essentialia omnia ad Sacramentum apponat: Ad 2. verò requiritur, quòd debito modo, juxta Ecclesiæ præscriptum, omnia fiant. His scitis, & resolvendo difficultates insinuat.

III Assertio I. *Minister ordinarius Baptismi solus est Episcopus, aut Parochus: delegatus autem ab eis potest esse, etiam Minister solemnitatis, quilibet Sacerdos, & Diaconus.* Est communis Theologorum, & docetur à Subtili Doct. in 4. dist. 6. quæst. 1. num. 3. ubi congruam illius rationem pronuntians, ait: "Congruum est inter homines viatores, Sacerdotem baptizare... quia per Baptismum recipitur baptizatus in collegium militantis Ecclesiæ: sed receptio in collegio pertinet ad Præsidentem, & habentem auctoritatem in collegio (qualis est Episcopus, & Sacerdos) ergo quantum magis aliquis habet auctoritatem in Ecclesia, tanto magis ad eum pertinet baptizare. Sed propter paucitatem Episcoporum, & pluralitatem baptizandorum regulariter conceditur omnibus Sacerdotibus." Nostris verò temporibus non est omnibus facta talis concessio. Habent tamen omnes Sacerdotes ex officio potestatem radicalem, & in actu primo ratione Sacerdotii, ut declarat Florentinum, assertionem sequente adducendum; quamvis non in actu secundo, seu quoad exercitium, nisi in casu necessitatis, vel ex commissione: eò quòd Ecclesia, justis de causis, statuit, officium illud cum solemnitate à solis Parochis debere exerceri, ut constat ex cap. *Interdicimus* quæst. 1. Uade non habens curam animarum peccaret mortaliter, si hoc Sacramentum cum solemnitate vellet conferre. In jure tamen non reperitur

aliqua poena contra eum taxata. Probatur assertio quoad primam partem ex illo Christi: *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Ex quo constat, quòd Christus hoc ministerium commisit Apostolis, & Discipulis, quibus successerunt Episcopi, & Parochi. Et quidem ut colligitur ex Theodoro lib. 1. histor. cap. 27. & ex Paulino in vita S. Ambrosii, in primis sæculis baptizabant fere soli Episcopi. Quoad secundam partem patet ex Tertulliano de *Baptismo* cap. 27. quòd Presbyteri, & Diaconi baptizabant de mandato Episcopi. Et ex Hieronymo contra Luciferianos dicente: *Inde venit, ut sine chrismate, & Episcopi jussione neque Presbyteri, neque Diaconi jus habeant baptizandi.* Denique quòd baptizandi ministerium, quamvis directè pertinens ad Episcopum, & post illum ad Parochum, etiam in exordio Ecclesiæ aliquando etiam Diaconis delegabatur, constat ex Actis Apostol. cap. 8. ubi dicitur, quòd Philippus, qui erat Diaconus, baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis.

112 Dices: Tum; olim ipsis Parochis non licebat baptizare, nisi jubente, vel absente Episcopo: ergo non sunt Ministri ordinarii Baptismi, sed solus Episcopus. Tum ab opposito; Presbyteri frequentissimè, & etiam Diaconi, destinabantur ad baptizandum: ergo erant Ministri ordinarii Baptismi, non minus ac Episcopi, & Parochi. Antecedens, loquendo de Diaconis, probatur ex jam memorato casu Philippi Diaconi, qui baptizavit Eunuchum, & baptizabat in Samaria, præsentibus Apostolis. Quinimò per Diaconos regebantur minores Ecclesiæ in Villulis, & Pagis, ut D. Hieronymus notat. Unde in Pontificali Romano in ordinatione Diaconi dicitur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, et predicare:* ergo Diaconi sunt Ministri ordinarii Baptismi: ergo & à fortiori, & potiori jure, Presbyter quilibet erit talis Minister.

113 Respondeo ad 1. concessio antecedenti, negando consequentiam, quantum ad tempus præsens. Verum quidem est, quòd olim in Urbibus, & præsentè Episcopo, id ita fiebat, usque ad quintum circiter sæculum. Ab eo autem tempore ministerium istud relictum est Parochis, qui ubique in suo districtu illud exercent, & ex vi officii exercere possunt, nisi in casibus extraordinariis, in quibus id reservarent sibi Episcopi, quos primariò posuit Deus regere Ecclesiam Dei per se, aut per Presbyteros, aut per alios, si opus fuerit. Ad 2. concessa consequentià de Presbyteris, negatur de Diaconis. Ad antecedentis probationem dico, quòd Diaconi in absentia, & defectu Presbyteri, atque in casibus necessitatis ex ommissione regebant Villulas, & Pagos, quoad aliqua ministeria: numquam tamen ex officio illis baptizare competeat. Ex textu ex Pontificali Romano adducto solùm sequitur, quòd Diaconus ex vi suæ ordinationis capax est, & aptus, ut sibi committatur: non verò, quòd id habeat ex officio. Nec casus Philippi oppositum convincit: siquidem vel baptizavit Eunuchum ex commissione Apostolorum, à quibus in ministerium baptizandi fuerat destinatus; vel hoc fecit ex speciali Dei commissione, sicut Ananias Paulum baptizavit, inconsultis Apostolis, sed ex speciali Christi dispensatione, etiamsi Ananias laicus esset, ut innuit Clemens lib. 8. cap. 52. Et quidem quòd Diacono ex officio non competeat baptizare, ipse Clemens Romanus expressit lib. 8. constit. Apostol. cap. 46. dicens: *Neque enim fas est Diacono baptizare.* Concessi de Presbyteris; nam istis, ut docet Subt. Doct. num. III. laudatus, & est communis cum D. Thoma citato à Goneto, ex se, & ratione sui Ordinis, ex officio competeat solemniter baptizare, ut exprimitur ab Eugenio IV. in suo decreto de Baptismo, dicente: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex*

officio convenit baptizare. Quòd autem hoc munus hodie exercere licitè non possint sine Episcopi, aut Parochi commissione provenit ex Ecclesiæ prohibitione, ut innuimus in assertione.

114 Assertio II. *Quilibet homo viator, et rationis compos, qui abluere potest, et verba Sacramentalia proferre, licitè baptizare potest, urgente necessitate, privatim, et sine solemnitate.* Est dogma Catholicum contra Calvinistas in primis, ex quibus Beza impudenter scripsit, se præferre Baptismum à Diabolo collatum Baptismo collato à foemina, aut fidei privato, non destinato ad id à Republica, vel à Rege. Est etiam contra aliquos antiquos Theologos, qui mordicus voluerunt, invalidum esse Baptismum ab Hæreticis collatum. Sic Agrippinus Episcopus Carthaginensis sub finem secundi sæculi, quem secutus est S. Cyprianus cum aliis pluribus Episcopis Africanis, & Firmilianus Episcopus Cæsareæ in Cappadocia, alique Asiatici. Sic etiam Basilius, qui negabat, validum esse Baptismum extra Ecclesiam datum, saltem quoad Hæreticos. Docuit idem Optatus Milevitanus de Hæreticis, & admittebat datum ab Schismaticis. Et idem Cyrillus Jerosolimitanus, qui præfat. Catechum. ait de Hæreticis: *Soli Hæretici rebaptizantur, siquidem prior ille non erat Baptismus.* Illis omnibus fortiter sese opposuit Pontifex Stephanus I. qui acriter dimicavit cum Cypriano, reprobans definitionem de rebaptizatione ab eis factam in Concilio Carthaginensi, minatus excommunicare Episcopos Orientales rebaptizantes, nisi resipiscant, & talem retractent opinionem. Vide quid de hoc contigerit Tract. antec. disp. 2. q. 5.

115 Probatur itaque Catholica veritas ex definitione Concilii Lateran. sub Innocentio III. cap. *Firmiter*, ubi statuitur sic: *Sacramentum Baptismi, tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ à quocumque*

que ritē collatum, proficit ad salutem. Hanc definitionem distinctius innovavit Florentinum in decreto Eugenii, ubi sic legitur de Ministro Baptismatis: „ Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui competit ex officio baptizare. In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, & Diaconus, sed etiam Laicus, & mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus potest baptizare, dummodo servet formam Ecclesiæ, & facere intendat, quod intendit Ecclesia. “ De Paganis, & Infidelibus expressè docet etiam Isidorus, & refertur dist. 4. de Consecratione cap. 23. his verbis: *Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei ministrare gratiam Baptismi, licet Paganus sit, qui baptizat.* Quantum ad Hæreticos, & maximos peccatores sufficienter constat ex dictis prætract. de Sacram. disp. 2. q. 5. Præterea, talis est Ecclesiæ praxis, quæ est Magistra fidei. Ergo omnis homo viator, sive Catholicus sit; sive Hæreticus, sive Infidelis, sive peccator maximus, sive excommunicatus, sive Schismaticus, sive vir, sive foemina sit, est Minister Baptismi in casu urgentis necessitatis. Confirmatur totum ex Subt. Doct. dist. 6. q. 1. ubi tria requirit in Ministro Baptismi. „ 1. virtutem motricem, qua possit activè abluere alium. 2. ut possit loqui, & proferre verba, in quibus est forma. 3. ut possit habere usum rationis, ut intendat facere, quod facit Ecclesia. nullum autem suppositum naturæ humanæ excluditur à posse baptizare, nisi propter aliquem illorum trium defectuum, vel propter plures, & omnes simul. “ Ratio denique à priori est divina voluntas, ac institutio nobis revelata per Ecclesiam. Ratio verò congruentiæ est, quod sicut piissimus Deus pro materia Baptismi elegit aquam, qua nihil est in liquoribus, imo & in natura com-

munius; ita prædictis omnibus largitus est liberaliter potestatem baptizandi, ne aliquis fraudaretur ab hoc medicamine omnino necessario ad salutem, si aliqua esset difficultas, & inopia ex parte Ministri.

116 Objicies: Tum cum Calvinino: solum illi validè possunt baptizare, quibus Christus contulit baptizandi facultatem; sed Christus illam dedit solis Apostolis, & Discipulis, & in illis Episcopis, & Sacerdotibus illorum successoribus: ergo isti dumtaxat sunt Ministri Baptismi. Minor constat ex Matth. ult. ubi Christus Apostolos, & ad summum Discipulos alloquens, præcepit eis docere, et baptizare omnes gentes. Ubi Dominus conjungit Evangelii prædicationem cum administratione Baptismi, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes &c.* Tum: ex Concilio Carthaginensi 4. cap. 100. ubi dicitur: *Mulier, quamvis docta, & sancta, viros in conventu docere, vel aliquos baptizare, non præsumat.* Et Gregorius II. Epist. ad Bonifacium, & refertur de Consecrat. dist. 4. cap. 25. ait: *Quod à Paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuò baptizes, mandamus.* Tum: quia solis Sacerdotibus data est potestas remittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ: ergo & solis competit remittere per Baptismum originale.

117 Respondeo, distinguendo minorem: solum illam dedit Apostolis &c. baptizandi publicè, solemniter, & ex officio, concedo: privatim, & in casu necessitatis, nego minorem. Ad probationem nego suppositum. Supponit enim, vel vult supponere, tunc datam fuisse Apostolis potestatem baptizandi simpliciter: quod quidem falsum est, cum ante Christi Passionem institutum à Domino, & administratum ab Apostolis fuerit Sacramentum Baptismi, ut demonstratum est supra disp. 1. quæst. 1. & tunc nec Episcopi adhuc erant, nec Sacerdotes. At verò his jam Episcopis,

pis, & Sacerdotibus dedit per illud Matthei mandatum speciale, ac simul contulit jus primarium, ac ordinarium prædicandi solemniter Evangelium, ac ministrandi Baptismum. Ad 2. dico, Concilium damnare, ac proscribere audaciam, ac petulantiam quarundam mulierum, maximè Marcionistarum, quæ, etiam sine necessitate, non solum privatim, sed etiam solemniter, officium baptizandi usurpabant. Ob hanc causam plurimi docet Tertullianus, Baptismum mulieribus esse interdictum, maximè innuit hoc, *velandis virginibus*, cap. 9. ubi petulantiam quarundam mulierum sibi jus docendi, & baptizandi usurpantium, ait: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere* (seu baptizare) *nec offerre, nec ullius virilis muneris, nec Sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.* Non igitur denegatur mulieribus baptizandi facultas privatim, ac in casu urgentis necessitatis, præsertim dum non adest idoneus vir, qui in illo casu baptizaret. Ad Gregorium II. dico, loqui de baptizatis ritu Pagano, non verò Ecclesiæ ritu, ut Glosa observat ad præfatum caput. Hoc apertissimè insinuat ipse Pontifex ibidem dicens: *Quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus est, rebaptizare eum minime licet.* Ad ultimum respondeo ex Subt. Doct. negando consequentiam propter diversas horum Sacramentorum institutiones ab Ecclesia, & ejus praxi declaratas. Disparitatis congruentia hæc est, quod in Pœnitentiâ remittuntur peccata per modum judicii, & sententiæ, ad quod requiritur scientia, prudentia, & potestas Ecclesiastica. Unde congruum fuit, ut solis Sacerdotibus committeretur. At verò in Baptismo peccatum non sic remittitur, sed per modum ablutionis, quæ fieri potest à quolibet. Ex quo cum Doct. Subt. distingue sic: *dimittere peccata juridicè, aut per modum judicii, solum Sacerdotibus com-*

Tom. I.

petit, conceditur: Sacramentaliter, & purè absque judicio, negatur.

118 Pro aliis, adverte 1. Quod licet D. Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 3. dubitet: *utrum ab his, qui numquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari?* Et respondeat, quod in tam gravi re expectanda sit definitio alicujus Concilii generalis: minimè hoc officit nostræ resolutioni. Quamvis enim tunc id Augustinus dubitaverit, ac resolvere noluerit, jam habemus apertam auctoritatem Concilii Florentini, ac alias Ecclesiæ definitiones, quibus Augustinus sese subjicit, & nobiscum jam rotundè consentiret, ac eandem veritatem propugnaret. Idem de aliis Patribus oppositum antiquitus propugnantibus affirmabis. Adverte 2. Quod quamvis in Concilio Eliberitano Can. 38. solum baptizatis permittatur baptizare, & ab hoc excludatur bigamus adhuc in casu necessitatis hoc tamen intelligitur, & per illum Canonem tantum significatur, quod non baptizatus, & bigamus nec in casu necessitatis Baptismum ministrare debeant in præsentia baptizati non bigami: aliàs Baptismus ille esset illicitus, utpote contra illud præceptum: non verò ob hoc esset invalidus. Deinde, plures Patres, ac Canones, dum solis Sacerdotibus conferunt facultatem baptizandi, loquuntur de Baptismo ordinario, aut solemnè, non de extraordinario, & in casu urgentis necessitatis.

119 Assertio III. *Unus Minister potest plures simul baptizare validè, & licitè, si eos simul abluat, & formam in pluribus proferat: attamen nequaquam licet, si non urgeat maxima necessitas.* Pariter: *Idem poterit baptizari validè aliquando, & aliquando invalidè à pluribus Ministris: numquam verò licitè.* Duplex hæc resolutio, quæ benè intellecta debet esse communis, mirificè traditur, ac explicatur à Subtili Doct. Prima quidem in 4. d. 6. quæst. 2. num. 6. ubi ait: *Conceditur, quod is-*

Ff

te

te simul plures aspergens, aut fundens, & simul proferens formam in plurali, dicendo: Ego vos baptizo, baptizat simul omnes: tamen peccat mortaliter; quia non servat formam impositam sibi ab Ecclesia; nisi forte esset tanta necessitas, quod immineret mors omnium. Prosequitur Doctor, edocens, quod per hanc formam: Ego vos baptizo &c. nihil necessarium deficit ad rationem Sacramenti, nec ejus valorem; siquidem, supposita materia, illa variatio formæ quoad particulam vos solum est variatio de singulari in plurali, quæ dumtaxat ex parte subjectorum requiritur, ac proinde varietas hæc non irritat Sacramentum. Confirmat urgens: Tum; quia in casu necessitatis Ecclesia non vult aliquem arcere ad illam formam determinatè baptizo te, & per hoc præcluderetur alicui via salutis. Tum; quia Apostoli, & Ecclesia sic aliquando baptizare creduntur, ut cum tria milia in die Pentecostes una die ab hora tertia baptizarunt. Tum; quia unus Sacerdos plures hostias simul consecrat. Eandem veritatem docuerunt Aensis, D. Bonaventura, D. Thomas quæst. 67. art. 6. ubi ait, quod in casu necessitatis unus posset plures simul baptizare sub hac forma: Ego vos baptizo, si immineret mortis periculum, & tempus non adesset, ut omnes sigillatim baptizarentur. Nec per hoc, ait, falsificaretur forma Ecclesiæ; quia plurale non est nisi singulare geminatum, præsertim cum pluraliter dicatur Matth. ult. Baptizantes eos &c. Dixi verò, hoc licitum non esse, nisi gravis urgeat necessitas: quia ut ait Doctor Subt. non videt mutare formam Ecclesiæ, nisi in casibus, in quibus dispensat: in hoc autem non dispensat, nisi gravis urgeat necessitas.

120. Secunda assertionis pars, nempe; quod idem baptizari potest aliquando validè, & aliquando invalidè, à pluribus Ministris, sed nunquam licitè, triplicem partem im-

bit, & quoad omnes explicatus sit à Subt. Doctore loco supra laudato: plures unum, & eundem baptizare potest intelligi dupliciter: vel uterque Minister totum facit; vel unus abluit, & alter proferat verba. Quando uterque totum facit, ille est baptizatus, quia non est verisimile, quod unus faciens annulet factum alterius. Est dicere, quod si ambo, & singuli Ministri abluant, & formam proferant, Baptismus validus erit, saltem ex parte illius, qui prius fecerit, aut cujus factum Deus voluerit acceptare. Si tamen daretur casus, quod eodem prorsusmet in instanti Sacramentum uterque Minister perficeret, tunc Deus ad dandam gratiam partialiter posset moveri per utrumque, vel unum ex eis eligeret. Et licet factum alterius superflueret, non ideo illud invalidaret; siquidem utile non vitatur per inutile. Si unus abluit, & alius verba proferat, Baptismus nullus est. Sic Doct. num. 5. Dico, quod utroque seorsim aliquid faciente, & neutro totum simul abluente, & proferente verba, nihil fit. Et prosequitur rationem reddens: Nec est alia ratio, nisi institutio Dei, qui, sicut voluit esse unum principale agens, ita voluit habere unum Ministrum in collatione integra Sacramenti. Eandem fere rationem proferat D. Thomas quæst. 67. art. 6. Sed quod nunquam liceat, plures eundem baptizare, quæ est tertia pars, patet: Tum; quia est contra ritum Ecclesiæ, & contra Christi intentionem, qui unicum vult Ministrum, & quam intentionem Ecclesia intellexit. Tum; quia ex tali baptizandi modo non pauca sequerentur dubia, & inconvenientia: ergo nunquam licet plures eundem baptizare. Nec credo, casum ullum moraliter posse dari, in quo id liceat, nisi forte aliquando inter duos Barochos de jure Parochiali litigantes, & uterque sic ageret super puerum, ne cedere patetur, vel derogari juri suo, quod apprehenderet legitimum.

121. Opposès 1. Si plures Ministri debitam materiam, & formam cum debita intentione applicarent, vel unum numero Sacramentum facerent, vel plura Sacramenta eidem conferrent; sed neutrum verè dici potest: ergo nec quod plures eundem possunt baptizare. Prob. minor. In primis nequit verè dici, quod in illo casu omnes illi unum tantum Baptismum facerent; sed nec dici potest, quod plura Baptismata: ergo. Prob. major. In tali casu plures essent abluiones, plures formæ, pluresque intentiones: ergo plures Baptismi. Patet consequens: Tum; quia eo in casu plura essent signa sensibilia instituta in Sacramentum Baptismi. Tum; quia ad numericam multiplicationem prædicatorum essentialium, constituta per illa numero multiplicantur. Confirmatur: Si plures Ministri tunc casu unum tantum Baptismum facerent, idem effectus provenire posset à pluribus causis totalibus ejusdem generis, & ordinis; sed hoc in Schola Subtilium à fere omnibus negatur: ergo. Major constat: nam singuli Ministri essent causæ totales, cum quilibet in solidum materiam sufficientem applicaret, & formam proferret. Unde Sacramentum illud à singulis indivisim totaliter penderet. Sed aliunde nec verè dici potest, quod tunc plura essent Baptismata: Tum; quia alia, præter unum, essent superflua: Baptismus autem superfluus censendus est invalidus. Tum; quia in eodem duplex Baptismus recipi non potest; siquidem ex sua institutione est initerabilis sive simul, sive successivè, ut omnes fatentur Theologi: incunctanterque iteraretur in eodem, si plura Baptismata reciperet: ergo.

122. Ante solutionem animadvertendum est, plures Theologos, tam nostros, quam extraneos, velle, quod si plures Baptismum ministrant, adeo ut quilibet totam applicet materiam, & formam proferat, non esse unum Baptismum, seu Sacra-

Tom. I.

mentum, sed plura. Sic ex nostris Brancatus, Basolius, & in idem inclinatur Frassenius: Mastrius autem, & Dupasquier non sequuntur determinatè hoc sentire: dicunt verò, facile utrumque admitti posse, nempe, quod essent unum, vel plura Baptismata. Et quod plus est, Brancatus suam assertionem intendit probare ex Subt. Doct. 4. dist. 6. quæst. 2. Quam verò falsò pro hac sententia citetur Doctor, constat ex his, quæ ibi habet sub littera D. Sic ait: Quocumque modo dicatur de actione, non ponitur, plures esse baptizationes passivas, sed unicam. Ex quo deducit corollarium, quod Sacramentum Baptismi magis est baptizatio passiva, quam activa; quia plurificata baptizatio activa, non plurificatur passiva, nec Baptismus; quia passiva est una. Hæc Doctor, & propter hoc ipse Brancatus dixit, quod materia proxima Baptismi non est ablutio activa, sed passiva. Et probat; quia si duo activè abluerent unum hominem, quia una passiva ablutio, unum susciperet Sacramentum. Ex extraneis idem senserunt Cajetanus, Ægidius, Gabriel, Suarez, & alii, affirmantes, tunc fore plura numero Sacramenta, & quod tunc casus plures essent passivæ abluiones.

123. Sed respondeo, quod si unus illorum prius prolationem verborum finiret, cæteri nihil facerent; quia tunc Baptismus completus esset, & iterari non valet. Si omnes simul omnino materiam, & formam applicarent; cum Sacramenta solum moraliter causent gratiam, & characterem, tunc Deus acceptaret pro libito suæ voluntatis illum Baptismum, quem vellet: an verò hujus, vel alterius Ministri? penitus incertum est nobis, ac adeo difficile hoc assignare, ut Doctor concludat sic: Responsionem quære. At verò mihi videtur, quod ex congruentia Deus acceptaret Baptismum illius Ministri, qui dignior esset, vel sanctitate, vel

Ff 2

Ec.

Ecclesie dignitate. Unde dato, quod tunc casus plures essent baptizati-
nes passivæ, quod negari potest, cum
unicus esset baptizatus, ut est indu-
bium, solum probatur, quod qui-
libet illorum, quantum est ex par-
te sua, omnia necessaria poneret ad
efficiendum Sacramentum Baptismi;
non tamen quilibet conficeret, sed
solum ille, cujus factum, juxta dic-
ta, Deus acceptaret. Ratio est; quia
ex divina institutione hoc Sacramen-
tum est initerabile; atque adeo
subjectum incapax est recipiendi si-
ve simul, sive successivè duo Sa-
cramenta Baptismi. Quare, sicut ille,
qui Petro jam baptizato novam ablu-
tionem applicaret cum formæ, &
intentione baptizandi, non confice-
ret Sacramentum; non defectu ma-
teriæ, aut formæ, vel intentionis
Ministri, sed defectu dispositionis
subjecti, aut propter illius incapaci-
tatem ad aliud Sacramentum Bap-
tismi recipiendum; ita quando plu-
res baptizantes simul concurrunt,
unum tantum fit Sacramentum: non
quidem, quia unusquisque illorum non
ponit quidquid aliis sufficeret ad
conferendum Baptismum, sed quia
Deus propter incapacitatem subjecti,
quod unum tantum Baptismum reci-
pere potest, unius tantum Ministri
factum acceptaret. Ex quibus constat
ad confirmationem. Alii sentiunt,
tunc casus omnes illos Ministros se
habituos, ut causas partiales Sa-
cramenti Baptismi, quin sequatur,
idem dependere à pluribus causis
totalibus. Alii non reputant inconve-
niens hoc concedere in causis mo-
ralibus, & quæ physicè non efficiunt,
sed solum Deus totum producit effec-
tum. Sed de hoc tract. de Euch.
disp. 4.

124 Oppones 2. Si duo homines
haberent intentionem baptizandi, &
unus veram applicaret materiam,
alter veram proferret formam, tunc
nihil deesset ad Baptismi veritatem;
ergo falsum est, Baptismum sic à
pluribus collatum irritum esse. Pro-

batur antecedens: Eò tunc aliquid
deesset ad veritatem Baptismi, quia
ibi non esset unus solus, & integer
Minister, sed compositus ex dupli-
ci persona; sed hoc non videtur im-
pedimentum sufficiens ad valorem
Baptismi: tum, quia in Matrimo-
nio duo contrahentes sunt Ministri
unius Sacramenti; & in Pœnitentia
pœnitens est, qui exhibet materiam,
Sacerdos verò, qui inducit formatum,
& principaliter; quia hic mo-
dus baptizandi aliquando potest esse
necessarius, ut si puer esset in ex-
trema necessitate, & in mortis pe-
riculo constitutus, & tantum ibi
adesset duæ personæ, quarum al-
tera loqui non posset, bene verò
abluere; altera abluere non posset,
bene tamen loqui: ergo Baptismus
à duobus collatus validus esset: aliis
sine remedio periret infans ille. De-
buit ergo institutio hujus Sacramen-
ti talem modum ministrandi com-
prehendere.

125 Marsilius, & Cajetanus as-
serunt, validum esse Baptismum
à duobus modo prædicto in casu ex-
tremæ necessitatis ministratum. Sa-
rez, & alii alii, licet absolute
validitatem talis Sacramenti appro-
bare non audeant, tamen in præ-
dicto necessitatis casu admittunt, con-
ferri posse propter aliquam spem,
si fortè valeat: sed debere iterari
postea sub conditione, si possibile
sit. Subt. verò Doct. Angelicus, &
rap. Alensis, & frequentissimè Theo-
logi oppositum docent; quod pro-
bant, quia actus ille esset contra
Christi institutionem, qui sic ins-
tituit Baptismum, ut ab unico Mi-
nistro prædiceret utraque actio abluen-
di, & verba proferendi, ut constat
ex illis verbis: *Baptizantes eos
in nomine &c.* Hoc enim ita Domi-
nus voluit, & Ecclesia intellexit,
ut actum abluionis exerceat, & ver-
ba proferat idem ipse Minister. Nec
dicant, validum fore, si forma pro-
ferretur passivè ritu Græcorum; nam
ut Subt. Doct. loco cit. validissime

pro-

probat, adhuc sub ea forma sic
actus exprimi debet, ut notetur esse
à Ministro, qui formam proferet: si-
quidem forma Græcorum, & Lati-
norum eadem est substantialiter, ut
dictum est num. 101. Ex quibus ne-
go antecedens, minorem probationis,
& paritatem de Matrimonio, & Pœ-
nitentia. Itaque Sacramentum Ma-
trimonii ob illius specialem rationem
habet, ex eo quod sit mutuus con-
tractus inter virum, & foeminam,
quod duo contrahentes sint simul
Ministri, & receptores ejusdem Sa-
cramenti. Similiter ob specialem ra-
tionem judicii, quam Pœnitentiæ Sa-
cramentum importat, unus est, qui
se accusat, & alius, qui absolvat.
Sed adhuc in illo fieri non potest,
ut unus peccata audiat, & alter ab-
solvat; nam debet esse idem Mi-
nister audiens, & absolutionem im-
pendens. Ad ultimum de casu ne-
cessitatis, qui fingitur, aliter pro-
videri posset, quod unus, & idem
aquam infunderet, & verba profer-
ret, nimirum, si mancus aquam
in ore assumeret, & inde parvu-
lum abstergeret, ac immediate post,
vel ante verba proferret, aut alio
simili modo id faceret; quod &
ipse Cajetanus fatetur, ait Mastrius.

126 Assertio IV. *Baptizans ne-
cessariò debet distinguì à baptizato.*
Est dicere, quod nemo, etiam in
casu extremæ necessitatis, potest
validè se ipsum baptizare. Est com-
munis cum Subt. Doct. 4. dist. 6.
quæst. 4. ubi sic ab ipso probatur,
& à cæteris Theologis eodem mo-
do: quia patet veritas assertionis
ex figura, ex autoritate, & ex
congrua ratione. Figura est; quia
*Christus ideò non à se sed à Joanne
baptizari voluit. Autoritate; quia
Christus dixit: Ite, baptizate om-
nes gentes. Ratione; quia Bap-
tismus est quedam spiritualis genera-
tio.* Nunc sic: sed in generatione
carnali persona generans necessariò
distinguitur à genita: ergo similiter
in spirituali, ac sacramentali gene-

ratione. Probat. 2. ex dictis frac. an-
t. de Ministro Sacramentorum. Ur-
getur ex Extr. de Bap. cap. *Debi-
tum*, ubi consultus Papa Innocentius
III. an quidam Judæus, qui seipsum
in articulo mortis baptizaverat, se-
ipsum immergendo, & dicendo: *Ego
me baptizo in nomine Patris &c.* ve-
rè baptizatus fuerit, respondet Pon-
tifex, quod cum inter *baptizantem,
& baptizatum debeat esse discretio.*
*ille Judæus baptizandus debet esse
ab alio de novo, ut ostendatur, quod
alius est, qui baptizatur, & alius,
qui baptizat:* ergo nemo potest se
ipsum baptizare, & per consequens
baptizans à baptizato distinguì de-
bet.

127 Arg. 1. Sacerdos se ipsum
communicat, & Eucharistiam minist-
trat: ergo & Minister potest se ip-
sum baptizare, & consequenter in
Sacramento Baptismi baptizans à bap-
tizato necessariò distinguì non debet.
2. Innocentius citatus dicit in illa
Decretali, quod si Judæus ille mor-
tuus fuisset, citò volasset in Cælum:
ergo censet, quod Baptismus ille fue-
rat validus; aliis non fuisset sancti-
ficativus. Ad 1. nego consequentiam:
Tum; quia Eucharistiæ sumptio non
est Sacramenti confectio, sicut est
baptizatio. Tum, & magis mihi ar-
ridet; quia sunt diversæ institutio-
nes ad beneplacitum sic instituentis.
Non enim est dubium, Christum Do-
minum disponere potuisse, quod Mi-
nister validè se ipsum baptizaret, si-
cut idem in Matrimonio & se ipsum
trahit, & est Minister Sacramenti.
Sed verò non ita in Baptismo insti-
tuit, sicut nec in Ordine. Ad 2. ne-
gatur consequentia; quia Pontifex so-
lùm vult, quod tunc salvaretur per
Baptismum, non fluminis, sed flami-
nis, seu per actum charitatis, quo
Baptismum appetit. Unde effectum
habuisset ex fide, & voto, seu ex
opere operantis, non ex opere ope-
rato. Vide dicta disp. 1. quæst. 6. de
Baptismi necessitate, & quomodo
suppleri possit? Desiderium enim e-
ter-

terne salutis, & amor christianæ fidei inclinavit prædictum Judæum ad se baptizandum, eligens ex ignorantia illud inutile medium, quod ipse judicavit ad salutem necessarium. Hoc autem non obest, ut sua fide, & amore salvaretur. Unde ille Baptismus; ut præcludatur quædam replica, invalidus fuit ex defectu debiti Ministri, quamvis materia, & forma Baptismi tunc non defuisent.

QUÆSTIO II.

Quis sit subjectum capax recipiendi Sacramentum Baptismi?

128 **Q**UOD de via ordinaria, & juxta Christi institutionem solus viator sit subjectum Sacramentorum, ac per consequens Sacramenti Baptismi, constat Tractatu antecedenti de Sacramentis in Genere disp. 4. quæst. 1. Solum in præsentis queritur de parvulis: an sint subjectum Baptismi? nam de adultis nullus est, qui neget, sicut de parvulis negarunt Anabaptistæ, docentes, pueros baptizari non posse ante usum rationis. Hoc idem videtur docuisse Tertullianum. Eodem modo tempore S. Bernardi erraverunt quidam Henricus, & Petrus de Bruiis, existimantes, parvulos ante usum rationis non esse capaces Baptismi.

129 Dico: *Omnis, & solus homo viator, sive puer, sive adultus, capax est recipiendi hoc Sacramentum.* Est de fide, & cum de adultis nulla sit controversia, probatur 1. de parvulis ex Concilio Lateranense sub Innocentio III. ubi Canone 2. firmiter cap. *Majores dicitur: Sacramentum Baptismi tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesie à quocumque collatum proficit ad salutem.* Et ex Tridentino sess. 7. can. 13. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse...*

anathema sit. Idem constat ex Florentino, & aliis antiquioribus Conciliis. Prob. 2. ex Sacra Scriptura nam Actor. 13. constat, integras familias aliquando ab Apostolis fuisse baptizatas, ut narratur de Lydia, & ejus domo, de custode carceris Pauli, & de domo Staphanæ, ex 1. Corinth. Indubium autem est, ibi aliquos parvulos fuisse. Prob. 3. ex PP. in hanc veritatem expressè conspiciantibus. Sufficiat D. Augustinus de Baptismo cap. 23. dicens: *Quod traditum tenet universitas Ecclesie, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe non possunt credere ad justitiam: & tamen nullus Christianorum dixerit, eos inaniter baptizari.* Eadem veritatem confirmat Subt. Doctor 4. dist. 4. quæst. 2. dicens: *Cum secundum Scripturam, & fidem parvuli contrahant originale peccatum, ad ejus deletionem, quæ necessaria est ad salutem, sunt baptizandi.* Prob. denique: Parvuli in lege scripta circumcidebantur, & in lege nature non erant sine remedio: ergo in lege gratiæ multo minus debent esse sine illo. Sed Baptismus successit illis remediis, ut est evidens, & Innocentius supra citatus docet: ergo debet illis conferri, & non solum adultis.

130 Arg. tum: Juxta Sacram Scripturam, solum adulti baptizari debent: ergo non infantes. Prob. anteced. Solum debent baptizari, qui possunt credere, & doceri; nam dicit Scriptura Marci ult. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et: *Docete omnes gentes, baptizantes eos:* sed infantes nec credere, nec doceri possunt, sed solum adulti: ergo. Hinc Tertullianus serm. 14. de Apocal. applicat baptizandis illa verba Christi Domini: *Sinite parvulos venire: & addit: veniant, dum adolescent: veniant, dum discunt: dum Christum nosse poterunt,* quod quidem dici non potest de infantibus. Et Nazianzenus lib. de Baptismo volebat expectari triennium, sic scribens: *Ita sentio, & triennio ex-*

pec-

pecto, aut aliquando brevioris, vel longioris temperis spatio, quando & mystici quidam & audire, & respondere possunt. Tum: baptizati tenentur per Baptismum ad observantiam legis Evangelicæ; sed pueri non sunt capaces legis, nec alicujus obligationis: ergo nec Baptismi. Denique: Multi, etiam piissimi, differant olim Baptismum usque ad senectutem, & hæc fuit aliquando praxis: ergo quia sentiebant, saltem non oportere baptizare infantes.

131 Respondeo ad 1. negando anteced. & majorem probationis. Textus itaque illi loquuntur de adultis, quibus solis, & non parvulis prædicandum, & docendum erat Evangelium. Unde jubent, credere, & doceri omnes, qui capaces sunt fidei, & doctrinæ; quin prohibeatur, baptizare infantes suo tempore credituros, & docendos, ut ait Innocentius cit. Deinde, credere potest per Paternos, & credit infans, quod sufficit pro illo: nam sicut Baptismus est ad remittendam originale, quod aliena voluntate contraxit, ita sufficit, quod credat aliena fide. Unde de infantibus dicebat Augustinus: *Ad verba aliena sanantur, qui ad factum alienum vulnerantur... credit in altero, qui peccavit in alieno.* Nec obstant PP. adducti, quorum sententiam Ecclesia Catholica nunquam admisit, sed semper Baptismum infantibus contulit, quod, ut Augustinus in Conc. laudatus monet, & antea docuerat Origenes, dicens: *Ecclesia ab Apostolis traditionem, etiam parvulis dare Baptismum, didicit.* Hinc ad 2. distinguo major. tenentur ad observantiam pro ipso Baptismi tempore, nego: pro tempore capacitatis, concedo major. Obligatio itaque contrahitur de præsentis pro tempore futuro, in quo capacitas aderit, & tunc ab Ecclesia punientur, si secus fecerint. Ulimum nihil aliud suadet, quam errorem, seu falsam existimationem. Olim namque quidam perditii homines sic differabant, ut cupi-

ditati laxarent habenas; sperantes in extremis omnia scelera sua in hoc lavacro abluturos esse. Alii ex scrupulosa pietate, ne, scilicet, characterem aliquo crimine fœderent. Alii, ut cum majori fervore, & devotione Baptismum susciperent. Verum illa praxis, quæ fuit particularis, parum duravit, & paucos habuit sequaces; abolitaque est per Ecclesie praxim, quæ semper invaluit. Ex dictis aliqua utilia dubia excitari veniant, & resolvi.

132 Dubium 1. *An semel baptizatus iterum baptizari possit?* Respondeo, quod non potest nec validè, nec licitè. Est de fide, & docetur à Subt. Doct. 4. dist. 6. quæst. 7. sic difficultatem excitante: *Utrum Baptismus possit iterari?* Et dicit: *venetur ab omnibus pro certo, quod non licet iterare Baptismum: & etiam si iteretur de facto, quod non habet effectum; & hoc dicunt auctoritates Sanctorum.* Probatur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, in quo tamquam Catholicum dogma docetur, nec debere, nec posse iterari Baptismum. Idem habetur ex Sacris Canonibus dist. 4. de Consec. quæst. 1. cap. 15. in quibus rebaptizatio vocatur magnum peccatum, & immanissimum scelus. Et ex Tridentino sess. 7. can. II. *Si quis dixerit verum, & ritè collatum Baptismum iterandum esse... anathema sit.* Idem habetur ex SS. Patribus cum D. Augustino, & ex poenis Canonicis contra Rebaptizantes. Istæ sunt 1. peccatum magnum; quia cum Sacramentum nullitati exponatur, seu fiat nullum, est enormissima irreverentia illius. 2. Irregularitas ex Concilio Lateranensi, cap. *ex litterarum tuarum tenore,* ubi Acolytus, qui solum inserviat rebaptizationi, declaratur irregularis. Quanto magis Sacerdos. 3. Excommunicatio fulminata à Tridentino. At verò omne hoc intelligitur de Baptismo valido, & certo; nam si dubitaretur de ejus valore, tunc deberet dari sub conditione. De hoc dicitur

ce-

petur infra num. 136. Accedunt rationes congruentiæ, quibus resolutionis veritas magis stabilitur. Prima, & maxima ratio petitur ex voluntate Christi, sic per suam Ecclesiam stantentis. Secunda propter characteris indelebilitatem: nam sufficit ad semper, quod semel simus signati. Tertia, quia sicut homo semel, & non amplius nascitur corporaliter, ita & spiritualiter. Quarta; quia datur præcipue Baptismus propter originale delendum, quod non iteratur. Denique; quia cum per Baptismum remittantur etiam alia peccata quoad culpam, & quoad poenam, daretur peccandi occasio, si iterari posset.

133 Dices: Nullibi prohibetur præcepto aliquo divino Baptismi iteratio; sed aliunde, quod prohibita sit præcepto Ecclesiastico, & humano, non invalidat Baptismum iteratum, licet illicitum reddat illum: ergo saltem quoad primam partem falsa est resolutio dubii. Major constat: nam si præcepto divino constasset, Christus Dominus id non tacuisset, sed expressisset. Minor certa videtur: siquidem essentialia Sacramentorum non invalidantur, cum pendeant à solo Christo, eò quod illicitè applicentur, & ministrentur. Respondeo negando majorem: quia licet non sit præceptum Christi scriptum, est præceptum ejus Ecclesie suæ traditum: quod quidem docuit Ecclesie suæ, quæ depositaria est suæ divinæ voluntatis. Unde Ecclesia declarat quidem hoc præceptum, sed illud per traditionem habet à Christo. Hinc Stephanus Papa occasione rebaptizationis scripsit ad D. Cyprianum: *nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Censet ergo Pontifex, Apostolicam traditionem esse.

134 Dubium II. *utrum aliquando adsit obligatio iterandi Baptismum?* Affirmativè respondeo. Casus esset, quotiescumque Parocho constaret, alicui, sive infanti, sive adulto suæ Parochiæ, collatum fuisse Baptis-

mus dubium, seu prudenter de ejus valore posset dubitari: tunc enim teneretur rebaptizare sub conditione. Imò quicumque alius teneretur in casu extremæ necessitatis, scilicet, si personæ dubiè baptizatae immineret mors, & non adesset copia alterius Ministri. Ratio est: quia charitas sub mortali obligat nos ad proximo graviter indigenti succurrendum; sed tunc proximus est in periculo damnationis, & amissionis vitæ æternæ: ergo. Nec dicas: quod si esset adultus, salvari posset per Baptismum flaminis, ac proinde tunc non adesset gravis obligatio baptizandi illum. Verum itaque est, quod posset adultus salvari per actum supernaturalis contritionis, aut dilectionis Dei super omnia, in quo consistit Baptismus flaminis: sed tamen cum horum actuum elicientia non sit adeò facilis, in illoque casu æterna salus curari debeat modo securiori, & certiori, tunc baptizari deberet. Propter eandem rationem adultus, qui scit collatum fuisse sibi Baptismum dubium, teneretur sub mortali ad repetendam suam rebaptizationem. Lex namque charitatis obligat ad salutem propriam procurandam, & ad evitandum contingentiam circa illam: quam contingentiam evitat, qui certum Baptismum recipit.

135 Dixi, tunc casus, quo dubitaretur prudenter de valore Baptismi, debere iterari *sub conditione*; aliàs Minister exponeretur periculo rebaptizandi, quod nunquam licet: Sic communiter Doctores, & videtur definitum ab Alexandro III. cap. *De quibus*, ubi formam in casu dubii conferendam sic tradidit: *si baptizatus es, non te baptizo: sed si non baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Sed notant communiter Authores, sufficere, prædictam conditionem apponere mentaliter. In Baptismo tamen solemniter, & quando dubium est publicum, exterius est explicanda conditio, ut om-

nis

nis occasio scandali auferatur. Et nota, quod dubius ille dicitur, qui cogitabundus pendens, non scit quam eligat partem, eò quod rationes eum utrinque premunt, partim ad assensum, & partim ad dissensum. Dubitatio hæc, si sit circa materiam, aut formam, vel intentionem Ministri Baptismum conficientis dicitur *dubium juris*: nam jus Sacramentorum petit, ut ex sua institutione, & ex vi illius necessariò forma, materia, & intentio Ministri ponantur. Si verò dubitatio sit circa collationem, aut positionem Baptismi, tunc dicitur *dubium facti*; quia de ipso facto dubitatur. Si dicas, quod Leo I. Epist. 37. quæsitus de remedio adhibendo cuidam, de cujus Baptismo dubitabatur: respondit Pontifex, *absolutè baptizandum fore*, nulla facta mentione alicujus conditionis: ergo in Baptismo conferendo in dubio illius, sive juris, sive facti, necessarium non est conditionem aliquam apponere. Respondeo, in casu, quo Leo fuit interrogatus, non intervenisse dubium, sed ignorantiam. Cumque nullæ rationes suaderent, illum, qui infantulus ductus fuit in captivitatem, baptizatum esse, merito statuit Pontifex, baptizandum esse absolute.

136 Dubium III. *An pueri expositi, seu qui reperiuntur ad valvas Ecclesie, aut alicujus domus, baptizandi sint sub conditione?* Respondeo affirmativè cum communiori Theologorum, quamvis aliqui consentiant de pueris recenter natis, & negent de illis, qui jam videntur veluti unius mensis; quia tunc, dicunt, supponitur esse jam baptizatum. Loquimur in casu, quod nullo teste fide digno, aut instrumento constet de illius Baptismo. Si enim testes fide digni attestarentur, vel unus testis, omni exceptione major, qui est ille de cujus veritate nequit prudenter dubitari, verè esse baptizatum, tunc iterandus non esset Baptismus, ut ex Leone I. colligitur. Probat, &

Tom. I.

in primis de infantibus recenter natis expositis: etenim impudicæ matres regulariter totæ incumbunt scelus suum tegendo, & patrum, aut nihil de prolis spirituali salute curant. Pariter, etiamsi infans ex colore, & magnitudine videatur proles unius mensis, est sub conditione baptizandus; quia hæc indicia fallunt. Quandoque quippè infantes aliqui adeò corpulentiores aliis nascuntur, ut recensatus excedat corpulentiam alterius unius mensis, ut notat Villalobos, Diana, Ausonius, Delgadillo, & alii. Præterea: quia in hoc saluti infantis consulitur, & nulla irrogatur injuria Sacramento.

137 Sed quæres: *Quid faciendum, si infans schedulam Baptismi secum habeat appensam? Et quid de infante, quem obstetrix domi baptizavit?* Nonne baptizandi sunt iterum sub conditione? Ad 1. quæsitæ partem negant Ochogavia, Hurtado, & alii cum ipsis. Respondeo affirmativè cum Machantio Tract. 2. de Bapt. cap. 2. quæst. 4. Ratio est; quia testimonium schedulæ aliquam generat, seu relinquit suspicionem, an Baptismus ritè sit collatus? Frequenter enim schedula significat, Baptismum collatum fuisse à muliercula, quæ tunc partus sollicitudine nimis occupata, atque salvandæ prolis anxia, prudenter præsumitur, aliquem errorem in essentialibus commisisse, nempe, aut in verba proferendo, aut in partem principalem abluendo. Sic determinatum fuisse in Synodo Cambracensi, testatur prædictus Machantius. Hanc resolutionem sustinet Gonzalez. Math. in Summa Morali. Pro 2. quæsitæ parte, scilicet, *dum obstetrix domi baptizavit infantem*, passim dicunt Authores, & commune est etiam in praxi, illos non iterum baptizandos esse sub conditione, si constet, ut communiter constat, illas à viris doctis esse instructas, ac examinatas, de verborum prolatione, de faciendâ ablutione, atque de intentione requisita ad valorem Sacramen-

Gg

ti.

ti. Tunc enim, dicunt, prudenter est existimandum, Baptismum fuisse ritum, & validum. Ego verò censeo cum D. Thoma quæst. 66. artic. 9. dubio 2. & pluribus aliis citatis à Delgadillo, quòd infans ille sub conditione est adhuc baptizandus. Ratio; quia quoties obstetrices in casu extremæ necessitatis baptizant, prudens dubium est, an omiserint aliquid ex necessariis ad consistentiam Baptismi: Tum, quia subito necessitatis casu turbantur: Tum, quia nimis distrahantur, attendentes ad Matris, & prolis pericula. Et hinc oritur suspicio sufficiens ad iterandum Baptismum sub conditione. Nec suspicio tollitur ex eo, quòd tales obstetrices edoctæ sint, ac benè instructæ de necessariis ad verum Baptismum, quod est oppositæ sententiæ fundamentum; quia in præsentī casu non est ignorantia obstetricis, quæ suspicionem generat, sed illius nimia distractio. Et quamvis ipsæ dicant, possuisse omnia necessaria ad Baptismi consistentiam, non tollitur suspicio; quia semper stat contra ipsas præsumptio propter casus subiti, & propter multorum, quæ simul occurrunt, turbationem, & quorum expeditio ab obstetrice præsertim dependet. Idem ego dicerem de viro, etiam docto, & prudenti, si illum tot curis distractum viderem, atque turbatum periculo subitæ necessitatis.

138 Dubium IV. *Quomodo peccet, qui sub conditione baptizat illum, quem certo scit, non esse baptizatum? & etiam quem scit, esse baptizatum? seu non est prudens dubium de illius Baptismo?* Supponitur, Ministrum peccare in his casibus conferendo sub conditione Baptismum: siquidem exercet actum otiosum, seu otiosè conditionem apponit contra usum, & praxim Ecclesiæ, quæ solùm in casu dubio jubet conditionem apponi. Restat ergo controversia de qualitate hujus peccati. Multi existimant, solùm esse peccatum veniale, eo quòd di-

cant, esse actum otiosum, & consequenter refundere in Baptismo malitiam otiositatis, quæ injuria levis est respectu Sacramenti. Unde, qui sub conditione iterat Baptismum sine urgente necessitate, non intendit, dicunt, novum Sacramentum Baptismi conferre, sed solùm convincitur crimine levitatis, si levibus scrupulis agitata, ducitur ad repetendum Baptismum sub conditione. Vel si nulla adhuc ratione ductus id facit, tantum convincitur, actum otiosum exercuisse. Cùm autem nec levitas, nec otiositas sint mortale, numquam erit mortale repetere Baptismum supra baptizatum, vel illum supra non baptizatum proferre sub conditione. Si enim ille, addit noster Delgadillo, cui confertur, est jam baptizatus, vi conditionalis non subsistit novus Baptismus: si autem non erat baptizatus, conditio nihil operatur, & fit verus Baptismus, atque ita proximi utilitati, & spiritali salutem consulitur. Hoc non obstat:

139 Dicendum sentio, Ministrum mortaliter peccare in utroque casu, de quo suscitatum est dubium. Sic communior Theologorum opinio cum doctissimo nostro Reiffenstuel *de Baptismo*, & Gonzalez Matheo in Summa morali. De illo, qui jam baptizatum scienter baptizat, adhuc sub conditione, probant aliqui sic: quia rebaptizans, ut notat Subt. Doctor 4. dist. 6. quæst. 8. & nos diximus supra num. 132. punjitur à jure pœna irregularitatis, necnon & rebaptizatus: ergo rebaptizare baptizatum peccatum est gravissimum; nam ad eò gravis pœna non imponeretur propter levem culpam. Verùm facile satis responderi potest, talem pœnam solùm incurrere iterantem Sacramentum absolutè, & sine conditione, qui quidem animum haberet Baptismum iterandi, quod esset contra Christi institutionem. Idem sentit Reiffenstuel de illo, qui temerariè, aut sine prudente dubio de eo, quòd aliquis non esset baptizatus,

bap-

baptizaret illum sub conditione. Ratio igitur, cur peccato gravi sacrilegii peccaret, est, quia ille, qui certè non baptizatur, vel certè baptizatum, baptizaret sub conditione, procederet contra jussum, stabilitum, ac praxim Ecclesiæ, quæ solùm in casibus dubiis de valore Baptismi jubet, formam sub conditione proferri. Ex hoc reputari non debet levitas, aut mera otiositas illa conditionalis, sed verè gravis, cùm propter Sacramenti reverentiam statutum sit ab Ecclesia, non apponi ultra dubium, vel casum necessitatis: plura enim quæ in se sunt levia, ratione præcepti, & finis fiunt gravia, de quo plurima scatent exempla.

QUÆSTIO III.

De requisitis necessariis in adultis ad susceptionem Baptismi.

140 **N**omine adulti intelligimus hominem ratione utentem, cujuscumque ætatis ille sit: nam de amente, licet sit 50. annorum, aut amplius, idem est, ac de puero recensnato, quoad privationem usus rationis, & alicujus actus moralis. Unde in illis, sicut & in parvulis, nulla requiritur dispositio ad Baptismi receptionem, sed ipsi ex se sunt capaces, & veluti passivè se habent: ideòque nihil speciale in præsentī de eis occurrit, præter id, quòd Subt. Doct. in 4. dist. 4. quæst. 4. num. 2. advertit, nimirum, quòd adultus ratione destitutus à nativitate, quem vocat *adultum ætate*, sed non ratione, si lucidum non habeat rationis usum, validè, ac licitè baptizatur, & de illo dicendum est idem, ac de parvulo. Si verò speratur, ipsum aliquando curandum, & usum ratione, expectandum est tempus illud, ut cum majori reverentia suscipiat Sacramentum. Hanc doctrinam adeò luculenter explicat

Tom. I.

ibi Doct. Subt. ut meritò debeat legi, & perlegi. Id ipsum, quòd docet loco laudato, colligitur ex Rituali Romano tit. de *Baptismo*, ubi sic legitur: *Amentes, & furiosi non baptizentur, nisi tales à nativitate fuerint: tunc enim de his idem iudicium faciendum est, quòd de infantibus, atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt. Sed si lucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si verò antequàm insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemque dicendum est de eo, qui lethargo, aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans, & intelligens, baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium. Nec amplius in hoc est immorandum.*

141 De adultis igitur ætate, & ratione simul, quæritur; *quid in eis requiratur, ut validè, & licitè, ac fructuosè baptizentur?* ita ut recipiant gratiam sanctificantem, vel ejus augmentum. Nec omnino est prætermittendum, quòd ab initio exigebatur in Catechumenis, & maxime venientibus ex Paganismo, antequàm baptizarentur. Probabantur quidem per aliquot annos, cessante mortis periculo; tum ut peccare discerent: tum ut docerentur, ac instruerentur in elementis christianæ religionis, & in operibus bonis se exercerent. Catechumenorum tres erant clases, seu gradus. Primus erat *Audientium*, qui, nempe, audiebant Catechismos, conciones, scripturarum lectiones, & cæteras instructiones ad christianam fidem: non verò ferebantur in Ecclesiam tempore sacrificii. Secundus erat *Orantium*, quibus imponebantur manus, & docebantur præcipua utriusque Testamenti capita, sed non mysteria sub litteræ cortice latentia. Tertius *Competentium*, quibus altissima fidei principia, Symbolum, Trinitatis, &

Gg 2

In-

Incarnationis mysteria, Dominica Oratio, ac quæ ad Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ spectant, tradebantur. Isti tandem per jejunia, & macerationes purificabantur, & exercebantur. Horum graduum cursus intra biennium perficiebatur, nisi cursum intercidisset aliquod grave peccatum; quia tunc exigebatur poenitentia longior. Verum hæc antiqua Ecclesiæ disciplina cessavit, maxime, quia pauci à Gentilismo veniunt ad fidem. Et si aliqui veniunt, facilius, ac brevius instruuntur, ac baptizantur. His breviter scitis, præsens difficultas movetur de quadruplici dispositione hominis adulti ad suscipiendum Baptisma accedentis, nempe, de consensu, seu intentione, quæ coactionem non admittat: de fide, quæ omnem infidelitatem, & errorem excludat: de sincera voluntate, quæ simulationem, & fictionem removeat: & de poenitentia, quæ animum à peccatis revocet, & ad Deum convertat. Quod utrique resolvendum est per partes, & suo ordine.

142 Dico I. *Adultus, qui nullatenus consentit, invalidè recipit Sacramentum Baptismi.* Huic æquivaleret ad validam receptionem Baptismi requiritur in suscipiente intentio, & consensus aliquis. Est communis Theologorum sententia, quam expressè docet Subt. Mag. 4. dist. 4. quæst. 2. *dissentiens simpliciter non baptizatur validè.* Non minori expressione tradidit illam Innocentius cap. *Majores de Baptismo* dicens: *ille verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Ratio hujus veritatis petitur à voluntate Christi Domini, qui quidem poterat sic absolute Sacramenta instituire, ut etiam nolentibus prodesse. Ea tamen non sic instituisse, colligitur ex sensu Ecclesiæ, & Doctorum. A nostro Subt. Mag. ea ratio congruenti traditur quæst. 4. cit. num. 3. quia per Baptismum adscribitur suscipiens

familiæ Christi, & Deus non vult, aliquem omnino invitum adscribi, familiæ suæ, juxta illud, quod ipse Deus dixit Prov. 25. *Fili, præbe mihi cor tuum.*

143 Objicitur I. Innocentius III. eodem capite docet, quod invitis, & renuentibus potest validè ministrari Baptismus: ergo ad ejus valorem nullus requiritur consensus. Prob. ant. Innocentius sic ait: *Sacramenta, quæ per se sortiantur effectum, ut Baptismus, & Ordo, non solum dormientibus, & amentibus, sed invitis, & contradicentibus, & si non, quantum ad rem, quantum tamen ad characterem, conferuntur: cum non solum parvuli, qui non consentiunt, sed & filii, qui quamvis non ore, corde tamen dissentiant, recipiant Sacramentum: ergo Confirmatur: Baptismus datus dormienti verum Sacramentum est; sed dormiens non consentit: ergo nullus consensus requiritur in Baptismum recipiente. Objicitur 2. Tum; nulla fit injuria illis, quibus invitis fit benè; sed invitis beneficit, si baptizentur: ergo possunt baptizari invitis. Prob. maj. ex August. dicente: *Multa bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati.* Tum; Baptismus datur contra originale; sed hoc contrahitur invitè: ergo & ejus remedium invitè contrahi valet.*

144 Respondeo ad 1. negando antec. & ejus probationem; quia ille non est sententia Innocentii, sed solum refert, quid alii sentiant. Unde præviè ad verba adducta dicit Pontifex: *Sunt nonnulli, qui dicunt, quod Sacramenta, quæ per se &c. ut supra.* Et continuo subjungit *Verum id est Religioni Christianæ contrarium, ut invitis, & penitus contradicens ad recipiendam, & servandam Christianitatem compellatur.* Si enim Christianitatem invitis acciperet, ad illam servandam compelleretur utique. Nec paritas de parvulo tenet: cum enim parvulus incerto tenet: cum enim parvulus incerto

est

exigitur; quia Deus impossibilia nec præcepit, nec vult. At verò in adultis consensum, & voluntatem requirit, ut ex assertione, quæ est doctrina Patrum, Conciliorum, & Scholasticorum, apparet. Unde Christus loquens de Baptismo adultorum inquit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ad confirmationem distingo majorem: Si dormiens aliquando voluit, nec retractavit voluntatem, concedo major. si secus, nego majorem, & distingo minor. Dormiens non consentit actu, & formaliter, concedo: habitualiter, & interpretative, nego minor. Voluntas enim illa præterita manet adhuc in illo moraliter, & interpretative, quod sufficit ut dictum manet Tract. de Sacram. & dicitur amplius statim. Ad 2. dico pro prima illius parte, quod estò nulla injuria fiat invito, conferendo ei Baptismum, tamen non ob hoc esset validus ex defectu consensus, quem in adultis voluit Christus. Unde cum nullum esset Sacramentum illud, falsum est, invitis benefici, si baptizentur. Nec quod invitis largiri possit aliqua bona, ut infirmis, etiam nolentibus, applicentur medicamina, aliquid probat: nam illa habent totam suam vim, & efficaciam ex se, supposita applicatione, quin consensus nullo modo necessarius sit ad sui effectus productionem: è contra est in Sacramentis ex sui authoris, à quo efficaciam suam vendicant, institutione, & voluntate. Præterquamquod, beneficium Baptismi imponit baptizato obligationem observandi Evangelicam legem, ideoque gravosum, ac injuriosum esset plenè talem imponere obligationem. Distinguo secundam partem: Contrahitur invitè, id est, non propria, sed aliena voluntate, concedo: & ideo prodest parvulis, licet non volentibus propria voluntate: contrahitur invitè, id est, positivè, & omnimodè contra nostram voluntatem, nego majorem; quia est, & fuit omnibus voluntarium in voluntate primi Pa-

rentis, in qua refundebantur cæteræ omnium hominum, ut docent Theologi: ideoque adultis peccatum tale cognoscentibus, necessarium est ex Christi Domini voluntate velle aliquomodo remedium, & consequenter Baptismum.

145 Dico II. *sufficit in adulto consensus quilibet ad valorem Baptismi.* Unde non sufficit, quod ille, qui baptizatur, non habeat voluntatem contrariam, etiamsi non habeat, vel umquam habuerit voluntatem recipiendi Baptismum, ut opinatus est Cajetanus; sed requiritur, & sufficit intentio, seu voluntas actualis, virtualis, habitualis; sive interpretativa. Docetur expressè à Subt. Doctore quæst. 4. cit. & est inter Theologos communis. De his intentionibus per actum est Tract. de Sacram. disp. 2. quæst. 4. num. 138. & disp. 4. quæst. 1. num. 279. resolutum manet, quod in adulto ratione utente requiritur consensus, seu intentio aliqua, ut invalidè Sacramenta suscipiat. Pariter ex num. 281. præcit. quæst. apparet, quod in adulto Sacramentum suscipiente sufficit consensus virtualis, aut habitualis, seu interpretativus: quæ doctrina hæc est applicanda, quin ulterior probatio necessaria sit. Solum restat explanare mentem Subt. Doct. qui in hac difficultate plurima docet, & explicat.

146 Docet I. Quod si adultus simpliciter consentiat, & dissentiat tantum secundum quid, Sacramentum validum est. Quid sit hoc, explicat sic: Ille vult, seu consentit simpliciter, qui actualiter eligit aliquid, ut fugiat aliquod incommodum, quod si aliter evitare posset, utique illud non vellet. Sic proficiens merces in mari ad evitandam mortem ex procella imminentem, dicitur simpliciter velle illam projectionem, quamvis secundum quid illam non velit, si, scilicet, aliter vitam salvare posset. Istè ergo simpliciter volens projicit, & secundum quid nolens. Sic in nostro casu, ut si Princeps infideli

deli alicui, sibi subdito, intimaret, ut Baptismum suscipere, alioquin tormenta, vel exilium e regno subiret, atque ille, ne tale pateretur incommodum, in Baptismum consentiret, tunc utique Baptismus validus esset; nam vellet simpliciter baptizari, licet dissentiret secundum quid, hoc est, non consentiret, si posset aliter incommodum illud vitare. Unde esset consentiens, & volens simpliciter Baptismum, licet secundum quid esset nolens. Sed verò consentire debebat in eam ablutionem suscipiendam eo modo, quo ab Ecclesia confertur. Doctrina hæc, quamvis sub terminis, de *coactione secundum quid*, fuit etiam D. Bonaventuræ 4. dist. 3. art. 2. quæstione 1. Constat etiam ex cap. *Majores*, ubi dicitur, quod ille, qui minis, & terroribus ad Baptismum trahitur, illumque suscipit; ne detrimentum incurrat, talis characterem suscipit Christianitatis; quia talis coactio est solùm inducens, & condicionata, non absoluta: & talis consensus est absolutè, & simpliciter voluntarius, & solùm secundum quid involuntarius. Docet 2. Quod dissentiens negativè, aut contrariè non baptizatur. Hoc est, si adultus mere negativè se haberet ad Baptismum, neque consentiens, neque dissentiens, tam actualiter, quam habitualiter, non reciperet Sacramentum Baptismi. Ratio; quia requiritur positivus consensus, saltem habitualis. Docet 3. Quod hic consensus habitualis, vel interpretativus sufficit ad Baptismum: quia voluntas præterita semper perseverans reputatur, donec revocetur. Hoc pariter docuerat Innocentius cap. *Majores*, ubi dicit, quod *amentes, & dormientes, qui jam consenserunt, nec postea dissenserunt, validè baptizentur*. Eodem modo loquuntur Concilium Carthaginense III. & Arausicanum I.

147 Dices: Si aliquis Gentilis, qui numquam cogitavit de Baptismo, dormiens baptizetur, verè esset bap-

tizatus; sed tunc nullum potuit habere consensum, nec dissensum: ergo non requiritur consensus, sed sufficit non dissensus. Prob. major. ex Innocentio in præcit. cap. ubi solùm vult, & petit, ad rationem Baptismi, quod adultus non habeat voluntatem contrariam, & repugnantem: ergo si neutram habet adultus, Baptismus erat validus. Antecedens ex eo constat, quod post longam disputationem sic concludit: *Tunc characterem Sacramentalis imprimis operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non invenerit*. Deinde: *Extrema-Unctio dari solet his, qui morbi impetu usum rationis subito perdididerunt, nec antea Sacramentum illud petierunt: ergo idem dici debet de Baptismo*. Denique: Florentinum docet, Sacramentum perfici materia, forma, & intentione Ministri, quinumeret intentionem suscipientis: ergo illam necessariam non agnovit. Hoc est Cajetani fundamentum ad suam singularem sententiam stabilendam.

148 Respondeo, negando major. & antecedens probationis. Dico igitur, quod Innocentius loquitur ibi de amentibus, & dormientibus, & inquit, quod si illi habebant voluntatem suscipiendi Baptismum, antequam dormirent, vel in amentiam inciderent, sunt verè baptizati. Unde per verba relata: *Tunc characterem imprimi, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*, aliud non innuit, nisi requiri, quod recipiens non dissentiat contrariè positivè, quamvis dissentiret secundum quid, juxta allatam Scoti doctrinam: aliàs sibi ipsi contradiceret, si in fine capitis negaret necessitatem consensus positivi ad valorem Sacramenti, quam antea exigebat in dormiente, vel in amente ante somnum, vel amentiam. Unde Pontifex nec ponit, nec respondet ad casum Cajetani, de eo, nempe, qui nec assentiat, nec dissentiat: sed quod non dissentiat actualiter, & consentiat virtualiter, vel

vel habitualiter. Ad 2. negatur consequentia. Non itaque est paritas de Baptismo, & Extrema-Unctio; quia cum hoc Sacramentum sit fidelibus poenitentibus, supponit consensum universalem hominis fidelis, & poenitentis, qui vult catholicè mori, & proinde censetur ex illa generali, & habituali voluntate, velle in extremis Sacramentum illud suscipere. Quare Rituale Romanum tit. de Sacram. Extremæ-Unct. sic docet: *Infirmis, qui dum sana mente, & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederunt signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur*. Accedentes verò ad Baptismum, cum infideles sint, non censentur velle permittere baptizari, & Ecclesiasticis refici Sacramentis, nisi aliquomodo aperiant suum votum, & voluntatem. Ad ultimum dico, Concilium ibi solùm tradere generalem doctrinam Sacramentorum, & decernere necessaria in unoquoque Sacramento ex parte ministrantis, quæ certè tantum sunt materia, forma, & intentio Ministri: at verò non loquitur de suscipiente, & ejus intentione, cum non sit universaliter requisita in omni Sacramento. Patet in Eucharistia, in qua non requiritur suscipientis consensus ex vi Sacramenti. Imò nec in ipso Baptismo semper est necessarius suscipientis consensus, ut in parvulis fit manifestum. Vide alia Tract. præc. disp. 4. quæstione 1.

149 Dico III. *Ut adultus, reus peccati mortalis actualis, licitè, & fructuosè recipiat Baptismum, accedere debet sine fictione: deinde cum fide, spe, & charitate aliquali, ac cum poenitentia, seu odio aliquo peccati*. Intellige de fide actuali, quæ sufficiens est, quin necessaria sit habitualis. Ratio est; quia ante justificationem in Baptismo receptam, non datur in recipiente fides habitualis,

sicut nec spes, & charitas, cum simul in effectu, juxta Tridentinum, dentur illæ tres virtutes Theologicæ. Resolutio, quæ quoad omnes ejus partes est communis, procedit non de valore, sed de fructu, seu effectu Baptismi, nempe, de gratia sanctificante. Sed pro 1. parte notandum est cum Subt. Doct. 4. dist. 4. q. 5. quod *simulatio*, quæ respectivè ad susceptionem Sacramenti ex communi usu appellatur *ficcio*, duplex est. Prima, quando accedens ad Sacramentum reverà nullo modo intendit illud recipere, licet exterius simulet, id se velle. Ficcio hæc nullum efficit Sacramentum ex defectu intentionis, aut consensus, & de hac in præsentia non loquimur. Secunda respicit dispositionem præviam ad debitè recipiendum Sacramentum, & quam dispositionem suscipiens simulat se habere, qua tamen caret. Ut cum simulat, se credere mysteria, quorum fides exigitur, nec tamen credit: vel simulat, se poenitere de peccatis ante Baptismum commissis, licet de facto non poeniteat: vel si in ipsa Sacramenti susceptione mortaliter peccet actu per pravum aliquem internum affectum. De hac fictione, seu obice ad gratiam, & Sacramentalem fructum est præsens resolutio.

150 Probatur itaque quoad 1. partem ex Subt. Doct. loc. laudato dicente: *Iste, qui habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod prius commisit, & nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam: ergo ex Subt. Doct. qui fictè accedit ad Baptismum, hoc est, sine dispositionibus requisitis, cum obice, ne gratiam sanctificantem accipiat, accedit: ergo ut fructuosè, & licitè Baptismum accipiat, accedere debet sine fictione*. Hanc eandem veritatem luculenter explicat August. lib. 1. de Bap. cap. 12. Prob. quoad 2. partem universim de fide, spe,

spe, charitate, & poenitentia ex Trident. Sess. 6. cap. 6. ubi docens dispositiones necessarias in Baptismo adultis ad gratiam justificantem, dicit, eas esse, ac tales, ut moveantur in Deum credentes... & erigantur in spem, fidentes, Deum propitium sibi fore propter Christum; illumque diligere incipiant... & propterea moveantur adversus peccata per odium aliquod, & poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: ergo in adulto peccatum personale habentem actus illi sunt conditiones necessariae ad gratiam Baptismi. Præterea, de necessitate fidei in adulto ad Baptismum constat Matth. 28. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Hanc etiam veritatem docuerunt SS. PP. Græci, & Latini. De poenitentia constat ex Act. 2. ubi S. Petrus videns Judæos, quibus concionatus fuerat, paratos ad exequendum omne id, quod ipsis præscriberet necessarium ad salutem, dixit: Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Consonat per omnia Augustinus de fide ad Petrum cap. 30. dicens: Nulum hominem accepturum vitam æternam, qui non à malis suis fuerit per poenitentiam, fidemque conversus, & per Sacramentum fidei, & poenitentia, id est, per Baptismum liberatus.

151 Sed est advertendum, quòd dum in assertione dixi, in adulto peccatore, ut fructuosè Baptismum recipiat, requiri odium aliquod peccati, seu poenitentiam aliquam, tali locutione usus fui; quia nolui determinare, qualis illa poenitentia debeat esse? an, nempe, contritio perfecta? an sufficiat attritio? an alius doloris, vel odii peccati motus, qui nec sit attritio, nec contritio? Nolui, inquam, hoc in præsentì determinare; quia specialem continet difficultatem, postea num. 154. contro-

vertendam. Advertendum est etiam, quòd si adultus accederet ad Baptismum sine peccato personali, (quòd non facile est præsumendum) & cum solo originali, tunc non indigeret poenitentia, seu dolore contritionis, nec attritionis supernaturalis, sed sufficeret, & necessarium esset, illi accedere cum actibus fidei, spei, & initialis charitatis, qui actus virtualiter saltem includunt votum, seu propositum, non offendendi Deum. Denique est advertendum, quòd si ex ignorantia adultus, sive peccato personali obnoxius, sive solo originali, cum prædictis dispositionibus ad Baptismum non accederet, licet propter ignorantiam non peccaret, tamen Sacramenti gratiam non acciperet, usque dum tollatur obex. Quomodo verò, & per quid tollitur? Postea num. 172. resolvetur.

152 Objic. 1. intendens impugnare, fidem necessariam esse. Fides illa ad Baptismum in adulto requisita, aut esset naturalis, aut supernaturalis? Sed non naturalis: nam homo non potest se ad gratiam disponere ex puris naturalibus; hoc quidem sapit Pelagianismum: aliunde nec potest esse supernaturalis: ergo necessaria non est fides. Prob. hæc minor: Fides elicit non ex motivo superno, sed ex humano non est supernaturalis; sed fides à tali adulto elicit non esset ex motivo superno, sed ex humano: tum; quia Catechumenus non credit nisi ex motivo humano, scilicet, ex verbis Parochi, & movetur ad credendum ex ejus autoritate: tum; quia videtur impossibile, Catechumenos advertere ad motivum ultimum fidei, nempe, ad divinam auctoritatem revelantem: ergo. Confirmatur: In aliis Sacramentis non requiritur fides in suscipiente: ergo nec in Baptismate. Nego minorem quoad 2. partem; & distingo min. probationis: esset elicit ex motivo proximo, immediato, seu tamquam motivo credibilitatis, concedo: formali, & ul-

ti-

timato, & tamquam motivo, seu ratione credendi, nego minorem, & quidquid ex illa intenditur inferri. Argumentum non aliam continet difficultatem, quàm illam, quæ à Theologis excitatur trac. de fide erga puerum, & adultum fidelem, quem Parochus, aut Magister instruit in fidei mysteriis, & articulis. Unde non restat hîc dicendum, nisi quod ibi docetur. Parochus enim, & similiter Ecclesia credenda proponit, sed propriè non creduntur, nisi propter Deum revelantem. Debet igitur Parochus, aut quivis alius catechista populum docere, non solum credenda, sed etiam vera motiva credendi: quæ quidem non sunt nec illius, nec alterius autoritas, sed sola Dei veracitas mysteria revelans. Ad Confirmationem nego antecedens: nam ex Trident. sess. 6. per ullum Sacramentum disponimur ad justificationem, nisi credamus, impium per gratiam Dei justificari per redemptionem, quæ est à Christo Jesu. Unde fidem constituit tamquam primam dispositionem adulti ad justificationem; quia est radix, & fundamentum justificationis.

153 Objic. 2. ostendere intendens, poenitentiam, seu dolorem necessariam non esse ad Baptismum fructuosè recipiendum in adulto peccatore: Subt. Doct. 4. dist. 14. quæst. 4. sic dicit: Ad justificationem in Baptismo non requiritur, nisi voluntaria susceptio ejus, & sine fictione... in hoc modo justificationis solum requiritur opus externum, cum amotione impedimenti interioris: ergo juxta Subt. Doct. in adulto peccatore non est absolutè necessarius dolor de peccato, sed sola voluntas recipiendi Sacramentum, sine complacentia actuali in peccato. In hac Scoti littera fundantur aliqui ad asserendum, Scotum docuisse, sufficere ad Baptismum in peccatore adulto, non dolorem formalem, sed solam displicentiã, seu non complacentiam in peccato. Immeritò tamen, ut ex ostensio-

- Tom. I.

ne illius mentis constabit. Sunt Scotistæ, qui illum sic, vel sic explicent. Respondeo breviter negando consequentiam. Itaque verbis præfatis, funditus perpensis, nihil aliud innuit Doctor, quàm quòd adultus, qui nullum actuale peccatum admisisset, non aliam exigat dispositionem ad effectum Baptismi, præter sinceram voluntatem recipiendi Sacramentum ejusmodi: nam loquitur, ut constat ex ejus verbis, de modo, quo remittitur peccatum originale, quin sermonem instituat de actuali. Ob hoc dixit: non requiritur, nisi voluntaria susceptio ejus, & sine fictione, hoc est, dum accederet ad Baptismum cum debitis requisitis fidei, spei, & charitatis, juxta superius dicta, præsertim num. 149. Si verò adultus, peccato actuali obnoxius, accederet ad Baptismum sine poenitentia, tunc juxta Doctor. Subt. non reciperet fructum, seu gratiam Sacramenti: nam expressè docet, quòd voluntas suscipientis debet esse sine actu, vel voluntate peccati mortalis, & cum amotione interioris impedimenti. Voluntas autem, aut actus peccati, nec impedimentum interius sine poenitentia non tolluntur. Quare dist. 4. quæst. 5. num. 2. inquit: De illo, qui ostenderet, se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum, & tamen non esset dispositus interius, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quò nullo modo atteritur, vel conteritur... dico, quòd tunc nullo modo recipit gratiam. Quid clarius, ac pulchrius! ergo ad fructuosè Baptismum suscipiendum requiritur in peccatore adulto dolor formalis de peccato suo, juxta Scotum. Qualis verò debeat esse iste dolor, resolvitur sequenti dubio.

154 Dubitabis: Utrum illa poenitentia debeat esse contritio perfecta, vel attritio sufficiat? Dubium hoc hodiè reputatur famosa controversia, & Tract. de Poenitentia fu-

Hh

sius

sus discutietur. Nunc breviter est sciendum, quod præcipui actus penitentiae sunt duo; nempe, *contritio perfecta*, & *imperfecta*. Uterque actus in sua specie est perfectus, quamvis prior ex nobilitate motivi *contritio perfecta* dicatur in comparatione ad secundum. Contritio igitur perfecta, quæ dicitur *contritio absoluta*, & simpliciter, *est dolor de peccato, conceptus ex motiva pura charitatis in Deum propter se, & super omnia dilectum*. Contritio hæc juxta Trident. sess. 14. cap. 4. justificat peccatorem, modo includat propositum recipiendi Baptismum in Catechumeno, aut Sacramentum Pœnitentiæ in peccatore baptizato. Hinc charitas actualis, & vera, qua Deus super omnia propter seipsum diligitur, incompatibilis est cum mortali peccato, & ut loquitur Augustinus 13. de Trinit. cap. 18. *dividit inter filios regni æterni, & perditionis æternæ*. Unde damnantur ab Ecclesia plures propositiones Michaëlis Baii, putantis, veram charitatem stare posse cum peccato mortali, & ejus reatu. Inter damnatas hæc est una, quæ est 71. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & voto suscipiendi Sacramentum conjuncta, non dimittitur crimen, extra casum Martyrii, sine actuali receptione Sacramenti*. Contritio imperfecta, quæ *attritio* dicitur, *est dolor de peccato, conceptus ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, modo excludat omnem peccandi voluntatem, & sit cum spe veniæ*, ut Trident. loquitur cit. sess. & cap. His animadversis, quidam ex zelo severioris disciplinae exigunt contritionem perfectam, aut charitatem divinam ad justificationem obtinendam in omnibus Sacramentis, etiam Baptismi, & Pœnitentiæ, adeo ut, nec in his duobus Sacramentis sufficiat attritio quantumcumque supernaturalis. De hoc videndus est Tract. de Sacramentis in Gen. disp. 2. sub quæst. 1. num. 208. ubi de

Sacramentis mortuorum generatio ostensum est, gratiam sanctificantem causare in recipiente cum attritione supernaturali. Nunc, ut declaremus, quod ad Baptismum in particulari atinet:

155. Dico: *Sufficit attritio supernaturalis, ut adultus peccator licet, ac fructuose recipiat Sacramentum Baptismi*. Est communior, ac certè vetior opinio, quam Subtil. Doct. pluribus probat 4. dist. 4. q. 5. num. 2. & 4. Et dist. 14. q. 4. Prob. tum ex Tridentino requirente tantum inter dispositiones necessarias ad justificationem in Baptismo, ut *suscipientes incipiant diligere Deum, tamquam omnis justitiæ fontem, & propterea moveantur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*; sed ibi nulla fit mentio de contritione perfecta, nec de vero ejus motivo, quod est pura charitas in Deum propter se dilectum super omnia: ergo. Prob. minor. Si quid ibi indicaret contritionem, aut motivum puræ charitatis, maxime illud initium dilectionis cum odio illo peccati: *incipiant diligere Deum, tamquam omnis justitiæ fontem &c.* sed verba hæc non indicant contritionem ex pura charitate, ut Adversarii contendunt: ergo. Prob. minor. Pura charitas, quæ facit contritionem perfectam, est amor Dei super omnia, & propter se; sed talis non est illa dilectio Dei, ut *omnis justitiæ fontis*; nam peccator sub hoc motivo potius respicit seipsum, ut justitiam, seu gratiam quærentem, & sperantem ex illo fonte: ergo. Confirmatur: Non requiritur perfectior pœnitentiæ ad Sacramentum Baptismi, quàm ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut certissimum est apud omnes; sed ad Pœnitentiæ Sacramentum sufficit attritio: ergo. Minor prob. ex Trident. cit. Can. 5. dicente, quod *peccator attritione viam sibi ad justitiam parat, & ad justitiam in Sacramento*

im-

impetrandam disponit: & definit, eam attritionem esse veram, & utilem dolorem, & præparare ad gratiam, quod amplius constabit, dum de Sacramento Pœnitentiæ instituemus sermonem: ergo. Tum ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi loquens de Baptismi effectu, ait: *Effectus Baptismi est remissio omnis culpæ originalis, & actualis*: ergo censet, Baptismum ex se habere vim remittendi quodlibet peccatum: ergo non necessariò supponere debet illius remissionem virtute contritionis perfectæ. Plura alia vide Tract. de Sacram. disp. 3. quæst. 1. conclus. 2. ubi docetur, Sacramenta mortuorum conferre ex se primam gratiam, quod utique numquam verificaretur, si ad illa recipienda necessaria esset perfecta contritio.

156. Objic. 1. Homo per peccatum avertit se à Deo, ut ab ultimo fine: ergo ut à peccato liberetur, necessarium est, quod se convertat ad Deum, ut ad ultimum finem: ergo per actum charitatis, & contritionis. Urgetur: Tridentinum sess. 6. can. 3. supponit, quod ad justificationem requiritur dilectio Dei, & pœnitentiæ ex auxilio gratiæ: nam sic ait: *Si quis dixerit, hominem sine Spiritus Sancti auxilio posse credere, aut diligere, aut pœnitere, sicut oportet, ut justificationis gratiam consequatur, anathema sit*; sed tales actus formant veram contritionem ex pura charitate: ergo requiritur contritio ad obtinendam justificationem, etiam in Sacramento Baptismi. 2. Subt. Doct. quæst. sup. cit. docet, quod *per actum, qui est contritio, deletur peccatum, ut per dispositionem omnino proximam*: ergo ex Scoto contritio perfecta ex charitate est in Baptismo dispositio necessaria ad deletionem peccati. Patet; quia sine proxima dispositione, nullus effectus consequi potest.

157. Ad 1. distinguo primam consequentiam: Quod se convertat ad Deum aliqua vera conversione, &

Tom. I.

ex aliquo motivo supernaturali, concedo: ex solo motivo puræ charitatis, nego primam consequentiam & secundam. Potest itaque peccator averti à peccato ob illius turpitudinem, ob privationem gratiæ, & gloriæ, ob incursum pœnæ æternæ, aut ex aliqua dilectione Dei, quæ non sit pura charitas, sed procedens, & impetrata à virtute spei, aut gratitudinis, aut justitiæ, & per illam convertitur ad Deum sufficienter, ut consequatur justificationem, licet conversione minus perfecta, quàm quæ fit per puram charitatem, aut contritionem. Nec urgentia intentum convincit, quin potius contrarium constat ex dictis ejusdem Concilii. Conceditur major, sed negatur minor; quia licet requiratur ad justificationem per Sacramentum hoc dilectio aliqualis, non tamen dilectio ex pura charitate. Requiritur itaque dilectio ex aliis motivis, ut *timoris, gratitudinis, justitiæ, spei*, quæ dilectio pendet etiam ab auxilio gratiæ, & fit ex Spiritus Sancti motione. Nec isti actus veram contritionem, de qua controvertitur, formant: sed tamen contritio ista imperfecta, ut Concilium docet, *ad justitiam in Sacramento impetrandam disponit*. Ad 2. dico, Subt. Doct. id non somniasse, & multo minus, quod aliqui ab ejus mente valde alieni putaverunt, scilicet, Scotum velle, quod per attritionem naturalem, & ex nobis disponimur ad gratiam illam, quod Pelagianismum sapit. De mente Doct. circa præsentem quæstionem satis constat ex textibus supracitatis. Præterea disp. & quæst. cit. num. 16. luculenter explicat suam mentem dicens, quod *adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici via*. Prima ex bono motu disponente ad illam de congruo, qualis est contritio perfecta. Secunda per attritionem, quæ non ex merito, sicut contritio, sed ex pacto divino, sortitur effectum hujus Sacramenti. Hæc fere ad litteram docet. Et concludit: *Et sic attritus in*

Hh 2

ul-

ultimo instanti prolationis verborum, in quo, scilicet, est vis hujus Sacramenti, effectum Sacramenti recipit. En Scoti mentem clarissimam, & doctrinam Ecclesie germanam.

QUÆSTIO IV.

An Sacramentum Baptismi validum possit esse, & informe?

158 **N**oster Doct. Subt. sic excitat hanc difficultatem: *An adultus fideus recipiat gratiam Baptismi?* Duplicem distinguit Doctor fictionem in suscipiente Baptismum. 1. Si fingat exterius recipere Sacramentum, sicut solet in Ecclesia celebrari, nempe, per res, & verba solita, sed sine intentione interiori, seu sine animo recipiendi: & de ista fictione constat, quod Sacramentum invalidat ex defectu intentionis. 2. Si recipiat cum intentione, sed sine debita dispositione, imò cum obice ad effectum Sacramenti, ut cum peccato, aut cum affectu ad illud, cum quo incompatibilis est gratia, quæ est Sacramenti effectus. Rursus obex, seu fictio, alia est *negativa*; alia *positiva*. Negativa est, quando deest aliqua dispositio prærequisita ad Sacramentum fructuosè recipiendum, ut dum aliquis recipit Eucharistiam, ignorans, vel non advertens, se esse in peccato, & ideò non se disponit per contritionem, nec confessionem. Idem est de quolibet alio Sacramento, & quavis alia dispositione deficiente ex ignorantia invincibili, aut inadvertentia totali. Positiva est, dum quis cum peccato, seu sine dispositione ad gratiam Sacramenti necessaria scienter, & volens accedit, & recipit. Et prænotandum ex dictis Tract. de Sacramentis disp. 3. quæst. 4. aliqua Sacramenta præter gratiam sanctificantem causare characterem, qui est effectus minus principalis: omnia verò causare aliquas gratias actuales, per quas homo perficitur, & juva-

tur, ad debitè peragenda illa, ad quæ obligatur in eo statu, & conditione, in quibus per illud Sacramentum constituitur, & quæ num. 241. ibi assignantur. Et quia auxilia illa, & gratiæ istæ; (quibus juvantur homines ad onera sui status sustinenda, tentationesque, & difficultates occurrentes in illo statu promptius, & facilius superandas) nec incompatibiles sunt cum peccato mortali, nec Deus eas denegat peccatoribus pessimis: ideò certum debet esse, quod, etsi aliqua Sacramenta valida, & informia sint quoad gratiam habitualement, operantur tamen illas actuales gratias, & characterem.

159 **D**ico igitur: *Sacramentum Baptismi potest esse validum, & informe.* Est dicere, quod potest recipi validè, & quodam characterem, absque eo, quod operetur gratiam sanctificantem in recipiente. Est communis. At verò, quia eadem est ratio de aliis Sacramentis, imprimèntibus characterem, scilicet de *Confirmatione, & Ordine*, idem asserendum, ac probandum venit de illis. Probatur 1. ex Subt. Doct. 4. dist. 4. q. 5. id expressè docente de Sacramento Baptismi. Eandem doctrinam tradiderat Doctor de Confirmatione, & Ordine, dicens: *Apparet hoc in Sacramentis imprimèntibus characterem, quæ propter hoc non sunt iterabilia.* Prob. 2. ex præxi Ecclesie, quæ non iterat Sacramenta baptizatis, nec confirmatis, nec ordinatis in peccato mortali: ergo Sacramenta hæc, quamvis informia, valida sunt: aliàs iterum deberent baptizari, confirmari, & ordinari. Confirmatur: Nec character, nec alii effectus horum Sacramentorum, præter gratiam sanctificantem, sunt ab illa inseparabiles, nec cum peccato incompatibiles: ergo illi effectus à Sacramentis produci debent, quoties cum debitis rebus, verbis, & intentione applicantur, & recipiuntur. Prob. antec. Illa oppositio

nitio nullibi constat, nec ex Scriptura, nec ex ratione, nec ex traditione: quin potius Ecclesia oppositum docet: ergo. Probatur denique ex trac. de Sacram. disp. 2. quæst. 5. ubi ex Conciliis, & Patribus statuitur contra Hæreticos, baptizatos ab Hæreticis, & Paganis, ac maximis peccatoribus validè esse baptizatos, nec Baptismum iterari posse, dummodo constet, nihil essentialè ad Sacramentum defuisse, tam ex parte Ministri, quam subjecti. Lege illam quæstionem, in qua plura scitu dignissima contra Sectarios invenies.

160 **Objc.** 1. Sacramentum, quando est verum, semper est validum; sed non potest esse verum, & non formatum: ergo nec validum, & informe. Prob. min. Non potest verum Sacramentum esse, quin sit signum efficax gratiæ; sed non potest esse signum efficax gratiæ, & non esse formatum, seu quin causet gratiam: nam efficacia signi in hoc consistit, quod id causet, quod significat: ergo. **Objc.** 2. Sacramentum Baptismi est Sacramentum mortuorum, & Confirmationis, & Ordinis vivorum; sed de neutris Sacramentis dici potest, quod valida, & informia sint: ergo. Prob. min. quoad 1. partem: Siquid redderet informe Sacramentum Baptismi, quod est mortuorum, maximè mortale peccatum; sed istud non impedit effectum Sacramenti mortuorum, semel quod sit validum: ergo. Prob. min. Ideò dicitur mortuorum; quia peccatum mortale delet, recipitur in statu mortis, & per gratiam mortuos vivificat: ergo. Prob. min. quoad 2. partem: Sacramentum vivorum, si subjectum sit vita gratiæ carens, seu mortuum, non magis erit illi Sacramentum, quam si ferret supra lapidem, vel supra equum: siquidem peccator, qui mortuus est, non est magis capax Sacramenti, quam brutum, aut lapis: ergo non potest dari Sacramentum vivorum validum, & informe, & consequen-

ter falsa erit conclusio de Sacramentis Confirmationis, & Ordinis.

161 **R**espondeo ad 1. negando minorem, & distinguo *mag.* prob. Quin sit signum efficax gratiæ quantum ex se est, & in actu 1. concedo: in actu 2. subdistinguo: In subjecto disposito, seu obicem non habente, concedo: habente obicem, nego majorem. Sacramentum itaque essentialiter, & quantum ex se est, causat gratiam in subjecto, si non reperiat obicem in illo: si verò obicem invenit, gratiam non causat actu, & exercitè, ex Christi Domini voluntate, & institutione. Unde semper est signum efficax gratiæ signatè, & ex se: non tamen exercitè, si adest obex. Ad 2. nego min. quoad utramque partem, & distinguo min. ejus 1. probationis: Non impedit, si retractetur, & de illo doleat ante susceptionem completam Sacramenti, concedo: si secus, nego min. Et distinguo ejus probationem: Ideò dicitur mortuorum, quia peccatum mortale delet, si subjectum dispositum sit, ut Sacramentum illud deleat, concedo: si sit sine debita dispositione, nego antecedens, & sic intelligitur, ut vivificet animam Sacramentum. Itaque Sacramenta mortuorum talia sunt, & dicuntur, quia instituta sunt ad primam gratiam conferendam: at verò ut hunc præstent effectum, & vitam spiritualem causent, necessarium est, quod recipiens accedat cum dispositionibus requisitis, & jam assignatis. Unde adultus peccator, qui reciperet Baptismum cum affectu ad peccatum mortale, & sine aliqua poenitentia, saltem sine attritione supernaturali, vel ut loquitur Doct. Subt. *quin atteratur, vel conteratur*, nedum non reciperet remissionem peccatorum, sed peccatum sacrilegii committeret de novo, eò quod indignè reciperet Sacramentum. Vide Tract. anteced. n. 281. Sed tamen causaret, & prodiceret in anima characterem baptismalem, qui cum peccato non est in-

incompatibilis : & idè verè baptizatus esset , & gratiam non reciperet , ac proinde Sacramentum validum esset , & informe. Ad probationem 2. partis minoris principalis, nego antecedens : nam esset illi Sacramentum verum quoad characterem, ob quod iterum peccator ille non potest confirmari , nec ordinari. Nec qui mortuus est spiritualiter incapax est Sacramenti vivorum , nisi quantum ad gratiæ effectum , propter immediatè dicta , & dicenda infra. Solum mortuus physicè incapax est , sicut brutum , lignum , aut lapis. Ex his aliquæ solvendæ veniunt difficultates.

162 Dubium I. *Utrum alia Sacramenta possint esse valida , & informia ?* Cùm jam resolutum sit affirmativè de Sacramentis imprimèntibus characterem , nempe , de *Baptismo*, *Confirmatione*, & *Ordine*, solum superest dubium de aliis Sacramentis, scilicèt , de *Pœnitentia*, *Eucharistia*, *Extrema-Unctione*, et *Matrimonio*. Verùm quia pro Sacramento Pœnitentiæ adest specialissima ratio , ut non possit esse informe , & validum, reservatur hujus difficultatis decisio, usque dum de Pœnitentia sermonem instituat. Nec de Sacramento Eucharistiæ potest loqui sicut de cæteris Sacramentis , cùm non sit eadem ratio de illa , ac de aliis. Hæc enim de se est Sacramentum permanens , & non dependens ab usu , vel susceptione , quoad suum esse , sed solum à consecratione Sacerdotis. Ex alia parte , qui manducat indignè, *judicium sibi manducat* : ideòque cum exactissima diligentia debet homo se ipsum probare : aliter specialis , & enormissima committeretur irreverentia in Christi Domini Corpus , & personam. Deinde per hoc admirabile Sacramentum confertur duplex gratia , videlicet , *substantialis*, quæ est ipse Christus verè , & *physicè* sub speciebus existens , & *accidentalitatis*, quæ est gratia sanctificans. Hæc quidem non recipi in commu-

nicante sine debita dispositione , certissimum est : sed etiam est certum, quòd reciperet , quamvis indignè, ipsum Christum. Unde solum in hoc sensu dici valet hoc Sacramentum validum , & informe , nempe , reciperet verum Christi Corpus , sed sine fructu , imò cum maximo damno. Sed de hoc ampliùs , dum de hoc peragamus Sacramento. Respondeo affirmativè de *Extrema-Unctione*, & *Matrimonio*. Probatur de *Extrema-Unctione* : tum ; quia non est credibile Christum voluisse hoc Sacramentum dependere quoad valorem à suscipientium dispositione , & maxime in casu ignorantie inculpabilis. Tum ; quia etsi aliquis indispositè reciperet hoc Sacramentum , non idè iteraretur in illa infirmitate , nisi ab illa convalesceret , & in aliud proximum mortis periculum incidere : & tamen verè diceretur , quòd recepit *Extremam-Unctionem*. Probatur de *Matrimonio*, quod quidem non iteratur in contrahentibus , nec est nullum in eis hoc Sacramentum per hoc quòd in peccato recipiant illud , ut videtur per se notum : ergo ista Sacramenta possunt esse valida , & informia. Nec contra hoc occurrit aliquid alicujus momenti.

163 Dubium II. *Utrum Baptismus validus , & informis propter obicem peccati , reviviscat , & gratiam operetur , sublato obice ?* Respondeo affirmativè cum communi Theologorum. Docetur à Subt. Mag. dist. 4. q. 5. inter alia plurima , sic dicente : *Sicut Deus signo suo prius astitisset ad causandum effectum ejus , quando suscipiebatur , nisi fuisset impedimentum in suscipiente : ita paratus est semper post susceptionem ejus signi assistere ei , qui suscepit , ad causandum effectum ejus , quando cessat illud impedimentum*. Probatur ex SS. PP. Cyprianus Serm. 1. de Passione de indignè recipientibus Sacramenta , & nominatim Baptismus , dicit : *Ubi redierunt ad cor , constat ablutionis donum , & reddit effectus*

mu-

munerum. Augustinus epist. 66. de iisdem loquens , dicit : *Tunc Baptismus valere incipit ad salutem , cùm illa fictio vera confessione recesserit*. Idem docent Gregorius relatus in Can. d. 4. cap. 44. Isidorus Hispal. de Offic. 24. & alii Patres : ergo *Baptismus validus* , sed *informis* , sanctificat , ablato obice. De cæteris Sacramentis , an , nempe , etiam reviviscant , seu gratiam operentur , obice ablato , dicitur quæst. seq.

164 Objic. Tum : quod non existit , operari non potest ; sed quando obex tollitur , Sacramenta illa non existunt ; nam successiva sunt , & transierunt , finita prolatione verborum : ergo nihil operantur. Tum : non magis possunt operari , ut præterita , quàm ut in voto , aut futura ; sed ut futura , aut in voto , non operantur , ut Tract. anteced. disp. 3. quæst. 3. conc. 3. dictum est : ergo. Tum : Opera mortua non vivificantur ad meritum ; sed Sacramenta fictè suscepta sunt opera mortua : ergo nunquam vivificantur ad operandam gratiam. Tum : in sensu Ecclesiæ , ac fidelium , Sacramenta fictè suscepta non prosunt , sed nocent : nam Deum irritant , & ad vindictam in profanatores movent : atque adeò *induunt maledictionem pro benedictione* ; sed si reviviscerent ad gratiam , semper essent utilia : ergo. Denique : Quando obex tollitur , causa præsens illum tollens sufficit ad gratiam causandam ; ergo frustra tribuitur hæc causatio Sacramento jam præterito. Prob. anteced. Per eandem causam , per quam obex tollitur , remittitur peccatum ; sed causa peccatum remittens gratiam confert : ergo. Nunc sic : sed obex , & peccatum tollitur per pœnitentiam , sive in re , sive in voto , qualis est contritio : ergo per Pœnitentiæ Sacramentum tunc gratia dumtaxat operatur.

165 Ad 1. distinguo major. Quod non existit , nec physicè , nec moraliter , operari non potest , concedo ; non physicè , benè verò existit mo-

raliter , subdistinguo : operari non potest physicè concedo moraliter , nego major. & distinguo minor. non existunt physicè , concedo : moraliter , nego minorem , & consequentiam. Argumentum solum premit Thomistas , asserentes , Sacramenta physicè instrumentaliter gratiam causare , quòd quidem in Sacramentis , quæ jam physicè transierunt , videtur imperceptibile , atque adeò contra illos ingentem parit difficultatem , ut videri est Tractatu antecedenti disp. 3. quæst. 2. Nobis autem nullius est difficultatis ; quia dicimus , Sacramenta causam esse gratiæ solum moraliter , & quòd existunt moraliter , postquam transierunt physicè. Cùm igitur existant moraliter , & in mente Dei , obice ablato , Deus ipse eorum intuitu , gratiam confert : aut Sacramenta præterita moraliter conferunt illam. Ad 2. neg. maj. nam ut futura , aut in voto nihil reale habeant , nec adhuc sunt : at vero ut præterita , licèt non retineant physicam præsentiam , retineant moralem , quod sufficit. Ad 3. dico cum Subt. Doct. aliud esse loqui de Sacramento indignè suscepto , & aliud de opere ipsius suscipientis. Sacramentum semper est ex se opus Christi vivum , sanctum , & ex meritis Christi habet vim sanctificandi : operatio verò recipientis indignè est opus mortuum , ac mortiferum , quòd reviviscere nequit. Unde ex parte operantis sunt opera mortua , ex parte Sacramenti sunt opera viva , ac meritis Christi animata : atque adeò , ablato obice impediente Sacramenti operationem , quamoptimè Sacramentum operari potest. Ad ultimum nego antecedens , & præsertim loquendo de Baptismo , & maj. probationia. Ad pleniorè , & planiorè intelligentiam hujus difficultatis , quæ satis obstrusa est , & in qua unus cum aliis vix convenit , sit.

[QUÆS-

QUAESTIO V.

*Quomodo, & quæ peccata remittat
Baptismus, obice ab-
lato?*

166 **I**N difficultatis hujus reso-
lutione plurimæ sunt sen-
tentia. Ante illarum relationem, præ-
noto 1. Quod obex gratiæ potest es-
se duplex; *negativus*, nempe, & *po-
sitivus*. *Negativus* est, dum quis ac-
cedit indispositus ad Sacramentum,
hoc tamen ignorat invincibiliter: id-
eoque non peccat, est ob defectum
dispositionis requisitæ effectum Sacra-
menti non recipiat. *Positivus* obex
est, dum quis actualiter peccat in ip-
sa susceptione Sacramenti: ut dum
quis sciens, se esse in peccato mor-
tali, Sacramentum vivorum suscipit
sine contritione, aut attritione simul
cum Pœnitentia; vel Sacramentum
mortuorum sine attritione supernatu-
rali. Nec audiendus est Canus in *re-
lectione de Pœnitentia*, parte 3. di-
cens cum aliquibus, hominem bona
fide ad Baptismum accedentem, pu-
tando, se esse dispositum, cum re-
verâ non sit, adhuc gratiam Sacra-
menti recipere: solumque privari hoc
effectu, quando scienter, & culpabi-
liter, ac indispositè ab illo suscipi-
tur. Nam in hominẽ peccatore neces-
saria est ad effectum gratiæ baptis-
malis attritio supernaturalis veluti
dispositio necessaria, quæ utique ve-
ra, & in re debet esse, quin exis-
timata sufficiat. Ratio est; quia ne-
cessitas hujus dispositionis orta est ex
ipsa ratione justificationis, & ex Dei
institutione. In his autem, quæ sic
necessaria sunt ad salutem, non suf-
ficit existimatio, si reverâ non ex-
hibentur, ut per se est satis clarum,
& ex dictis fit perspicuum. Unde etsi
homo in tali casu sua bona fide ex-
cusaretur à transgressionẽ præcepti,
& nova culpa ob ignorantiam invin-
cibilem; tamen non justificaretur ex

defectu mediĩ necessariĩ, ut Mastrius
scitè advertit.

167 Prænotandum est 2. Quod
Subt. Doct. 4. dist. 4. quæst. 5. ubi
hanc difficultatem excitat, tres pro-
ponit modos, quibus intelligi potest,
Sacramentum Baptismi reviviscere,
quantum ad effectum, in eo, qui si-
mulatè, aut fictè illud suscepit. Pri-
mus est, quod per pœnitentiam re-
mittatur illud peccatum fictionis; cœ-
tera verò peccata, quæ ante suscep-
tionem Baptismi commiserat, remit-
tantur virtute Baptismi suscepti. Sic
ait: *Uno modo potest dici, quod illa
fictio non dimittitur, nisi per veram
pœnitentiam: sed ea dimissa, habet
Baptismus effectum suum respectu om-
nium peccatorum præcedentium Bap-
tismum*. Ratio Doct. est; quia Bap-
tismo assistit Deus, hoc est, sem-
per est præsens Deo, ipsumque mo-
vens ad producendum effectum, nem-
pe, remissionem peccati, & infusio-
nem gratiæ sanctificantis, quàm re-
verâ produxisset in ipsa reali Bap-
tismi susceptione, si reverâ non obfuis-
set obex simulatæ fictionis. Secundus
modus, quo fictio illa deleatur, est,
quod gratia illa baptismalis restitua-
tur non in se, sed in æquivalenti: ita
quod hominĩ illi, qui ficta pietate ad
Baptismum accesserat, dum resurgit
per pœnitentiam, uberior confere-
tur gratia, quàm habuisset virtute
soliis Pœnitentiæ præcisè. Unde gra-
tia illa æquivaleret simul gratiæ bap-
tismali, & pœnitentia: ita tamen,
ut nullam gratiam reciperet virtute
Baptismi ex opere operato, sed tan-
tum per modum præviæ dispositionis
ad gratiam illam uberiorem per pœ-
nitentiam ex opere operato produ-
cendam: non quidem ex sola virtu-
te propria ipsius Pœnitentiæ, sed ra-
tione suscepti Baptismi, tamquam
præviæ dispositionis. Tertius modus,
quem proponit, est, quod recipit
gratiam pœnitens ille virtute Pœni-
tentiæ, non quidem majorem, sed
illam, quam Pœnitentia habet cau-
sare in accedente cum dispositione.

Un-

Unde tunc Baptismus tantum valeret
quoad præcepti adimpletionem, &
subjectum redditum est capax aliorum
Sacramentorum, & consequenter ad
Pœnitentiam dispositum.

168 Prænotandum est 3. Docto-
rem Subt. adversus omnes tres di-
cendi modos, ex quorum quilibet va-
rios habebat, & habet sectatores,
plures invenisse difficultates, quas ip-
semet proponit, ac solvit. Hinc evin-
citur, nulli ex illis firmiter adhesisse
cum omnimoda alterius exclusio-
ne, nec suum iudicium in hac mate-
ria ultimè declarasse, sed dumtaxat
modos defendendi difficultatem
hanc docuisse, & retulisse. Sed ta-
men, quia primus modus ab eo as-
signatus communior, ac probabilior
est, magis ei, quàm ceteris, adhe-
ret Doct. Subt. ut ibi notat. Quare
nos illum tamquam veriore, & con-
formiorem menti Subt. Doct. sequemur
cum Mastrio, & famosioribus
Scotistis. Secundus theologizandi mo-
dus non paucos habet patronos; & si-
militer tertius: siquidem hac in re
quisque sequitur suum iudicium. His
præhabitis, ut dubium propositum ple-
nè resolvamus, & doctrinam ad alia
præstemus.

169 Assertio I. *Si Baptismus sus-
ceptus fuit cum obice negativo, seu
sine peccato, tunc, posita attritio-
ne supernaturali, totum suum sortitur
effectum ex opere operato in suscipien-
te*. Est dicere, quod in tali homine
se disponente per attritionem post
susceptum Baptismum, hoc ipsum
Sacramentum gratiam infundit, ori-
ginale peccatum remittit, necnon &
peccata omnia tam mortalia, quàm
venialia Baptismum antecedentia, de-
bitamque condonari pœnam: & qui-
dem hoc totum habetur ratione Bap-
tismi præteriti, posita dispositione,
quæ ex ignorantia invincibili defuit
in ejus receptione. Quid sit obex ne-
gativus, constat ex num. 166. In hac
assertione fere omnes conveniunt Theo-
logi. Prob. In eo, qui fictè accedit
ad Baptismum sine actuali peccato,
Tom. I.

fictio tollitur sufficienter per solam
attritionem, si post Baptismum sus-
ceptum non peccavit mortaliter: er-
go tunc Baptismus suum valet pro-
ducere effectum, & consequenter,
quando obex tantum est negativus,
sola sufficit attritio. Patet hoc; quia
in tali casu, cum supponamus, om-
nia peccata perpetrata esse ante Bap-
tismum, opus non est Pœnitentiæ Sa-
cramento. Prob. antec. Tum; quia,
ut constat ex num. 155. attritio est
dispositio sufficiens in ipso Baptismo:
ergo etiam post Baptismum, si nul-
lum interea accesserit peccati impe-
dimentum. Tum; quia fictio, de qua
agitur, consistit in sola dispositionis
carentia: ergo hac posita dispositio-
ne, fictio tollitur: ergo attritione po-
sita, quæ est dispositio, omnia pec-
cata vi solius Baptismi tolluntur. Nec
obstat 1. quod jam reipsa non sit Bap-
tismus, quando obex per sufficien-
tem dispositionem removetur: talis
namque effectus principaliter pendet
à Deo, & à Baptismo pendet effec-
tivè, tamquam ab instrumento mora-
li, quod quidem moraliter operari
potest, etiamsi physicè non sit præ-
sens. Nec obest 2. quod D. Augustinus
lib. 1. de Baptismo contra Do-
natistas cap. 12. dixerit: *Tunc vale-
re incipit ad salutem, cum illa fictio
veraci confessione recesserit*, in qui-
bus verbis videtur exprimi, attritio-
nem non sufficere, sed requiri pec-
catorum confessionem: siquidem Au-
gustinus non loquitur de nostro ca-
su, sed de obice positivo, de quo
tantum Antiqui disputarunt, & de
quo dixit, attritionem non sufficere,
nisi accedente Sacramento Pœniten-
tiæ, quod verissimum est.

170 Assertio II. *Baptismus cum
fitione positiva susceptus, receden-
te fitione, suum producit effectum ex
opere operato*. Est dicere, quod si-
quis cum obice positivo accipiat Bap-
tismum, tunc necessaria est contri-
tio, vel attritio simul cum Sacra-
mento Pœnitentiæ, ad tollendum
obicem; quo sic sublato, Baptis-
mus

mus per se, & ex opere operato delet peccatum originale, & omnia actualia ante Baptismum commissa, seu ejus receptionem præcedentia. Conclusio sic explicata est communis, quibusdam exceptis, qui cum tertio modo dicendi ab Scoto insinuato paulo supra num. 167. opinantur, hominem in tali casu gratiam recipere postea virtute novæ contritionis, vel Sacramenti Pœnitentiæ, non autem virtute prioris Baptismi, & inter quos numeratur Vazquez disp. 159. cap. 4. Docetur expressè à N. Subt. Doct. nuper laudato, & sic dicente: *Illa filii non dimittitur, nisi per veram pœnitentiam: sed ea dimissa, habet Baptismus effectum suum respectu omnium peccatorum præcedentium Baptismum.* Quæ pulchra verba, si Gonetus legisset, non casset ore aded rotundo, disp. 4. de Bap. art. 2. Scotum pro parte negativa, nec iterum art. 3. seq. repperet eandem cantinelam.

171 Probatur 1. ex D. Augustino, qui de illo, qui cum peccato Baptismum suscepit, dicit lib. 6. de Bap. c. 5. *Si ab illa perversitate correctus venerit ad catholicam pacem, sub eodem Baptismate, quod accepit, etiam peccata dimittuntur.* Et lib. 3. c. 13. dixerat: *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerit.* Prob. 2. ratione: Baptismus, ablato obice, aut impedimento, suum effectum habere debet; sed iste effectus per nullum aliud Sacramentum consequi potest: ergo per Baptismum consequendus est, & consequenter & Maj. constat; alias peccata commissa ante Baptismum susceptum fictè numquam per se deleri possent. Prob. min. Per Pœnitentiam per se loquendo deleri non possunt; sed per alia Sacramenta multo minus: ergo. Prob. maj. in qua sola potest esse difficultas: Pœnitentia, ut omnes fatentur, per se non respicit, tanquam proprium obiectum, nisi peccata commissa post Bap-

tismum, aut quæ in ejus susceptione committuntur; sed aliunde nec per accidens respicit, aut potest tollere peccata ante Baptismum commissa, & minus adhuc originale peccatum: ergo. Per hoc præcluditur responsio Adversariorum dicentium, tunc casus peccata omnia, etiam originale, per accidens tolli, & remitti per Sacramentum Pœnitentiæ. Probatur itaque minor: Tum; quia nec contritio, nec Sacramentum Pœnitentiæ condonat totam pœnam nec per se, nec per accidens, sed hoc Baptismo tantum convenit: ergo hic Baptismi effectus suppleri per aliud non potest. Sed Baptismus non potest iterari: ergo hic effectus necessarius tribuendus est illi, fictione recedente. Quare ergo si omnimodam pœnam peccatorum necessarius ipse solus remittit, peccata ipsa, quæ ad ipsam attinent, non remittet? Tum: nulla peccata remittuntur per accidens vi alicujus Sacramenti, nisi in voto saltem illius Sacramenti, ad quod per se spectat illa peccata tollere; sed in Pœnitentia nullo modo continetur votum Sacramenti Baptismi, ad quod per se spectat tollere originale, & alia peccata ante Baptismum commissa: quin potius illud necessarius supponit jam receptum Pœnitentiæ: ergo Pœnitentia nullo modo potest tollere, nec originale, nec peccata ante Baptismum commissa.

172 Ex dictis, & pro illorum planiori captu, plura advertes. 1. Quod in casu posito de Baptismo cum fictione suscepto, illa fictio, & sacrilegium per ipsam commissum non tollitur virtute Baptismi, sed virtute contritionis, vel Sacramenti Pœnitentiæ. Est communis Theologorum cum Scoto loc. cit. Prob. tum ex Trident. sess. 6. can. 14. ubi statuitur, peccata post Baptismum commissa per illum deleri non posse, sed per Pœnitentiam. Tum; quia cum peccatum in ipsa receptione Baptismi commissum, & post ipsam susceptionem perseverans, posterius sit,

sal-

saltem natura, ipso Baptismo: est enim sacrilegium commissum ob indignam Baptismi susceptionem, non potest deleri, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ, vel contritionem: ergo hac posita, vel attritione cum Sacramento Pœnitentiæ, illud peccatum commissum in susceptione deletur directè. Si dicas: tale peccatum fictionis inter peccata Baptismum præcedentia computari debere: nam consistit in voluntate suscipiendi Baptismum indignè, & talis voluntas prior est ipsa Baptismi susceptione: ergo per Baptismum poterit remitti. Nego antecedens. Si enim talis voluntas ante susceptionem Baptismi, quæ in prolatione ultimi verbi formæ consistit, cessaret, tunc utique ad peccata Baptismum præcedentia pertineret, & Baptismi virtute deleretur. At in nostro casu non ita contingit; quia supponimus, ex tali voluntate sequi sacrilegam Baptismi susceptionem, atque adeo ad peccata Baptismum subsequenter pertinere. Unde fatendum est, quod si quis habuisset animum suscipiendi fictè, aut indignè Sacramentum, & ante actualem susceptionem respiciens, se disponderet, & bona fide susciperet, tunc sanè Baptismus vim haberet delendi peccatum illud fictionis, nec subjiciendum esset postea pedibus Ecclesiæ: secus quando completur, & consummatur peccatum, re ipsa Sacramentum indignè suscipiendo.

173 Advertes 2. Quod si quaeratur: *An peccatum concomitans totam Baptismi susceptionem remittatur postea, recedente fictione, virtute Baptismi, vel Pœnitentiæ?* Valde in resolutione dividuntur Authores. Casus esset, si quis in actuali susceptione Baptismi haberet voluntatem furandi, aut alterius objecti pravi, & talis voluntas duraret usque ad ultimum instans susceptionis Baptismi inclusivè, & non ulterius. Si enim ante instans ultimum susceptionis retractaretur, nulli est dubium, quod ejus remissio pertinet ad Baptismum:

Tom. I.

si verò, finito Baptismo, actualiter perseveret, certissimè ejus remissio ad Pœnitentiam, vel contritionem attineret. Cajetanus, & passim alii Thomistæ docent, peccata actualia Baptismum modo declarato concomitantia per ipsum Baptismum tolli, sublata fictione. Unde, juxta ipsos, opus non est confiteri, nisi solam fictionem, non addendo, in eodem Baptismi momento habuisse actuale desiderium furandi. Ratio fundamentalis eorum est; quia ex Trident. sess. 14. sola peccata post Baptismum commissa debent subjici clavibus Ecclesiæ, & peccata Baptismum concomitantia non sunt post Baptismum commissa. Dicendum verò puto cum Mastro disp. 2. de Baptismo Scotum, ac plures DD. citante, peccata, modo prædeclarato Baptismum concomitantia, virtute contritionis, vel Pœnitentiæ remitti, sicut & ipsa fictio, & non virtute Baptismi. Ratio est: tum; quia peccatum mortale durans in susceptione Sacramenti, usque ad ultimum ejus iastans, directè repugnat debite dispositioni, imò ad ipsam sacrilegam fictionem attinet; nam omne peccatum, quod fit contra dignam Sacramenti receptionem, integrat fictionem; sed fictio hæc, juxta omnes, ad Pœnitentiam, vel contritionem attinet quoad ejus remissionem: ergo pariter. Tum; quia cum suscipiens Baptismum, eodem instanti, quo iste perficitur, censeatur baptizatus, censeatur etiam Ecclesiæ subditus, ita ut pro eodem instanti dici non possit absolutè non subjectus: ergo cum ejus peccatum adhuc eo instanti dureret, ex suppositione jam facta, submitti debet confessioni: nam omne peccatum à subjecto Ecclesiæ commissum, clavibus subjacet, & est materia confessionis, ut Trident. eadem sess. docet. Unde peccata Baptismum usque ad ejus ultimum instans concomitantia inter peccata ipsum consequentia computari debent, sicut ipsa fictio computatur. Ex quo patet ad

li 2

Con-

Concilium ; quod quidem , per peccata post Baptismum commissa , omnia illa intelligit , quæ contradistinguuntur à peccatis ante Baptismum commissis , non autem ab eis , quæ in ipsa susceptione Baptismi , & cum ejus injuria committuntur , ob quod hæc sub illis comprehenduntur . Unde talia peccata debent confiteri , & hoc absdubio securius esset in praxi .

174 Assertio III. *Sacramentum Baptismi reviviscens quandoque gratiam confert , ut causa totalis , quandoque ut tantum partialis.* Primum evenit , quando reviviscit per solam attritionem , per ablationem obicis tantum negativæ : tunc utique solus totam gratiam confert , ut constat ex 1. assertione . Secundum accidit , quando reviviscit per Sacramentum Pœnitentiæ in ablatione obicis positivæ , ut paulo supra in 2. assertione est dictum . Tunc enim Baptismus , simul natura cum Sacramento Pœnitentiæ , confert gratiam , ut causa partialis , & quidem gratiam majorem , quàm unumquodque seorsim per se conferret ; quia utrumque Sacramentum habet vim causandi certam gratiam , nec unum impedit vim alterius . Sic docetur à Subt. Doct. q. 5. cit. ubi ait , quod ad justificandum fictum concurrunt Pœnitentia , & Baptismus , ut causæ partiales , quarum quælibet respicit objectum suum : Baptismus originale , & actualia ante ejus susceptionem commissa : Pœnitentia verò omnia alia , quæ fuerunt causa fictio- nis , & post Baptismum commissa . Ratio est manifesta ; quia tunc nec Baptismus potest se solo conferre gratiam , cum nequeat remittere peccata post se commissa : nec potest Pœnitentia peccata ante Baptismum commissa delere ; quia ei non subjacent . Et cum ex alia parte nequeat infundi gratia sine peccatorum remissione , nec possit unum peccatum sine alio remitti , hinc est , quod neutrum Sacramentum potest habere

effectum sine alio ; sed illum conferunt dependenter à se mutuò , modo quo duo idem pondus levant , quod neuter seorsim levare poterat .

175 *Sed quomodo hoc fiat mysterium ? an nempe , Pœnitentia prius natura operetur tunc ?* Puto cum nostro Mastrio , quod quando hæc duo remedia simul in eodem instanti temporis suum effectum operantur , ut tunc casus evenire apud omnes est inconcussum , non est exquirendus ordo prioritatis naturæ in causando , seu quod eorum causet prius . Sunt enim motiva , & causæ morales , à quibus Deus simul movetur ad causandam gratiam baptismalem , & pœnitentialem in eodem signo , tam temporis , quàm naturæ . Ratio est ; quia si unum ante aliud suum effectum conferret , id est , gratiam , & peccatorum , quæ ei subjiciuntur , remissionem , eo ipso alia etiam peccata omnino remitterentur : etenim intelligi non potest , quædam peccata per gratiæ infusionem in aliquo signo remitti , & non alia . Quare præstat dicere , simul ordine , & signo naturæ omnia peccata deleri , & ambo simul suum effectum conferre . Et quamvis gratia per ea Sacramenta collata æqualiter repugnet omnibus peccatis , totaque , licet non totaliter , ab utroque conferatur Sacramento , adhuc potest dici , aliqua peccata remitti per unum , & alia per aliud , nempe , commissa post Baptismum , vel in ipso Baptismo per Pœnitentiam , & commissa antea per Baptismum . Ratio est ; quia cum in nostris principiis gratia remittat peccata ex Dei instituto , per ejusdem gratiæ infusionem potest Deus intendere , quædam peccata remittere , quatenus ea producitur ab uno Sacramento , & alia quatenus producitur ab alio , prout Deus indidit vim cuique Sacramento . Sic pariter dicimus Scotistæ , & Scoticam doctrinam amplectuntur plurimi , eundem actum charitatis totum produci à potentia , & totum ab habitu

li-

licet non totaliter : & insimul à potentia habere , quod sit liber , & ab habitu , quod sit supernaturalis .

176 *Objic.* In casu posito prius concurrat pœnitentia , per quam auferatur obex , & fictio , quæ impedi-ebat Baptismi effectum , quàm ipse Baptismus : ergo peccatum fictio- nis prius tollitur per Sacramentum Pœnitentiæ : ergo antequam Baptismus operetur , gratia per Sacramentum Pœnitentiæ data delet omnia peccata : gratia enim cum omnibus est æquæ incompossibilis : ergo cum non omnia directè possit delere , sequitur , quod quædam deleat per se , ut fictionem , quæ spectat ad materiam Pœnitentiæ : alia verò , quæ præcesserunt Baptismum , per accidens : ergo ad remissionem peccatorum Baptismus nihil facit : siquidem in posteriori signo naturæ operans , nullum , quod remittat , invenit . Urgetur : Prius natura tollitur fictio , quàm Baptismus operetur ; sed non tollitur , nisi per gratiam Pœnitentialem : ergo prius natura hæc infunditur , quàm possit Baptismus suum habere effectum : ergo per Pœnitentiam omnia peccata remittuntur , quædam directè , & per se , quædam indirectè , & per accidens . Major certa videtur : & ideò dici solet , quod tunc Pœnitentia concurrat , tamquam *removens prohibens* . Sic arguit Vazquez , hanc doctrinam cum aliquibus aliis sustinens disp. 160. num. 24 . Verùm hanc difficultatem jam sibimet objicit Subt. Doct. & solvit loc. cit. litt. D. dum dixit : quod pœnitentia vera perfectè Deo reconciliat , & per consequens nullum peccatum relinquit : sed tamen non omne , quod infuit , per se curat , sed tantum illud , quod est ejus objectum . Non ergo per virtutem pœnitentiæ dimittuntur hæc omnia peccata , sed partim per Pœnitentiam , partim per Baptismum . Nec sic habetur dimidia venia peccatorum , sed tota à Deo ; non tamen tota per pœnitentiam ; quia non oportuit de omnibus , quæ ine-

rant , peccatis (de originali) pœnitere .

177 *Ex qua doctrina Subt. Doct. & ex à nobis dictis , respondeo negando antecedens , quo in sensu , quo prætenditur , negato , omnes ruunt consequentiæ : Itaque in casu non est ita intelligendum , quod prius pœnitentialem gratia infundatur , & mox in signo posteriori subsequatur gratia baptismalis ad remittenda reliqua peccata , quæ ad Pœnitentiam non spectant : hoc utique opponitur conditioni gratiæ , quæ anexam habet remissionem cujuscumque peccati damnationem inferentis . Sed intelligi debet , quod applicato Sacramento Pœnitentiæ , in ultimo instanti prolationis verborum datur simul gratia Pœnitentiæ , & Baptismi , virtute utriusque Sacramenti . Hoc autem non est novum : nam quando duæ causæ ita concurrunt , ut una ab altera dependeat in causatione sui effectus , neutra causat prius , sed utraque simul . Sic est in casu . Unde , quando applicatur Pœnitentia , Deus movetur , & à Pœnitentia præsentis , & à Baptismo præterito , ad infundendam totam gratiam simul ob utrumque Sacramentum , unumquodque simul expellens peccata , quæ ad se spectant atque adèò , nec per solum Baptismum , neque per solam Pœnitentiam tolluntur , sed per utrumque simul . Ad urgentiam distinguo major . Prius natura tollitur fictio materialiter , quàm &c. concedo : fictio formaliter , nego major . & eodem modo minor intelligi debet , ac consequentia neganda est . Fictio Baptismi effectum impediens , sumi potest , vel *formaliter* , & hæc est ipsum peccatum , vel *materialiter* , & hæc est indispositio , seu carentia dispositionis debitæ , ad omnium peccatorum remissionem . Fictio prima tollitur per gratiam : Secunda verò per dispositionem requisitam , quæ est contritio extra Pœnitentiæ Sacramentum , vel attritio cum hoc Sacramento . Unde , quando dicitur , gratiam non conferri per*

Bap-

Baptismum, nisi remota fictione, hoc verum est, sumendo fictionem materialiter, pro indispositione, seu carentia dispositionis, quæ per ipsam dispositionem, quæ est poenitentia, removeri debet: nam eo ipso quod intelligitur attritio simul cum Sacramento Poenitentiae, intelligitur subiectum dispositum ad omnium peccatorum mortalium remissionem: quod quidem totum intelligitur in aliquo priori signo, antequam Poenitentia operetur: siquidem prius est Sacramentum Poenitentiae poni, quam operari: non autem est verum, sumendo fictionem pro formali, seu pro ipsa culpa. Unde posita necessaria dispositione, seu ablato obice pro materiali, in sequenti signo utrumque Sacramentum simul tollit obicem, seu illud peccatum, & omnia alia, quæ in poenitente inveniuntur, modo jam expresso, quin aliter intelligi possit bene hoc mysterium. Plura alia argumenta proposita, ac soluta inveniuntur in ipso Subt. Doct. Hiquæo, ac Mastro.

178 Quæres: Quid dicendum sit de aliis Sacramentis? In dubii resolutione vix Author convenit cum Authore. Concedunt quidem de Baptismo, eo quod in Sacramento hoc militat specialissima ratio, quæ in cæteris non invenitur: Baptismus namque per se est institutus ad delendum originale peccatum, ad quod non est efficacia, nec activitas in alio Sacramento: ideoque, obice ablato, necessè est, quod virtute Baptismi deleatur. Cum autem omnia peccata post Baptismum commissa ad Poenitentiam pertineant, hinc est, dicunt, quod unicè remittuntur per Poenitentiam, quin alia Sacramenta fictè, seu indispositè suscepta nec in peccatorum remissionem, nec in gratiam, amoto obice, influant. Hęc sententia aliquos habet patronos. Alii verò influxum in gratiam agnoscunt in Confirmatione, & Ordine, dum reviviscunt per Poenitentiam, ratione characteris, propter quem sunt

Sacramenta initerabilia, & hæc opinio est satis frequens: cæteris verò, quæ characterem non imprimunt, denegant causationem gratiæ, obice sublato. Alii concedunt hoc privilegium omnibus Sacramentis, Eucharistia, & Poenitentia exceptis. Alii solùm excipiunt Eucharistiam: Alii Poenitentiam dumtaxat: & denique apud alios, nullum est Sacramentum, quod, obice ablato, non producat gratiæ effectum. In tanta opinandi varietate.

179 Dicendum sentio: Cætera Sacramenta, præter Poenitentiam, quæ valida possunt esse, & informia, ablato obice, reviviscunt, & gratiam operantur. Dixi: præter Poenitentiam, quia hoc Sacramentum nequit esse validum, & informe. Vide supra num. 162. Assertio quoad Confirmationem, & Ordinem est satis communis. Probat de omnibus ratione, non quidem convincenti, quæ assignari non potest, sicut nec ratio efficax, suadens oppositum, assignari valet: sed ratione valde congruenti: tum, quia dum Patres loquuntur de reviviscencia Sacramentorum per obicis ablationem, videntur universaliter loqui, quamvis exemplificent in Baptismo, veluti in manifestiori. Tum ex verbis Subt. Doct. supra num. 163. relatis, quæ optimè cuicumque Sacramento quadrant. Et quidem, cum omnia instituta sint à Christo signa efficacia gratiæ, piè credi debet, quod Deum moveant ad concedendam gratiam intuitu eorum, obice ablato, & quod id statuerit ipse Deus. De Eucharistia vide dicta supra num. 162. Sed ad vitandam equivocationem, animadverti debet, difficultatem præsentem unicè esse de gratia habituali, & non de gratia sacramentali, quæ consistit in quibusdam auxiliis ad finem Sacramenti meliùs consequendum ordinatis, de quibus pertractatum est Tract. super. disp. 3. quæst. 4. Hanc enim gratiam sacramentalem operari omnia Sacramenta, gratia habituali per alia Sacramenta

re-

recuperata, videtur esse extra controversiam. V. g. si quis Matrimonium in peccato contraxit, gratiam non accepit: postea verò, condonato peccato per contritionem, vel confessionem, atque ejus virtute recuperata gratia habituali, confertur illi virtute Matrimonii præteriti peculiare auxilium ad sustinenda onera Matrimonii. Imò dicunt plures, quod hanc gratiam sacramentalem causant, nedum ablato obice, sed etiam eo durante, cum gratia hæc non opponatur cum peccato mortali. Sententia hæc mihi est evidens: aliàs existens in mortali auxilium non haberet ad patienter ferendum onera Matrimonii, & sic de cæteris auxiliis ad finem cujusque Sacramenti ordinatis: quod utique nimis durum videtur asserere, ac nimis coarctans immensam Dei beneficentiam, & pietatem. In quo talis sacramentalis gratia consistat? Tract. anteced. num. 241. invenies, & num. 243. explicatur gratiæ sacramentales in particulari, seu cuilibet Sacramento correspondentes.

QUÆSTIO VI.

An Infidelium Infantes, invitis parentibus, licitè baptizari possint?

180 Pro præsentis controversiæ resolutione plura per prius animadvertere oportet. Advertendum itaque est 1. quod Baptismus collatus talibus parvulis, ratus, & validus esset, ut omnes Theologi contra Durandum oppositum docentem supponunt communiter. Ratio est manifestata. Tum, quia id apertè docuit D. Augustinus epist. 23. quæ est ad Bonifacium, dicens, quod quemadmodum ad contrahendum peccatum originale non exigitur consensus parentum, vel alicujus alterius præter Adami: ita neque ad remissionem originalis contracti requiritur consensus, aut fides cujusquam præter fi-

dem Ecclesiæ, & consensum Ministri nomine, & autoritate Christi, & Ecclesiæ baptizantis. Tum; quia adessent omnia ad essentiam Baptismi necessaria, scilicet, materia, forma, Minister, & istius debita intentio, quod, & non aliud, ad Baptismi valorem exigitur. Siquidem consensus solùm in adultis, & ratione utentibus, ex Christi institutione, est necessarius. Aliunde consensus parentum nullibi præscriptus reperitur, sed ex usu, & praxi Ecclesiæ approbatus est talis Baptismus, qui umquam legatur, Ecclesiam rebaptizasse sic baptizatos. Per hoc præcluduntur instantiæ Cajetani. Non igitur est difficultas de valore, nec id Theologi controvertunt in præsentibus: sed solùm an licitum sit, pueros Infidelium, nondum habentes usum rationis, & liberi arbitrii, baptizare, eorum parentibus nolentibus, & invitibus? In hoc tantùm sensu procedendū:

181 Advertendum est 2. nomine Infidelium hic solùm intelligi non baptizatos, ut sunt Ethnici, Judæi, Mahometani; non autem Hæreticos, & Apostatas, qui à fide defecerunt per apostasiam, & transierunt ad Paganismum, Mahometismum, aut Judaismum. Isti enim adhuc in sua hæresi, aut apostasia subjecti manent Ecclesiæ. Unde, omnibus consentientibus Theologis, sicut & ipsi possunt cogi ab Ecclesiâ ad fidem, quam receperunt, servandam, ob quod puniri possunt justissimè ab Ecclesiâ: ita & eorum filii, ipsi etiam renitentibus, possunt baptizari, & ad fidem catholicam tenendam, & servandam cogi: nam ratione parentum semper manent subjecti Ecclesiæ, quoad spiritualem salutem. Unde Ecclesiâ semper probavit justissimas illas leges, & sanctiones Christianorum Principum, quibus Hæretici subiciebantur vel exilio, vel aliis pœnis, nisi ad Ecclesiæ gremium se reciperent: multo ergo magis potest eorum filios bap-

ti-

tizare, ipsis parentibus invitis. Similiter est dicendum de pueris, cuius pater ad fidem convertitur; licet in infidelitate maneat mater: vel e converso, si uxor convertatur ad fidem, viro manente in sua infidelitate. In 1. enim casu licite potest baptizari puer, patre consentiente, etiam renuente matre, ut decrevit Gregorius IX. cap. *ex litteris de Infidelium conversione*: & in 2. casu, nempe, matre consentiente, & patre renuente, ut Concilium Toletanum 4. in cap. *Judæi* statuit. In hoc etiam conveniunt Theologi. Unde solum restat difficultas de filiis parentum æqualiter infidelium.

182 Advertendum est 3. Infidèles non baptizatos in triplici differentia considerari debere: nam quidam eorum sui juris sunt, nec potestati alicujus Principis Christiani subjiciuntur. Alii Principibus Christianis sunt subjecti: & de his rursus distinguendum est. Hæc enim subjectio potest esse solum civilis, & politica, qualem omnes vassalli habent ad suum Regem: vel potest esse servilis, & despotica, qualis est illa, quæ jure belli, vel emptionis, vel alio æquali illos reddidit sub Christianorum potestate. Isti non subduntur potestati Principum Christianorum, tamquam cives, & vassalli, sed tamquam servi, & emptitii, sicut mancipia. De primis, nempe, de Infidelibus, qui subditi non sunt quoad Civilem potestatem Principibus Christianis, fere omnes conveniunt, non licere eorum infantes baptizare contra suam voluntatem, & hoc concedit Subt. Doct. in 4. d. 4. q. 9. Si verò subditi sunt infidèles secundo modo subjectionis explicato, passim etiam conveniunt Theologi, eorum filios, ipsis invitis, licite baptizari posse, ut Gonetius etiam docet, asserens D. Thom. sic sensisse. Ratio est, & constat ex ipsa praxi: nam filii Turcarum, & Maurorum, qui justo bello fiunt

servi Christianorum, baptizantur à dominis contra voluntatem parentum: Dominus namque justè potest vendere filios servi, aut mancipii, eosque ab ejus potestate abstrahere, utpote dominium totale habens in eis: potest ergo illos baptizare, sed amoto periculo apostatandi. Advertendum denique, quod Scotus q. 9. citata advertit, nempe, non esse idem loqui de persona privata, ac de Principe: nam ratio suadens, personam quamcumque privatam licite non posse Infidelium filios, invitis parentibus, baptizare, non concludit de Principe, cui in regimine Reipublicæ tales sunt subjecti.

183 Est igitur solum controversia præsens de filiis Infidelium, qui Christianis Principibus civiliter subjecti sunt: *An, invitis parentibus, licite baptizari possint?* Sententia negativa est communis inter Thomistas pro eo citantes Ang. Doct. 2. 2. quæst. 10. art. 2. & 3. Nost. verò Subt. Doct. 4. d. 4. quæst. 9. affirmat, quibusdam cautelis adhibitis, nempe, si præcaveri potest, quod à parentibus non occidantur, ne baptizentur: & quod sit aliqua certitudo, quod tales infantes religiosè educandi sint, adhibeaturque sollicitudo, ne adsit subversionis periculum. Doct. Subt. sequuntur, nedum Scotistæ, verum etiam plurimi DD. Lovanienses à nostro Henno citati. Pro eadem sententia stant, velint, nolint, Surianus, Vazquez, Catherinus, Sotus, Cajetanus, Paludanus, Victoria, Durandus, & Henriquez. Asserunt enim omnes isti, tales infantes licite baptizari posse, invitis suis parentibus, quando jure, vel facto, ita ab eorum cura extrahantur, ut nulla spes remaneat, quin eorum gubernationi subjiciantur, nec ob apostasiam irreverentia fidei contingat. His ergo cautelis adhibitis, asserit Scotus, & non aliter. Hanc eandem affirmativam sententiam docuerunt, adhærentes Sub. Mag. Dionisius Carthusianus in 4. d. 4. quæst.

7. Gabriel quæst. 2. dub. 5. Et quidem cum prædictis cautelis, & cum ultima advertentia expressa num. ant. puto, nostros Ferraris, & Matheo cum affirmantibus convenire, quamvis uterque videatur negare: uterque namque dicit, quod *ordinariè loquenda* non licet, & hoc propter periculum apostasiæ. Hoc in casu idem & nos fatemur, sed non est hic præsens casus.

184 Nostra Conclusio: *Pueri Infidelium civiliter, & politicè Christianis Principibus subditorum licite possunt baptizari, parentibus invitis, accedente mandato Principis, & præhabitis memoratis cautelis.* Sic Doct. Subt. dist. & q. cit. ubi ait: *Dico ergo breviter, quod si Princeps faceret cum cautela bona, scilicet, ne parentes prius cognoscentes, hoc futurum, occiderent pueros suos, & quod baptizatos faceret religiosè educari, bene fieret.* Idem habet in reportatis ibidem quæst. 4. Probat 3. conclusio ex ipso Doctore: Nulla fit injuria parentibus, si filii eorum, etiam ipsis invitis, baptizentur auctoritate Principum, quibus sunt subditi; sed hoc stante, licite possunt baptizari: ergo. Prob. maj. in qua tota stat difficultas: Quamvis parentes dominium habeant supra filios suos, nihilominus majus dominium super illosmet habet Deus: ergo si Deus vult, illos baptizari, nulla fit injuria, si baptizentur. Antecedens innegabile videtur. Nunc sic: sed Deus vult, parvulos baptizari: nam vult, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Apostolisque sic præcepit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. nulla ergo fit injuria parentibus, si contra eorum voluntatem baptizentur. Confirmatur: Quando dominia sunt subordinata, parendum est dominio superioris, contempto præcepto inferioris, si contradicit præcepto superioris: hoc est, præceptum superioris servari debet, non obstante repugnantia, & voluntate

contraria inferioris; sed baptizare pueros est præceptum Dei, qui secundum legem naturalem, & Evangelicam est Dominus universalis, & superior; voluntas verò contraria parentum est hominis inferioris Deo: ergo tali voluntate non obstante in Infidelibus, eorum parvuli licite possunt baptizari jussu Principis. Majorem, & minorem simul, probat Doctor sic: *In parvulo Deus habet majus jus dominii, quam parentes universaliter enim in potestatibus ordinatis potestas inferior non obligat in his, quæ sunt contra superiorem, sicut docet S. Augustinus* de verbis Domini hom. 6. c. ult. lib. 2. Patet consequens: nam Princeps Minister est justitiæ, & habet potestatem coactivam respectu subditorum ad adimplendam legem Dei, & defensionem innocentis: portat enim gladium Dei: poterit ergo eos à parentibus auferre, & per Baptismum Deo consecrare. Urgetur: Si Princeps Christiani Infidelium infantes baptizare non possent, ideò esset, quia parentes jus naturale habent, ut filiorum Baptismum prohibere possint, quo jure privari sine injustitia nec possunt, nec debent; sed parentes tale jus in filios non habent: ergo Principes Christiani licite, & justè possunt Infidelium infantes baptizare contra eorum voluntatem. Maj. est Adversariorum, Prob. min. Naturale jus parentum nec est contra jus, quod infantes habent ad suam consequendam æternam salutem, nec contrarium juri divino, nec ejus impeditivum: etenim gratia non destruit, sed perficit naturam: sed infantes jus naturale habent ad suam æternam salutem, quæ solum, medio Baptismo, ab illis consequi potest: & parentes jure divino tenentur baptizare suos parvulos, ac permittere, ut baptizentur: ergo non habent naturale jus, ad eorum Baptismum prohibendum.

185 Huic Scotico fundamento una est in substantia Adversariorum præ-

tita solutio, quamvis in modo aliqua sit variatio. Dicunt enim, legem divinam adimplendam esse, servato ordine naturæ, & jure naturali. Cum autem contra jus naturæ sit, filium à patre auferre, ideò tales infantes, ipsis invitis, licetè baptizari non possunt, quamvis Deus velit, quòd baptizentur. Unde quando superior vult, suum præceptum servari, non obstante voluntate contraria, & quocumque jure inferioris, tunc tale præceptum debet adimpleri; secus verò, quando solum vult superior, præceptum à se impositum servari, sine violatione juris inferioris. Ita, inquit, contingit in proposito: nam Deus præcipiendo, ut omnes, etiam parvuli, baptizentur, vult, hoc præceptum observari sine violatione juris naturalis, quod pater habet in filium; quia gratia non destruit, sed perficit naturam. Nec Princeps temporalis, concludunt, potest illos privare tali naturali jure, nec auctoritatem habet erga supernaturalia, sed solum circa ea, quæ pertinent ad naturalem honestatem, & justitiam. Cum autem potestas politica directè, & per se solum se extendat ad ea, quæ juris naturalis sunt, & lex Baptismi, ac ejus observatio sit supernaturalis, ideò ad sæcularem potestatem non pertinet cogere ad ejus observationem. Hæc sunt, quæ in substantia respondent.

186 Verum falsitas responsionis, procedendo ordine, quo jacet, patet; tum ex dicta subordinatione juris parentum in filios ad jus, quod in ipsos habet Deus, contra quod nec justè, nec licetè procedit dominus inferior. Unde pater nullo modo habet jus nutriendi filium contra jus divinum: quia potius tenetur providere de remedio ad salutem necessario, non secus, ac de alimento corporeo. Princeps autem potestatem coactivam habet ad defensionem innocentis: aliàs non rectè staret politia à Deo instituta inter ho-

mines: licetè ergo potest à parentibus eripere infantem, ne morte spiritali pereat; quia nullum est jus parentis in filium in præjudicium suæ salutis, fidei, & institutionis divinæ. Tum; quia non obstante jure naturæ, quod parentes in filios habent, si vellent eos occidere, potest, & debet Princeps, eos à manibus eorum, ne occidantur, liberare: ergo si potest occisionem infantis vindicare quantum ad vitam corporalem, à fortiori poterit vitam ejus spiritualem, quæ potior est, medio Baptismo defendere: ergo cum præceptum sit, Baptismum recipi, tamquam medium necessarium ad consequendam æternam salutem, falsum est, pendere hanc divinam ordinationem, nec subordinari parentum molevolæ voluntatis ergo residet potestas in Principe, ut parentes obligare possit ad adimplerionem hujus divini præcepti. Nec ultimum, quod Adversarii in sua responsione dicunt, est verum, sed potius valde falsum. Quamvis enim Princeps sæcularis potestatem directam in ordine ad spiritualia non habeat: habet tamen adminus indirectam, quando verget detrimentum communi utilitati. Unde potestatem habet puniendi, & corrigendi parentes infideles, si in aliis virtutibus malè educant filios contra legem naturalem: ergo etiam habent potestatem corrigendi errorem, maxime publicum, in religione, cum nihil magis, quam verus Dei cultus, sit de lege naturali, nihilque ad pacem publicam, & profectum Reipublicæ magis conducatur. Confirmatur hæc ratio: Princeps licetè potest privare suos subditos dominio naturali in sua bona, quando eo abutuntur; sed parentes, nolentes baptizare filios suos, dominio, quod in ipsos habent, abutuntur contra Dei honorem, & salutem parvulorum: ergo tali jure, & dominio in filios infideles privari possunt, et consequenter licetè baptizare potest

Prin-

Princeps infantes eorum. Maj. certa videtur ex illo Pauli ad Rom. 13. *Non enim sine causa gladium portat....vindes in iram ei, qui malum agit.* Et quodnam majus malum, quam aliquem privare remedio ad salutem necessario? Per dicta aliæ Adversantium evassiones præcluduntur.

187 Prob. 2. Conclusio ex aliquibus casibus, concessis ab Adversariis. Concedunt 1. Filios Hæreticorum, & Apostatarum, invitis parentibus, baptizari posse. Constat ex num. 181. dictis. 2. Concedunt etiam, baptizari posse filios Infidelium, qui subditi sunt, tamquam servi, Christianis Principibus, ex dictis cum Goneto num. 182. 3. Concedunt hoc ipsum, si infans reputetur in mortis periculo. Et 4. dum puer pervenit ad usum rationis. Ex quibus sic argumentor 1. Per vos, filius Hæretici, aut Apostatæ, ipsis invitis, potest auctoritate Principis Christiani baptizari; quia ratione Baptismi, quem susceperunt, subditi sunt Ecclesiæ; sed eorum Baptismus, aut fides suscepta, nec agravat legem naturæ, nec juri naturali parentum in filios præjudicat, ut vos vultis: nam fides confirmat legem naturalem, ac proinde jus naturale in filios non tollit: aliàs Fideles pejoris conditionis essent in hoc, quam Infideles: ergo pari ratione, & sine præjudicio juris paterni, poterunt filii Infidelium subjectorum Principibus Christianis, parentibus invitis, baptizari jussu Principis, & Ecclesiæ. Argumentor 2. Filii Infidelium serviliter subjectorum Principibus Christianis licetè possunt baptizari, parentibus invitis, absque præjudicio potestatis paternæ; sed politica servitus non majorem potestatem inducit in dominum supra paternam potestatem, quam præceptum Divinum naturale, quo parentes tenentur providere filiis de necessariis ad salutem: nam servitus inducta non est jure naturali, sed politico, vel jure gentium, quorum neutrum præjudicare potest juri na-

Tom. I.

turali, quod est fundamentum reliquorum: ergo si absque præjudicio patriæ potestatis potest Princeps filios servorum suorum, ipsis invitis, baptizare, idem de filiis Infidelium civiliter subjectorum dici debet: magis enim, ac strictius obligat parentes educatio filiorum necessaria ad salutem, & in ordine ad Deum; quam titulus servitutis in ordine ad Dominum politicum. Argumentor 3. Talis infans in periculo mortis potest, invitis parentibus, licetè baptizari, quin præjudicetur paternæ potestati: ergo in nostro casu idem dici debet, & præsertim cum omnia inconvenientia, quæ contra nos congerunt Adversarii, urgeant in ipsos, casu quo infans ille in probabili mortis periculo baptizetur, ut consideranti patebit. Nec paterna potestas (ut præcludatur effugium) cessat pro illo casu: non enim tollit ab eo tale jus periculum mortis, sed perseverat, etiam supra cadaver. Argumentor denique: Per vos, filius ille, dum ad rationis usum pervenit, potest, si vult, baptizari, parentibus invitis; sed rationis usus in filio nihil derogat patriæ potestati; in omnibus enim aliis, saltem quamdiu est impubes, est subjectus illi: ergo quia ad ea, quæ æternæ salutis, & in favorem fidei concernunt, est potestati non subest. Unde potest, Principe jubente, baptizari: nam aliud est, parentes habere jus in filium infantem, & aliud valde diversum, prædictum jus cum circumstantiis jam explicatis subsistere.

Solvuntur Objectiones.

188 **O**bjic. 1. Si pueri Infidelium, qui civiliter tantum, & politicè Principibus Christianis subduntur, invitis parentibus, baptizarentur, vel consequenter eripiendi essent à potestate, & cura parentum, ut educarentur inter Fideles, vel relinquendi apud ipsos parentes; sed neutrum licet: ergo nec

Kk 2

eos,

eos, invitis parentibus, siue privata, siue publica auctoritate baptizare. Major constat. Minor probatur: Quia prius continet manifestam injuriam: est enim spoliare parentes jure naturæ, quod habent in filios, quantum rationis usu sunt destituti, in illosque habent potestatem, non minus, quam in oves, & agnos, quos possident: non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Posterius verò includit apertum periculum fidei, & profanationis Baptismi: quandoquidem valde periculosum esset, ne parentes infidelis illorum puerorum eos contrariis ritibus coinquinarent, & Baptismo renuntiare cogere, ubi primò ad adultam pervenissent ætatem: ergo. Confirmatur 1. Jurisdictione civilis non tollit subditis dominium reale, aut quasi reale, quod singuli habent in res suas, in filios, domos, & agros: ergo non potest Ecclesia, absque injuria, infantes illorum Infidelium ab ipsis parentibus invitis separare, & baptizare. Confirmatur 2. Vel potestas baptizandi illos parvulos, invitis parentibus, manet penes Principes Christianos ex ipsa natura politicæ auctoritatis, quam habent in sibi subditos civiliter, vel ex speciali Christi concessione? Non 2. utpote quod non potest colligi, neque ex Scriptura, nec Traditione. Nec 1. quia auctoritas civilis dominorum temporalium, dimanans ab hominibus, non se extendit ad supernaturalia, inter quæ continetur Baptismus, sed intra bonum commune naturale pacis, ac temporale commodum Reipublicæ sistit: ergo &c.

189 Hoc ad litteram est fundamentum Gonetii, quod antea fuit Riccardi. Respondeo ad illud negando minorem rotundè. Itaque nec esset injuria parentum, nec Baptismi, aut fidei profanatio. Non 1. quia quamvis pater potestatem habeat in filios, hanc tamen habet limitatam, & divinæ potestati subordinatam; ita quod non est filii omnino dominus,

sicut est honorum temporalium: ideòque in his, quæ sunt contra jus divinum, & jus naturale, quod ad suam salutem æternam habet filius, non habet jus in illum. Cùm autem de hoc sit noster casus, quamoptimè negari potest suppositum, dum dicitur, quod talem baptizare esset injuriosum juri paterno. Et ideò, si infans ille baptizatus à cura parentum abstraheretur, ut, debere fieri, putat Sub. Doct. dum supponit in cautela ab ipso assignata, quod tales infantes sint religiosè educandi, nulla injuria fieret parentibus: quia nec ex natura, nec ex alio capite habent jus in filiorum perniciem, præsertim spiritualem. Imò potius de lege naturæ, & divina tenentur Baptismus filiis providere, si cognoscerent, esse medium ad eorum salutem necessarium, uti credendum est de Infidelibus, Ecclesiæ, aut Principibus Christianis subjectis, quibus nostræ fidei mysteria supponuntur proposita sufficienter ob contrariam consuetudinem cum Christianis. Non itaque sequeretur 2. inconveniens, nempe, profanatio fidei, nec Baptismi cum prædicta cautela, pro qua vide num. 183. Ad primam confirmationem concedo anteced. & nego consequentiam; quia cùm in nostro casu potestatem non habeant parentes in filios, juxta proximè dicta, & habeant in alia sua bona temporalia, de uno ad aliud nulla est paritas. Præterea, negari etiam potest antecedens; quia etiam alia bona possunt ab eis auferri, quando cum illis bonis alios damnificare velent. Quarè sicut justè possunt bonis privari, si perversè utantur in damnum tertii, sic etiam privari possunt jure, quod in filios habent, si eo utantur in eorum perniciem. Ad secundam confirmationem nego minorem. Nec alia responsio est necessaria, quam impugnatio oppositæ doctrinæ paulò supra num. 187. Solum est addendum, quod ex communi praxi constat, Principes Infideles

Deum

Deum blasphemantes punire, & perjuros: nam inter cætera debent illæsum servare jus Dei; quia ad hoc præsertim ordinatæ sunt, non tantum ab hominibus, ut argumentum intendit, sed etiam ab ipso Deo, sæculi Potestates. Unde argumentum, cui valde fidunt Adversarii, levis momenti est nobis.

190 Objic. 2. Nec Principes Christiani, nec ipsi Summi Pontifices, quibus Judæi multi à pluribus sæculis subjiciuntur, tale quid umquam tentarunt: ergo signum est, quod censent, id licitè fieri non posse. Patet consequens; quia non prætermisissent rem adeò gravem, & parvulo adeò commodam, si existimasset, esse licitam. Quin potius ad eam generetur Ecclesia ex charitate, sicut teneor audire confessionem hominis morti proximi, quando possum eam audire. Sic Gonetius. Confirmatur ex nostro Ferrari: Ecclesia prohibet tales infantes baptizari: ergo non licet. Prob. anteced. Tum; quia Julius III. teste Pignatelli tom. 4. consult. num. 51. imposuit tali baptizanti pœnam suspensionis, & multam 100. ducatorum. Tum; quia Sacra Concilii Congregatio decreto, quod Innocentius X. approbavit, statuit, ne, invitis parentibus, baptizarentur pueri eorum. Et quia puella cujusdam Judæi, inscio patre, baptizata fuit Avenione, jussit, eum, qui hoc facere temerè præsumeret, esse subiectum pœnæ infligendæ arbitrio superioris, præter peccatum mortale, quod committeret. Urgetur; Si liceret pueros sic baptizare, ad id sub peccato tenerentur Principes: nam lex charitatis, & juramentum protegendæ fidem, id videntur exigere; sed consequens est falsum: nec enim constat de tali obligatione, nec asseri debet sine fundamento gravi: imò praxis est contraria pro Infidelibus, quos in libertate tolerant, tam Papa, quam Princeps: ergo.

191 Respondeo, omisso antecedenti pro nunc, quod falsum est,

ut constabit ex mox dicendis, negando consequentiam. Ad probationes illius dico, quod ex quo Ecclesia talem modum baptizandi nunquam præceperit, aut consuluerit, non bene deducitur, nec rectè infertur, quod ex se sit illicitum, sed solum quod non sit expediens ob periculum æqualium, aut majorum malorum, quæ ex tali præcepto, vel consilio de hac re provenire possunt; nam ut inquit Apostolus 1. Cor. 6. multa licent, sed non omnia expediunt. Unde quamvis hic modus baptizandi per se sit licitus: tamen per accidens non expedit; quia non facile occurrunt cautelæ, illæ ab Scoto assignatæ, & propter multa inconvenientia, & scandala, quæ sequerentur ob illarum, cautelarum defectum. Ad ultimum ex Gonetio patet ex dicendis, ad urgentiam. Ad Confirmationem ex Ferrario dico, nihil probare, nec ad rem nostram esse; quia loquimur de Principibus potestatem legitimam habentibus supra Infideles, & eorum filios, & insimul, in casu, quod taliter de infantibus provideri possit, quod periculum mortis eorum non immineret, aut negatio fidei, aut aliud malum æquivalens. Illa autem Baptismata justissime fuerunt prohibita, & prohibentur alia similia, utpote quæ facta fuerunt à personis privatis, quæ zelo imprudenti id fecerunt, & ex tali facto multa mala, & scandala emanarunt. Et nos quidem hoc non dicimus, sed potius oppositum. Ad urgentiam distinguo maj. Ad id tenerentur, si inde nec imminerent, nec prudenter timerentur gravia, aut graviora mala, concedo: si hæc timeantur, aut immineant, nego maj. Difficile quidem est, omnia pericula in talibus parvulis impedire: attamen hoc non probat, talem Baptismum illicitum esse per se, de quo unigè loquitur nostra conclusio, sed esse illicitum per accidens, seu ratione periculi, aut damni imminenti. Modo quo

quò illicitum esset infirmario audire sacrum, adhuc in die festo, aut recitare officium divinum, si ex illius absentia, aut mora periclitaretur infirmus: & tamen certum est, quòd ex se, & absolute loquendo audire sacrum, aut recitare officium divinum est per se honestum, & in se aliquibus obligatorium, quamvis per accidens, aut aliquando ex aliqua circumstantia deturpetur. Sic ergo in presenti est per se licitum baptizare filios Infidelium, quamvis propter prædictum periculum mortis, à parentibus inferendæ, aut subversionis à fide, malum, & illicitum sit. Unde illi Principes, qui hac sua potestate non utuntur, habent urgentiores rationes, quæ vergant in majus bonum Reipublicæ Christianæ, & ob quas judicant, id non expedire: sicut & alia permittere coguntur, quæ ex se mala sunt, ut meretricium.

192 Omisi in Adversariorum gratiam, numquam Christianos Principes talem Baptismum intentasse, ut Gonetus rotundè profert; quia hoc adhuc stante, argumentum suum nobis non urget. Caterum falsum est, id aliquando factum non fuisse, ut colligitur ex cap. de *Judeis* dist. 45. Et quamvis postea prohibitum sit in Concilio Toletano 4. (præcluditur replica ex prohibitione hujus Concilii desumpta) tamen factum non damnat, ut illicitum: quin potius Principem Sisenandum, seu Assebutum, qui nedum parvulos, sed Judæos adultos suæ subjectionis coegit ad recipiendum Baptismum, titulo religiosissimi Principis commendat Concilium, ut notat Subt. Doct. num. 3. dicens: *In hoc approbat, tamquam Principem religiosum*: non ob ipsius egregiam fidem, & alia pietatis facta, de quibus ibi nulla mentio fit, sed quia Infideles coegit ad fidem. Simili ratione laudibus celebrantur alii Catholici Principes, qui leges æverissimas in Hæreticos, & Infideles ad eundem finem edide-

runt. Dum igitur Concilium prohibet, Judæos, & alios Infideles cogendos esse ad suscipiendam fidem, utitur particula *deinceps*, significans in hoc, ut Doct. advertit, non semper illicitum fuisse; ac proinde illam coactionem, quæcumque sit, non esse illicitam ex natura rei, sive ex jure divino, & naturali. Deinceps itaque prohibuit id fieri, propter inconvenientia, quæ inde sequebantur, & ne exosa fieret fides, & ejus susceptio existimaretur, tamquam violenta. Unde ab hoc baptizandi modo Ecclesia se abstinèt; quia non facile occurrunt cautelæ à Sub. Doct. desideratæ. Prætereà, exemplum habemus Ferdinandi Catholici, & aliorum Regum Hispaniæ, qui Judæos, & Mauros ad Baptismum compulerunt, inter quos indubium est, plures fuisse invitos ad Baptismum proprium, & filiorum: quod tamen factum Ecclesia non damnavit, sed approbavit. Præfati autem Reges, ut testatur Joannes Boterus in sua Historia parte 3. lib. 2. secuti sunt in hoc opinionem peculiarem Doct. nostri Scoti.

193 Objic. 3. Qui baptizari non vult, baptizari non potest; sed tales Infantes censentur baptizari nolle: ergo. Prob. min. Voluntas patris censetur voluntas filii, carentis usu rationis; sed pater, ut supponitur, non vult, filium baptizari: ergo & filius censetur nolle. Denique: assertio nostra reputanda est, tamquam nova in Ecclesia: nam fides est voluntaria, & ideò nemo ad credendum cogi debet. Patet: quia Christus, præscribens modum promulgandi legem suam, non dixit, ut gentes minis, & terroribus inducerentur ad credendum, sed docendo, & persuadendo. Unde ait: *Prædicante Evangelium, & docete omnes gentes: qui crediderit, id est, sponte sua, salvus erit*. Respondeo negando minor. & distingo major. probationis: censetur voluntas filii quoad

ad

ad aliqua, concedo: quoad omnia, nego majorem. Voluntas patris censetur voluntas filii tantum in jure civili ad aliquos effectus civiles, & voluntate Principis, aut Reipublicæ pendentes, & in his, quæ ad humanum victum, & vitam corporalem spectant; non verò in his, quæ spectant ad salutem, & vitam spiritualem. Quare si infans, vel impubes, à patre obligaretur ad onus temporale serviendi, vel aliquid solvendi, teneretur stare illi obligationi in adulta ætate; non tamen, estò obligaretur, teneretur ad servandam sectam Mahometi, aut alius Hæretici. Uno verbo, licet pater quomodocumque illum obligaret in ordine ad vitam spiritualem, non teneretur infans in adulta ætate ad sequendam aliam religionem, quam Jesu Christi.

194 Replic. Ita parvuli ordinantur in Deum per parentum voluntatem, sicut adulti per propriam; sed adulti baptizari non possunt contra suam voluntatem: ergo nec parvuli contra voluntatem parentum. Major constat; quia cum parvulus habeat jus impeditum, nec proprium possit præbere consensum, reputatur, & interpretatur tamquam illius propria parentum voluntas. Nego major. Ad probationem dico, quòd si licet interpretari infantis voluntas præsens, vel futura, illa est interpretanda, quæ tendit ad ejus utilitatem, & salutem, & non quæ ad ejus ruinam, & perniciem. Unde, quando parens illud vult, quod parvulo utile est, & necessarium ad salutem, tunc credendum est, voluntatem parvuli cum voluntate parentis consentire: quia hoc est, quòd infans vellet, si ad usum rationis perveniret, & nullo esset detentus errore. E contra: tunc credendum est, parvulum cum patris voluntate non consentire, quando, quod est utile, & ad salutem necessarium, ei denegat pater. Et ratio est; quia quando de opposito non constat, voluntas infantis sem-

per in meliorem partem est interpretanda.

195 Ad ultimum respondeo negando assumptum. Quamvis enim via ordinaria gentes non cogantur ad suscipiendam legem Evangelicam; hoc tamen nec excludit, nec prohibet viam extraordinariam inducendi gentes ad credendum in terdum per minas, & terrores, quando ad majus malum vitandum id postulat occasio. Sed intelligendum est, advertit Doct. de minis, & terroribus in materia civili, & exilio, non de tormentis corporalem mortem inducentibus; quia hoc prohibitum est. Quando enim detrimentum publicum urget, & periculum, vel prodicionis, vel rebellionis, vel fidelium subversionis, rectè talis poena ipsis imponi potest. Sic practicavit Ferdinandus Rex Hispaniarum, qui Mauros, & Judæos, qui non baptizarentur, jussit discedere è suo Regno, cujus exilii timore, quamplures Baptismum susceperunt, inter quos, dubium non est, multos fuisse invitos. Et quòd aliquando licita, ac necessaria sit prædicta coactio, satis insinuat Paulus ad Thim. dicens: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Hinc D. August. ad Vincentium epist. 42. loquens de quibusdam legibus Imperialibus, publicatis contra Hæreticos, ait: *Harum legum terror, quibus promulgandis, Reges serviunt Deo in timore, ita profuit, ut nunc alti gratias agunt Domino, quòd vincula nostra dirupit, & ad pacis vinculum transtulit*. Et quamvis Augustinus loquatur hic de Hæreticis Donatistis, tamen quoad hoc eadem est ratio de Judæis. Constat etiam ex illa Parabola patrisfamilias, quam ipse D. Augustinus adducit, in qua postquam Deus in forma patrisfamilias vocavit liberè ad cœnam illam magnam servos suos, seu omnes invitatos, nihilominus, cum aliqui intrare renuerent, jussit compelli, dicens: *Exi in vias, & sepes, &*

com-

compelle intrare, ut impleatur domus mea. Alia quamplurima, & ingeniosa valde invenies in Subt. Doct. per quæ solvuntur, ac invalidantur, quot quot opponunt Adversarii.

196 Ex dictis colliges 1. Infideles in casu nostræ assertionis invitos fore irrationabiliter, uti qui filios privant tanto bono, scilicet, vita spirituali. Quare, sicut, si parentes impedirent, ne filii applicarentur corporalia remedia ad sanandum de mortali infirmitate, licite applicarentur remedia contra parentum voluntatem, & diceremus, illos irrationabiliter esse invitos, sic, & urgentiori ratione dicendum est in proposito. Colliges 2. Non omnibus licere, tales pueros baptizare; ex tali enim facto plurima mala regulariter sequerentur. Unde ratio nostra procedit de Principibus, qui potestatem, & jurisdictionem habent in Infideles, & qui providere possunt de cautelis, & remediis necessariis, ne periclitentur, illi parvuli in vita, nec corporali, nec spirituali, ut dictum manet. 3. Ferè omnes DD. convenire, quod parvulus morti proximus, vel cessante in ipso omni periculo in posterum, eò quod à parentum custodia, & presentia est abstractus, potest lici-

tè baptizari à quocumque Ministro.

197 Dubitabis: *An sanctificatus in materno utero post Evangelii promulgationem baptizari deberet?* Respondeo affirmativè cum communis Theologorum. Docetur à Subt. Doct. d. 4. q. 6. Prob. Tum ex ipso Doct. agenti sic: *Post promulgatum Evangelium per modum præcepti, quilibet, qualitercumque justificatus... tenetur ad Baptismum... quia lex universaliter promulgata omnes obligat.* Tum; quia Jeremias, & Joannes in materno utero sanctificati adhuc fuerunt circumcisi: & ipse Christus circumcidi voluit, non quidem ad augmentum gratiæ, quod impossibile erat, sed ad exemplum nostrum. Apostoli post justificationem baptizati sunt: & quod plus est, ipsa BB. V. Deiparara, ut dictum est disp. 1. q. 1. num. 6. Ex quibus colliges, ut argumentis occurras, quod tunc Baptismus ille frustraneus non esset; quamvis enim institutus fuerit pro originali delendo, adhuc justificatis magnam gratiam conferret, atque esset signum efficax gratiæ. Faceret insimul baptizatum membrum Ecclesiæ, & sic præceptum adimpleret; atque adeò, præcepto non adimplente, gratiam amitteret.

DISPUTATIO III.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI, AC DE EJUS CÆREMONIIS.

A Deo mirabiles sunt effectus Baptismi, quod in ejus egregias laudes rapuerint SS. Patres, Augustinum, & Chrysostomum maximè. Non pauca jam diximus Tract. de Sacram. in Genere, nunc, quæ de sunt, & quæ particularia sunt hujus magni Sacramenti, restat exprimere.

QUÆSTIO

QUÆSTIO I.

De principalioribus effectibus Sacramenti Baptismi.

198 **P**RO hujus difficultatis resolutione notari debet, aliud esse loqui de peccato, sive originali, sive personali quoad culpam, & aliud quoad poenas ex ipsis provenientes. Poenæ istæ sunt dupliciter. Quædam sunt *spirituales*, quæ ad æternam spectant vitam, & quæ privant; vel *absolutè*, ut reatus culpæ originalis, vel actualis mortalis; vel *ad tempus*, ut poenæ purgatorii; quæ temporales sunt, solumque consecutionem æternæ vitæ retardant. Aliæ sunt quasi *corporales*, & quædam peccati sequentiæ, ut rebellio concupiscentiæ, quæ ex peccato originali, & ex justitiæ originalis privatione provenit. habitus pravi, qui per actualia peccata contrahuntur; nam ex furandi actibus habitus ad similes inclinans generatur. Aliæ poenæ ex originali emanantes assignantur à Theologis Tract. de 1. homine. Quæritur ergo in præsentia: *An per Baptismum omnia remittantur peccata, & hoc tam quoad culpam, quàm quoad poenam?* Circa hoc multi erraverunt multum. Pelagiani originale per Baptismum remitti non credebant; quia tale originale peccatum negabant. Originistæ quidam dixerunt, peccata per Baptismum non remitti, sed tantum sopiri. Lutherani, & Calvinistæ putaverunt, originale tegi, sed non remitti, per Baptismum. Contendebant enim, in nobis semper manere originale, eò quod in nobis remanet concupiscentia, quam docuerunt, ipsum originale esse, licet non amplius imputetur in damnationem. Unde Lutherani dicunt: *Baptismus omnia remittit peccata, sed nullum tollit.* Calvinus: *neque per Baptismum extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.* Quæ propositiones damna-

Tom. I.

tæ sunt à Leone X. tamquam hæreticales. His animadversis.

199 Conclusio Catholica: *Baptismus causat gratiam sanctificantem, per quam prorsus deletur peccatum originale in parvulis, & adhuc omnia actualia in adultis quoad culpam, & totam poenam, quæ ingressum remoretur in æternam Patriam.* Est de fide contra præfatos Hæreticos, & docetur luculenter à Subt. Doct. in 4. d. 4. quæst. 2. ubi tam de parvulis quàm de adultis expressè Conclusionem firmat, & cum SS. Patribus probat. Demonstratur igitur 1. Conclusionis pars, nempe, quoad omnem culpam, ex sacro Textu: nam Ezechielis 36. dicitur de Baptismo: *Effundam super vos aquam mundam; & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Act. 2. *Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum.* Consonat Conc. Trident. veritatem hanc definiens Can. 5. sic: *Si quis per gratiam, quæ in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram rationem peccati habet, sed dicit, illud tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Et in fidei Symbolo canitur: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Super quod D. Augustinus (& sufficiat pro aliis Patribus, idem docentibus) omnia prorsus delicta delet sanctum Baptisma. Ex quibus sic: iuxta Scripturam, Concilia, & Patres aqua baptismalis ab omnibus inquinamentis mundat, remittit omnia peccata, tollit totum id, quod veram rationem peccati habet, & omnia prorsus delicta delet: ergo cum hoc fiat per gratiam de se abstersivam, remissivam, & mundativam ab omni peccato, Baptismus causat gratiam sanctificantem per quam deletur omnis culpa, aut peccatum, tam originale in parvulis, quàm originale, & omnia actualia, sive mortalia, sive venialia in adultis. Antecedens demonstratur ex supra dictis, &

Ll

con-

consequens patet: nam si tota prorsus culpa, & maximé originalis, non deletur, dici non potest, quód proprié deletur, nec quid de illa remaneat, quod absurdum est.

200 Secunda Conclusionis pars, nempe, gratiam per Baptismum collatam remittere omnem prorsus poenam, à Deo pro peccatis veré infligendam, & quæ remoretur ingressum in gloria, definita est à Conc. Florentino, dicente: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis poenæ, quæ pro ipsa culpa debetur.* Et prosequitur: *Præterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam aliquam culpam committant, statim ad Regnum Cælorum, & Dei visionem perveniunt.* Quid expressius. Pariter Trident. Ses. 6. c. 14. discrimen inter Baptismum, & Pœnitentiam in eo constituit, quód in Pœnitentia, culpa dimissa, adhuc remanet satisfactio pro poena temporali, secus veró in Baptismo. Ita inquit: *Quæ (scilicet poena) ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis.* Accedit perpetua Ecclesiæ præscripta, & consuetudo, nulla umquam opera, satisfactoria, aut poenas baptizatis imponens, sicut imponit in Sacramento Pœnitentiæ, ut S. Ambrosius super 11. ad Rom. advertit. Hujus ratio alia esse non potest, quam ipsa Dei voluntas, ac institutio Christi, qui Baptismo voluit tantam efficaciam, ac virtutem conferre, ut omnem culpam, & poenam tolleret.

201 Arg. contra 1. partem: In baptizatis remanent omnes effectus peccati, originalis, & actualium; sed ubi omnes isti effectus sunt, ibi etiam peccatum est: ergo Prob. maj. Post Baptismum remanent rebelliones concupiscentiæ, quæ oriuntur ex originali peccato, & habitus vitiosi, qui per peccata actualia contrahuntur: ergo. Confirmatur: Concupiscentia est ipsum pec-

catum, & gratia sanctificans est justitia originalis, aut illi æquivalet; sed concupiscentia viget post Baptismum non minus, quam ante illum, & justitia originalis baptizatis non tribuitur: ergo quia peccatum non deletur.

202 Resp. distinguendo maj. Remanent omnes effectus primarii, & formales peccati &c. nego: secundarii, & casuales, concedo maj. & dist. min. Ubi omnes effectus primarii sunt, ibi etiam peccatum est, concedo: secundarii tantum, nego min. & conseq. Ad probationem, concedo antecedens, & nego conseq. Ad confirmationem nego rotundé majorem. Itaque primarius effectus peccati mortalis est amissio gratiæ, qua homo fit justus, filius Dei, & hæres gloriæ, & insimul per peccatum fit reus poenæ æternæ. Præter hoc, peccatum originale habuit ex Dei dispositione privare justitia originali, ex cujus privatione sequitur concupiscentia, tamquam effectus secundarius, qui non impedit gratiam, cum in hominibus justis sit concupiscentia. Pariter, habitus vitiosus generatur ex iteratione actuum malorum, sicut actus virtuosus generatur per actus bonos frequentatos, atque est effectus talis iterationis. Unde concupiscentia non est peccatum; nam remanet in baptizatis, ut affatur Tridentinum, docens: *Dici peccatum, non quia in se sit tale, sed quia ex peccato venit, & ad peccatum inclinatur.* Denique gratia sanctificans non est justitia originalis; quia gratis est unum donum supernaturalis, & originalis justitia, completivè sumpta, erat aggregatum plurium donorum supernaturalium, rebellionem impediens, animam tranquillam reddens, ac facilitans potentias, ut delectabiliter sequerentur: rationem. Quare consistebat in aggregato ex omnibus virtutibus, & habitibus in omnibus potentiis, tam superioribus quam inferioribus, ad talem pacem,

QUÆSTIO II.

De aliis effectibus Sacramenti Baptismi.

tranquillitatem, & delectationem necessariis, ut docetur à pluribus Theologis, & ego docui, dum Tractatum de primo homine in Scholis dictavi. Ex quo habes, omnia peccata prorsus in Baptismo deleri. Hinc SS. Patres unanimiter docent, transitum filiorum Israël per mare rubrum figuram fuisse Baptismi; nam sicut in mari rubro Ægyptii persequentes à tergo filios Israël, in aquis submersi sunt, ita omnia peccata, ante Baptismum commissa, dimittuntur, & suffocantur in aquis Baptismi. Audiatur D. Gregorius: *Qui dicit, peccata in Baptismo non funditus dimitti, dicat, in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.*

203 Opponi potest contra 2. Conclusionis partem, pœnalitates vitæ per Baptismum non auferri: ergo nec alterius vitæ poenæ. Sed negatur consequentia, concessa antecedente. Per Baptismum solum liberatur homo ab omni poena, in Conclusionem stabilita. Unde certum omnino est, & experientia constat, remanere in baptizatis concupiscentiam, & peccati fomitem, eosque obnoxios esse fami, siti, morbis, & morti. Omnibus his privilegiis privavit originale peccatum, quæ Christus noluit restituere per Baptismum. Conveniens enim erat, nos conformari Christo Domino, qui passus est famem, labores, dolores, & mortem. Unde ex majoris pugne victoria major erit in nobis corona. Pro aliis advertit, quód illud sacrum eloquium: *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, non intelligitur, ut Hæretici volunt: nam *ly tectum*, idem est in Scriptura, ac *remissum*. Sic, cum aliis Patribus, Augustinus, quem immenitè pro se Hæretici adducunt, dicens: *Beatus, cui non imputavit Dominus peccatum, sed illud remissum, & tectum est.* Ubi idem est, peccata regi, & non amputari, ac prorsus remitti.

Tom. I.

204 Sacramentum Baptismi, præter gratiam habitualem, præter remissionem culpæ, ac poenæ, operari in suscipiente quoddam morale jus ad gratias actuales, quæ gratiæ vocantur sacramentales, resolutum est Tract. de Sacramentis in Genere, & similiter, quales sint istæ gratiæ? Disp. 3. quæst. 3. Deinde, quæstione 5. prælibatum est, characterem in anima imprimere, ac resolutum, quidquid ad ejus naturam attinet. Cum ergo non expediat acta agere, sufficit nunc ea insinuare, & ad præcitata loca lectorem remittere. Solum igitur hinc restat de cæteris Baptismi effectibus, ad virtutes, tam theologales, quam morales, attinentibus, aliquid addere, atque aliquos effectus, quos Hæretici confingunt, respuere.

205 Dico itaque: *In Baptismo conferuntur habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis, simul cum gratia justificanti.* Est omnium Catholicorum, & expressè docetur à Subt. Doct. in 4. dist. 4. q. 2. Resolutio intelligitur, tam de adultis, quam de parvulis. Licet enim in istis, durante pueritia, nec sint actus illarum virtutum, nec agere possint per illas, sufficit, quód illis usuri sint, dum cognitionem habeant, & libertatem. Probatur jam 1. ex Trident. sess. 6. docente, & dicente: *In ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia, simul infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatem.* Probatur secundò ratione: Per Baptismum homo justificatur, & ex tunc incipit placere Deo, atque ejus filius adoptivus constituitur; sed sine fide impossibile est placere Deo: ergo ex tunc infunditur fides, & consequenter spes, & charitas. Et quamvis

Ll 3

Tri-

Trident. loc. cit. loquatur de adultis quoad dispositiones justificationis; tamen non limitat ad illos solos infusionem talium habituum; quia potius generaliter dicit: *Nullum justificari sine infusione caritatis in cordibus eorum, quibus inberet.* Per dicta præcluduntur aliquæ replicæ.

206 Sed quid dicendum de virtutibus moralibus? *infunduntur ne, sicut infunduntur Theologicae, in Baptismo?* Hujus difficultatis resolutio pendet ex resolutione alterius, in qua insignes Theologi dividuntur, ac inter se opponuntur. Plures enim sustinent, per se loquendo non dari virtutes morales, per se infusas. E contrario controvertunt alii. Cùm autem non sit præsentis instituti hoc controvertere, sed ad Tractatum de virtutibus attineat, sufficiat placita Theologorum referre. Si enim tales virtutes dentur per se infusæ, dicendum est, in Baptismo infundi simul cum Theologicis: si verò tales non sint, videtur dicendum, quòd non infunduntur. Transeamus nunc ad aliquas Hæreticorum cabillationes eliminandas. Hæretici itaque finxerunt in Baptismo aliquos effectus purè vergebrosos, sed laxitati eorum valde consentaneos.

207 Unde falsa veris miscendo, dixerunt. 1. Effectum Baptismi esse esemptionem ab observantia legis, & mandatorum Dei. 2. Quòd Baptismus reddit impeccabiles baptizatos, nisi ab Ecclesia recedant. 3. Quòd sola memoria Baptismi suscepti sufficit ad justificationem, vel saltem ad hoc, ut peccata non imputentur. Dixerunt 4. Baptismus omnia vota irritare, ex vi promissionis, quæ in eo fit. Omnes hos errores damnavit Concilium Tridentinum, definiens contra 1. sic sess. 7. can. 7. *Si quis dixerit, baptizatos per Baptismus ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ Christi legis servandæ, anathema sit.* Et quidem frustra baptizati legem, & mandata do-

cerentur, frustra auxilia ad gratiam conservandam, & ad Evangelicam legem adimplendam in Baptismo eis tribuerentur, ut de facto tribuuntur, si ad ea servanda non tenerentur. Errorem 2. damnat sic sess. 6. can. 23. *Si quis dixerit, hominem, semel justificatum, amplius peccare non posse, anathema sit.* Contra errorem 3. procedit sic Trident. *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismus fiunt, sola recordatione, & fide Baptismi suscepti, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.* Et denique contra 4. errorem idem Concilium definit sic: *Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismus fiunt, vi promissionis in Baptismo jam factæ, irrita esse intelligant, anathema sit.*

208 Ut verò hos adstruerent errores, aliquibus abutuntur sacris locis. Opponunt 1. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* ergo baptizatus unicè tenetur ad fidem, & non ad aliquam aliam legem, de necessitate salutis. 2. Ex 2. Jacobi: *Qui natus est ex Deo, non peccat.* Item: *Omnis, qui natus est ex Deo, non facit peccatum;* sed homo per Baptismus nascitur ex Deo: ergo fit impeccabilis per Baptismus. Istæ verò Hæreticorum cabillationes nullius momenti sunt Catholicis. Ad 1. nego consequentiam: nam licet ibi mentio non fiat nisi de Baptismo, & fide, aliis tamen in locis fit expressa mentio de aliis requisitis, ut Matth. 23. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Item: *Fides sine operibus mortua est.* Et sic de pluribus aliis. Ad 2. nego etiam consequentiam. Textus illi unicè significant, baptizatos peccare non posse in sensu composito, seu quamdiu gratiam baptismalem habent, & semen Dei in eis mapet; benè verò in sensu diviso, & quando peccando, illam gratiam amittunt: Tunc enim cessat in eis filiatio Dei, & fiunt Diaboli fi-

QUÆSTIO III.

De Cæremoniis Baptismus antecedentibus, comitantibus, & sequentibus.

210 **D**E honestate cæremoniarum sacrarum, quibus in quolibet Sacramentorum usitur, ac de potestate legitima, quæ datæ est Ecclesiæ Catholicæ à Christo, ut illas instituat, dictum est contra Calvinistas, & alios Hæreticos, præcedenti Tract. disp. 4. quæst. 2. Deinde eodem Tract. disp. 2. quæst. 7. plura huc pertinentia invenies, ut de benedictione aquæ, de aliisque cæremoniis, quæ licet in Orientali Ecclesia adhuc vigeant, in Latina verò meritò sunt variatæ, & aliter dispositæ. Nunc, quæ restant, hæc sunt declarandæ.

211 Cæremoniæ itaque, quæ quidam ad majorem solemnitatem, splendorem, & reverentiam Baptismi inserviunt, atque devotionem, & reverentiam excitant erga auctorem Sacramentorum, sunt tripliciter, nempe, *antecedentes, comitantes, & consequentes.* Ex cæremoniis Baptismus antecedentibus, prima est doctrinalis; nam in adultis incipitur à Catechismo, quo baptizandus instruitur in doctrina fidei, & morum, ut sciat, quam fidem, & obligationem suscipiat. Cæremonia hæc jure divino requiritur; nam Matth. ult. Apostoli jubentur, prius homines instruere, quam baptizare. Secunda cæremonia est, quæ tam factis, quam verbis baptizandi animus exploratur, & præparatur. Hoc, quantum fieri potest, adhibetur etiam in parvulis, pro quibus patrini respondent. Unde Minister occurrens baptizando extra limen Ecclesiæ, interrogat: *quid petis? An renuntiet sathana?* Et pro parvulo respondent patrii. Tunc Minister ter in faciem ejus insufflat, ut ab eo exeat Sathanas: signat signo crucis in fronte, &

& pectore : imponit manus capiti, & orat super eum : immittit tantulum salis benedictę in os ejus : & denique peragit Minister plura alia, quę in Rituali Romano pręseribuntur.

212 Cęremonię comitantes sunt, pñfñā, quod, extra casum necessitatis, celebretur Baptismus in loco sacro, ad hoc deputato, qualis nunc ex pñcepto Ecclesię in singulis templis Parochialibus est locus ad hoc ministerium destinatus ; quamvis olim ab ipso templo erat distinctus, & *Baptisterium* vocabatur. Excipiuntur Principum, ac Regum filii, qui ex permissione baptizantur in suis palatiis. Et quamvis olim adulti tantum baptizarentur in festo Paschatis, & Pentecostes, nunc liberum est quocumque tempore. Secunda cęremonia est, quod Baptismus debeat fieri aqua ad hoc pridie Paschę, & Pentecostes specialiter consecrata per infusionem Chřismatis, aliasque cęremoniis. Si veró talis aqua non stet vide quid faciendum Tract. priori loco sup. cit. Tertia, quod Baptismus fiat trina aspersione, vel ubi fuerit consuetudo, trina immersione, de quo satis dictum est alibi. Quarta unctio capitis : officia patrini, & matris : ac impositio nominis, sicut olim imponebatur in Circumcisione.

213 Ex cęremoniis, quę sequuntur, prima est, quod baptizato detur cereus accensus in signum fidei, & gratię acceptę. Secunda, quod admoneantur patrini de obligatione docendi puerum doctrinam fidei, & de cognitione contracta per hanc functionem. Tertia vestis candida, quę imponitur baptizato in signum innocentię : olim baptizatus recēns vestem hanc ferebat usque ad Dominicam in Albis. Aliquę alię cęremonię, quibus olim utebatur, jam in desuetudinem abierunt. Istę fuerunt, prima, quod fideles adstantes osculo pacis osculabantur baptizatum, tamquam fratrem. Secun-

da, quod baptizati pedes lababantur, ad significandum munditiam affectuum illius. Tertia, quod, ut Aegidius ex D. Hieronymo notat, baptizato dabatur gustandum lac, & mel, ad significandam infantiam in vita spirituali : & in aliquibus Ecclesiis addebatur vinum in signum interioris lætitię. Et nota, quod Gręci cęremonias nostris similes habent, adhibentque exorcismos, Sathanę abrenuntiationes, & insufflationes. At veró aquam calidam parvulo baptizando adhibent, & Latini frigidam. Aquę calidę usus ortus fuit apud eos, ex eo, quod frigida corpus pueri tenelli nimio dolore pręstringeret. Servandus igitur est ritus Gręcę, & Latine Ecclesię pręscriptus in utraque.

214 Si quęras : *An exorcismos, & alię cęremonię, quę adhibentur in Baptismo, aliquos habeant effectus?* Respondeo affirmativę ; nam habent vim conciliandi venerationem Sacramento : indicant beneficia, quę Christus confert per illud : impetrant a Deo, ut cohibeatur Dęmonis vis, & furor contra baptizatum, ne illum lædat in corpore. Et denique efficiunt in adultis, quod hebetudo ad res divinas capiendas minuatur per sacras cęremonias, disponaturque intellectus ad res divinas aptius penetrandas, & voluntas ad prosequendum eas. An veró effectus isti causentur ex opere operato a sacris cęremoniis, necne? Vide Tract. pñced. disp. & quęst. ultima.

215 *De Patrini Baptizati.* Adhiberi debet in Baptismo solemniter, tum ex perpetua Ecclesię consuetudine, tum ex pñcepto Tridentini can. 2. patrini, seu susceptori, aut matris, seu susceptrix. Sufficit unus, sive vir, sive fœmina, vel ad summum unus, & una, admittitur ex ipsius Concilii decreto. Excluduntur ab officio patrini non baptizati, Hæretici, infames, aut publicę criminosi, excommunicati, ignorantés rudimenta fidei, & usu

ra-

rationis carētes : quod omne constat ex Apostolicis decretis, & ex Rituali Romano. Ratio est ; quia pñdicti non sunt idonei ad gerendam curam baptizati erga fidem, & mores. Excluduntur etiam proprii parentes, nisi in valde gravi necessitate, ex cap. *Pervenit ad nos* : tum, quia isti jam tenentur jure naturę filios instruere, & patrini adhibentur, ut defectum parentum suppleant : tum, quia alius esse debet pater carnalis, & alius spiritualis. Excluduntur etiam Monachi, ac Regulares omnes, & Sanctimoniales ex Rituali Romano : isti enim segregati sunt a sæculo, & vacare non debent instructioni eorum, quos suscipere in Baptismo. Religiosis Franciscanis id sua Regula prohibet, dicens : *Nec fiant compates virorum, aut mulierum.* Ob quod isti, si essent patrini, peccarent mortaliter : ceteri veró Religiosi tantum venialiter. Vide Tractatu sequenti num. 88. de patrino Confirmationis.

216 Officium patrini est offerre Ministro baptizandum, & illum tenere, dum baptizatur : respondere pro baptizando, si iste nequeat per se. Tenetur etiam sub mortali illum erudire in rebus fidei, & doctrina christiana, atque curare, ut rectę vivat, si alii id non pręstent, ex Conciliis, ex Catechismo, & ex Rituali Romano. Ab hac enim paterna cura, quam illius debet gerere, dicitur *Patrinus* ; quia quasi spiritualis pater suscepti censetur. Quod hoc patrini talis debent esse etatis, ut cognoscere possint has obligationes. Denique ut docet Tridentinum, patrini, matris, & baptizans cognitionem quamdam spiritualem, quę est impedimentum dirimens matrimonium, contrahunt cum baptizato, & ejusdem parentibus. Cognatio hæc amplius non extenditur, nec inter patrini, & matris tale adest impedimentum. Si autem pater baptizati patrini esset suę prolis, peccaret mortaliter, extra casum neces-

sitatis, & contraheret cognationem cum sua uxore, matre baptizati, quę usum matrimonii impediret, quamvis aliqui cum Hurtado id negent : in casu tamen necessitatis, vel ignorantię hujus legis hanc pœnam non incurreret.

217 Et colliges 1. contra Diamnam, & aliquos alios, quod in privato Baptismo tempore necessitatis non sit adhibendus patrini. Ratio est, quia Ecclesia id solum pręcipit in Baptismo solemniter. Unde si tunc aliquis infantem teneat, ut baptizetur, non ideó patrini efficitur. Dices : Patrini non requiruntur ad solennitatem, sed ad baptizatum instruendum, & ad ejus spiritualem generationem juvandum : ergo etiam in privato Baptismo requiruntur. Omitto anteced. & nego consequentiam. Quamvis enim illo sint Ecclesia tulerit pñceptum de patrino adhibendo, tamen noluit, ejus pñceptum extendi ad Baptismum privatum. Ex his colliges 2. quod si quis in privato Baptismo infantem teneret ex industria, & cum intentione, ut patrini fieret, non contraheret cognationem spiritualem ; quia cum Ecclesia tunc obligare noluerit, nihil contrahitur obligationis, & cognationis spiritualis. Oppositum docuit Diana cum aliquibus aliis.

218 Pro complemento, & fine hujus Tractatus, interrogas : *An de facto liceat alicui se circumcidere ob Christi Domini imitationem, vel pñcipis gratia mortificationis?* Affirmare videntur Cajetanus, Nazarius, Lorca, Guillermus, Medina, & Vericelli, quamvis isti duo postremi postea se retractaverunt. Dixerunt enim, licitum esse, simul cum Baptismo, suscipere circumcisionem, non quidem tamquam cęremoniam legalem, sed ex fine cultus Religionis, & ob Christi imitationem. Fortę moti sunt ad id affirmandum ex consuetudine aliquorum Christianorum. Itaque Christiani Ætiopes, vulgo dicti Abassini, usque ad sæculum 16. consueverunt

Cir-

Circumcisionem observare; non vero tamquam cæremoniam Judaicæ legis, quod etiam ipsi fatebantur, non licere; sed ob imitationem Christi, & ut ejus gerant corporalem similitudinem. Dicebant etiam, se id facere in memoriam suæ stirpis, blasonantes, oriundos esse ex Abraham, & ex familia David. Dubium hoc propositum fuit Sacræ Congregationi Inquisitionis à Patriarcha Æthiopiæ: ad quod resolvendum habita est Congregatio Sancti Officii die 30. Julii an. 1637. in qua responsum fuit sic: *Sub nullo prætextu tolerandam esse Circumcisionem; & Pastores debere corrigere subditos, contumacesque arcendos esse à communione fidelium.*

219 Dico igitur: *Nemini licet se circumcidere, quocumque motivo id velit facere.* Probatum evertendo Adversantium fundamentum: Ex nullo bono fine potest Abassinorum, aut aliorum quorumcumque honestari circumcisio: ergo hæc absolutè non licet. Prob. anteced. Circumcisio considerari potest, vel ut legalis cæremonia, quam dicit de formali, vel ut corporalis læsio, quam dicit de materiali; sed sub nulla ex his considerationibus honestari potest: ergo. Prob. minor. Eò honestari posset, quia in illis conformaretur cum Christo; sed nec conformatur, nec con-

formari potest: ergo. Prob. minor. Conformitas ad Christum in illa corporali læsione nullius virtutis honestatem habet, neque in cultum aliquem Christi cedit: quinimò est cultus omninò vanus, & superstitiosus: aliàs etiam liceret, manus, pedes, & latus perforare ad Christi imitationem, quod judicare, stultissimum est: ergo in tali mortificatione non potest cum Christo conformari; quæ enim contra Christi voluntatem operatur, certissimè cum Christo non conformatur. Urgetur: Tum; quia legalia modò observare est malum, quod per bonam intentionem non honestatur, nec fit licitum, ut asserit D. Thom. 4. d. 1. quæst. 2. artic. 5. & est certissimum apud cæteros Theologos. Tum; quia circumcisio scandalum fidelibus præbet, & universæ Catholicæ Ecclesiæ, cum illam exercentes videantur judaizare: non ergo potest Ecclesia talem ritum tolerare, aut permittere, & consequenter non licet. Quare quamvis Christus circumciscus fuerit, non ob hoc talis cæremonia habet moralitatem aliquam, qua usurpari possit licitè ad ejus imitationem, cum Circumcisio ab ipso Domino abolita, & reprobata sit in Evangelica lege. Dicta sufficiant de Sacramento Baptismi, sintque in Dei laudem, & honorem, ac suæ purissimæ Matris.



TRAC

TRACT. III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.



POSTQUAM homo per Baptismum efficitur Christi membrum, Christianæque fidei debitor, ac servator, per Confirmationis Sacramentum inter strenuissimos Christi milites consignatur, ejus unctione ad pugnam validè accingitur, & ad consequendam victoriam fortiter armatur. Sic scripsit Melchiades Papa, dicens Episcopis Hispaniis: *Per Baptismum regeneramur ad vitam, post Baptismum ad pugnam confirmamur: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur: regeneratio per se salvat in pace Baptismum recipientes, Confirmatio armat, utque instruit in agones.* Absdubio hæc animi cælestis constantia, ac fortitudo illa est, quam Apostolis promisit Dominus, dum eis dixit Actor. 1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, ut idem Pontifex egregiè dixit.* Sed antequam ad hujus Sacramenti declarationem procedamus, prænotari debet, quid de illo dicat Concilium Florentinum.

Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, qui odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et cum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat: cum autem audissent Apostoli... nondum enim in quemquam illorum venerat, (Spiritus Sanctus) sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos; & accipiebant Spiritum Sanctum. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.

DISPUTATIO UNIC.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Recta doctrinæ methodus exposcit, quod post Tractatum Baptismatis disputetur de Confirmatione, qua adolescimus, & roboramur ad sustinendam fidem, quam servandam in Baptismo promittunt, illum suscipientes. Quidquid igitur, tam ad essentiam hujus Sacramenti, quam ad Ministrum, ad subjectum, atque ad effectus ipsius attinet, unica, sed sub variis quæstionibus, ac quæstis, absolvemus disputatione.

QUÆSTIO I.

An Confirmatio sit verum Sacramentum novæ legis?

Presens certamen unice est cum Hæreticis, cum Catholicorum nullus sit, qui non fateatur, Confirmationem verum Sacramentum esse. Novatiani igitur, & Waldenses, sed vehementius Lutherani, & Calvinistæ adversus hoc Sacramentum delirantes, dicunt, illam ceremoniam, quam Catholici Confirmationem appellamus, inventam, & introductam fuisse anno Christi 311. à Melchiade Papa. Unde Confirmationem vocant Catholicorum figmentum, cum de ea nulla fiat in Scriptura mentio, nec in Patribus trium primorum sæculorum. Et si aliqui Patres postea eam Sacramentum vocarunt, locuti sunt de Sacramento improprie dicto, qualiter omnes Ecclesiæ ceremoniæ Sacramenta vocari possunt. Et concludunt, illam Apostolorum manuum impositionem, ex qua veritatem hujus Sacramenti probamus Catholici, ceremoniam quamdam tantum Baptismi fuisse, qua baptizatos Deo offerebant, commendabant, atque pro illis orabant Apostoli. Hæc in summa est doctrina

erronea Hæreticorum. Contra quam stat:

1 Catholica Conclusio: *Confirmatio est verum novæ legis Sacramentum, & consequenter à Christo institutum.* Hanc veritatem mirifice ostendit Subt. Doct. 4. dist. 7. quæst. 1. ubi Confirmationis essentiam, conditiones, & effectus clarissime exprimit. Prob. primò Conclusio ex Scriptura: Actor. 8. dicitur de Apostolis: *Imponebant manus super illos,* (nempe, baptizatos) *& accipiebant Spiritum Sanctum.* Et de Paulo 19. *Cum imposuisset illis manus, venit Spiritus Sanctus super illos:* sed ceremonia illa, aut manuum impositio, per quam baptizatis Spiritus Sanctus conferebatur, erat verum Sacramentum; & aliud esse non poterat, quam Confirmatio: ergo. Minor quoad secundam partem evidens est contra prædictos Hæreticos, qui duo tantum agnoscunt Sacramenta, nempe, *Baptismum*, & *Eucharistiam*, quorum neutrum erat, ut est evidentissimum, illa manuum Apostolorum impositio, quæ fiebat post Baptismum. Prob. minor. quoad primam partem: Sacramentum est signum sensibile, & practicum, seu in exercitio, gratiæ sanctificantis à Christo institutum; sed talis fuit illa manuum impositio: ergo. Maj. est Sa-

cramenti definitio. Minor constat: nam in primis erat signum sensibile; aliunde infallibiliter per illam conferebatur Spiritus Sanctus, qui non datur, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis; & demum à Christo fuit instituta: nec credibile est, Apostolos propria autoritate Spiritum Sanctum conferre tam certo, & infallibiliter: ergo.

2 Conclusio ex antiquissimorum Conciliorum decretis, uti sunt Concilium Laodicænum, in quo Canone 7. *Novatiani jubentur iungi sacro chrismate:* & Aurelianense, in quo, teste Gratiano, præcipitur, *ut adulti veniant ad Confirmationem jejuni.* Postea definita est eadem veritas in Florentino, & demum Tridentinum omnium antiquorum Conciliorum, & Pontificum Decreta complectens, ac Hæreticorum deliramenta evertens Sess. 7. can. 1. sic decernit: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam esse ceremoniam, & non potius verum, & proprium Sacramentum: aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant: anathema sit.* Accedit perpetua fides totius Ecclesiæ à suo exordio: nam Patres, qui Melchiadem præcesserunt, ut Dionysius, Clemens Romanus, Tertullianus, & alii, qui tribus primis sæculis floruerunt, unanimiter Confirmationem vocant *Ecclesiæ Sacramentum, & sacri ungenti mysterium.* Patres posteriores, ut Ciprianus Epist. 79. ad Stephanum Papam, Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 2. Augustinus lib. 2. contra litteras Petilianus, disertè asserunt, Confirmationem eadem proprietate esse Sacramentum, qua est Baptismus. Ergo de primo ad ultimum mentiuntur Hæretici, dicentes, nec in Scriptura, nec in traditione primorum sæculorum, Sacramentum Confirmationis reperiri, posterioresque Patres Confirmationem Sacramentum appellasse im-

Tom. I.

propriè.

4 Arg. pro Hæreticis: Confirmatio, qua nunc in Romana Ecclesia utitur, non est eadem, ac fuit tempore Apostolorum: ergo dato, quod illa Sacramentum fuisset, ista verò talem rationem non habet. Prob. antec. Quod nunc fit ab Episcopis in Confirmatione valde diversum est ab illo, quod ab Apostolis fiebat, dum confirmabant: ergo. Prob. antec. Quia, ut narratur Act. 8. & 19. ab Apostolis dabatur Spiritus Sanctus cum dono linguarum, & aliis donis, quod nunc non datur ab Episcopis illis, quos confirmant: ergo. Respondeo negando antecedeas; & ejus probationem. Ad hujus 1. probationem dico, verum esse, quod Ecclesiæ exordio per impositionem manuum Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus cum dono linguarum, & aliis donis gratis datis: at verò hoc beneficium erat accidentale Sacramento, & ideò non omnibus conferebatur, sed aliquibus tantum, prout expediebat Ecclesiæ. Hinc Apostol. 1. ad Cor. ait: *Numquid omnes Prophetæ? numquid omnes loquuntur linguis?* Effectus principalis, & substantialis Confirmationis erat gratiæ habitualis infusio, quæ nunc etiam per Confirmationem datur fidelibus. Unde idem effectus substantialis hujus Sacramenti tribuitur nunc, ac in principio Ecclesiæ. Cum hoc effectu Confirmationis tribuitur simul Spiritus Sanctus nunc, licet non patenter veniens, sicut tunc; quia tunc ex Christi voluntate expediens fuit, quod nunc non est. Ex quibus nego consequentiam, quæ nullo modo sequitur.

5 Replicant Hæretici: Episcopi nostri unctione & verbis confirmant; Apostoli verò tali unctione non utebantur: ergo hæc Confirmatio essentialiter est distincta ab illa, utpote quæ ministratur sub diversa materia, & forma: ergo vel illa Sacramentum non fuit, vel nostra non est. Confirmatur: Scriptura

Mm 2

libi

libi loquitur de hoc Sacramento, aut ejus institutione: ergo adstruuntur voluntariè. Respondeo, permissio antecedenti, negando consequ. Itaque Christus Apostolos docuit chrisma conficere, ut testatur Fabianus Papa Epist. 2. ad Orientales, & est constantis traditio Ecclesie: ipsi verò Apostoli ex speciali Christi dispensatione non fuerunt usi chrismate, præsertim ab initio, sed per nudam manuum impositionem Sacramentum hoc contulerunt. Sic docuit D. Thom. hinc art. 2. ad 1. & pulchrè Doct. Subt. dist. 2. quæst. 1. dicens: "Christus in primitiva Ecclesia potuit cum Apostolis dispensare, & maxime, quia in Confirmatione ab eis collata erant aliqua signa sensibilis, puta, descensus Spiritus Sancti super confirmatos, & donum linguarum; sed cessantibus ipsis miraculis, Ministri debuerunt hanc materiam, & formam servare, quam ipse illos docuerat. Nec vacat ratione; quia cum tunc plurima hominum millia interdum baptizarentur, & mos esset, quod statim baptizati confirmarentur, congruum fuit, ut Christus ab hac cura impugendi singulos, liberaret Apostolos in talia incumbentes, Spiritu Sancto visibiliter adveniente, ad solam manuum impositionem. Nec omnino fortè verum est, Apostolos usos non fuisse chrismate: quinimò, præsertim dum tempus vacabat, videtur, unctiorem chrismaticam adhibuisse ex D. Dionisio, qui Apostolorum tempore vixit, & qui lib. de Eccles. Hier. cap. 2. scribit sic: *Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt: ille dicens, ac dextera unguento mirum signat. Et cap. 4. idem repetit.* Ad Confirmationem nego antecedens, ejus falsitas constat ex 2. probatione Conclusionis. Deinde, illo, omisso, nego consequ. quia est non constaret ex Scriptura, sufficit traditio Apostolica, & Ecclesiastica, ut est Catholicorum uniformis doctrina. Est

is, ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Sed etiam si Scripturæ authoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus sufficit, ait D. Hier. de hoc Sacramento, dialogo contra Luciferianos.

6 Quæres I. Quid sit Confirmatio? Veritate hujus Sacramenti stabilita contra Hæreticos, nunc quæ certa sunt Catholicis firmabimus. Confirmatio itaque definitur metaphysicè, seu per genus, & differentiam sic: *Est Sacramentum novæ legis à Christo institutum causativum gratiæ corroborativa.* Verba Sacramentum novæ legis à Christo institutum sunt genus, & cætera verba sunt differentia. Physicè verò, seu per materiam, & formam definitur sic: *Est unctio hominis viatoris baptizati, facta in fronte in forma crucis cum chrismate sub præscripta verborum forma, significans efficaciter gratiam, & auxilia, quibus roboratur anima ad constantem confitentiam fidem Christianam.* Ita in re. Subt. Doct. in 4. dist. 7. in initio, cum quo Theologi omnes conveniunt.

7 Quæres II. A quo, & quando instituta fuit Confirmatio? Pro resolutione 1. partis dubii videndum est, quod Tract. 1. de Sacramento in genere disp. 2. quæst. 2. manet resolutum; nec aliud restat hic addendum. In 2. partis dubii resolutione multum variant Theologi. Nec D. Thomas, nec Doct. Subt. exprimunt tempus determinatum institutionis illius, quamvis uterque supponat, Confirmationem verum esse Sacramentum à Christo Domino institutum. Hinc Authorum placita fuerunt valde diversa. Bachonius in 4. dist. 7. quæst. 1. cum aliis docuit Christum hoc Sacramentum instituisse, dum ex Matth. 19. pueris manus imposuit. Sed hæc sententia rejicitur ex Hieronymo, & Anselmo dicentibus, parvulos illos oblatos fuisse Domino, ut benedicerentur, & ab infirmitatibus curarentur, non

ut confirmarentur: quod patet ex eo, quod plures ipsorum non erant baptizati, & fortè nullus eorum, ob quod non poterant confirmari. Alii, inter quos Coninch, & Laiman dixerunt, Christum Confirmationem instituisse, dum post suam Resurrectionem Apostolos Episcopos constituit, dicens Joan. 20. *accipite Spiritum Sanctum &c.* Alii cum Ægidio, Suarez, Fabro, ac Delgadillo, quasi concilians placita DD. docent, institutam fuisse in nocte Cæne inchoativè tantum, & completivè, quando Apostolos Episcopos fecit, & ex tunc Ministros Confirmationis. Sed nec hic modus dicendi placet; quia, ut ex textu apparet, tunc datus est Spiritus Sanctus Apostolis ad peccata remittenda, ad quod Confirmatio non est instituta, sed ad gratiam augendam. Nec quod Apostolis data fuerit tunc potestas ministrandi hoc Sacramentum, videtur ob stare; quia assignatio Ministri non attinet ad intrinsecam constitutionem Sacramenti, sed designatio materiæ, & formæ: etenim Sacramentum constituitur, dum ejus materia, & forma exhibetur, non quando ejus Minister designatur.

8 Dico igitur: *Probabilis est, Sacramentum Confirmationis institutum fuisse à Domino in nocte Cæne.* Sic Gonet cum Thomistis, & Mastrois cum Scotistis, aliquibus deceptis. Probatur 1. ex praxi Ecclesie, quæ quotannis consecrat in die Cæne novum chrisma, veteri combusto; sed hoc facit, non alia urgentiori ratione, quam in membra institutionis hujus Sacramenti in ipsa die, ut etiam S. Clemens lib. 3. Const. cap. 16. & Cyprian. Serm. de unct. chrismatibus docent: ergo Urgetur ex D. Fabiano Papa, qui epist. 2. ad Orientales cap. 1. scribit: *In illa die, postquam cenavit Dominus cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, (sicut à Sanctis Apostolis prædecessores nostri accepimus, vobis que reliquerunt) chris-*

ma conficere docuit. Ubi per chrisma intelligit hoc Sacramentum, quod chrismate datur, sicut per lavacrum intelligimus Baptismum, qui per ablu-tionem datur: & ita alii PP. intelligunt: ergo.

9 Ex his rejiciuntur iterum opiniones dicentium; tum, Confirmationem institutam à Melchiade Papatum institutam fuisse postea in Concilio Meldensi ex singulari Spiritus Sancti instinctu, & ex Christi Domini commissione. Falluntur itaque talium opinionum Authores: nam ex Clemente Romano, D. Petri Discipulo, & ab eo Papa IV. & consequenter multum Melchiam præcedente; constat, Confirmationem jam tunc in usu esse. Sic loquitur Clemens lib. 3. Inst. cap. 16. *Episcopus baptizatos chrismate ungit.* Melchides autem Ecclesiam rexit ad ann. 911. Pariter constat falsitas de institutione in Concilio Meldensi, quod multo postea fuit congregatum sub Gregorio IV. & quod non est Generale Concilium. Propter hanc rationem non obstat nostræ Conclusioni Concilium Senonense in Decretis fidel. cap. 10. asserens, Christum ante Cænam Sacramentum hoc instituisse, ut Bachonius num. 7. citato dixit; quia tale Concilium fuit Provinciale tantum, & à Papa in hoc non confirmatum. Et advertet, hoc Sacramentum nulli fuisse collatum ante Pentecostem, quo die Apostoli confirmati, & roborati fuerunt Spiritus Sancti adventu super illos.

QUÆSTIO II.

De materia Sacramenti Confirmationis.

10 IN presenti non est controversia cum Hæreticis, qui cum negent, Confirmationem esse verum Sacramentum, consequenter impugnant ejus materiam, & ritum. Error hic jam sufficenter impugnatus manet. Controversia igitur est cum

Catholicis Doctoribus, qui hac in re valde differunt. Sed antequam difficultates erga materiam proponamus, suppono, materiam Confirmationis remotam esse, & proximam, sicut in quolibet alio Sacramento. Materia remota est *chrisma ex oleo, & balsamo confectum*. Ex oleo, nempe, olivarum, non verò nucum, amigdalorum, aut quid simile, sed necessario ex olivis expressum, quod solum proprie dicitur oleum, & habetur in usu communi hominum. Unde nomen *olei* tam verè, & proprie significat oleum olivarum, quod à Conciliis, & Patribus dicitur materia Confirmationis, quàm nomen *aquæ* significat aquam naturalem, quæ est materia Baptismi, & nomina *panis, & vini* significant panem triticeum, & vinum vitigineum, quæ ex Christi institutione, ut Ecclesia semper docuit, sunt materia Eucharistiæ. Materia proxima est *unctio cum tali chrismate in fronte baptizati*. Ita expressè Doct. Subt. in 4. dist. 7. q. 1. cum cæteris Catholicis Theologis, quæ veritas definita est in Conciliis: nam Florentinum Decreto Eugenii ita loquitur: *Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod donum significat bonæ famæ, &c.* Tridentinum dicit: *Suscipiens Confirmationem per Pontificem signatur in fronte cum chrismate.*

11 His sic stabilitis, præcipua difficultas est: *An de necessitate Confirmationis sit, quod fiat chrismate mixto ex oleo, & balsamo: adeo ut, hac mixtione deficiente, essentialis materia Confirmationis non adesset, & consequenter nec Sacramentum fieret?* Circa quam aliqui Theologi apud Valentiam disp. 15. quæst. 1. dixerunt, talem mixtionem necessariam non esse, sed vel solo oleo, vel solo balsamo Confirmationem posse conferri. Unde, dicunt, utrumque per se esse materiam hujus Sacramenti, quamvis illorum admixtio necessaria sit necessitate præcepti. Alii

verò, quos citat Gonet, ut Cajetanus, Sotus, Ledesma, Caramuel, & alii plures docent, solum oleum esse de necessitate materiæ Confirmationis, necessitate Sacramenti, & mixtionem balsami solum esse necessariam, necessitate præcepti. Sed Div. Thomas in 4. dist. 7. quæst. 2. art. 2. cum D. Bonav. & Subt. Doct. dist. 7. quæst. 1. §. *Circa istam*, cum cæteris Theologis, oppositum tenent. Quare:

12 Sit nostra Conclusio: *Necessarium est necessitate Sacramenti Confirmationis, quod conferatur chrismate confecto ex oleo, & balsamo.* Probat. Tum ex Florentino supra laudato, ubi videtur docere, oleum, & balsamum æquè pertinere, ac necessaria esse ad essentiam, & substantiam Confirmationis. Tum ex Pontificali Romano, ubi jubetur, *balsamum misceri cum oleo*. Tum ex omnibus Ritualibus, & Patribus tam Græcis, quàm Latinis, qui omnes oleo cum balsamo admixto sacrum chrisma perficiendum esse docent. Nunc sic: sed non videtur credibile, quod adeo strictè, & universali talis chrismatis compositio præcipere, si tantum esset de præcepto Ecclesiastico: nec videtur probabile, quod non dispensaretur alicubi propter pretium, aut penuriam balsami: ergo. Urgetur: Oleum ad eò est de necessitate Confirmationis, ut, post definitionem Florentini, valde periculosum sit negare, oleum materiam esse necessariam hujus Sacramenti, ut docent, vel potius supponunt omnes Theologi, demptis aliquibus paucis num. anteced. pro prima opinione relatis; sed Florentinum docet expressè, balsamum eodem modo esse necessarium in Confirmatione, ac oleum; nam eodem modo loquitur de uno, ac de alio ergo.

13 Arg. 1. Ratio princeps nostræ sententiæ nititur in definitione Concilii Florentini; sed ex illo non rectè convincitur, balsamum esse

necessariam in Confirmatione necessitate Sacramenti, sed solum necessitate præcepti: ergo præcipuum fundamentum nostrum ruit. Probat. min. Idem Concilium docuit, aquam debere vino admisceri in Sacramento Eucharistiæ, sicut balsamum oleo in Confirmatione; sed talis aquæ mixtio necessaria non est necessitate Sacramenti, sed tantum necessitate præcepti: ergo. Urgetur: Innocentius III. cap. *Pastoralis de Sacramentis non iterandis* consultus, an qui confirmatus fuerat, non chrismate, sed solo oleo, debeat de novo confirmari? respondet Episcopo Hispalensi: *Duximus respondendum, quod in talibus non aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermisum*: ergo sentit, Confirmationem non esse iterandam tunc casus: sed si balsamum esset materia necessaria, debebat iterari; quia sine illo Sacramentum Confirmationis nullum esset: ergo.

14 Respondeo negando min. & majorem probationis propter *ty sic ut*. Itaque Concilium loquens de Calicis materia, non docet, esse vinum aqua mixtum, seu compositum ex aqua, & vino, sicut docet, loquens de materia Confirmationis, esse chrisma confectum, seu compositum ex oleo, & balsamo; sed docet, esse vinum de vite absolutè, & sine ulla limitatione, qui vino, seu materiæ Calicis, addit postea, *parum aquæ ratione mysterii misceri debere*: quæ verba denotant, additionem aquæ solum esse necessariam de necessitate præcepti. Unde falsum est, Concilium eodem modo fuisse locutum de mixtione aquæ cum vino in consecratione Calicis, & de mixtione balsami cum oleo in Confirmatione; eam absolutè, & sine limitatione asserat, ejus materiam, & loquitur de necessaria, esse chrisma ex oleo, & balsamo compositum. Ad urgentiam nego utramque conseq. Pontifex itaque intelligit, & vult, ut

ex illa particula *cautè* colligi possit, solemnitatem Sacramenti, seu publicas illas cæremonias Confirmationis non esse iterandas ad scandalum vitandum: sed cautè, id est, *secretè* Sacramentum hoc quoad substantialia esse iterandum. Modo quod si in Baptismo solemniter omitteretur aliquid essentialiale, reiterandæ non essent cæremonie solennes, & publicæ: benè verò reiterandum esset Sacramentum, sed *cautè*, aut *secretè*, ne sequeretur scandalum. Quod non aliud intelligat, nec intelligere possit Pontifex, patet manifestè, tum ex eo, quod ipse dixerat *de Unct. e. unico*, chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo, esse hujus Sacramenti materiam. Tum; quia si aliquid solùm accidentale, & non substantiale fuisset omissum, non diceretur, quod suppleretur, sicut non suppletur omissio positionis aquæ in Calice jam consecrato. Præterquamquod; adhuc in opposita sententia sub conditione saltem iterandum esset Sacramentum, ne maneret dubium.

15 Arg. 2. Materia Confirmationis debet esse clara, & certa, sicut est in cæteris Sacramentis: debet etiam esse communis, & facilis; sed materia à nobis stabilita non est certa: nam de illa est præsens dubium: & aliunde difficile est invenire verum, & genuinum balsamum, adeo ut multi cum Plinio putent, solum in Judæa, & Mesopotamia, reperiri: ergo. Adde, quod in primitiva Ecclesia vix credi potest, discipulos Christi, tunc valde pauperes, commoditatem balsami pretiosi habuisse. Respond. materiam Confirmationis clarè, & certò constare, ut patet ex nostra probatione. Et quod aliquis dubitet, an hoc, vel illud ingrediatur ad illius constitutionem? non est ad rem; quia etiam erga essentialiam materiam, & formam aliorum Sacramentorum plura dubia exortantur. Ad secundam partem majoris dico, sufficere pro materia hujus Sacramenti quodlibet bal-

balsamum, sive perfectum, & valde pretiosum, quale dicitur *Syriacum*, sive imperfectum, & minus pretiosum, quale reputatur *Indicum*, ubi in magna copia nascitur. Sic declaratum est à Paulo III. & Pio IV. Et quod Indicum, & Syriacum sint ejusdem, vel alterius speciei, parum refert, ut bene advertit Mastrius, sicut ad materiam Calicis sufficit vinum in genere, licet unum ab alio in colore, & aliis accidentibus spiritalibus valde distet. Nec opus est, materiam hujus Sacramenti obviam, & communem esse, uti est in aliis Sacramentis: tum, quia hæc fuit voluntas ipsius Authoris; tum; quia hoc Sacramentum non est necessarium adhuc necessitate præcepti, ut dictum est Tract. de Sacram. disp. 3. quæst. 4. Deinde, cum balsamum in modica quantitate sufficiat, uti sufficit, facile haberi potest, præsertim Indicum, quod ex India in magna copia defertur. Quare Fabianus Papa graviter reprehendit aliquos Orientales Episcopos, qui allegantes, se difficile posse habere balsamum, chrisma in tribus annis renovabant semel tantum, & iterum veteri utebantur. Per dicta patet ad ultimum; quia, non obstante paupertate Discipulorum Domini, facile potuerunt uti balsamo Syriaco; nam hic liquor abundat, vel tunc abundabat in Palestina, & præsertim cum in modica portione sufficiat. Præterea, cum Adversarii non possint negare, mixtionem balsami necessariam esse ad minus necessitate præcepti Ecclesie, ipsi tenentur solvere eandem difficultatem, cum Ecclesia nec imponat, nec imponere possit jugum grave contra Christi voluntatem, & institutionem. Nunc:

16 Quæres I. *An Confirmatio conferri possit per solam manuum impositionem sine chrismatione? Aut saltem manus impositio sit etiam materia necessaria hujus Sacramenti? Ratio dubitandi ex eo oritur, quod Apostoli per solam manuum impositio-*

nem baptizatis Spiritum Sanctum conferebant, & ita, sine aliqua chrismatione illos confirmabant. Ex quo facto videtur, manuum impositionem esse hujus Sacramenti materiam necessariam; vel nunc esse distinctum Sacramentum ab eo, quod ab Apostolis conferebatur, cum materia sit distincta, si solum adhibetur chrismatio, & non manuum impositio. Hinc aliqui antiqui cum Sirmundo dixerunt, chrismaticam unctionem non esse de essentia hujus Sacramenti, sed solum ceremoniam ab Ecclesia præceptam, subindeque ex Pontificis dispensatione posse confirmari per solam manuum impositionem.

17 Respondeo, *Unctionem chrismaticam esse necessariam necessitate Sacramenti: & nullam aliam manuum impositionem, distinctam ab ea, quæ requiritur in ipsa chrismatis unctione, esse materiam necessariam.* Demonstratur prima pars, tum ex Concilio Florentino, in quo insinuat, posse simplicem Sacerdotem in aliquo casu esse Ministrum hujus Sacramenti ex dispensatione Pontificis, ut dicitur infra num. 13. & tamen agens de illius materia, ita chrisma requirit, ut nullo modo insinuet, posse aliquando sufficere manus impositionem ex dispensatione Papæ: ergo Concilium existimavit, unctionem chrismaticam omnino necessariam esse, & non ceremoniam accidentalem, additam manuum impositioni. Tum ex inviolabili more Ecclesie Orientalis, & Occidentalis: nam Ecclesia universalis ab initio, usa est chrismate, quin in hoc aliquando aliqua varietas fuerit, ut Dionisius, Clemens, Tertullianus, alique antiquissimi Patres expressè docent; sed illi usus non fuisse adeo inviolabilis semper in Ecclesia, & à Christo determinatè institutus: ergo. Tum ex jam dictis de materia hujus Sacramenti. Secundæ pars demonstratur etiam ex Florentino decreto Eugenii, ubi dicitur: *Loco illius manus impositionis*

his Apostolicum dari nunc in Ecclesia Confirmationis Sacramentum, id est, sacri chrismatis unctionem. Confirmatur ex ritu tam Romano, quam Græco, in quibus nec hujus manus impositionis fit mentio, nec alia manuum impositio adhibetur præter chrismatis unctionem in fronte Confirmati in modum crucis. Constat denique ex Subt. Doctore 4. dist. 7. quæst. 1. in solutione ad primam objectionem.

18 Ad fundamentum oppositum respondeo ex dictis supra num. 4. & 5. Apostolos privilegio, ipsis à Christo concessio, confirmasse per manuum impositionem sine chrismate, ob rationes ibi datas. Nec sequitur, fuisse distinctam materiam ab ea, qua nunc utitur Ecclesia, nisi materialiter, & entitativè, non verò formaliter, & significativè; quia ex Christi institutione eandem significationem habet, eandemque efficaciam, & vim productivam gratiæ sacramentalis roborantis. Vel distinguo sic: esset diversa materia ex parte signi, concedo: ex parte signati, & significati, nego; quia utrobique datur gratia ad robur. Doctrina hæc amplius patebit in Ordinatione Sacerdotum in Ecclesia Græca, & Latina, Tract. 7. Nota pro aliis, quod dum aliqui SS. PP. Confirmationem vocant *manus impositionem*, ideò ab eis sic vocatur, non quia sufficiat sola manus impositio sine chrismatione, sed quia, ut Innocentius III. loquitur Cap. *Cum venisset: Per frontis chrismationem manus impositio designatur*, hoc est, *significatur*: vel quia ipsa unctio in fronte Confirmati manus quædam est impositio. Unde aliis in locis iidem PP. manuum impositionem vocant *chrismationem*. Nota denique nondum omnino compertum esse; Apostolos semper per nudam manuum impositionem confirmasse, ut constat ex dictis num. 5. Quin potius Ægidius, Bellarminus, Waldensis, & alii opinantur, usos fuisse chrismate, citantur.

tes pro se D. Clementem Romanum, D. Fabianum Papam, & alios PP. Verum judico, hoc resolvendum esse juxta doctrinam ibi datam.

19 Quæres II. *An sit de essentia Confirmationis, quod unctio fiat in fronte, & in forma crucis? Respondeo affirmativè cum D. Thoma, Bonaventura, Scoto, & cum communi consensu Patrum, & Theologorum contra paucos, arbitantes, solum esse ceremoniam ab initio Ecclesie præscriptam. Utraque pars docetur à Subt. Doct. in definitione Confirmationis adducta num. 6. & est expressa in Conc. Florentino dicente sic de unctione in fronte: *Effectus hujus Sacramenti est, ut in eo detur Spiritus Sanctus ad robur: id est, in fronte, ubi veracundia sedes est, confirmandus ungitur, ne Christi nomen, & præcipue ejus crucem, confiteri erubescat.* Ergo finis, & effectus hujus Sacramenti exigit, quod unctio fiat in fronte, & consequenter hoc est de essentia Confirmationis. *Debere fieri in forma crucis*, constat, tum ex ipso Concilio, ut per hoc declaretur, *Christianum non debere erubescere crucem Christi, quæ secundum Apostolum, Judæis fuit scandalum, Gentibus autem stultitia.* Tum, quia non verificaretur aliter illa pars formæ: *Signo te signo crucis*, ut ex se patet. Et notandum, quod prædicta unctio debet fieri immediatè manu Episcopi; nam juxta dicta, fieri debet per aliquam manuum impositionem. Et juxta ritum præscriptum in Pontificali debet fieri dextero pollice.*

QUÆSTIO III.

Quomodo sit necessarium, chrisma consecrari, aut confici ab Episcopo?

20 **D**uplici in sensu difficultas hæc promovetur. Primus sensus est: *An Episcopalis benedictio chrismatis necessaria sit necessitate*

Na

tate

rate Sacramenti? ita quod, si simplex Sacerdos, absque Pontificis commissione, chrisma consecraret, nihil faceret, aut non esset materia Confirmationis. Secundus sensus est: *An, quamvis consecratio Chrysmatis ab Episcopo ingrediatur, essentialem materiam hujus Sacramenti, per dispensationem tamen Pontificis committi possit simplici Sacerdoti?* In resolutione harum difficultatum Doctores valde dissentiunt. Cajetanus, Sotus, Paludanus, & Valentia apud Mastrius asserunt, consecrationem chrysmatis ab Episcopo solum esse necessariam ex precepto Ecclesie, ac proinde non esse necessariam necessitate Sacramenti, nec ingredi essentialiam materiam Confirmationis. Unde, juxta hos Authores, si simplex Sacerdos sua autoritate chrisma conficeret, esset vera materia Confirmationis, quamvis Sacerdos id faciens peccaret. Huic opinioni contra omnes Theologi opponuntur, asserentes, talem consecrationem invalidam fore, ac irritam, cum jure divino ad solos Episcopos pertineat. An vero ex Pontificia delegatione possit simplex Sacerdos consecrare chrisma? major est difficultas. Negant gravissimi Theologi, tam extranei cum Gonet, quam domestici cum Pontio, & Fabro. Contraria via incedunt praeclarissimi Doctores, & ex nostris Mastrius, Hiquens, Brancatus, Frassen, & alii, quibus adheret Augustinianus Berti. His scitis.

21 Conclusio I. *Necessarium est necessitate Sacramenti, quod chrisma sit consecratum ab Episcopo, saltem tamquam a Consecrante ordinario.* Est dicere, quod si talis consecratio fieret a simplici Sacerdote absque delegatione Summi Pontificis, aut Concilii Oecumenici, illud chrisma non esset valida materia Confirmationis. Est communis sententia cum Subt. Doct. 4. dist. 7. quest. 1. ubi expresse docet, materiam hujus Sacramenti esse chrisma ex oleo olivae,

& balsamo compositum, & sanctificatum specialiter ab Episcopo. Ex quo constat, quam falso, & sine fundamento pro opposita sententia ab aliquibus citetur. Probatur Conclusio urgentissimis rationibus: tum ex continua praxi Ecclesie, & Patrum unanimiter hoc chrisma appellantium unguentum sanctum, ac sacrum; sed hoc fit, & solum fieri potest, ex Christi institutione per Episcopi consecrationem: ergo. Prob. minor. ex Catechismo Romano sic dicente: *Consecratur autem chrisma solemnibus caeremoniis ab Episcopo; ita enim Salvator noster decrevisse in extrema Cena, cum chrysmatis conficiendi rationem Apostolis commendaret, Fabianus Papa docuit &c.* Quid ergo expressius? Tum ex variis Ecclesie decretis, ab Authoribus passim adductis, id ipsum experimentibus. Tum ex Florentino, docente: *Materiam hujus Sacramenti esse chrisma per Episcopum benedictum.* Denique quod Episcopus, & non alius Sacerdos sit ordinarius Minister talis consecrationis, disertis verbis traditur ab eodem Concilio, & Catechismo, sic dicentibus: *Neque enim ad alium ea confectio, nisi ad Episcopum pertinere potest, qui ejusdem Sacramenti ordinarius Minister est constitutus.* Ex quibus constat, chrysmatis consecrationem ad solos Episcopos jure divino pertinere, ipsosque solos, qui Apostolorum sunt Successores, posse ordinarie verum chrisma conficere.

22 Arg. Consecratio chrysmatis solum ex precepto Ecclesie pertinet ad Episcopum: ergo non est necessarium necessitate Sacramenti chrisma ab Episcopo consecrari, & consequenter si simplex Sacerdos chrisma consecraret, esset vera materia Confirmationis: consequitur pariter, quod talis consecratio non attinet ad Episcopos jure divino. Prob. anteced. Chrysmatis consecratio tantum est aliquid Sacramentale ab Ecclesia institutum: ergo. Prob. anteced. Eodem

chrism.

chrismate inungitur baptizandus, ac confirmandus; sed respectu baptizandi est pura caeremonia sacra, aut Sacramentale institutum ab Ecclesia, & ideo potest Presbyter illud ad Baptismum benedicere, sicut & potest etiam benedicere aquam baptismalem: ergo. Confirmatur: Juxta proloquium, *qui potest majus, potest & minus*; sed simplex Sacerdos potest efficere sublimiorem consecrationem, qualis est Eucharistiae: ergo & minorem, qualis est chrysmatis.

23 Respondeo negando utrumque antecedens, & distinguendo majorem probationis: eodem chrysmate, & eadem ratione, ac necessitate, nego: diversa valde, concedo maj. & min. & nego consequ. Disparitas inter chrysmatis, & aquae baptismalis benedictionem, & chrysmatis Confirmationis manifesta est: quia illa nec a Christo fuit instituta, nec ad Baptismum est necessaria: ideoque validus esset Baptismus, sine aqua benedicta ministratus, & sine chrysmate, quo baptizatus ungitur. Consecratio vero chrysmatis, quo confirmandus ungitur, est a Christo instituta, ut manet demonstratum, & ideo sine illa Sacramentum esset irritum. Unde illud est Sacramentale quoddam ex precepto Ecclesie, & Baptismo accidentale: istud vero est a Christo institutum, & Confirmationi essentialis. Quod enim respectu unius Sacramenti est essentialis, respectu alterius potest esse accidentale: nam in Baptismo aqua est essentialis, sed materiae calicis est accidentalis: invocatio SS. Trinitatis est essentialis formae Baptismi, & non est in aliis Sacramentis.

33 Nec verum est, benedictionem chrysmatis, quo in vertice ungentur baptizati, ex eo quod sit quoddam caeremoniale tantum, committi posse Sacerdoti ab Episcopo; quia hoc ipsum chrisma benedicere spectat ad munus Episcopale ex commu-

Tom. I,

ni consensu Patrum, Pontificum, & Conciliorum, ut patet ex Dionisio, Cyrillo, & aliis; suntque plurimi Conciliorum Canones, hoc ipsum statuentes. Nec potest hac in re difficultas superesse, ut recte animadvertit Benedictus XIV. in adnot. 184. feria 5. majoris hebdomadae. Ex quo evincitur, quod si chrisma a Presbytero benediceretur, ad ritus baptismales non esset idoneum. Ad confirmationem dico, adagium illud vim non habere in his, quae pendent ex Christi voluntate, & institutione; alioquin posset simplex Sacerdos conferre sacros Ordines, & etiam miracula patrare, quae sunt aliquid minus consecratione Eucharistiae. Vel distinguo majorem. Qui potest majus, potest minus in eodem genere actionis, concedo: in diverso, nego major. & concessa minor. nego consequentiam. Adagium convincit, quod si quis habet virtutem ad portandum pondus, ut viginti, etiam ad pondus, ut decem; quia est in eodem genere actionis, & virtutis, & nihil aliud: aliter sequeretur: *homo potest ratiocinare: ergo & volare*; quia illud magis est, quam istud. Haec veritas claret plurimis aliis exemplis. Unde mirum est, aliquos Authores tali argumento uti, quod nullius est momenti.

25 Conclusio II. *Chrysmatis consecratio ab Apostolica Sede committi potest simplici Presbytero.* Ita Theologi gravissimi citati, & alii plurimi. Conclusio suaderi solet ab eis ex eo, quod qui potest ad majus, potest ad minus; sed ex Pontificia commissione potest simplex Sacerdos confirmare, quod est quid majus, & excellentius, quam chrisma benedicere: ergo. Sed haec ratio debilissima est, ut claret ex immediatè dictis, adhuc dato, quod confirmare majus sit, quam chrisma consecrare, quod adhuc non est compertum. Suaderi etiam solet ab eis ex Concilio Toletano 1. cap. 20. ubi dicitur: *In aliquibus locis, vel Provinciis*

Nna

Pres-

Presbyteri dicuntur chrisma conficere: placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, chrisma conficere &c. Idem constare dicunt ex Conc. Brachar. & Hispal. II. Ex quo inferunt, inductam fuisse cum legitima potestate hanc consuetudinem, quam deinceps abrogant, & consequenter aliquando commissam esse Presbyteris facultatem chrisma consecrandi. Sic Hiquæus, & Mastrius. Verum hoc argumentum est debilissimum, quod sic ostendo: vel facultas conficiendi chrisma illis Presbyteris concessa fuit ab Apostolica Sede, vel non? Si concessa fuit? ergo illa Concilia, utpotè particularia, non poterant illam derogare sine consensu ipsius Pontificis, & consequenter talis abrogatio nulla foret. Si non fuit concessa: ergo cum solum ex Pontificia commissione simplex Sacerdos possit chrisma validè consecrare, illud chrisma ex ausu, vel ignorantia ab eis consecratum, non fuit materia Confirmationis, & per consequens Confirmationes fuerunt nullæ. Denique, suadet ab eis Conclusio, utpotè de mente Subt. Doct. qui in 4. dist. 7. quæst. 1. hæc habet: *Chrisma debet esse sanctificatum ab Episcopo specialiter, vel ab alio, cui talis sanctificatio poterit committi.* Sed neque hoc urget; quia hæc Subtil. Doct. ut ipse Hiquæus super litteram fatetur, non resolvit hanc difficultatem, nec de illa disputat. Intantum enim Doctoris solum est, oleum debere esse benedictum. An autem benedictio hæc fieri debeat necessario ab Episcopo, vel committi possit Presbytero? non resolvit, nec quærit, sed circa hoc merè permisivè se habet. Omitto alias rationes, quæ videntur mihi æquè insufficientes.

26 Probatur Conclusio sic: Facultas ministrandi Sacramentum Confirmationis potest committi ab Ecclesia simplici Sacerdoti, ut constabit infra quæst. 5. ergo & facultas conficiendi, & consecrandi chrisma. Prob.

conseq. Ideò non, quia consecratio chrismatis jure divino, & ex Christi institutione ad solos Episcopos attinet; sed hoc non obest: ergo. Prob. minor. Non magis declarant Concilia, Canones, & Ecclesiæ Patres, potestatem consecrandi chrisma ex divina institutione esse penes solos Episcopos, quàm ministerium Sacramenti Confirmationis conferendi; sed hoc ministerium delegari potest, non obstanti tali divina institutione: ergo quamvis consecratio chrismatis jure divino ad Episcopos solos pertineat, non obest, ut delegari possit. Confirmatur urgeter: Romani Pontifices non tantum dispensarunt cum Missionariis ad Indos profectis ut confirmarent *chrismate confecto ab Episcopis*, verum etiam ut ipsum chrisma conficerent: ergo in hac urgenti occurrente necessitate potest ab Ecclesia dispensari; etenim credendum non est, Pontificem dispensare sine legitima facultate. Antecedens constat ex Bulla Eugenii IV. edita anno 1444. viro religiosissimo, Fr. Fabiano de Bachia, Ordinis Minorum, & à doctissimo Luca Wadingo juxta Vaticanum autographum inserta tom. 5. Annal. ad prædictum annum num. 45. Unde, quamvis talis dispensationis perpauca inveniantur exempla, & plura, quæ præcipiant, ut Presbyteri confirmant chrismate ab Episcopis confecto, non ob hoc dispensandi facultas Ecclesiæ est deneganda.

27 Arg. Quod est necessarium necessitate Sacramenti, non potest ab Ecclesia dispensari; sed chrisma ab Episcopo consecrari ita est necessarium: ergo. Prob. minor. Juxta dicta, necessarium est necessitate Sacramenti, quod sit confectum ex oleo, & balsamo; sed eodem modo est necessarium consecrari ab Episcopo ergo. Major. constat ex dictis supra quæst. 2. Minor doceri videtur à Florentino, in quo absque differentia dicitur, materiam hujus Sacramenti esse chrisma ex oleo, & balsamo

con-

confectum, & ab Episcopo benedictum. Urgetur: Idem Concilium dicit, aliquando dispensatum esse cum simplici Sacerdote, ut confirmaret: addit verò, quod hoc fuit chrismate ab Episcopo benedicto. Sic ait: *Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum:* ergo videtur supposuisse Concilium, hoc esse necessitate Sacramenti necessarium. Sed quod sic necessarium est, dispensari ab Ecclesia non potest: ergo.

28 Hoc est fundamentum oppositæ sententiæ. Respondeo negando minorem utramque, vel distinguendo per doctrinam sequentem. Dico igitur, necessarium esse, & de essentia Confirmationis, quod benedictio chrismatis fiat ab Episcopo, tamquam ab ordinario consecrante, non tamen tamquam à consecrante essentiali: modo quo, necessarium est ex Christi institutione, quod Episcopus sit illius Minister ordinarius, non tamen essentialis, adeò ut nec Presbytero committi possit per Pontificis dispensationem. Unde cum Canones tam vetent, Presbyterum conficere chrisma, quàm confirmare, sicut cum Ecclesiæ dispensatione hoc potest facere, ita & illud. Quare iidem Canones accipiendi sunt, aut de Episcoporum facultate ordinaria, aut dispensatione semota: quod quidem satis innuitur à Catechismo Romano, ubi legitur: *Neque ad alium ea confectio pertinere potest, nisi ad Episcopum, qui ejusdem Sacramenti ordinarius Minister institutus est.* Nec quod Florentinum dicat, aliquando concessam fuisse facultatem confirmandi simplici Sacerdoti, oleo tamen ab Episcopo benedicto, oppositum suadet, aut officit nostræ Conclusioni; quia ex quo in casu ibi memorato facultas conficiendi chrisma non fuèrit con-

cessa simplici Sacerdoti, nequiquam probatur, non posse concedi. Casus, de quo Concilium loquitur, fuit, quando B. Gregorius Papa facultatem administrandi hoc Sacramentum Presbyteris Sardinie concessit, & non facultatem chrisma conficiendi. Et quare? quia non expedit concessionem contra jura extendere, nisi inquantum causa, & casus necessitatis eam extendi exigit. Tunc autem congruum non fuit extendi; quia commodè potuerunt Sardinie Presbyteri habere chrisma consecratum ab Episcopo quotannis, vel ex ea Urbe, aut ex aliis vicinis locis. Nec regulariter est, nec potest esse tanta necessitas dispensandi in chrismatis confectio, quàm in Sacramenti hujus administratione; quia chrisma ad quævis loca facile potest transferri: at verò Episcopus non potest haberi tam facile. Si tamen æqualis necessitas urgeret, fortè dispensatio foret æqualis. Alia argumenta videbis quæst. 5.

29 Et nota 1. Episcopum hanc delegationem facere non posse, ut Ledesma putat; nam actus hic, & idem intelligitur de delegatione conferendi Confirmationem, divina institutione competit solis Episcopis, saltem ordinariè: dispensare autem in hoc jure ad Episcopum non spectat, sed ad Pontificem, vel Concilium ab eo approbatum. Et necessitas, quæ supponitur, ut causa dispensationis, in districtum usus Episcopatus cadere non potest, cum recursus ad ipsum Episcopum semel in anno facilis sit. Requiritur ergo necessitas alicujus Regni ad minimum ex defectu Episcoporum. Nota 2. quod, etsi teneretur, quod chrismatis confectio attinet ad Episcopos jure tantum Ecclesiastico, adhuc tunc non posset Episcopus dispensare; quia nequit dispensare in lege universali totius Ecclesiæ, aut Sum. Pontificum, nec cæremonias ab Ecclesia statutas mutare, ut constat ex Tridentino Sess. 7. de Sacram.

eram. Can. 13.

QUAESTIO IV.

De forma Sacramenti Confirmationis.

30 **V**eteres Theologi paucis expediebant quaestionem de Forma hujus Sacramenti, quam Recentiorum eruditio, nedum reddidit ampliolem, verum etiam, propter opinandi diversitatem, difficiliorum, & obscuriorum. Plures cum Gonet existimant, hoc Sacramentum valide ministrari posse sub formis substantialiter diversis ab ea, qua utitur Ecclesia Romana. Alii strictius theologizantes, omnia verba formulae Ecclesiae Latinae adeo necessaria esse dicunt, ut si aliquid ipsius omittetur, Sacramentum esset nullum. Alii denique sentiunt, formulas omnes, immediatè referendas, substantialiter non differre, ac proinde quacumque ipsarum Sacramentum valide conferri, quamvis valde differant in verbis. Diversitas opinandi ortum duxit ex formulis, quibus collatum est Sacramentum Confirmationis. Etenim Constantinus Magnus in edicto, quod habetur tom. 1. Conciliorum ante Concilium Nicenum I. refert, se à Silvestro Papa, post Baptismum, sub hac forma fuisse confirmatum: *Signet te Deus sigillo fidei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in consignatione fidei.* Gelasius, juxta codicem antiquissimum Colbertinum, & Noviomensem, formulam habet istam: *Signum Christi in vitam aeternam: ad data deprecatione, confirmet te Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Apud S. Ambrosium lib. 2. de Sacramentis cap. 7. haec forma traditur: *Deus Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, ipse te unget in vitam aeternam.* Sic de aliis similibus formulis in Ecclesia Latina antiquitus usurpatis. Denique in Ecclesia Graeca haec

fuit, & est Confirmationis forma: *Signaculum doni, vel donationis Spiritus Sancti.* Supple, *est istud.* Vel subintelligitur verbum *accipe, seu donatur tibi.* His consideratis, quae veriora apparent, statuemus.

31 Dico I. Forma haec Confirmationis à Florentina Synodo expressa: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* est vera, propria, adequata, & convenientissima. Sic docetur à Florentino, à Pontificali Romano, à communi Patrum, & Theologorum, de quo nullum potest esse dubium. Eademmet forma tradita est in antiquissimis Ritualibus, quos citant Alcuinus, & Almarinus, qui floruerunt fere mille ab hinc annis. Eadem Confirmationis forma docetur à Subt. Doct. dist. 7. quaest. 1. dicens: *Forma est talis: Signo, vel consigno te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, vel sanctificationis, in nomine Patris &c.* Quod talis forma, qua utitur universa Latina Ecclesia, nec aliam adhibere potest, praesertim post Florentinam Synodum, convenientissima, & propria sit, ex eo demonstratur, quod per illam tria designantur, quae in Confirmatione reperiuntur; nam verba illa, *signo te signo crucis,* distinctè expriment signum militiae, cui confirmatus adscribitur exterius, atque character, seu signum spirituale, quo indelebiter ad Christi militiam assumitur. Per verba, *confirmo te chrismate salutis* exprimitur gratia collata confirmato ad ipsum roborandum, ut nomen Christi coram tyranno confiteatur. Insuper optimè explicat principalem causam Sacramenti, quae est BB. Trinitas. Quare audiendi non sunt, qui praeterea haec verba arbitrantur, spectare ad Confirmationis formam preces illas, quae respondent manuum impositioni, cum in decreto Eugenii forma hujus Sacramenti breviter, & dilucidè

dè explicata sit, ut notat Reginaldus Lib. de reformat. Angliae, qui extat in collect. Concil. tom. 14.

32 Dico II. Forma haec: *Accipe signaculum Spiritus Sancti,* qua in administratione Confirmationis utitur Ecclesia Orientalis, vera forma est, & sufficiens. Duplicem quasi partem continet resolutio, nimirum, quod Graeci tali utantur forma, & quod illa sit sufficiens, & vera: & utraque videtur innegabilis, quidquid non pauci velint oppositum suadere. Pro primæ partis veritate stant cum communi Theologorum Cardinalis Bessarion, & Arcudius, doctissimi Authores Graeci, & in Euchologiis, & Ritibus Graecorum peritissimi, qui expressè testantur, verba illa esse formam, qua Graeci utuntur, dum confirmant. Et Benedictus XIV. epist. 2. de nova Euchologii editione hæc habet: *Forma Sacramenti Confirmationis in Graeca Ecclesia, juxta communem, receptamque sententiam, sequentibus verbis continetur: Signaculum doni Spiritus Sancti: quæ verba pronuntiantur ab eo, qui Sacramentum ministrat, dum suscipiens fronti cum sacro unguento crucis signum imprimit &c.* Nec in hac parte amplius dubitare licet. Quod prædicta forma sit vera, & sufficiens, quæ est secunda pars assertionis, videtur etiam certissimum: Tum, quia si talis formula valida, & sufficiens non sit, in Orientali Ecclesia nulla Confirmatio jam superest: etenim Graeci, etiam Orthodoxi, nullam aliam agnoscunt. Tum, quia Clemens VIII. in Bulla de instructione Graecorum, quæ habetur tom. 3. Bullarii, meminit specialiter hujus formæ, eamque validam supponit. Tum, quia controversia hæc decisa est Romæ in Congregatione erecta ab Urbano VIII. super Euchologium Graecum examinandum: quo puncto discusso, censuit Congregatio, illam formam esse validam, ac proinde nihil immutandum in ea. Denique nec Latini, nec Florentinum Concilium, unquam inter

Graecorum errores recensuerunt, quod tali formula confirmet: imò non aham adhibent Romæ in templo S. Athanasii, id Pontifice non impediante. Ex his:

33 Dico III. *Validum est Sacramentum Confirmationis cum quacumque forma, quæ conveniat in sensu, & substantia cum illa, qua utitur Ecclesia Latina, & Graeca.* Hanc Conclusionem sic appono, ut omnis tollatur scrupulus Scholasticis illis, qui putant, irritum fore Sacramentum, si unum, vel alterum verbum formæ Eugenianæ omittatur, licet adhibeantur verba, quibus contineatur formæ hujus Sacramenti substantia. Et suppono, quod Latini omnes descriptam formulam Eugenianam tenentur usurpare, dum sive Latinos, sive Graecos, sive alterius ritus homines confirmant: & pariter Graeci sua tenentur formula uti. Probatæ ergo Conclusio: Sacramentum Confirmationis collatum fuit sub diversis formis etiam in Ecclesia Latina in prioribus sæculis, & nunc adhuc sic confertur in Ecclesia Occidentali, & Orientali, ut ex dictis supra num. 30. fit evidens; sed tale Sacramentum fuit, & est validum: ergo. Unde sequitur, quod forma significans characterem, quo miles Christi insignitur ad pugnam adversus spirituales nequitias, & simul donum Spiritus Sancti, quo corroboratur in fide, habenda est pro forma apta, & valida, nec alia magis determinata à Christo Domino est instituta.

34 Ex his constat 1. contra plures DD. quod sufficiant illa verba: *Signo te signo crucis in nomine Patris &c.* vel illa: *confirmo te in nomine &c.* quin necessarium sit necessitate Sacramenti utrumque adhiberi. Constat 2. quod licet denotatio signi crucis, & unctio in crucis figura sit de essentia hujus Sacramenti; tamen non est de ejus essentia modus exprimendi utrumque explicitè, & seorsim, ut constat ex forma Grae.

Græcorum, quæ est valida, & non reperitur in ea tanta expressio, quanta in forma Romanæ Ecclesiæ. Sic sunt intelligenda, quæ dicta sunt supra num. 19. Constat 3. contra insignissimos Theologos, non requiri necessitate Sacramenti *invocationem explicitam SS. Trinitatis*; nam in forma Græca, nec in aliquibus antiquissimis Latinis formulis, talis expressio non invenitur: sufficit invocatio implicita Trinitatis, quæ est principalis causa hujus Sacramenti, per invocationem explicitam Spiritus Sancti, cui appropriatur effectus hujus Sacramenti, ut ex Græcorum forma, quæ est valida, & ab Ecclesia Latina approbata, constat clarissime. Constat 4. Sacramentum hoc ministrari non posse formis essentialiter, & substantialiter diversis, ut vult Gonet disp. 6. de Confirmatione art. 2. in fine, judicans, formam Græcorum, & Ambrosianam etiam adductam num. 30. substantialiter distinguere ab ea, qua jam utitur Ecclesia Romana. Etenim si ita distinguerentur, facile posset probari, Sacramentum non esse idem, sed diversum, quod nunquam est concedendum. Non itaque distinguuntur substantialiter; quia essentia, & substantia formæ Confirmationis ex Christi institutione solum est, quod signet, & significet characterem, quo miles Christi insignitur, & donum Spiritus Sancti, cui effectus hujus Sacramenti appropriatur, in fide corroborativum, ut paulo supra est dictum. Cum autem omnes prædictæ formulæ hoc habeant quoad substantiam, & aliud essentialiter non sit necessarium in hoc Sacramento: sequitur, quod licet Eugeniæ forma, qua Latini utuntur, sit clarior, & expressior cæteris; tamen non est distincta ab eis *formaliter*, & *significativè*, sed tantum *materialiter*, modo quo de materia diximus num. 18. & est expressa doctrina Gonetii artic. 2. Unde mirum est, hanc doctrinam, quam de materia Confirmationis tribuit, non

applicare ejus formam.

35 Constat 5. quod dum aliqua Sacramenti forma approbetur ab Ecclesia, dubitari non posse de ejus sufficientia, cum Ecclesia, ut docet Subt. Doct. 4. dist. 6. quæst. 9. in doctrina Sacramentorum errare nequeat. Constat denique, quod quamvis Græci, dum Confirmationem conferunt, pluribus utantur unctionibus, tamen essentia hujus Sacramenti consistit in illis verbis: *Signaculum Spiritus Sancti*, quæ ab eis proferuntur, chrismando in fronte in forma crucis. Ritus Confirmationis Græcorum in Euchologio à Goario, & ab aliis similibus edito, ita describitur: *Baptizatos unguento sacro Sacerdos ungit, faciens crucis signum, primò in fronte, dicens: signaculum Spiritus Sancti, quæ verba veram exhibent Confirmationis formam. In oculis, dicens: Unctio Spiritus Sancti. In naribus, dicens: Unctio pignoris Spiritus Sancti. In auribus, dicens: Unctio participationis vitæ æternæ. In manuum vola interiore, dicens: Unctio sancti Christi Dei, & signaculum insidiis liberum. In corde, dicens: complementum doni Spiritus Sancti, thorax fidei, & veritatis.*

36 Cæterum, quamvis per actenus dicta solvi possint plura argumenta, quæ à variis Theologis, tam extraneis, quam domesticis afferuntur adversus in præcedentibus assertionibus stabilitum, placet proponere sequentem objectionem, quæ difficultatem particularem continet. Clemens VIII. in instructione de ritibus Græcorum, edita Romæ anno 1595. inserta tom. 3. Bullarii, ac confirmata à Benedicto XIV. præcipit, ut *Latini Episcopi infantes baptizatos à Presbyteris Græcis, & chrismate in fronte consignatos, confirmet: mandans, ne Confirmationem conferant illis verbis: Signaculum Spiritus Sancti, sed sub hac forma: Signo te signo crucis, & confirmo &c.* Ergo decernunt, Confirmationem, Græcorum

rum forma collatam, irritam esse, & nullam. Dico, instructionem Clementis, & à Benedicto confirmatam, directam fuisse ad Episcopos Latinos, in quorum Civitate, vel Diocesisibus Græci, aut Albanenses Græco ritu viventes degunt. Mandat itaque Pontifex in ea instructione primo, ne Presbyteri Græci baptizatos confirmet; & quod, dum baptizant, consignationem frontis, & verba, ubi habetur forma hujus consignationis, prætermittant. Græci enim solent post Baptismum immediate confirmare. Jubet 2. ut *Episcopi Latini consignatos chrismate ab illis Presbyteris Græcis* (apud Græcos etiam Presbyteri Ministri erant Confirmationis, & sine dispensatione nequeunt esse) *formula Latinorum confirmet*; quoniam Latini Ecclesiæ Latinæ conformare se debent. Præcipit 3. ut *cum cautela, & sub conditione id faciant*, nempe, *si non est confirmatus, ego te signo &c.* Hanc conditionem jubet esse ponendam; quia *verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis, qui sunt legitimi Ministri Confirmationis, fuerint baptizati*, qui statim post Baptismum confirmare solent. Ex quo negatur consequentia.

37 Dubitabis: *An Apostoli, confirmando fideles, Confirmationis formam adhibuerint?* Difficultas hæc resolvi debet juxta dicta quæst. 1. n. 4. & 5. Si enim cum Bellarmino, & Waldensi dicatur, Apostolos in Confirmatione semper chrismate usos fuisse simul cum manuum impositione, consequenter est dicendum, adhibuisse formam nostram, vel aliam similem, & in sensu equivalentem. Unde notat Aretinus, quod dum Act. 8. dicitur, quod *Apostoli oraverunt pro illis*, significatur nomine orationis forma, qua confirmabant Apostoli. Si dicatur, non semper adhibuisse chrisma, sed multoties Apostolos confirmasse per solam impositionem manuum ex Christi virtute, dispensatione, & privilegio, ut mi-

Tom. I.

hi est verisimilius, tunc dicendum est, nullam formam adhibuisse, sed solum ad manuum impositionem Spiritum Sanctum, & Confirmationis effectus fidelibus contulisse. Si dicas: ergo non conferebant verum Sacramentum Confirmationis, quod sine materia, & forma verificari non potest. Concedit Mastrius, dicens, quod licet non conferretur tunc Sacramentum, bene verò res Sacramenti, nempe, Spiritus Sanctus. Ex hoc potest dici, quod licet non esset idem Sacramentum ex parte signi, bene verò ex parte signati; quia conferebatur eadem gratia roborativa.

38 Pro pleniori intelligentia dictorum, & fortè pro aliquarum difficultatum solutione, opportunum judicavi adducere Subt. Doct. doctrinam sequentem. Scotus 4. dist. 7. quæst. 1. postquam materiam, tam remotam, quam proximam Confirmationis, & ejus formam statuit eandem omnino, quam Florentinum docet: Contra materiam, & formam simul sic sibi objicit: Christus non sic instituit, ut patet Joan. 20. quando insufflavit, & dedit discipulis Spiritum Sanctum, & similiter Act. 2. quando misso Spiritu Sancto in linguis igneis confirmabantur; nec etiam Apostoli tali forma utebantur, vel materia, ut patet in *Actibus*, sed impositione manuum. Respondet: dicendum, quod Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis, & id eo ipse, sive in terris, sive post Ascensionem in Cælo existens, potuit confirmare Apostolos sine tali materia, & tali forma. Cum Apostolis etiam in primitiva Ecclesia potuit dispensare; & maxime quia in Confirmatione ab eis collata erant aliqua signa sensibilia, puta, communiter descensus Spiritus Sancti super confirmatos, & donum linguarum. Sed tamen cessantibus talibus miraculis, Ministri debuerunt hanc materiam, & hanc formam servare. Hæc ad litteram Doct. Subt.

39 Demum mihi satis probabile est,

Oo

est,

est, saltem tempore Apostolorum, quando in Confirmatione aliquam formam adhibuerunt, quod forma fuerit hæc, vel similis: *Signo te signo crucis, vel confirmo te in nomine Jesu Christi*. Et maxime hoc videtur congruum, quamdiu duravit descensus Spiritus Sancti super confirmatos per aliquod sensibile signum. Ratio est; quia cum hoc Sacramentum sit institutum, ut roborarentur baptizati ad confitendum Crucifixum, qui erat scandalum Judæis, & stultitia Gentibus, oportuit, quod conferretur in nomine ejusdem Crucifixi. Et forte propter hanc causam visibiliter dabatur tunc Spiritus Sanctus, ut fideles videntes eximios Crucifixi effectus, ipsius amore accenderentur, & ad illius confessionem roborarentur. Simili ratione propugnatum, validum fuisse Baptismum collatum Apostolorum tempore sub nomine *Jesu Christi*, ob specialem dispensationem, quæ doctrina accommodanda est in præsentia. Vide Tract. anteced. disp. 1. quæst. 8. num. 93. & sequentibus.

QUÆSTIO V.

De Ministro Sacramenti Confirmationis.

40 Satis difficilem, atque implexam reddidit controversiam præsentem varietas, qua Theologi opinantur erga Ministrum proprium Confirmationis. Nos verò brevitate possibili, & claritate, quæ veriora sunt, intendimus resolvere. Ut aptius fiat, notandum est primò, duplicem distingui Ministrum Confirmationis, nempe, *ordinarium*, & *extraordinarium*. Minister ordinarius est ille, qui ratione sui characteris ex Christi institutione completam habet facultatem ministrandi hoc Sacramentum. *Extraordinarius* est, qui non ex ratione sui characteris, & ordinis, sed ex delegata sibi licentia, & facultate Sacramentum hoc con-

fert. Notandum est secundò, facultatem ordinariam non fundari in sola jurisdictione; alias Episcopus degradatus, qui per degradationem spoliatur potestate jurisdictionis prorsus, conferre non posset validè (quamvis illicitè) hoc Sacramentum. Nec in solo Ordine, aut caractere; alioquin Episcopus quoslibet sibi non subditos non solùm validè, sed etiam licitè confirmare, & ordinare posset. Facultas igitur proxima, immediata, & expedita ad Confirmationem conferendam utramque facultatem *ordinis*, & *jurisdictionis* necessariò connotat, ut amplius apparebit num. 68. Quod dicitur de facultate ordinaria, intelligendum est pariter, & adhuc potiori titulo de extraordinaria.

41 His suppositis, plures sunt sententiæ, tam erga Ministrum ordinarium, quàm extraordinarium Confirmationis. Ex his una, & quidem erronea, & hæreticalis docuit, Presbyterum quemlibet Ministrum esse ordinarium, & legitimum hujus Sacramenti. Alia defendit, solum Episcopum esse ordinarium Ministrum, in quam veritatem Catholici omnes conveniunt. Altera sustinet, ita Episcopum solum esse Ministrum Confirmationis divino jure, ut nec Summus Pontifex possit illam facultatem delegare simplici Sacerdoti. Alia contendit simplicem Sacerdotem per dispensationem solius Pontificis validè, ac licitè posse Sacramentum Confirmationis ministrare. Denique, sunt qui dicant, Presbyterum posse esse talem Ministrum, non solùm ex Pontificia delegatione, sed etiam ex Episcopali, dummodò id non resistat, aut prohibeat Sum. Pontifex. Sit ergo.

42 Conclusio I. *Simplex Sacerdos non est Sacramenti Confirmationis Minister ordinarius*. Est de fide contra plures Hæreticos, contententes, quoslibet Sacerdotes esse Ministros ordinarios hujus Sacramenti. Hujus errori principium dedit

Photius, Sedis Constantinopolitane iniquus Invasor, Græcorumque Schismaticorum miserabile caput. Hic enim, quia Legati Nicolai I. in Bulgariam missi Confirmationem factam à Presbyteris, quos ipsemet Photius deputavit, & quibus unguentum à se benedictum misit, autoritate Apostolica reprobaverunt, & Bulgarorum Gentem iterum confirmarunt, indignari, & furere, cœpit; & adversus Ecclesiam Latinam insurgens, ut ostenderet, confirmatos à Presbyteris non debuisse iterum confirmari, conatus est ostendere, Presbyterum esse Confirmationis legitimum Ministrum, ac proinde suorum Presbyterorum Confirmationem non irritam, sed validam fuisse. Hinc conatus est Photius Ecclesiam Latinam impetere nonnullis accusationum capitibus, ut refert Baronius in Ecclesiasticis Annalibus, & alii eruditissimi Authores. Hanc erroneam sententiam infensi Ecclesie Romanæ hostes arripuerunt Valdenses, Hussitæ, Lutherus, Kemnitius, Calvinus, & cæteri Novatores: & Armæcanus etiam ad Diaconos eam potestatem extendit. Contra hos omnes definitum est in Concilio Constantiensi, in Florentino, & in Tridentino, Conclusionem sequenti adducendis. Huic catholico sentire adhærent omnes SS. PP. tam Græci, quàm Latini, de quo stant Sum. Pontificum plures Decretales.

43 Conclusio II. *Solus Episcopus est Minister ordinarius Confirmationis ex Christi Domini institutione*. Sic definitum est in Concilio Constantiense contra Sectarios supra memoratos, & nominatim contra Wiclephum. Et in Florentino decreto Eugenii IV. dicitur: *Ordinarius Minister est Episcopus, & cum cæteras unctiões simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre*. Et in Tridentino Sess. 7. Can. 3. sic statuitur: *Si quis dixerit, sanctæ Con-*
Tom. I.

firmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemlibet simplicem Sacerdotem, anathema sit. Et ut appareat, Novatores Hæreticos, hoc munus simplicibus Sacerdotibus committentes, in manifesto errore versari, breviter demonstrabo, Ecclesiam Christi universalem, & Romanam, quæ reliquarum est Magistra, & Mater, semper docuisse, ordinarium Ministrum hujus Sacramenti solum esse Episcopum. Demonstratur itaque 1. ex Sac. Scriptura: nam Act. Apost. cap. 8. legitur, Petrum, & Joannem missos fuisse in Samariam, ut baptizatos à Philippo Diacono confirmarent, & per manus impositionem Spiritum Sanctum conferrent; sed nulla alia ratio hujus peregrinationis, & missionis reddi potest, nisi quia munus confirmandi creditum fuit à Christo Domino solis Apostolis, atque Episcopis eorum successoribus: ergo. Minor adeò certa est, ut expressè doceatur à Patribus Græcis, inter quos Chrysostomus hom. 18. in Acta Apostolorum, dicens: *Hujusmodi donum Philippus non habebat: ideò baptizans, Spiritum Sanctum non dabat: hoc namque donum, & facultas, solis Apostolis datum erat. Virtutem quidem acceperant (Diaconi, & Discipuli) faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum*. Eademmet expressione loquitur Isidorus Peluslata Epist. 45. ad Antiochum. Idem proferunt testimonium Patres Latini, Hieronymus Dialogo contra Luciferianos cap. 4. Augustinus Lib. 15. de Trin. cap. 26. & sic de cæteris.

44 Demonstratur 2. ex Epistola Cornelli Papæ ad Fabium Antiochenum, scripta circa medium sæculi 3. & ex Epistola Leonis I. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ; & alias Pontificum Epistolas Decretales omittendo, satis sit referre verba Innocentii I. Epist. ad Decentium, Episcopum Eugubinum cap. 3. ubi sic dicitur: „ De consignandis ve-

ro infantibus; manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo, fieri licere. Nam Presbyteri, licet secundi sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificium solis deberi Episcopis, vel ut consignent, vel Paracletum Spiritum tradant; non solum consuetudo Ecclesiae demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit, Petrum, & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Eandem suadent veritatem variae rationes congruentiae, quae uniformiter adducuntur a Doct. Angelico hic art. 11. & a Serap. dist. 7. art. 1. quest. 3. quarum una est, quod Episcopus sit in statu perfectionis, & Confirmatio sit perfectio, & consummatio Baptismi: ideoque proprium munus Episcopi est fideles hoc Sacramento perficere, seu Christianos perfectos constituere. Alia est, quod fideles per hoc Sacramentum adscribuntur militiae Christi. Cum autem Episcopus sit in Ecclesia, veluti Dux in exercitu, & ad Ducem spectet conscriptio militum, fideles adscribi debent Christi militiae per Episcopum. Mitto alias; quia nulla fortior assignari potest, quam Christi voluntas, & suae Ecclesiae invariabilis perpetua doctrina.

45 Arg. 1. adversus utramque Conclusionem pro Photio, & Novatoribus Haereticis: Ille est ordinarius Minister Confirmationis, qui Episcopo absente, confirmare potest, vel jussus ab Episcopo praesente; sed juxta plures Ecclesiae Canones, Presbyter, absente Episcopo, vel ab eo praesente jussus, potest confirmare: ergo est ordinarius Minister hujus Sacramenti, & consequenter Episcopus solus non est talis Minister. Prob. minor. ex Concilio Romano sub Martino Papa Can. 11. sic statuente: *Presbyter, praesente Episcopo, non signet infantes, nisi ab Episcopo fuerit illi praecip-*

tum. Et ex Arausicano 1. Can. 2. *si desit Episcopus, a Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placet.* Et ex Toletano 1. Can. 20. *statutum verò est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo; praesente verò, non, nisi ab eodem fuerit praecipitum.* Item, Concilium Carthaginense II. & III. *ne chrisma conficiatur a Presbyteris.* Ex quo infert Dallæus, quod ante illud tempus, quod fuit usque ad annum 397. Presbyteri conficiebant chrisma, ideoque & confirmabant. Deinde Concilium Hispalense II. anno 619. Can. 7. declaravit, chrismationem Presbyteris esse prohibitam *novellis, & Ecclesiasticis regulis*; ergo non antiquitus, non divino jure, non Christi institutione, nec consuetudine profecta ab Apostolis. Ergo jure ordinario id competebat Presbyteris, eisque de facto non competit ex sola Ecclesiae prohibitione.

46 Respondeo, allatas definitiones Conciliorum, aliasque similes, nihil probare adversus nostras assertiones, si concedatur, illarum vi, & antea vi aliorum Canonum, & Ecclesiae constitutionum collatam fuisse Presbyteris confirmandi potestatem, quam jure ordinario nequaquam habuerint. Unde negatur major, quam videtur concedere Frassenius, & concessa minori, negatur consequentia. Non itaque sequitur: Presbyteri, absente Episcopo, vel de ejus jussu, confirmabant: ergo illis ordinario jure competebat. Deinde praedicti Canones nihil Adversariis favent, multumque errant illi, qui ubicumque audiunt nomen *chrismatis, consignationis, aut unctionis*, statim intelligunt Sacramentum Confirmationis. Et pro pleniori intelligentia solutionis observari debet, Haereticorum reconciliationem pluribus in locis antiquitus fieri *unctione chrismatis*, quae non erat *Sacramentalis*, sed tantum erat signum reconciliativum, quae fiebat a Presbytero, absente Episcopo, vel

de ejus jussu, & de hac chrismatione loquitur Concilium Arausicanum. Deinde, hodie in Ecclesia Catholica tres sunt unctiones, aut chrismationes, quae in usu non fuerunt semper. Prima fit ante Baptismum in pectore, & humeris baptizati cum oleo Catechumenorum. Secunda fit in vertice baptizati cum chrismate, & haec non erat in usu, quando Confirmationis Sacramentum ministrabatur una cum Baptismo. Tertia est consignatio in fronte, in qua Sacramentum Confirmationis consistit.

47 Chrismatio itaque *verticalis* instituta fuit a Silvestro Papa, ut scribit Hugo Victorinus lib. de Sacram. cap. 3. & testatur Damasus in vita Silvestri, his verbis: *Hic instituit, ut baptizatum lineat Presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis.* Illo enim tempore multi post Baptismum immatura morte decedebant, quibus, absente Episcopo, Confirmatio dari non poterat. Ut autem aliquod praesidium in ultimo haberent certamine contra Daemonis tentationes ex orationibus Ecclesiae, hanc unctionem, una cum precibus, post Baptismum adhibuit. De hac *verticali chrismatione*, quae prohibita erat Presbyteris, praesente Episcopo, vel si praesente, non tamen annuente, & praecipiente, intelligendi sunt Canones laudati in objectione, in quorum nullo exprimitur *consignatio frontis*, quae est propria Confirmationis. Postremo, Canon Hispalensis non ait, Confirmationem inhibitam esse Presbyteris recentioribus tantum decretis, sed *novellis, & Ecclesiasticis regulis*, nempe, recentibus, & antiquis: explicatque, Confirmationem non ad alium, quam ad majorem Sacerdotem, seu Episcopum ex consuetudine, & traditione Ecclesiae pertinere. Ex quo negandae sunt consequentiae argumenti, & recolenda, quae num. 44. dicta manent.

48 Argues 2. D. Hieronymus in

Dialogo ad Luciferianos ait: *Episcopos ex consuetudine, non ex necessitate Ministros esse Confirmationis.* Et Epist. 85. ad Evagrium ait: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* ergo cum Presbyter possit jure ordinario alia Sacramenta perficere, nempe, Baptismum, & Eucharistiam, quae quidem perfectiora sunt Confirmatione, pariter poterit propria auctoritate Confirmationem conferre: Quod illa Sacramenta perfectiora sint Confirmatione, ex eo probatur, quod per Baptismum praestantior gratia tribuitur, fitque plena peccatorum, & reatus omnis poenae remissio: Eucharistia similiter praestantius est Sacramentum, utpotè quae in se continet verè ipsum authorem Sacramentorum. Confirmatur: Eo Episcopi soli possent legitime conferre Confirmationem, quia sunt Apostolorum successores; sed illis etiam succedunt Presbyteri: ergo confirmare possunt pari ratione. Major ex dictis fit evidens. Minor probatur: Si non essent Apostolorum successores, nec possent Corpus, & Sanguinem Christi consecrare; siquidem hoc solis Apostolis commisit, dum dixit eis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo.

49 Respondeo, quod Hieronymus dicens, Episcopos confirmare *ex consuetudine, non ex necessitate*, non intelligit illam consuetudinem, quae hominum arbitrio inducitur, sed quae traditioni Apostolicæ innixa est. Et enim eo in loco sic scribit: *Si quis, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum: disce, ex ea auctoritate descendere, quod post Ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.* Pariter, per ly *non ex necessitate legis* non intelligit, necessarium non esse, Episcopos confirmare, sed inquit, confirmare baptizatos reservatum esse Episcopali honori, non ex necessitate, hoc est, non quia sit necessarium hoc Sacramen-

mentum, sicut Baptismus necessarius est: hanc non confirmari possunt salutem consequi. Sensus igitur Hieronymi est, quod Sacramentum Confirmationis, quod non est necessarium simpliciter ad salutem, non debeat ab omnibus conferri, sicut Baptismus, sed quod illius collatio spectet dumtaxat ad Episcopos, ita disponente ad eorum dignitatis majorem honorem Christo Domino. Nec te moveat, quod dicat Hieronymus; *quid fecit Episcopus, quod non faciat Presbyter, excepta ordinatione?* Hinc enim comprimit arrogantiam cujusdam Falceidii, preferentis Diaconos Presbyteris. Ad hujus hominis vecordiam reprehendam commendat valde auctoritatem Presbyterorum, ad quorum preces Corpus, & Sanguis Christi conficitur; eosque ob hoc demonstrat valde proximos Episcopis. Ceterum omnia Episcoporum munera nequaquam illis concedit, nec hoc erat illius instituti: imò disputans contra Luciferianos disertè docet, Confirmationem reservatam esse honori Episcopali. Nec Hieronymus potest alio in sensu loqui, cum certissimum sit, quod illius etate Episcopus, præter ordinationem, aliquid faceret, quod non præstabat simplex Presbyter.

50 Deinde, & brevius, potest quamoptimè responderi, Hieronymum ita locutum fuisse, respiciendo ad consuetudinem Ecclesie Alexandrinæ, in qua tunc permissum erat Presbyteris confirmare, ut Holstenis apud Berti ostendit cap. 4. Ex quibus nego consequentiam, quæ nullatenus sequitur. Ex quo enim Presbyter possit Eucharistiam conficere, & Baptismus conferre propria auctoritate, quæ Sacramenta, propter rationes in argumento adductas, perfectiora sunt Confirmatione, inferre non licet: ergo & possunt conferre Confirmationem; aliàs sequeretur pariter, quod posset conferre Sacramentum Ordinis, quod tantæ dignitatis non est, quàm Baptismus, &

Eucharistia. Et etiam pari ratione inferre liceret, quod in casu necessitatis quilibet laicus posset confirmare, sicut potest validè, ac licitè in tali casu baptizare, quod quidem absurdissimum est.

51 Ad confirmationem distinguo minor. Presbyteri succedunt Apostolis in omnimoda participatione auctoritatis, & ministerii, nego: in potestate consecrandi, concedo minorem, & nego ejus probationem. Potestas consecrandi oritur à characterē Sacerdotali, quo accepto, quilibet est verus Sacerdos; & cuiuslibet, ut tali, tribuitur ex vi ipsius Ordinis potestas consecrandi. Hanc tribuit in nocte Cœnæ Christus Discipulis suis, quos Sacerdotes extunc instituit, & omnibus Sacerdotibus eandem dedit potestatem, utpote successoribus in ministerio Sacerdotali. In hoc succedunt Presbyteri, sed non in Apostolico, sicut Episcopi. Triplex igitur auctoritas, & status considerari potest primitus apud Apostolos. Primum enim fuerunt membra Ecclesie, & fideles, juxta quem statum omnes fideles dici possunt Apostolorum successores. Secundò fuerunt in ultima Cœna constituti Sacerdotes, & in hoc illis succedunt Presbyteri. Tertio post Domini Resurrectionem effecti fuerunt Episcopi, & ad hunc statum excellentiorem, & ampliorem soli referuntur Episcopi. Licet ergo Christiani omnes, & Sacerdotes aliqua ex parte Apostolorum successores dici possint: tamen Episcopi soli hanc appellationem, & dignitatem sibi propriè vendicant, succeduntque in auctoritate, & ministerio, quod Dominus ipsis delegavit, dum illos Episcopos instituens, illis dixit Joan. 20. *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos &c.* Quod autem sub hoc munere, & auctoritate, & non ut Presbyteri solum, Apostoli confirmarent, traditio, Concilia, & Patres unanimiter docent, ut videri est in supradictis. Doctrinam traditam firmiter corroborat S. Anacletus Papa epist.

epist. 2. ad Episcopos Italiae, sic scribens: "In novo Testamento post Christum à Petro coepit Sacerdotalis Ordo... ceteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt... qui etiam, jubente Domino, in toto Orbe dispersi Evangelium prædicaverunt: ipsis quoque decedentibus, in locum eorum successerunt Episcopi... inde ab Apostolis electi sunt 72. Discipuli, quorum typum gerunt Presbyteri, atque in eorum locum sunt constituti in Ecclesia.

51 Arg. 3. replicando: ex Actibus Apost. 9. constat, quod Ananias Paulum confirmavit per manus impositionem; nam sic dicitur: *Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, ut videas, & implearis Spiritu Sancto;* sed Ananias non erat Episcopus, juxta D. Augustinum, nec Sacerdos, juxta alios: ergo nedum simplex Sacerdos, verum etiam Diaconus, & Laicus, maximè urgente necessitate, confirmare possunt. Respondeo 1. illam manuum impositionem Ananiae non confirmatoriam, sed solum curativam fuisse, atque factam ante Baptismus, ut per eam visum reciperet, & postea per Baptismus gratiam Spiritus Sancti. Veritas hæc ex ipso textu apparet: nam versu 18. legitur: *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus, tanquam squamae; & visum recepit: & surgens baptizatus est.* Et versu 12. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Ex quo nego majorem. Fuit enim in usu temporibus primis Ecclesie imponere manus ad curandas infirmitates, & etiam ad expellendos Demones, quæ dicta est impositio manuum inarguendorum, quæ fiebat per Sacerdotes, & etiam aliquando per Diaconos: quam manuum impositionem, aliqui erroneè arbitrati sunt, fuisse Confirmationem. Resp. 2. com-

pertum non esse adhuc, quod Ananias non fuerit Episcopus; nec si fuit Sacerdos, ut judicat D. Aug. Sive enim fuerit Sacerdos, sive tantum Diaconus, indubium est, commissionem datam fuisse ei à Christo Domino, ut Paulo imponeret manus. Cum autem Christi potestas non sit ligata Sacramentis, ut dixi cum Subl. Doct. n. 38. potest Sacramentum, & ejus effectus præstare per quemcumque, & quando cumque voluerit, quod non est concessum alio, Christo Domino inferiori.

52 Pro aliquibus locis Patrum conciliandis cum nostra assertione animadvertes, plures ipsorum, dum dicunt, aut dicere videntur, Sacerdotem Confirmationem contulisse, per Sacerdotem intelligere Episcopum. Itaque nomen Sacerdotis, & Presbyteri accommodatum erat olim, sicut & nomen Senior, Episcopis, ut videri est in multis Conciliis, Tolentanis præsertim. Unde Hieronymus ad Rusticum ait: *Quoniam et ipsi Presbyteri, ut legimus, Episcopi nuncupantur &c.* D. Ambrosius in cap. 4. ad Ephes. cum dixisset, quod apud Aegyptum Presbyteri consignant, subdit: *Nam & Thimoteum Presbyterum à se (à Paulo) creatum, Episcopum vocat; quia primum Presbyteri Episcopi appellabantur,* ut recedente uno, alius succederet. Et sic alii Patres, & Doctores antiqui.

53 Conclusio III. *Etiam simplex Sacerdos potest ex dispensatione, seu extraordinaria facultate conferre Confirmationem.* Oppositum docuerunt Durandus, Major, Petrus Aurelius, Adrianus, Estius, & alii alii Theologi cum Catumsyrto, qui suæ sententiæ adeo temerè adhæsit, ut more suo delirans, nostram vocat hæreticam, ut refert Vericelli Tract. de Missionibus Apostolicis tit. 7. Quamvis autem inter Doctores controversia hæc gravis olim exarserit, tamen cum innumera hujus delegationis à Sede Apostolica Presbyteris factæ suppe,

petant exempla, non videtur hodié fas esse jam, potestatem, de qua disceptabatur olim, Summo Pontifici denegare. Sed quidquid sit de hoc, nostra assertio sequitur universim á Doctoribus cum Angelico, Seraphico, & Subt. qui hac in re nec fuit dubius, nec obscurus, nec contrarius, ut Aversa, Suarez, & Soto finxerunt, sed perspicuus, & satis clarus, ut videri est in ipso 4. dist. 7. quæst. 1. Consulatur Hiqués, mentem Scoti eruditè explanans.

54 Demonstratur primò Conclusio ex decreto Eugenii, approbante Synodo Florentina, in quo, postquam difinivit, *ordinarium Ministrum Confirmationis esse Episcopum*, subdit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*; sed his verbis licet Pontifex non definiat nostram sententiam, ut aliqui volunt, illam tamen cum Concilio approbat, & ex rationabili causa procesisse, asserit: ergo juxta mentem Florentini, simplex Sacerdos potest ex delegatione Confirmationis Sacramentum ministrare, seu esse Minister extraordinarius Confirmationis. Quod á toto Concilio approbetur, constat; quia ibi apertè testatur, quod quidquid in ipso decreto est sancitum, non nisi matura cum deliberatione, & exacta rerum discussione Patrum fuisse determinatum. Et per hoc præcluditur responsio dicentium, Concilium ibi non approbasse dispensationem aliquando factam, sed solum retulisse illam. Concilium enim dicit, Apostolicam Sedem ex rationabili causa dispensasse, ut Presbyter confirmaret: & certissimum est, non esse causam rationabilem ad conferendum Sacramentum invalidum, & nullum, quale esset illud, si Sacerdos simplex non posset esse ex delegatione Minister illius.

55 Demonstratur 2. ex facto S. Gregorii I. qui cum prohibuisset, Presbyteros Sardinia confirmare, audiens ex hac inhibitione magnum scandalum ortum esse, scripsit secundam Epistolam ad Januarium Episcopum Caralitanum, in qua revocat præfatum prohibitionem, & facultatem confirmandi simplicibus Sacerdotibus tribuit, si Episcopus esset absens. In illa enim Provincia viguit consuetudo baptizandi, & simul confirmandi infantes, sicut in primitiva Ecclesia fiebat, & significatur Act. 8. & 19. voluit verò Gregorius, quod cum Ecclesia Romana se conformarent, in qua non permittebatur, Presbyteros chrismare, seu *in fronte baptizatos signare*, quæ chrismatio, dicit, *Episcopo reservatur*. Sciens autem Pontifex, hoc suum decretum magnam produxisse in illa Insulaurbationem, & fortè dubium de validitate Confirmationis factæ á Presbyteris, illis concessit, juxta suam consuetudinem Presbyteros simul cum Baptismo *signare in fronte*, quod est confirmare. Nec dum prohibuit, anulavit factum á Presbyteris; aliás ordinasset, quod baptizati iterum signarentur in fronte ab Episcopis; in quo supponit Pontifex, illud Sacramentum validum fuisse, & consequenter potuerunt Presbyteri tototempore illius consuetudinis, & Pontificiæ permissionis validè, ac licitè Confirmationem conferre. Audiatur laudatus Pontifex in 1. sua Epist. per quam interdicit Presbyteris posse confirmare: *Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte*. Unctio in pectore, sicut & verticalis concessa est á Papa Silvestro Presbyteris, ex dictis num. 47. In 2. Epist. in qua revocat prohibitionem, sic Pontifex decernit: *Pervenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros tangere in frontibus eos, qui baptizati sunt, prohibemus*.

mus: & nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ (Romanæ) fecimus: sed si aliqui hac de re contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. Quæ verba aded clara sunt, ut per illa infringatur quæcumque Adversariorum responsio.

56 Demonstratur 3. ex usu Ecclesiæ Græcæ, in qua Presbyteri semper Confirmationem tribuerunt, & adhuc tribuunt, ex concessione Pontificia tacita, vel expressa. Nec de hac re reprehensi sunt Græci in Concilio Florentino, ut Arcudius Lib. 2. de Sacram. cap. 10. scribit: quin potius Sess. 25. videntur illam Græcorum consuetudinem approbare Eugenius, & Concilium. Hæc etiam consuetudo viguit in Ægipto, ut tradit Augustinus Lib. *veteris Testamenti*, ubi legitur: *In Alexandria, & per totum Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter*. Extant etiam diplomata Pontificia plurima, quibus concessum est Presbyteris confirmare: nam Joan. XXII. Adrianus VII. & Leo X. Fratribus Minoribus hanc facultatem pro Indis concesserunt, ut constat ex Roderico in suo Bullario. Div. Gregorius eandem facultatem concessit aliquibus Abbatibus, ut Barbosa testatur. Deinde Benedictus XIV. hanc facultatem dedit Custodi, & Guardiano Sancti Sepulchri, Ordinis Minorum de Observantia, & P. Jacobo Cremesit Ordinis Minorum, præfeto Missionum in Ægipto: ergo jam de hoc non est dubitandum. Ex quibus hanc eformo rationem: Pontifices & permiserunt, & concesserunt Presbyteris facultatem confirmandi, ut indubium est; sed sine legitima potestate id non fecerunt; aliás si concessissent defacto, quod non poterant de jure, mortaliter peccassent, & occasionem præbuisent Sacerdotibus mortaliter peccandi, seu faciendi, quod non licebat eis: ergo potest validè, ac licitè Presbyter conferre Confirmationem ex Pon-

Tom. I.

tificia commissione, & delegatione.

57 Demum Clemens VI. apud Raynaldum ad an. 1351. priusquam ad Catholicam communionem reciperet Consolatorem, Patriarcham Armenorum, certior fieri voluit, an cum Ecclesia Romana sentiret in his articulis expressis in Apostolicis litteris, ad eundem Patriarcham datis. " 1. Si credis quod per nullum Sacerdotem, qui non est Episcopus, potest chrisma debite, & ritè consecrari. 2. Si credis, quod Sacramentum Confirmationis per alium, quam per Episcopum, non potest ex officio ordinariè ministrari. 3. Si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi. 4. Si credis, quod chrismati per quoscumque Sacerdotes, qui non sunt Episcopi, nec à Romano Pontifice super hoc commissionem, seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum, vel Episcopos sint chrismandi. " Perpendantur hæc, tam pro dictis, quam pro dicendis Conclusionem sequenti; nam per illa satis apertè videntur difficultates exortas de consecratione chrismatis, & Ministro Confirmationis, decisas omninò manere.

58 Arg. 1. Plurimæ sunt constitutiones, autoritate Conciliorum, & Summ. Pontificum firmatæ, significantes, ac statuentes, non solum Episcopos solos esse Ministros Confirmationis, eò quod ipsi soli sunt Apostolorum successores, atque confirmare munus est spectans ad apicem Pontificalis dignitatis; verum etiam, quod in nullo casu possit simplicij Sacerdoti facultas confirmandi delegari, irritamque, ac nullam declarantes Confirmationem factam à Presbyteris: ergo. Antecedentis prima pars abundè constat ex dictis, præsertim 2. Conclusionem. Quoad secundam

Pp

dam

dam partem fit manifestum ex Epist. 2. Eusebii Papæ ad Episcopos Campaniæ, & Tustiæ, in qua declarat: *Sacramentum Confirmationis ab aliis perfici non posse, nisi ab Episcopis; si aliter præsumptum fuit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica umquam reputabitur Sacramenta.* Id ipsum expressit Gelasius ad Episcopos Lucaniæ, Innocentius I. Epist. 1. ad Decentium, Joannes III. Epistola ad Germaniæ, & Galliæ Episcopos, in qua probat auctoritate Act. Apost. 8. ac Pontificum, & Conciliorum, *solos Apostolos, & eorum successores Episcopos tantummodo, præcipiente Domino, illisque denuntiante, tradere posse Spiritum Sanctum per manus impositionem, cui nunc substituit consignatio in fronte.* Et denique Legati Nicolai I. missi ad Bulgaros, ejus jussu reprobaverunt Confirmationem, irritamque declaraverunt, factam à Presbyteris Bulgaricæ, & omnes iterum inunxerunt sacro chrismate: ergo Ecclesia Romana non approbat, sed positivè reprobatur facultatem confirmandi simplici Sacerdoti concessam: ergo nec ex delegatione Presbyteris fas est confirmare; alioquin nec Legati Pontificis absque sacrilegio iterum chrismasset delinitos à Presbyteris.

59 Respondeo facilè, omnia hæc, & similia de Ministro Confirmationis ordinario, qui quidem divino jure, & auctoritate propria Confirmationem confert, intelligenda esse, & accipienda; non verò de Ministro extraordinario, & delegato, qui potest esse ex Pontificis commissione, & delegatione Presbyter. Hanc expositionem Concilia, præsertim Florentinum, & Tridentinum, & Pontifices, suprema Ecclesiæ capita, nobis suppeditant, ac Pontifices illi jam laudati, qui confirmandi potestatem concessere Presbyteris, eam suo facto comprobant. Si cum Durando in 4. dist. 6. quæst. 4. dicas: *Nescio, cur non possit dici, quòd Grego-*

rius, cum fuerit homo, & non Deus, potuerit errare; scies, hoc, utpotè inferiori prolatum ore, confutatione alia non indigere. Etenim sat temerarium est, nec per somnium judicare, Gregorium, & pari ratione Joannem XXII. Adrianum VI. Leonem X. & Benedictum XIV. in re tam gravi, qualis est valor, aut nullitas Sacramenti, errasse, quando facultatem confirmandi concesserunt Presbyteris.

60 Deinde Pontifices loquuntur de Chorepiscopis, (erant simplices Sacerdotes, & inter illos præcipui) & aliis simplicibus Presbyteris, qui munus confirmandi sibi arrogabant propria auctoritate, ut constat ex Epist. Joan. 3. De his etiam Chorepiscopis loquitur Eusebius, dum volentes muneribus propriis Episcoporum fungere scripsit, *irritum esse illud Sacramentum.* Munera hæc, quæ sibi arrogabant, expressit Damasus Epist. ad Episcopos Numidiæ, dicens: *Non licet eis Sacerdotes consecrare, nec Diaconos, aut Subdiaconos, nec Virgines, nec Altare erigere, nec unguere, aut sacrare, nec Ecclesias dedicare, nec chrismam conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare.* Hoc enim, dicit, *solis Apostolis, & eorum successoribus ex proprio officio competit, non 70. Discipulis, quorum Chorepiscopi in Ecclesia speciem gerunt.* Ad Nicolaum dico, Episcopos Latinos, ejus Legatos, confirmasse Bulgaros, qui cum eorum Rege Michaële se Ecclesiæ Romanæ subjecerunt, & confirmati erant à Græcis, missis ab audaci invasore Photio, ideòque non erant legitimi Legati: & præterea consignabant in Provinciis Sedi Apostolicæ subjectis, ac Pontifice repentente, ut constat ex Epist. 70. ipsius Nicolai, ut ex Historicis plurimis refert P. Berti. Nec ex facto Innocentii III. dum Cap. de consuetudine decegnit, ut potius fideles, etiam in mortis extremo, hoc Sacramento careant, quàm illud à simplici Sacerdote ac-

ciplant; probatur, non posse ei ex legitima delegatione competere: nam sic voluit coercere temeritatem quorundam Presbyterorum, qui potestatem confirmandi sibi, & sine ulla delegatione arrogabant ausu temerario. Ut autem hanc audacem præsumptionem compesceret Pontifex, mandavit, ut hoc Sacramento carerent fideles, quàm illud petere à Sacerdotibus hujusmodi.

61 Arg. 2. Potestas confirmandi, quæ jure ordinario solis Episcopis competit, non est potestas jurisdictionis, sed Ordinis Episcopalis, in eoque Episcopali characterè fundatur: ergo qui eum characterem non habet, nullo modo confirmare potest. Antecedens constat; quia si talis potestas non fundaretur præcisè in characterè Episcopali, & potestate Ordinis, fundaretur in potestate jurisdictionis: & si ita, posset Episcopus electus, & non consecratus confirmare; nam Episcopus electus habet potestatem jurisdictionis in omni sua Diocesi, & Papa electus, & adhuc in Episcopum non consecratus, maximam habet auctoritatem, & jurisdictionem in Ecclesiam universam: & tamen neuter confirmare potest defectu ordinationis, seu characteris Episcopalis. Unde consequentia est legitima. Confirmatur: Ecclesia immutari non potest ea, quæ sunt de jure divino, & quæ spectant ad Sacramentorum essentiam, ut ab omnibus conceditur, & statuitur in Tridentina Synodo; sed jure divino, & ex Christi institutione, solus Episcopus est Confirmationis Minister, qui ad Sacramenti essentiam spectat non minus, quàm materia, & forma: ergo talis potestas non potest ab Ecclesia, neque à Pontifice delegari simplici Sacerdoti. Urgetur: Vel potestas confirmandi competit Episcopo ratione consecrationis Episcopalis, vel consecrationis Sacerdotalis? Si affirmes primum? ergo nulli committi potest Presbyterorum, ni-

Tom. I.

si prius sit consecratus in Episcopum. Si 2. ergo quilibet verus Sacerdos, saltem validè confirmabit, etsi Episcopus, & Pontifex id vetet.

62 Hæc argumentatio difficilis adeò visa est aliquibus Scholasticis, ut in ea diluenda plures insument paginas. Sed respondeo, Episcopum ex propria consecratione nascisci, ut sit ordinarius Minister Confirmationis; & hoc sive talis consecratio imprimat specialem characterem, sive sit major ampliatio, & extensio characteris Presbyteralis; & Presbyterum ex consecratione Sacerdotali, cui non inest illa characteris extensio, & amplitudo, habere, ut possit esse Minister extraordinarius Confirmationis: eo firmè pacto, quo Episcopus ex propria consecratione habet, ut Ordines conferat; Presbyter verò ex consecratione sua tantum habet ut ordinare valeat, si id Romanus Pontifex ei committat, ut suo loco dicam. Fundatur itaque confirmandi auctoritas proximè, & expeditè in potestate Ordinis Episcopalis, tamquam *Ministri ordinarii*: ita quòd Episcopus ex divina institutione ratione sui Ordinis, jure ordinario, & independentè à quocumque alio possit validè administrare hoc Sacramentum: remotè autem in characterè Sacerdotali, per quem Sacerdos simplex fit capax excipiendi per delegationem auctoritatem hanc, quæ in illo erat remota, & per delegationem reducitur ad proximam, & expeditam. Unde potestas confirmandi competit Episcopo, & Presbytero ratione Ordinis, & characteris, seu consecrationis: at verò Episcopo completè, proximè, & jure ordinario; & Presbytero remotè, incompletè, & extraordinariè, accedente, videlicet, dispensatione, & commissione Pontificia, per quam potestas illa remota fit proxima. Modo quo Sacerdos vi sui Ordinis accipit potestatem ad absolvendum radicalem, & remotam, quæ proxima fit per jurisdictionem postea illi con-

Pp 2

ces-

cessam.

63. Ex hac doctrina, dato antecedenti, distinguo consequens: ergo qui eum characterem non habet, nullo modo confirmare potest, tamquam *ordinarius* Minister, concedo: tamquam *extraordinarius*, & delegatus, nego consequentiam. Ad Confirmationem distinguo min. Sed jure divino &c. solus Episcopus est Minister *ordinarius* Confirmationis, concedo: solus, cum exclusione *extraordinarii*, seu alterius cujuscumque per delegationem, nego min. & conseq. Itaque dum Pontifex, urgente necessitate, dispensat cum simplici Sacerdote, ut confirmet, jus divinum non mutat, nec in illo dispensat, sed declarat, hanc fuisse Christi voluntatem, & institutionem, dum Episcopum *ordinarium* Ministrum hujus Sacramenti constituit: modo quo ex Christi institutione Episcopus absolvere potest à peccatis potestate ordinaria; Sacerdos verò tantum, si jurisdictionem obtineat. Nec hujus rei alia causa, aliave ratio exposci potest, quam praxis Ecclesiae, quae magistra est veritatis: qua praxi Ecclesia docet, Episcopum consecratione sua *actu* constitui Ministrum hujus Sacramenti, & Presbyterum sua consecratione acquirere potentiam, sive *aptitudinem*, ut possit constitui. Per hoc ad urgentiam dices, quòd potestas confirmandi *ordinaria proxima*, & *actualis* competit Episcopo ratione consecrationis Episcopalis; *extraordinaria*, remota, & *aptitudinalis* ratione consecrationis Sacerdotalis.

64. Conclusio IV. *Ut simplex Presbyter validè confirmare possit, necessaria est Sum. Pontificis expressa delegatio, & concessio in Ecclesia Latina, seu Occidentali: in Graeca verò, seu Orientali sufficit consuetudo per antiqua, & universim recepta, quam Sum. Pontifex aut approbet, aut permittat saltem.* Est dicere, quòd solus Papa, & nequam Episcopus, delegare potest

simplici Sacerdoti facultatem Confirmationis conferendae. Ita insigniores Theologi tam veteres, quam moderni, contra Ledesmam, Alfonsum, Basilium Pontium, quibus adhæserunt Salmeron, Layman, & summum Lucas Holstenius à P. Berti saepe laudatus. Veritas nostrae thesisi probatur quoad 1. partem, tum ex Eugenio IV, qui in Florentino refert in suo decreto de Presbyteris Sardiniensibus, aut de quibusdam aliis, aliquando hoc administrasse Sacramentum *per Apostolicæ Sedis dispensationem*, quod utique profert, ut specialis prerogativa ejusdem sanctæ Sedis: ergo satis commonstrat, ad Episcopos non pertinere talem dispensationem, nec si aliquando dispensaretur, talis Presbyteri Confirmatio valida esset. Tum; quia Patres ejusdem Concilii tamquam certum supponunt, Presbyteros ex sola Episcopi delegatione confirmare non posse, cum Ses. 25. hanc questionem proponunt Græcis: *Cur non Episcopi, sed Sacerdotes, inungant sacro chrismate?* Tum ex pluribus Pontificum constitutionibus, declarantibus, irritas, nullasque esse Confirmationes collatas à Presbyteris Latinis sibi commissione Sum. Pontificis, quin sufficiens ad hoc possit esse licentia Episcopi: eò quòd munus confirmandi pertineat ad *apicem Pontificatus*, seu ad Ordinem Episcopalem, quod utique demonstratum est. 2. Conclusionem. Quamvis autem Episcopus cuivis Presbytero, imò & Clerico committere possit, quæ sunt *jurisdictionis*, nequit tamen illis committere, *quæ sunt Ordinis*. Sic legitur de Episcopo cap. penultimo, extra de consec. *Quæ Ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare.*

65. Præterea, expendantur sequulò à Theologis, oppositum tenentibus, quæ num. 57. diximus de articulis expressis à Clemente VI. quorum unus est: *Si credis, quòd solum per Romanum Pontificem plenitudo*

dinem potestatis habentem, possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris committi? Quid expressius, quid clarius produci potest? Numquid hæc distinctiunculis eludi possunt, aut emolliiri? Si id non sufficiat, audiatur recens constitutio Benedicti XIV. Tract. de Sinodo Diocæses. *Omnino inconfesso est, irritam nunc fore Confirmationem à simplici Presbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam &c.* Constat igitur, inter Latinos nullas esse Confirmationes collatas à Presbyteris sine expressa delegatione Pontificis, cum eis interdictum sit, hoc facere, & declaratum, Episcopos non posse per se delegare.

66. Conclusio 2. pars, nempe, *in Ecclesia Orientali sufficere consuetudinem permissam ab Ecclesia*, ex eo patet, quòd Presbyteri post Baptisma immediatè conferunt pueris Confirmationem, præsertim si Episcopus non sit præsens, vel si est, eis jubet. Consuetudo hæc antiquissima est in Ecclesia Orientali, ac longè vetustior Photiano schismate. De Græcis id luculenter ostendunt Morinus disert. 2. de Sac. Confirmat. & alii præclarissimi Historici Theologi. Eundem usum invaluisse apud alias Orientales Ecclesias, testatur Ambrosiaster in Epist. Pauli ad Ephes. dicens: *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.* Author qq. nov. & vet. Test. oper. S. Aug. *In Alexandria, & per totum Ægyptum, si dedit Episcopus, consignat Presbyter.* Præterea, in Florentina Synodo hujusmodi controversia agitata est cum Græcis, & à Patribus Latinis rata existimata est Confirmatio Presbyterorum Græcorum, ut ait Gregorius Protosincellus, qui tamquam legatus Patriarchæ Alexandrini, interfuit eidem Synodo. Denique Benedictus XIV. Cons. *inter sollicitas* tom. 1. Bul. pag. 513. ait: *Deinde patientia quadam, & facilitate Sedis Apostolicæ factum est,*

ut unum, & alterum Sacramentum, scilicet, Baptismus, & Confirmatio ab eodem Sacerdote in Oriente Græcis conferretur. Eandem consuetudinem tolerat Ecclesia, ac permittit in Armenis, Syris, & Chaldæis.

67. Arg. 1. contra 1. partem: Episcopus in sua Diocesi est *Pastor ordinarius*, quemadmodum Pontifex in Orbe universo: ergo quidquid potest Sum. Pontifex in universa Ecclesia, potest Episcopus in Diocesi sua: ergo sicut Papa potest delegare simplici Sacerdoti facultatem confirmandi per universam Ecclesiam, ita & potest Episcopus in sua Diocesi: igitur in Ecclesia Latina necessaria non est expressa facultas Sum. Pontificis, ut Presbyter validè confirmare possit, sed sufficit delegatio proprii Episcopi. Respondeo, quòd licet admittatur antecedens, consequentiæ sunt falsæ. Quamvis Episcopus in sua Diocesi pastor sit *ordinarius*, habet ne plenitudinem potestatis, quam Summus Ecclesiae Pastor habet? Potest ne Episcopus demandare Presbytero, ut in sua Diocesi conferat minores Ordines, ut potest Pontifex? Potest ne *committere Clericis, tam quæ sunt jurisdictionis, quam quæ sunt Ordinis Episcopalis?* Non utique; quia id prohibent Ecclesiastici Canones cap. *Aqua extra de cons. Ecclesiae, & Alt. Episcopus, quæ Ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Summus verò Pontifex potest, quia his legibus non subjicitur ff. de Legibus, L. *Princeps. q. 3. cuncta.* Unde Episcopi ea, quæ sunt solius jurisdictionis, ut judicare, excommunicare, & similia, committere possunt aliis, non habentibus jurisdictionem: ea verò, quæ sunt Ordinis Episcopalis, & autoritatis, uti est confirmare, & dictum est à num. 61. & sequent. non possunt committere, aut delegare aliis gradus inferioris. Ex quo sequitur, quòd cuilibet Episco-

potest Diœcesanus committere, quod in sua Diœcesi confirmet, eò quod non sit gradus inferioris.

68 Deinde distinguo 1. consequens: Quidquid potest &c. quoad ea, quæ potest Pontifex ratione consecrationis Episcopalis, seu Ordinis, transeat: sunt enim, qui probabiliter doceant, in consecratione Sum. Pontificis, characterem Ordinis magis extendi, quam in consecratione Episcopi; ideòque Ordinis characterem altioris gradus, & excellentiæ esse in Papa ad Episcopalem characterem: quoad ea quæ potest ratione jurisdictionis, nego consèq. Etenim committere officium confirmandi Presbytero simplici non est Ordinis, sed jurisdictionis, quam in Ecclesia supremam habet Romanus Pontifex. Quare licet confirmare non dependeat à potestate jurisdictionis, quando potestas Ordinis ad confirmandum est perfecta, & completa, qualis est Episcopalis; tamen quando ad illum effectum est solum radicalis, & incompleta, uti est in simplici Sacerdote, dependet à suprema jurisdictione, in solo Papa, vel Concilio existente. Hinc est, quod confirmare est actus Ordinis: ideòque nec Episcopus, nec Pontifex electus, & nondum Sacerdos, potest confirmare: bene tamen potest simplici Sacerdoti committere potestatem confirmandi, cum commissio hæc solum sit actus jurisdictionis: non verò alteri, qui non habeat characterem Sacerdotalem. Exemplifica in Episcopo electo, & confirmato, nondum Sacerdote, qui potest facultatem absolvendi concedere Sacerdoti, (non verò alteri non habente talem Ordinem) quod ipse facere non potest. Ex quibus nego secundam, & tertiam consequentiam. Doctrina hæc valde roboratur à Benedicto XIV. citato num. 65. qui consequenter ad ibi dicta, hæc habet: *Quamvis confirmare sit actus Ordinis Episcopalis, cujus firmitas, & validitas à Pontificis nutu non pendet; delegare tamen simplici Pres-*

bytero potestatem exercendi ejusmodi actum, potius ad jurisdictionem, quam ad Ordinem pertinet: Episcopi verò jurisdictio, sive sit immediatè à Christo Domino, sive à Summ. Pontifice, ita semper huic subest, ut consentientibus omnibus Catholicis, ejusdem auctoritate, & imperio limitari, atque ex legitima causa, omnino auferri possit &c

69 Arg. 2. adversus secundam partem: Sacerdotes Græci validè conferunt Sacramentum Confirmationis; sed non ex concessione Romani Pontificis; nam nullibi constat de tali concessione: ergo solum ex sui Episcopi delegatione, & consequenter permissio Pontificia necessaria non est. Nego minorem: nam, ut Arændius ait, tutissimum est dicere, Presbyteros Græcos per suos Antistites facultatem hanc à Summo Pontifice obtinuisse, vel expressè, vel tacitè, id, nempe, consentiente. Præterea, Apostolica Sedes probavit Synodum Ruthenorum celebratam Zamosciæ an. 1720. in qua hæc leguntur: *Sacramentum Confirmationis, quod Parochi in Orientali Ecclesia extraordinario jure, & delegata ab Episcopo facultate, ex Apostolica Sedis dispensatione, statim post Baptismum administrare solent &c.*

QUÆSTIO VI.

De subjecto, & necessitate Sacramenti Confirmationis.

70 **C**ontroversiæ, quæ hinc excitari solent, non sunt gravis ponderis, & momenti, ideòque discutientur breviter. Et pro primæ partis quæstionis resolutione, noto 1. suscipientem Confirmationem debere esse hominem baptizatum, cum Baptismus sit janua Sacramentorum. Hinc cum S. Bonifacius scripsisset ad Zachariam Papam, Sacerdotem quemdam in Scotia docere, hominem per solam Confirmationem Christianum fieri posse, & illam ante Baptismum

va-

validè recipere, respondet Pontifex: *Qui hoc dixit, vacuus est Spiritu Sancto, & alienus à gratia Christi, & à consortio Sacerdotali abjiciendus.* Pro secundæ partis resolutione, noto 2. necessitatem suscipiendi Sacramentum, aliam esse mediæ, aliam præcepti, vel divini, vel Ecclesiastici, de quo sufficiunt dicta Tract. de Sacram. disp. 3. quæst. 4. quæ hinc sunt recolenda. Necessitas verò præcepti attendi potest, vel respectu totius Ecclesiæ, seu communitatis fidelium, vel respectu cujuslibet particularis tantum; nam plura necessaria sunt respectu communitatis, aut totius Ecclesiæ, quæ non sunt respectu hujus, & illius particularis. His animadversis:

71 Dico 1. *Subjectum capax Sacramenti Confirmationis est quilibet, & solus baptizatus, sive ante, sive post usum rationis; congruum tamen est, usum rationis spectare ad ejus receptionem.* Est communis apud Theologos. Triplicem partem continet resolutio, in quarum 1. stabilitur, subjectum Confirmationis esse solum hominem baptizatum, quod constat; tum ex praxi Ecclesiæ ab Apostolis derivata, juxta quam baptizatis tantum dederunt, & modò dant Antistites Spiritum Sanctum. Unde Confirmatio à Conciliis, & Patribus dicitur *consummatio, & perfectio baptizatorum.* Tum; quia prius est hominem nasci spiritualitèr, quod per Baptismum fit, quam augeri, & roborari, quod consequitur per Confirmationem. Tum denique propter dicta 1. notabili n. antecedenti. Cum autem omnes baptismate initiati idonei sint ad recipiendum characterem Confirmationis; quippe omnes adversus spirituales nequitias, adversus Christi hostes, adversus humanæ naturæ imbecillitatem corroborari debent, sequitur, quod in quacumque ætate possunt confirmari. *Congruum autem esse, spectare in confirmandis usum rationis, (nisi ob urgentem aliquam causam aliter Episcopo videatur) constat ex*

Catechismo Romano cap. 3. sic dicente: *Si duodecimus annus spectandus non videatur, usque ad septimum certè hoc Sacramentum differere maxime convenit.* Pariter in Romano Pontificali statuitur, ut doctrinam Christianam sciat confirmandus. Et Synodus Coloniensis sub Paulo III. ann. 1536. Mediolanensis sub Paulo IV. aliæque Synodi statuerunt, pueros esse consignandos septenes, vel grandiores. Ratio est, aliis apud Theologos videndis omissis, quia stante jam usu rationis aptius disponetur ad fructum Sacramenti: majusque est gratiæ donum, & tenatius inhaerens, quod proprio mentis motu, ac prævia præparatione suscipitur. Unde si prioribus sæculis statim post Baptismum confirmabantur infantes, hoc fuit, quia ut plurimum Episcopi aderant Baptismo solemni, & quia, persecutionibus grassantibus, facilius poterant baptizati subire pericula mortis, tam spiritualis, quam corporalis.

72 Oppones: Ex Act. Apost. 10. constat, quod prius, quam plures baptizarentur, descendebat super eos Spiritus Sanctus; sed non descendebat, nisi per Confirmationem; ergo antequam baptizarentur, confirmabantur; ergo subjectum capax Confirmationis non est solus homo baptizatus. Prob. maj. ex D. Petri verbis: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos? & jussit eos baptizari:* ergo prius quam baptizarentur &c. & consequenter Confirmatio non supponit Baptismum. Contra secundam partem, nempe, ante rationis usum hominem posse confirmari, opponuntur dicta in Conclusionem ex Catechismo, Pontificibus, & Synodis decretis, quibus stantibus, saltem licitè, parvulus nequit confirmari. Adversus tertiam partem stat praxis Ecclesiæ Græcæ, quæ fuit etiam antiquitus Ecclesiæ Latinæ; imò & in primævis sæculis in universa Ecclesia parvuli im-

me-

mediatē post Baptismum chrismate signabantur, ut pluries demonstratum manet: ergo congruum non videtur, usum rationis spectare ad Confirmationem: quin potius procederet sic contra Ecclesie praxim ab Apostolorum ætate.

73 Respondeo, ex Sacro Textu constare, Spiritum Sanctum descendisse super Cornelium, & alios ante Baptismum: at verò descensus ille intelligi potest per gratias actuales vocationis, & illuminationis, quibus instruerentur in principiis Fidei Christi, & non de descensu Spiritus Sancti per gratiam propriam hujus Sacramenti: de illaque loquebatur Petrus, & non de hac: vel si de gratia sanctificante, & corroborante intelligatur, eò quòd jam per contritionem erant baptizati in voto, dicendum est, hoc fuisse per extraordinariam Christi virtutem, & privilegium quoad effectus Confirmationis; sicut de adventu Spiritus Sancti in die Pentecostes dicitur de Apostolis, & de aliis, tam adultis, quàm parvulis, qui erant cum ipsis, ut legitur Act. 2. non verò intelligi potest de vera receptione Sacramenti, quòd sine materia, & forma validè ministrari non potest, & quæ tunc non adfuit. Ex quo minor distingui potest, vel negari; & etiam consequentiæ. Ad 2. dico Canones illos non fuisse præceptivos, sed consiliativos, & ad disciplinam pertinentes, atque ita esse receptos. Et ad summum obligasse Ministros, quibus fuerunt impositi, quoad licitam ministrationem. Ad 3. dico, Ecclesiam, decursis temporibus, & circumstantiis, ac motivis variatis, sic disposuisse, sicut convenienter plura disposuit, & variavit, Græcis relicta in sua consuetudine, ac eam etiam rationali causa permittente. Unde negatur consequentia. Nec prohibitum est ullo præcepto, infantes confirmare: imò si propter Episcoporum paucitatem, infirmitatem, aut aliam similem rationem, seu si prudenter

aliter judicetur fieri oportere, non est expectandus usus rationis ad congruam Confirmationis ministratiōnem. Sic defacto Episcopi confirmare solent adultos, & simul parvulos indiscriminatim; quia sic illis videtur tunc congruum esse.

74 Si quærās: *An ægroti, amentes, & energumeni sint confirmandi?* Ad 1. respondeo affirmativè. Sic declaravit Concilium Parisiense 6. cap. 33. lib. 1. his verbis: *Infirmis, & morte periclitantibus, sicuti Baptismatis gratia succurrendum, ita in cunctanter donum Spiritus Sancti est tradendum.* Eadem fere habet Synodus Mediolanensis V. Ratio est; quia infirmi cum morte sunt luctaturi, & armari quisque debet adversus Dæmonum oppugnationes. D. Thomas benè censet, morituros consignandos esse, ut in resurrectione perfecti appareant. Ratio hæc militat, tam pro adultis, quàm pro parvulis: atque adeò non est inutile, nec inconveniēns, si etiam parvuli in mortis discrimine confirmantur, ut docent etiam Estius, Silvius, & alii quamplurimi. Et quidem consuetudo contraria potius spectat, ait P. Berti, Episcoporum commodum, quàm utilitatem decedentium: hicque Ecclesie usus fortè invaluit, aut fundatur in eo, quòd Episcopis non vacat per singulos infirmos adire; & quia præsumit, infirmum jam baptizatum esse, quòd Sacramentum, & non Confirmationis, necessarium est ad æternam salutem. Unde Melchiades Papa, qui Ecclesiam ad ann. 311. rexit, dixit: *Etsi victuris necessaria sint Confirmationis auxilia: at continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia.* Ad 2. respondeo etiam affirmativè, etiamsi sint perpetuò amentes. Est contra aliquos Theologos, inter quos Berti, dicens, amentes, si lucida habeant intervalla, in his confirmari debere: si verò perpetuò amentes sint, frustrà confirmari, cum tunc percipere non possint effectum Confirmationis. Probat

tur nostra resolutio, ex eo quòd non debent privari gratia hujus Sacramenti, nec gloria huic gratiæ correspondente: & etiam ut in resurrectione appareant perfecti, ut D. Thomas dixit. Ex quibus ratio P. Berti nullius est roboris, & negatur, non percipere effectus Confirmationis, sicut percipiunt parvuli decedentes, ipso non negante. De Energumenis etiam affirmo: nam Confirmationis robore franguntur vires Dæmonum, à quibus vexantur: refertque Gregorius Episcopus Turonensis, quemdam Christianum, chrismate delibutum, liberatum fuisse à Dæmone, ac fregisse magicas incantationes.

75 Nec quòd confirmatio detur ad roborandum, & militandum in vita spirituali, seu ad constituendum coram tyranno nomen Christi Domini, probat ministrari non posse perpetuò amentibus, & infirmis, qui ad pugnam, seu fidei confessionem non possunt preparari. Confirmatio enim non solum effectum illum habet, nec instituta est ex hoc solo fine, saltem ex generali ratione Sacramenti, sed etiam ad conferendum augmentum gratiæ, quem defacto confert subjecto in gratia existenti, quamvis aliàs incapax sit constituendi coram tyranno nomen Christi, aut militandi in vita spirituali. Præterea propter dicta num. ant. Et nota, à fortiori confirmari posse dici debere amentes, qui aliquando habuerunt usum rationis, aut lucida intervalla, & postea inciderunt in amentiam; dummodò non constet sub peccato mortali in amentiam decedisse, quòd rarò constare poterit; aut si constaret, non habuisse voluntatem recipiendi Confirmationem: nam in adulto, qui usum rationis aliquando habuit, requiritur consensus aliquis ad validam Sacramentorum receptionem. Consensus autem recipiendi Ecclesie Sacramenta, quæ ad spirituales vitam deserviunt, ut Baptismus, Eucharistia, & Confirmatio, supponendus est, si non constet

Tam. I.

tet de opposito, in omnibus; qui spiritualis vitæ perfectionem recipere possunt, & sufficit hic consensus generalis, aut interpretativus. Hinc non repugnat, quòd parvuli, & etiam perpetuò amentes, aliquorum Sacramentorum sint incapaces: Pœnitentiam enim, & Extremam Unctionem nequeunt recipere, quia nullum habent peccatum actuale, aut reliquias peccati: Ordinis pariter, ac Matrimonii sunt incapaces, eò quòd hæc duo ad peculiare vitæ genus propria voluntate ineundum attinent.

76 Dico II. *Sacramentum Confirmationis non est necessarium fidelibus necessitate medii, nec præcepti Divini, aut Ecclesiastici, per se, & directè eos obligantis.* Ita D. Thomas 4. dist. 7. q. 3. in corpore, ubi dicit, quòd *Sacramentum Confirmationis non est necessitatis, sed utilitatis.* Si autem adulti directè, & per se tenerentur sub præcepto aliquo, jam hoc Sacramentum necessitate præcepti foret necessarium. Docetur etiam à Subt. Doct. 4. dist. 17. q. 1. dicente: *Extrema Unctio est instituta à Christo, & Confirmationis Sacramentum: tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de isto, vel de illo recipiendo.* Hæc si Gonetus legisset, Scotum pro opposita sententia non citasset. Assertionem nostram defendunt communiter Theologi utriusque Scholæ, quamvis non desint plurimi, & quidem gravissimi, qui sustineant, necessarium esse necessitate præcepti baptizatis accedere ad Confirmationem, inter quos annumeratur P. Berti Lib. 32. c. 8. de *Theologicis disciplinis.* Et quidem non esse necessarium necessitate medii, ex eo fit evidens, quòd innumeri, tam parvuli, quàm adulti salvantur sine Confirmatione. Deinde, quòd fideles directè, & per se non teneantur necessitate præcepti; ex eo demonstratur, quòd tale præceptum obligans esset vel naturale, vel Divinum, vel Ecclesiasticum; sed nullum ex his

Qq

adest:

adest; ergo. Prob. min. Non est *præceptum naturale*; nam si hoc esset, maximè præceptum charitatis servandæ erga seipsum, quo unusquisque ad mediâ necessaria ad salutem obligatur: Confirmatio autem non est medium ad salutem necessarium; sed nec est *præceptum Divinum*; nullibi enim in Scriptura Sacra obligatio præscribitur Confirmationis suscipiendæ, sicut Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ: neque id colligi potest ex Traditione, quæ constet ex Conciliis, aut Ecclesiæ decretis: denique nullum de hoc apparet *Ecclesiasticum præceptum*, vel assignetur, quale sit: ergo.

77 Dico III. *Confirmationis Sacramentum necessarium est respectivè ad Ecclesiam universalem*. Sic communiter Theologi, nec ullus erit Casuistarum, qui neget. Prob. Ecclesia est Respublica ritè, ac legitimè à Christo instituta: ergo in ea destinari debent, qui eam tueantur ex munere suo, & ad hoc militent sub suis Ducibus. Nunc sic sed ad hoc genus militiæ destinantur Christiani per Sacramentum Confirmationis, & eorum Duces constituntur Sacerdotes per Ordinis susceptionem: ergo ex Christi institutione, & voluntate in Ecclesia necessariò aliqui debent esse confirmati. Patet; quia si necessariò debent esse in Ecclesia aliqui Duces, qui cæteris præsent, pari ratione necessarium est, quòd aliqui destinentur in milites, ut sub ipsis Ducibus strenuè pugnent. Sed hoc fit per Confirmationem: ergo. Ex quo inferes, quòd Confirmatio, licet nemini determinatè, & in particulari sit necessaria, sicut sunt *Baptismus, Eucharistia, & Pœnitentia*, vagè verò, & indeterminatè est aliquibus necessaria: nempe, est necessarium, aliquos in Ecclesia esse confirmatos.

78 Dico IV. *Præceptum adest de non contemnenda Confirmatione*. Huic omnes subscribere debent. Docetur

à Scotò 4. dist. 7. quæst. 2. qui non rectè intelligitur ab aliquibus, & ex nostris Dupasquier disp. 4. de Confirm. quæst. 7. Conc. 2. intelligens Doct. de præcepto Ecclesiastico Confirmationis suscipiendæ. Verba Scoti adducuntur num. 80. Difficultatis punctum stat in decidendo, quando dici debeat quis contempsisse Confirmationem? Si, nempe, ille, qui, opportunitate sibi oblata, illam non vult recipere, dicatur, illam contemnere? Et etiam illi, qui coram tyranno profiteri fidem debent, vel adversus Christianam fidem exagitantur crebris, gravibusque tentationibus. Ad quod respondeo, quòd tunc quis dicitur saluberrimæ Confirmationis contemptor, quando illam non suscipit, quia putat, hoc sibi indignum esse, aut rem puerilem, & parvi momenti: vel quæ illam spernunt, eò quòd Sacramentum chrismatis habeant, tamquam inutilem cæremoniam. Hoc quidem crimen sacrilegii, & hæresis redollet, & dicitur *contemptus formalis*, atque peccatum gravissimum est. At verò in aliis casibus, in quibus ex non susceptione Confirmationis, nec in videntibus sequeretur scandalum, nec hujus Sacramenti contemptus, non invenio præceptum obligatorium: benè verò si sequeretur; quia tunc ad scandalum, & contemptum vitandum sub mortali debet suscipere Sacramentum. Quòd autem ex pura omissione, aut non receptione Confirmationis, (seclusis aliis circumstantiis) opportunitate sibi oblata, non infertur contemnere illam, ex eo constat, quòd ex opposito sequeretur, debere etiam dici, contemnere Eucharistiæ Sacramentum, qui extra tempus Paschatis, præsertim in aliqua magna festivitate, aliis communiter illud suscipientibus, non communicaret. Et pariter de non confitente, de non jejunante extra tempus obligationis, in aliisque multis, quod quidem falsum est. Nec denique tenentur sub præcepto ad Confirmatio-

.i. nem,

nem, qui profiteri debent coram tyranno fidem; nam ut Silvius scité ait, robur, & gratia ad fidei professionem necessaria obtineri potest oratione, jejuniis, aliisque operibus bonis.

79 Oppones: Concilium Mediolanense IV. præcipit Episcopis, ut omni vigilantia curent, hoc Sacramentum sibi subditis administrari. Inter Canones perspicuum est caput *Omnes*, desumptum ex Epistola Urbani, in quo dicitur: *Omnes fideles debere confirmari, ut pleni Christiani inveniantur*. Conc. Aurelian. *Homo numquam erit Christianus, nisi Confirmatione Episcopali fuerit Christianus*. Simili voce tonare videntur D. Ambros. August. & alii PP. atque insignissimi Theologi. Respondeo, indubium esse apud omnes, hominem per Baptismum Christianum fieri, & vitam æternam consequi sine Confirmatione, ut de fide creditur in parvulis decedentibus, & non confirmatis. Non ergo necessaria est Confirmatio necessitate mediæ, sed solùm ad plenius, & abundantius consequendam gratiam, ut explicat Glossa. Nec Canones citati, & alii similes inducunt obligationem præcepti, nisi ad summum illis Prelatis, aut subditis, quibus fuerint impositi, & sufficienter promulgati; quia fuerunt Ecclesiarum particularium Concilia, quæ neutiquam obligant in universa Ecclesia, nisi ab hac sint approbata, & promulgata. Hoc est, quod solùm nos negamus, nempe, stare universale Ecclesiæ, aut Christi præceptum omnes fideles per se, & directè obligans ad suscipiendam Confirmationem, cum de tali præcepto nobis non constet. Unde Confirmatio non est necessaria ad sufficientiam æternæ salutis, nec Christianitatis; benè verò ad melius, plenius, & abundantius consequendam per majorem gratiæ plenitudinem. Quare solùm indirectè, & per accidens adest obligatio recipiendi Confirmationem: si, nempe, occurrat talis circum-

Tom. I.

stantia, quòd si quis non accederet ad Confirmationem, à prudentibus censeretur temerarium, aut oriretur scandalum, aut Sacramenti contemptus. In his casibus, jam dixi, obligatorium esse: hæc tamen obligatio non est directè, & per se, sed indirectè, & per accidens: & hoc in sensu intelligendi sunt PP. & Theologi celeberrimi.

80 Sic etiam intelligo Scotum, qui in 4. dist. 7. quæst. 2. sic loquitur: *Ad argumentum dico, quòd loquitur (Can. Melchiadis, & Aurelan.) de adulto, qui debet suscipere, id est, non contemnere, & pro tempore congruo suscipere in effectum: judicaretur enim contemptus, si omnimoda opportunitate oblata, non susciperetur*. Cùm ergo secundum Scotum, juxta dicta num. 76. nullum sit Confirmationis præceptum, sequitur, quòd dum dicit: *judicaretur enim contemptus &c.* loquitur in casu, quòd debeat suscipere Confirmationem, ut esset, si sequeretur scandalum, aut contemptus ex non illius susceptione, quod est de per accidens. Adde, quòd dum SS. PP. videntur obligationem imponere suscipiendi Confirmationem, intelliguntur de susceptione illius in voto: & per votum Confirmationis nihil aliud intelligunt, nisi voluntatem, saltem implicitam, non negligendi, neque contemnendi ipsam Confirmationem, ut Silvius super D. Thomam 3. part. art. 6. animadvertit.

QUÆSTIO VII.

De effectibus, & Cæremonis Sacramenti Confirmationis.

81 DIXIMUS Tract. I. de Sacramentis disp. 3. quæst. 1. omnia novæ legis Sacramenta, de quorum numero est Confirmatio, per se conferre gratiam sanctificantem, seu gratum hominem facientem, ex opere operato: sed cum hac differentia, quòd Sacramenta *mortuorum*,

Qq 2

quæ

quæ sunt Baptismus, & Pœnitentia, per se conferunt primam gratiam, & per accidens secundam, seu augmentum gratiæ: at verò cœtera Sacramenta, quæ dicuntur *vivorum*, per se conferunt secundam gratiam, & per accidens primam. Ibi etiam explicatur, quomodo hoc fiat, & sit intelligendum: & pariter Hæreticorum falsa fundamenta eversa conspiciuntur. Eadem disp. quæst. 4. conclus. 1. stabilimus, quod Sacramenta, præter gratiam habitualem, seu sanctificantem, operantur in suscipiente alias gratias actuales, proprias cuiuslibet Sacramenti. Et demum quæst. 5. resolutum manet, quod Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem indelebilem. His noviter perpensis, ac necessariò reproductis, brevius expediemur à difficultatibus non paucis. Pro quibus solvendis, audiendi non sunt, sed tanquam phrenetici despici debent Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Dallæus, & universim propemodè Novatores, non eo dumtaxat titulo, quod Sacramentis omnibus denegant aucter gratiæ efficientiam, sed insuper, quia fingunt, quod per manuum impositionem, quam negant esse Sacramentum, non dabatur olim nec gratia, nec Spiritus Sanctus, nec character aliquis, sed solum dona linguarum, & sanitatum: deinde verò, & ex quo illa sensibilia miracula cessarunt, desiit in quamdam catechesim, qua instruebantur in fide juvenes, & tandem in puram cœremoniam, omni fructu spiritali vacuum, finivit.

82. Dico I. *Confirmatio, præter habitualis gratiæ augmentum, in recipiente illam cum debita dispositione confert gratiam animæ roborativam, & specialia auxilia, quibus homo roboratur, & animatur, ad fidem Christianam confitendam, & fidei certamen fideliter consummandum.* Est de fide quoad omnes partes, & docetur expressè, ac eruditè à nostro Subt. Doct. 4. dist. 7. quæst.

1. De efficientia gratiæ habitualis secundæ, seu de augmento primæ, præter dicta loc. citato num. antec. constat ex PP. & Canonibus, cap. *Spiritus* dicentibus: *Baptismus plenitudinem tribuit ad innocentiam, Confirmatio augmentum præstat ad gratiam.* Et Innocent. III. *Per Confirmationem Spiritus Sanctus ad augmentum (gratiæ) datur, & robor.* De gratia roborativa, ad quam per se ordipatur Confirmatio, demonstratur ex Florentino, decreto unionis dicente: *Effectus autem Confirmationis est, quia in ea datur Spiritus Sanctus ad robor, sicut datus est Apostolis in Pentecoste, ut Christianus aucter confiteatur nomen Christi.* Sed adverte pro aliquorum solutione, quod quodlibet Sacramentum causat gratiam roborantem, sed non eandem, sed diversam, & ad fines cuilibet proprios, & distinctos destinatam. Baptismus namque roborat ad fines gratiæ filialis conservandæ: Eucharistia ad fines nutrimenti spiritualis, & sic respectivè de reliquis juxta Christi Domini voluntatem in eorum institutione: at verò gratia Confirmationis roborat ad illius fines speciales, scilicet, ad fidem Christi confitendam coram tyranno constanter, & ad gratiam, quasi militarem. Adverte 2. quod gratia roborativa distinguitur ab habituali; nam roborativa consistit in actualibus auxiliis Spiritus Sancti in occasionibus necessariis ad confitendam fidem, quæ auxilia transeunt; gratia verò habitualis est permanens. Ista non manet in peccatore, illa auxilia possunt adesse, & non semel ipsis adsunt peccatoribus cum habitu fidei.

83. Dico II. *Character impressus in Confirmatione distinctus est à Baptismali.* Supponit resolutio, Confirmationem imprimere characterem, quod, præter Hæreticos, negaverunt Armenopolus, Job Monachus, Nicolaus Cabasilà, & Gabriël Philadelphiensis, apud Arcudium in

con-

concordia Lib. 2. c. 18. Res verò definita est in Florentino, & postea in Tridentino Ses. 6. Can. 9. dicente: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima; anathema sit.* Id magis constat ex dictis de characterem Tract. de Sacramentis disp. 3. quæst. 5. Probat jam, characterem Confirmationis distinctum esse à characterem Baptismi: Tales characteres seorsim imprimuntur, & designant in Ecclesia diversos gradus: ergo & ipsi inter se differunt. Prob. ant. Ipsa Sacramenta conferuntur seorsim, ut de se patet; sed aliunde designant diversos gradus; nam character Baptismalis notat hominem formaliter Christianum, & de familia Christi, & Confirmationis character illum de militia Christi, & formaliter ejus militem: ergo. Unde licet Deus potuerit utroque notare eodem characterem, & signo, placuit ei designare per distincta signa milites, & filios, ac domesticos.

84. Quæres: *An character impressus in Confirmatione iterari possit, aut sit indelebilis, & consequenter initerabilis?* Respondeo, iterari non posse Confirmationem, atque adeo ejus characterem indelebilem esse. Est dogma Catholicum definitum in Florentino expressè, & in Tridentino supra laudato, sic prosequente: *Non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.* Theologi suas etiam rationes addunt, nempe, quod Sacramentum istud conferatur per modum consecrationis, & consecrata semel semper sic permanent. Ratio hæc quæ urgetur à Magistro in 4. dist. 7. & ab Estio in eadem dist. innititur in his, quæ ex aliis scribit præcitatus Author: *semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumat accedere.* Et notandum, illationem

hanc à Concillis, Patribus, & Theologis, uniformiter factam: *Sacramentum aliquod imprimi characterem: ergo iterari non potest*, fundari in ratione congruentiæ. Huc optimè spectat Scotus, sic loquens dist. 7. cit. „ Ratio principalis est institutio Divina: & congruentia, quia per „ illud Sacramentum Confirmationis „ instituitur aliquis in determinato „ gradu Ecclesiæ, scilicet, in gradu bellatoris: & Sacramentum insituens in gradu determinato non „ iteratur. Et adducitur congruentia, quia imprimi effectum indelebilem, scilicet, characterem. Reliqua huc spectantia, necnon Novatorum adversus characterem argumenta, videri possunt in *de Sacram.* disp. 3. quæst. 5. Ex hucusque dictis colliges, tres esse ex Christi institutione præcipuos effectus Confirmationis, nempe, *gratia habitualis, gratia Sacramentalis, & character.*

85. Et scito, morem fuisse antiquitus, & ab aliquibus Canonibus Synodorum Nationalium stabilitum, recipere Hæreticos, redeuntes ad Ecclesiam, aut impositione manus, aut unctione chrismatis, sub aliquibus verbis professivis fidei. In Ecclesia Occidentali Ariani recipiebantur impositione manus, & in Orientali unctione chrismatis: imò unctio hæc adhibita est aliquando in quibusdam Ecclesiis Occidentalibus, Galliarum præsertim, atque Hispaniarum. At verò talis Hæreticorum receptio non fuit Confirmationis iteratio, aut repetitio. Constat hæc veritas ex Stephano Papa in suo celebri decreto adversus rebaptizantes, ubi ait: *Si ergo à quocumque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Impositio autem manus in pœnitentiam, & etiam chrismatio erat *reconciliatrix*, non *confirmatoria*. Intelligitur hoc de Hæreticis venientibus ad Ecclesiam, jam validè baptizatis, & confirmatis: non autem de invalidè

dé

dé baptizatis, & consequenter invadé confirmatis, inter quos connumerabantur Bonosiati, Montanistæ, Eunomiani, Ariani Gothi, nec non & Photiani, quorum errorem retulimus supra quæst. 5. Conc. 1. De tali igitur manus impositione, aut chrismatione *reconciliativa*, & non *confirmatoria*, intelligendi sunt Cyprianus, & Augustinus Lib. 3. de *Baptismo* c. 16. dicens: *Manus autem impositio non sicut Baptismus, repeti non potest. Quid enim est aliud, quam oratio super hominem.* Sic intelligunt hos, & alios Patres insignissimi Theologi, ne dicatur, hac in re errasse, cum jam de fide sit, Confirmationem iterari non posse, ut definitum est in Ecumenicis Conciliis supra laudatis.

86 *De Cæremoniis, & Ritibus Confirmationis* agentes, non erimus prolixi; quia in superioribus difficultatibus feré omnia jamjam delibavimus, dum egimus de chrismate, atque ejus benedictione, de ministrantium, & confirmandorum conditione, ac tempore convenienti. Pariter de cæremoniis in ipsa chrismatione ab Episcopo servandis plura dicta manent num. 19. ac etiam de ritibus hucusque in Ecclesia Græca servatis num. 35. Cætera ad Episcopos pertinentia in Pontificali sunt expressa. Quare solum restat addere, servatum fuisse in Ecclesia, hoc Sacramentum solemnè religione ministrari, prædipit in Pentecoste; eó maximè quod hac die Apostoli roborati, ac confirmati sint virtute Spiritus Sancti. Deinde confirmatus, leviter ceditur alapa in maxilla ab Episcopo, dicente: *pax tecum*, ut intellegat, se *gratiæ cælestis plenitudinem consecutum esse*. Percussionis maxillæ rationem proferunt, inter alios, Catechismus Romanus, & S. Carolus Borromeus, nempe, ut confirmatus meminerit, se tamquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa pro nomine Christi perferenda: ut percutienti dexteram

prorrigat sinistram: ut Dominum imitetur, qui ante iniquorum tribunal percussus alapa invicto animo passus est injuriam. Postremò in Confirmatione interdum immutatur nomen, cujus causam reddit Synodus Buscoducensis cap. 3. num. 19. *Ut qui hæcenus non ad normam Christi Domini vitam instituit, jam abjecto nomine ejusmodi, depositoque veteri homine, & antiqua socordia, rursusque novo, ac sancto suscepto nomine, virilem in sanctè agendo constantiam perpetuò deinde præstet.* Sic refert Van-Espen in univ. jus Eccles. part. 2. lit. 3. Ob eandem omnino rem puto, morem obtinuisse, ut qui aliquod religiosum institutum amplectuntur, abjiciant nomen pristinum, quo noscant, se non amplius implicandos negotiis sæcularibus; ac sese exueantes veteri homine cum actibus suis, novum induant, & cum illo in sanctitate, & justitia perpetuò vivant.

87 *De Confirmatorum Patrinis:* Eadem dicenda sunt de patrinis, seu susceptoribus confirmandorum, quæ Tract. anteced. disp. 3. quæst. 2. n. 215. scripsimus de patrinis baptizandorum; nam de utrisque eadem est ratio, eadem Ecclesiæ praxis, & Decreta, ut dicitur de consec. dist. 4. cap. ultim. de cognatione spirituali: *De Confirmatione insuper idem judicium (ac de Baptismo) est habendum.* Unde unicus patrinus, & unica matrina sufficit respectu confirmandi sui sexus. Nullus assumi potest in hoc ministerium, qui non sit confirmatus, ut Pontificale Romanum decernit his verbis: *Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse Confirmationis patrinus.* Cognationem spiritualem Matrimonium dirimens contrahit patrinus, & matrina cum confirmato, & ejus Parentibus, quæ cognatio, nec amplius, nec ad alios extenditur. Excluduntur ab officio patrini in Confirmatione quotquot excluduntur ab illo in Sacramento Baptismi, & eodemmet Ecclesiastico jure.

re. Non pauci dicunt, patrinum Confirmationis distinctum debere esse ab eo, qui fuit Baptismi: at verò multi alii, quibus assentio, volunt, eundem posse esse patrinum, cum nulli constet de tali impedimento. Et advertit, quod Romanum Pontificale præmonuit, & Synodus Aquensis statuit an. 1585. nec mares foeminas compadres, neque foeminas viris, debere esse, quia id minimè decet: idèoque supra dixi, unicum patrinum, & unicam matrinam respectu confirmandi sui sexus sufficere; nec ullus, & alius, sicut in Baptismo, ex concessione Tridentini, pro confirmato adhiberi potest.

88 Dub. 1. *An vi suæ Regule Patribus Minoribus interdictum sit, esse compadres Confirmationis*, sicut Baptismi, per illa verba: *nec fiant compadres virorum, aut mulierum?* Suppono, quod ex cap. *Monachi de Consec.* dist. 4. Religiosis omnibus officium hoc interdicitur tam in Baptismo, quam in Confirmatione: Minoritis autem interdicitur expressè in Baptismo sub præcepto formali, & quæritur: *An idem intelligatur in Confirmatione?* Affirmant Fr. Martinus à S. Joseph. cap. 25. in fine, Corduba cap. 4. & alii. At verò prædicto regulæ præcepto nobis prohiberi patrinatum in Confirmatione, sicut in Baptismo, mihi non est admodò certum. Suadetur sic: Rationes, quibus Sanctus P. N. Franciscus potuit moveri ad nobis prohibendum fieri patrinus Baptismi, non currunt, aut verificantur in Confirmatione: ergo non videtur in sua regulâ prohiberi Minoritis compadres esse in Sacramento Confirmationis. Prob. anteced. Rationes hujus prohibitionis duæ sunt, apud nostræ regulæ Expositores: prima, quod tunc temporis, in aliquibus Provinciis saltem, compater foemina compatrinam osculabatur in signum benevolentiae, & mutui officii ab illis tunc executi. Hoc judicavit Sanctissimus Patriarcha Religiosos dedecere, atque inde posse

scandalum inter Fratres excitari, indeque expressè prohibuit. Propter hanc indecentiam fortè jus interdixerat idem omnibus Religiosis cap. *Monachi*, & cap. *Non licet*. Secunda ratio, qua moveri potuit, fuit, quod patrinus constituitur debitor curandi de spiritali salute illius, cujus est patrinus, & instruendi eum, in rebus ad fidem pertinentibus, quod Religiosus, pluribus de causis, commodè exequi non potest. Rationem 1. assignant communiter Expositores; 2. addidit noster Rodriguez, quæ nostro Navarro non displicet. Nunc sic: sed ratio 1. quæ fortassè unicè movit Serap. Patrem ad prohibitionem, locum non habet in Confirmatione, in qua non intervenit osculum matrinæ, nec umquam intervenit: deinde non est certum patrinum teneri instruere in rebus fidei confirmatum, sicut tenetur Baptismi patrinus, ut docet Laiman, Henriquez, Diana, & alii plurimi, quamvis Silvius cum aliis oppositum judicet: ergo neutra ratio locum habet in Confirmatione. Hæc dicta sint probabiliter.

89 Dub. 2. *An si non confirmatus sit patrinus in Confirmatione, contrahat cum confirmato spiritualem cognationem?* Suppono contra Dianam, peccare mortaliter, si non confirmatus scienter esset patrinus Confirmationis, cum id prohibitum sit decretis Ecclesiæ. Respondeo, quod contraheret cognationem. Ita Silvius, Silvester, Berti, & alii Authores frequenter, adversus Coninch, Victoriam, Nugnum, quos sequitur Delgadillo, quorum fundamentum est, non baptizatus non potest esse patrinus baptizati, sicut habetur cap. in *Baptismate* dist. 4. quo non obstante, si fieret patrinus, non contraheret cognationem cum baptizato: ergo pariter, non confirmatus non contraheret ullam cognationem cum confirmato. Sed nego consequentiam, & probo resolutionem ex sua doctrina: idèò non contrahitur cog-

natio spiritualis in Baptismo inter patrinum non baptizatum, & ipsum baptizatum, quia patrinus non est intra Ecclesiam, nec ejus legibus, saltem directé, subjectus; sed non confirmatus est intra Ecclesiam; nam supponitur baptizatus: ergo contrahit cognationem ab Ecclesia statutam pro fidelibus. Dicere, quod non confirmatus non est in eodem gradu, in quo constituitur is, cujus fit patrinus, res parvi momenti, ad non contrahendam cognationem, videtur.

90 Dub. 3. *An qui scienter Confirmationis Sacramentum iterato ministrat, pœnam irregularitatis, sicut rebaptizans, incurrat?* Subt. Doctor censet, bis confirmantem pœnam irregularitatis non incurrere, sicut incurrunt rebaptizantes. Doctorem sequuntur Paludanus, Gabriël, Covarrubias in *Clement. si furiosus*, Turrecremata, & plurimi alii. Ratio illius est, quia talis pœna non reperitur in jure Canonico expressé: ergo adstruenda non est. Patet: quia si in jure Canonico non invenitur expressé pœna irregularitatis pro iteratione Confirmationis, sequitur, quod non incurratur: tum, quia constitutiones pœnales restringendæ sunt, non ampliandæ; & si Legislator voluisset talem pœnam infligere pro iteratione Confirmationis, sicut Baptismi, expressisset hic, sicut ibi: Tum ex cap. de *Consec. dist. 5. dictum*, ubi nulla pœna infligitur Episcopo, iterum confirmanti, sicut nec suscipienti; sed solum decretum est, quod in Monasterio sub habitu Clericali, vel regulari religiosissime Deo famulentur. Hoc autem non est pœna irregularitatis, sed magis est oppositum, nempe, exercitium officii Clericalis. Unde cum irregularitas non incurratur, nisi in casibus jure expressis cap. *bis, qui de sent. Excom. in 6.* argumentum à simili de Baptis-

mo in materia odiosa, & pœnali non valet. Vide Scotum 4, d. 7. quæst. 5. per totam.

91 Quæres: *Utrum Sacramentum Confirmationis majus, & excellentius sit Sacramento Baptismi?* Sic Interrogaverunt Hispani Episcopi Melchiadi Papæ, qui respondet eis: *quæsisit, utrum majus esset Sacramentum manus impositio Episcoporum, aut Baptismus? Scitote, utrumque esse magnum Sacramentum.* Idem & ego respondeo: nam utrumque in sua linea est excellentissimum. Itaque quoad aliqua Confirmatio est præstantior, & quoad aliqua Baptismus. Præcellit Baptismus ratione effectus: nam per primam gratiam, quam ex se confert, delet omnia omninó peccata quoad culpam, & pœnam; filiosque Dei facit, & Regni Cœlestis hæredes per gratiam regenerationis, & sanctificationis; aperit Cœli janua, atque à morte suscitatur. At veró Confirmatio per se supponit gratiam, quam auget, & roborat in fide accepta per Baptismus, estque illius, veluti perfectio, & complementum. Sed tamen Confirmatio præcellit ratione Ministri, qui solus est Episcopus, & quidem Pontificali indutus, ratione subjecti, qui est homo baptizatus, & in gratia; ratione materiæ; nam Baptismus in aqua naturali datur, & Confirmatio in chrismate ex oleo, & balsamo confecto, & ab Episcopo consecrato. Unde cum Subt. Doct. disp. 7. quæst. 4. dicit potest, quod Baptismus ratione efficacitæ, & universalitate effectuum est simpliciter perfectior Confirmatione; ratione veró præsuppositionis, & Ministri Confirmatio est perfectior Baptismo secundum quid. Deus, qui, ut Paulus ad Cor. ait, *unxit nos, & signavit nos, & dedit signum Spiritus in cordibus nostris, dignetur confirmare, quod operatus est in nobis. Amen.*

TRAC

TRACT. IV.

DE PœNITENTIA, UT VIR- TUS EST, ET SACRAMENTUM.



MAGNUM APPONITUR MYSTÉRIUM ANTE CHRISTIANÆ mentis oculos. Curatur quidem sacro Baptismatis medicamine universalis morbus, ac deperdita humana salus in primis Parentibus virtute illius Divini Sacramenti reparatur, ut demonstratum est suo loco. At veró non ita per Baptismus morbi reliquæ radicibus evelluntur, quin recrudescant iterum, atque iterum. Unde lethalius animam inficientes, in æternum naufragium præcipitem impiagerent, nisi Pœnitentia, velut secunda tabula naufraganti feliciter occurreret, & in portum divinæ clementiæ protelaret. O immensa benignitas Conditoris, ac hujus Sacramenti Authoris! Tanta est lacrymarum prærogativa, ac pœnitentiæ vigor, ut ex teterrimo peccatore, delictis turpi, flagitiis infami, dæmonum mancipio, & reo gehennæ, innocenter, & immaculatam faciat hominem, ac prorsus defæcatum culpis, veluti secundum Baptisma, aut veluti nova redemptio hominis. Nec mirum sic nominari: nam de pœnitentiæ lacrymis S. Ambrosius lib. 6. in Lucam sic exclamat: *O bonæ lacrymæ, in quibus est redemptio peccatorum!* Non minus eleganter Chrisologus consonat, cum de Magdalena, pedes Jesu lacrymis rigante, exclamat: *O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant Cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam.* Subdit: *in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte Mulier in novum Baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum.* De hoc igitur tam stupendo beneficio, nobis Domini misericordia concessa peccatoribus, in hoc Tractatu est agendum. Illum more hucusque servato in plures Disputationes judico dividendum. Prius veró methodum in cæteris Tractatibus insequendo, censui, Sacramentum hoc principandum per id, quod de eo alloquitur Concilium Florentinum. Hoc valde opportunum esse, tam in *Prologo ad Lectorem*, quam in Proœmio de *Sacramentis in Genere*, expressum invenies. Florentinum itaque sic ait:

„ Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commissó, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis, secundum arbitrium Sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, &

Tom. I.

Rr

„ ele

„ eleemosinam. Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo &c.* Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris. Effectus hujus Sacramenti est absolutio à peccatis.

DISPUTATIO I.

DE POENITENTIA, UT EST VIRTUS QUÆDAM.

Poenitentia adeo homini post lapsum est necessaria, ut per illam gratiam recuperet deperditam, & per gratiam, tamquam per unicum medium, vitam consequatur æternam. In hac ergo Disputatione, quæ veluti prævia, & præliminaris est ad Sacramentum Pœnitentiæ, unice pertractabimus de Pœnitentia virtute: non quidem diffuso calamo, ut assolent Theologi non pauci, sed valde succincto, & brevi.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit Pœnitentia, in quantum est virtus?

Poenitentia, quatenus à Sacramento distinguitur, etymologiam, & nomen trahit à *punitio*, vel à *pœna*: ob quod *pœnitentia* sonat, quasi *pœnæ tenentia*, juxta D. Isidorum Lib. 6. *Originum*, dicentem: *Pœnitentia nomen accipit à punitio*, & est, quasi *pœnæ tenentia*, dum ipse homo pœnitendo punit in se, quod male admisit. Consonat D. Augustinus Epist. 54. scribens: *Nihil aliud agit, quem verè pœnitet, nisi ut, quod male fecerit, impunitum esse, non sinat.* Subscribit Subt. Doct. in 4. dist. 14. quæst. 1. num. 15. ubi ait: *Pœnitentiam idem esse, ac pœnæ tenentiam: pœnitere enim idem est, ac pœnam tenere.* Hæc pœnitentia est *actualis*, & *habitualis*. Actualis est ille actus, quo peccator detestatur, odit, & punit in se peccata sua. Habitualis est habitus in anima residens, & ad tales actus inclinans. Unde pœnitentia, quæ

virtus, est qualitas quædam spiritalis animæ, cujus entitas per ordinem ad objectum, in quod tendit, & ad subjectum, in quo residet, innotescere potest apertè. Præter hanc pœnitentiam, quæ est motus spiritalis animæ inclinans ad dolendum internè de peccato, est alia *exterior*, actus, nempe, quo peccator ad extra manifestat illum dolorem, & peccati sui pœnitentiam.

2. Ad pœnitentiam *internam*, ait Doctor num. 15. quatuor concurrunt. 1. Cognitio intellectus, ostendentis voluntati deformitatem, & realitatem peccati, ob quam cognitionem voluntas movetur ad vellem illud exererari, & vindicare. 2. Detestatio, & odium ipsius peccati. 3. Acceptatio voluntaria pœnæ pro illo iniectæ. 4. Ejusdem pœnæ voluntaria sustinentia, ac perpessio. *Exterior* pœnitentia duplex est, nempe, externa confessio peccati, quam comitatur verecundia, & pudor, qui est non levis animæ pœna propter tale peccatum patratum: atque omnis actus corporalis laboriosus, quo pœnitens confessus punitur, & pro crimine commisso satisfacit Deo. Hæc est doctrina

trina verissima, ac communis apud Catholicos, contra novatores Hæreticos, maxime Calvinistas, & Lutheranos, qui excludentes à pœnitentia omnem dolorem, aut odium vitæ præteritæ, illam intendunt stabilire in pura resipiscentia, seu amore justitiæ, & animo novæ vitæ instituendæ. Sic Lutherus in Epistola ad Vicarium sui Ordinis. Et describit Calvinus Lib. 3. instit. ubi declarat, nomen pœnitentiæ solum denotare mentis mutationem ac præteritæ vitæ conversionem. Prius quàm isti Hæretici, Laurentius Valla affirmavit, pœnitentiam rectè per resipiscentiam explicari. Erasmus quoties in Textu Sacro vocabulum *pœnitentiæ* reperit, toties illud per puram resipiscentiam assumit. Contra hos errores procedendo.

3. Sit Conclusio: *Pœnitentia non est nuda cessatio à peccato, aut pura resipiscentia: sed etiam est verus dolor de offensa præterita.* Unde est habitus inclinans hominem ad detestandum, & puniendum in se peccatum, si pœnitentia sit habitualis, vel actus ipsius detestationis, & pœnitentis, si sit actualis. Est doctrina omnium Catholicorum contra memoratos Hæreticos, quam per plura docet Scotus in 4. dist. 14. quæst. 1. Probatur 1. ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. in quo sic loquitur de contritione: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Hanc veritatem probat evidenter ex Ezechiele 18. & postea can. 5. prædictam Hæreticorum doctrinam expressè damnat, & anathematizat. Videtur Concilium loco cit.

4. Probatur 2. eadem veritas ex veteri, & novo Testamento, in quibus quoties fit pœnitentiæ mentio, toties dolor, ac pœna subeunda exprimitur. Job cap. ult. sic dicitur: *Ipse me reprebendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* Sed

favilla, & cinis indicant dolorem animi, & afflictionem carnis: ergo pœnitentia non solum dicit resipiscentiam, & sententiæ mutationem, nec solam vitæ instaurationem, sed etiam mœrorem, & dolorem de peccatis commissis. Lucæ 10. laudatur à Domino pœnitentia Ninivitarum; sed pœnitentia illa importabat dolorem, corporis afflictionem, & lacrymas: ergo idem, quod antea. Minor constat ex Jonæ 3. ubi legitur, *Ninivitas induisse saccos, & cinere suum aspersione caput*; sed hoc fuit, ut dolorem de peccatis suis ostenderent, & etiam, ut operibus, & exercitiis pœnalibus, & laboriosis sua peccata ulciscerentur, & pro illis apud Deum satisfacerent: ergo vera pœnitentia omne hoc includere debet: ergo non sufficit mera resipiscentia, & mutatio animi. Idem demonstratur ex Matth. 11. ubi loquitur Dominus de pœnitentia à Chorazaitis neglecta: & ex Apost. 2. Cor. agente de pœnitentia, quam Corinthii conceperant. Omitto plura sacra loca in eandem veritatem conspirantia.

5. Pro SS. PP. idem apertè docentibus, sufficiant August. lib. 50. *Homiliarum* cap. 5. ultimæ homiliæ sic dicens: *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi de his, quæ facta sunt, satisfaciatur Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosinis.* Quid clarius contra præfatos Hæreticos? Et D. Ambrosius serm. 40. dicens: *pœnitentia est amaritudo animæ, & dolor cordis pro malis, quæ quisque commisit: & idem communiter docent omnes alii Patres.* Igitur vera pœnitentiæ ratio consistit in hoc, quod homo in se puniat, & inclinetur ad puniendam in se peccata, concurrente necessario dolore, & detestatione peccati: qui dolor, & detestatio est pœna prima, & principalis illius. Denique probatur ratio

tione : nomen *pœnitentiæ* perfectam vitæ correctionem significat in omnium sensu , etiam Hæreticorum ; sed hæc correctio non est perfecta sine dolore , odio , & detestatione peccatorum , & aliqua voluntaria punitione eorum , ut per se est manifestum : ob quod dixit D. Isidorus lib. 6. Etym. cap. ult. *Pœnitentia est , quasi punientia : eò quòd homo puniat pœnitendo , quòd malè admisit...est dolentis vindicta , puniens in se , quòd dolet commississe...est pœnitenda non committere , vel admissa desistere* : ergo vera pœnitentia essentialiter dicit dolorem , detestationem , & peccati punitionem.

6 Arguunt Hæretici : nam Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 24. inquit : *per pœnitentiam nihil a iud intelligitur , quàm simplex conversio sententiæ prioris , quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti , nedum in Deo , sed etiam in homine &c.* Et Lactantius Lib. 2. institut. c. 24. per pœnitentiam intelligit solam resipiscentiam. Et apud Ciceronem Lib. de senectute, Plinium Lib. 1. cap. 17. aliosque magni nominis Authores , verbum *pœnitentia* idem significat , ac *piget , pudet , tædet* : ergo pœnitentia ex se non importat pœnam , & dolorem , sed solum resipiscentiam , aut meram mentis mutationem , & revocationem. Sed hæc , & alia similia , in quibus , ad suos errores sustinendos , fundantur Hæretici , puerilia , ac facilissima sunt Catholicis. Respondeo distinguendo consequ. Pœnitentia generatim sumpta , aut juxta nudam nominis etymologiam ; aut si metaphoricè accipiatur , non importat &c. concedo : sumpta , prout propria , & peculiaris est homini , inservitque illi remissioni peccatorum obtinendæ , nego consequentiam.

7 Dico igitur , Tertullianum ibi agere de pœnitentia , generatim , & prout etiam tribuitur Deo , qui pluries in Scriptura dicitur *pœnitere* , & in quo certissimum est , impossibilem

esse veram pœnam , & dolorem. Unde antea dixerat : *superest agnoscere , quid sit pœnitentia Dei ? At juxta ipsum ibidem , hæc Dei pœnitentia in multis distat ab humana : tum ; quia hæc in animi levitate , & mobilitate fundatur : tum ; quia includit odium , & damnationem operis commisi : tum ; quia significat dolorem , & vindictam de divina offensa , necnon & satisfactionem Deo exhibendam.* Ad Lactantium dico , aliquando sumere nomen pœnitentiæ juxta nudam , & quasi materialem illius Etymologiam , & derivationem à Textu Græco , in quo pœnitentia dicitur *Metanoia* , quæ vox , secundum aliquorum Interpretum placitum , idem est , ac sententia posterior , seu prioris sententiæ mutatio , aut *resipiscentia* à delicto commisso. At verò si nomen pœnitentiæ sumatur formaliter , & completè , atque secundum usum frequentem in Scripturis , Patribus , & Authoribus sacris , & ut significat pœnitentiam veram hominis peccatoris , sic , inquam , pœnitentia nedum significat , & dicit resipiscentiam , agnitionem peccati , animi mutationem , aut prioris vitæ emendationem , sed etiam , & insimul , animi dolorem , peccati punitionem , & propositum vitæ in melius immutandæ. Sic expressè ipsè Lactantius ibidem , dicens : *Resipiscit , ac mentem suam , quasi ab insanja recipit , quem errati piget , castigatque se ipsum dementiæ , & confirmat animum suum ad rectius vivendum.* Ad ultimum dico , illos Authores loqui metaphoricè , eò quòd quidquid nobis molestum , & displicens est , pudet , ac tædet : hoc autem dolorem , & aversionem causat , & ideò per verbum *pœnitentia* assumi solet.

QUÆS.

QUÆSTIO II.

An, & quænam virtus sit Pœnitentia?
Ad quamque ex virtutibus sit
reducenda ?

8 Ante difficultatis resolutionem , sciendum est 1. quòd virtus generatim sumpta est duplex , nempe , *specialis* , & *generalis*. Specialis est illa , quæ tendit in determinatum objectum , seu cujus objectum formale non est commune aliis virtutibus. Virtus generalis dicitur talis quatuor modis. Primò per *prædicationem* , eò quòd prædicetur de omnibus aliis virtutibus. Sic *Justitia* communiter accepta dicitur virtus communis , & generalis ; quia sic est animæ rectitudo , dictans quælibet bonum sit faciendum , & malum fugiendum , & vitandum. Unde Matth. 3. dicit Dominus : *Sic decet nos implere omnem justitiam.* Quare nulla est virtus , cui non conveniat hæc justitiæ ratio. Secundò virtus dicitur generalis per *regulationem* , quatenus per illam omnes virtutes regulari debent. Sic dicitur *Prudentia* omnium virtutum regula ; quia omnes virtutes regulari debent per prudentiam , quæ docet medium tenere , & ab extremis fugere. Tertio , dicitur generalis per *omnium virtutum aggregationem* ; quia omnes aliæ virtutes videntur ad illius actum concurrere. Hoc sensu *Pœnitentia* , prout peccati detestativa , solet vocari virtus generalis : eò quòd nulla est virtus , quæ vitium sibi oppositum non excretur. Quarto virtus aliqua dicitur generalis per *informationem* ; quatenus aliis virtutibus confert valorem , ac dignitatem. Sic est virtus generalis *Charitas* ; quia hæc alias virtutes informat , easque efficit Deo gratas.

9 Sciendum est 2. virtutes alias esse *acquisitas* , & alias *infusas*. Illæ sunt , quæ ex actibus frequentatis acquiruntur : istæ verò , quæ nor-

bis infunduntur divinitus. Deinde istæ dicuntur , vel *per se infusæ* , vel *per accidens*. Per se infusæ sunt , quando nullis naturæ viribus haberi possunt : ut *fides* , *spes* , & *charitas*. Per accidens infusæ dicuntur , quando absolutè non superant vires naturales ; superant tamen in modo eas habendi , videlicet ; quia non possunt acquiri , vel tam subito , vel tam perfectè. Præterea : virtutes aliæ vocantur *Theologicæ* , aliæ *Morales*. Theologicæ appellantur , quæ directè respiciunt Deum pro objecto , ut sunt *fides* , *spes* , & *charitas*. Morales dicuntur , tam ratione acquisitionis , quàm objecti , quod est quid creatum : tales sunt *Prudentia* , *Justitia* , *Fortitudo* , & *Temperantia*. His scitis , quatuor inquirenda , ac resolvenda sunt in hac quæstione. 1. *An Pœnitentia sit verè virtus ?* 2. *An sit specialis , seu distincta ab aliis ?* 3. *An sit acquisita , vel infusa ?* Et 4. *Ad quam ex virtutibus sit reducenda ?* Circa quas difficultates non parum variant Authores. Quamvis enim communiter doceant , pœnitentiam esse virtutem aliquam specialem , nolunt eam à reliquis virtutibus distinguere , eò quòd reperitur in omni virtute , quatenus quælibet suum oppositum aversatur , & fugit , ideòque pœnitentia reperitur in qualibet virtute. Unde cum dicunt , pœnitentiam esse virtutem specialem , sumunt ly *specialem* , non prout distinguitur ab omni aliâ particulari virtute , sed prout distinguitur à multarum virtutum aggregatione. Ergo illius reductionem ad aliquam ex virtutibus , plures , quos Alensis refert , existimaverunt , reduci ad charitatem ; quia ex Dei amore peccatum detestatur , & ejusdem virtutis est diligere objectum , & detestari oppositum. Cajetanus verò cum aliis asserit , reduci debere ad virtutem Religionis , quatenus Deo reddit honorem debitum , per peccatum sublatum. Cæteri Theologi pœnitentiam reducunt ad virtutem justitiæ ; sed non conveniunt

niant in reductione ad unum ex membris justitiæ, quinimo valde sunt divisi. Durandus, & Marsilius illam reducunt ad justitiam commutativam, & hos insequitur Gonetus: Gabriël, & alii ad justitiam distributivam: & Scotistæ, magis frequenter, ad vindicativam, seu punitivam. In tanta Authorum varietate:

10 Sit I. Conclusio: *Pœnitentia est vera virtus.* Est communis, & probatur 1. Actus meritorius, & laudabilis, est actus virtutis; sed poenitentia est actus meritorius, & laudabilis: ergo est actus virtutis, & consequenter in se vera virtus est. Prob. min. Non datur divinum præceptum, nisi de actu meritorio, & laudabili; sed est divinum præceptum de poenitentia agenda: ergo. Prob. min. ex Matth. 4. ubi legitur, Christum incepisse prædicare, & dicere: *Pœnitentiam agite.* Et Marci 1. *Pœnitentiam agite, & credite Evangelio:* ergo. Prob. 2. & insimul confirmatur præcedens ratio: *Virtus, juxta Aristotelem 2. Ethic. cap. 3. est, quæ facit bonum habentem, & ejus opus reddit bonum;* sed talis est poenitentia: nam prout tendit ad detestationem peccati, prout est offensa Dei, bonum facit habentem illam, & sæpè illum sanctiorem, ac meliorem reddit, quàm erat ante peccati patrationem: ergo. Prob. min. Tum ex 5. ad Roman. *ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Tum ex D. Ambrosio, loquente de poenitentia Petri, & sic dicente Sermone de illius Cathedra: *Fidelior profectò factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deservit: adque ideò majorem gratiam reperit, quam amisit,* quod præclare confirmant alii SS. PP. ergo. Constat igitur manifestè, poenitentiam valde laudabilem esse, reddere bonum, & multoties meliorem, illam habentem, ac proinde verè esse virtutem.

11 Arg. Omnis virtus debet habere pro objecto bonum; sed poenitentia talis non est: nam habet pro

objecto peccatum, quod malum est: ergo non est virtus. Confirmatur 1. Virtus expetenda est propter se; sed poenitentia non expetitur propter se: ergo. Prob. min. Id, quod tendit in malum, quatenus malum est, non expetitur propter se, hoc est, propter propriam bonitatem, & perfectionem; sed poenitentia tendit in peccatum, quod malum est: ergo. Confirmatur 2. Verecundia, juxta Philos. non est virtus; quia supponit aliquod turpe, ex quo infamiam, aut confusionem timet; sed eadem ratio est de poenitentia, quæ nascitur ex peccato, ex quo timet poenam, & Dei indignationem: ergo. Poterat negari major, cujus oppositum, ait D. Bonavent. dist. 14. art. 1. quæst. 1. ad 3. apparet in virtute *temperantiæ, misericordiæ, & fortitudinis,* quæ versantur circa id, quod malum est, nempe circa intemperantiam, miseriam, & imbecillitatem. Poterat etiam concedi major, negari minor, & distingui illius probatio: habet pro objecto peccatum *committendum,* quod quidem malum est, nego: peccatum *vindicandum,* & expiandum, quod est omnino bonum, concedo.

12 Sed distingo major. Omnis virtus prosecutiva, & per amorem, concedo: aversiva, & per odium, nego major. Certum est enim, quod sequi malum, & fugere bonum, malum est: at verò prosequi bonum, & aversari malum, ut poenitentia facit, bonum est, & honestum. Unde potestas punitiva, licet tendat in malum puniendum, bona est, utpote quæ est à Deo, ait Apost. ad Rom.

13. *Non est enim potestas, nisi à Deo.* Habent igitur omnes virtutes duos actus, amoris, nempe, circa honestum, & odii circa oppositum. Sic poenitentia, inquit Serap. Doct. duplicem habet actum, & amat bonum justitiæ, ac peccatoris emendationem, & odit peccatum, quod justitiæ & rationi opponitur. Quare poenitentia secundum utramque hanc considerationem tendit in bonum: nam utrumque

que hoc bonum est. Ex quo ad 1. Confirmationem nego minor. Ad ejus probationem dico: tendit in peccatum tendentia aversionis, & fugæ, concedo, & hoc est bonum: prosecutionis, & inclinationis, quod quidem esset malum, nego. Poenitentia tendit in peccatum, ut illud destruat, & avertat, non ut conservet, & admittat. Ad 2. Confirmationem distingo major. Verecundia, quæ est pura sensitiva passio, & de qua Aristoteles loquitur, transeat, vel concedo: quæ est activa, & imperata ex horrore, & odio actus turpis, ac ex amore oppositi, nego major. Nec apparet ratio ulla, cur honestum non sit, infamiam timere, sicut & bonam famam amare, & malum, ex quo infamia nascitur, odisse, ac detestare.

13 Pro aliis solvendis adverte 1. quod ad perfectam poenitentiam quatuor concurrunt actus. Primus est velle imperans, & conjungens causas tristitiæ ex objecto provenientis. Secundus ipsa tristitia. Tertius est complacentia, & acceptatio libera ipsius tristitiæ. Quartus ex illa volitione, & acceptatione sequitur gaudium de illa tristitia. Uade dixit D. Augustinus: *Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Explicatur sic: Petrus peccavit, occidendo hominem, & volens poenitere, hunc in poenitendo habet ordinem. 1. Vult, & imperat causas tristitiæ, quæ sunt apprehensio occisionis, & nole, seu odio habere illam occisionem. 2. Est tristitia, quæ ex apprehensione occisionis, & illius nole causatur. 3. Est illud velle, quod voluntas vult illam tristitiam habere: 4. Ad illud velle tristitiam habere, sequitur gaudium in poenitente, & verificatur tunc dictum S. Augustini. Ex his adverte 2. quod dum dicitur, omnem virtutem delectationem inferre, intelligitur de virtute ratione sui actus perfecti, & completi, non ratione præcisa sui objecti. Sic fortitudo ratione sui peculiaris objecti, nempe,

periculorum in bello sustinendorum, dolorem affert, & molestiam: nam objectum illud dolorosum est, & tristicum: at verò actus illius per se delectat virum fortem, qui pericula aggreditur prompta animi alacritate. Similiter in poenitentia: nam licet poenitere molestum, ac triste habeat objectum ratione sui; delectat tamen ob alacritatem, qua voluntas suos exercet actus, & voluntariè, ac promptèse determinat ad peccati detestationem, et punctionem. Adverte denique, quod dum dicitur, poenitentiam tendere in peccatum præteritum, tunc non vult poenitens, quod defacto non sit, id quod defacto fuit: quia cum ad præteritum non detur potentia, affectus iste esset velleitas, et ut Aristoteles dicit, esset stultus, et stolidus; sed ipsum, quod jam factum est, reprobat, sentit, quod fuerit, et intendit iterum non committere, quod prudentissimum est.

14 Sit II. Conclusio: *Pœnitentia non est virtus generalis, sed specialis.* Loquimur de poenitentia secundum primariam sui acceptionem, scilicet, quatenus vindicat, aut inclinat ad vindicandum peccatum. Hoc sensu ait Subt. Doct. 4. dist. 14. q. 2. *Pœnitere est actus specialis virtutis.* Prob. Illa est specialis virtus, cujus formale objectum non est commune aliis virtutibus: nam ex objecto proprio, & non communi desumi debet distinctio unius ab alia virtute; sed objectum poenitentia non est aliis virtutibus commune, sed proprium illius: ergo. Minor præter dicenda infra quæst. 3. probatur: Objectum poenitentia est peccatum, ut vindicabile, & expiabile per debitam satisfactionem; sed nulla alia virtus tendit sic in peccatum: ergo. Minor constat; quia nulla alia virtus hoc respicit, nec quærit in suis actibus, sed unicè curant singulæ vitare vitia contraria propriae suæ honestati. Confirmatur ex dictis supra num. 10. ubi ex Scriptura, & Patribus

bus constat, omnes illos loqui de poenitentia, sicut de virtute specialis, & secundum ejus specificam rationem, qua distinguitur ab aliis, ostendentes illius excellentiam, necessitatem, effectus, & condiciones: ergo est virtus specialis. Accedit Subt. Doct. dicens, quod poenitentia est virtus specialis, quia est actus natus habere speciale objectum, & speciales circumstantias ordinatas, quae conveniunt actui, ut recte tendenti in tale objectum, nempe, peccatum vindicabile. Ex quo sic: virtus illa, quae in suum objectum tendit aliter, quam alia quaelibet, est virtus specialis; sed poenitentia aliter tendit erga peccatum, quam ceterae virtutes; quia nulla praeter poenitentiam, versatur circa peccatum, ut vindicabile, ac expiabile per debitam satisfactionem: ergo poenitentia est virtus specialis.

15 Arg. Virtus, quae se extendit ad objecta omnium virtutum, ac illa respicit, non est virtus specialis, ut per se constat; sed talis est poenitentia: ergo. Prob. min. Tum; quia respicit omne peccatum illius vindictam intendens: ergo se extendit ad omnia vitia, & peccata contra quas-cumque virtutes: igitur cum virtutes specificentur ab objectis, poenitentia est virtus universalis, & generalis, non specialis. Tum; quia quod contrariatur omnibus vitiis, non est virtus specialis; sed poenitentia omnibus contrariatur vitiis, omnia ab anima nitens expellere: ergo. Antecedens constat: sicut enim virtus habet determinatum bonum, & quo specificatur, habet etiam determinatum malum, quod fugiat, & cui opponatur. Distin. maj. Si se extendat, & respiciat sub eadem ratione, & motivo, concedo: sub diverso, & sub quo a nulla alia virtute respicitur, nec attingitur, nego maj. & min. Ad hujus 1. probationem dico, poenitentiam respicere omne peccatum, ad omnia peccata, & vitia se extendere: at ve-

ro sub diverso motivo, & ratione, qua respiciuntur a ceteris virtutibus, per illorum odium, & abominationem: quod quidem ad distinctionem virtutum inter se est sufficiens. Per hoc patet ad 2. minoris probationem.

16 Pro faciliori intelligentia recole dicta num. 8. Iuxta quae plures sunt virtutes, quae omnibus vitiis, & peccatis contrariantur, & opponuntur, & tamen hoc non obest, ut quaelibet in suo genere sit virtus specialis. Charitas enim contrariatur cuilibet peccato mortali, & hoc non obstante, est virtus specialis. Quare haec propositio, aut similis: quod contrariatur omnibus peccatis non est virtus specialis, falsa est, si accipiat universaliter. Unde poenitentia aliquo sensu potest dici universalis omnibus virtutibus, quatenus odit omnia vitia facta in illarum materia: hoc vero non impedit distinctionem specificam ab eis, eo quod vitia detestetur per odium, procedens a justitia punitiva, ut illa puniat in peccatore poenitente, quod proprium est hujus virtutis, & non commune aliis. Haec igitur differentia sufficiens est ad distinctionem specificam poenitentiae ab aliis virtutibus: nam singulae vitia odiunt suae honestati speciali contraria. Sic castitas odit luxuriam suae honestati contrariam, & sic de aliis, juxta propriam materiam: & quidem illud odium respicit illa peccata, sive praesentia, sive praeterita, sive futura, praescindendo ab eorum existentia: at vero poenitentia respicit illa, ut praeterita, & non utcumque, sed ut vindicabilia, & expiabilia per debitam satisfactionem, quo modo non respiciuntur ab ulla alia virtute.

17 Pro aliis solvendis, advertite, quod tam SS. PP. quam Concilia poenitentiam expriment plerumque per dolorem, & detestationem de peccatis, asserentes, hanc detestationem esse ultimam, & perfectam dispositionem ad justificationem. Sic Tri-

den-

dentin. Ses. 14. c. 4. definit contritionem per dolorem, & detestationem, dicens: *Contritio dolor est animi, ac detestatio de peccato commisso.* Et Ses. 6. c. 6. assignans modum preparationis ad justificationem, meminit de sola detestatione, quin mentionem faciat de vindicta peccati, inquit: *Moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per poenitentiam, quam ante Baptismum agere oportet.* Dum autem sic loquuntur, simul intendunt, quod detestatio, et dolor de peccato includatur, veluti primarius effectus, in voluntate vindicandi peccatum. Haec enim voluntas, si efficax sit ad peccatorum remissionem, necessario debet poenam infligere, et consequenter imperare dolorem. *Poenitere* enim, secundum nominis etymologiam, idem est, ac *poenam tenere.* Quare cum poena teneatur, dum dolor elicitur, & detestatio formatur: ideo poenitentia tunc dumtaxat completa censetur, dum suum habet terminum, seu effectum; & quod verificatur, dum poenitentia obtinet rationem justitiae, quae jus suum Deo pro vindicationem de peccato restituit. Sub hac itaque ratione, & consideratione PP. & Concilia poenitentiam considerant, dum illam animi dolorem, & detestationem peccati commissi appellant. Ad ultima Concilii verba dico, agere de peccatore adulto Baptismum recipiente, & ad dignam receptionem peccatum detestante, quae detestatio oriatur non ex motivo poenitentiae, sed charitatis. Siquidem talia verba significant, causam, & motivum illius odii, & detestationis esse dilectionem Dei, ut patet ex his illius antecedentibus verbis: *Illumque, id est, Deum, tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiant, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, ac detestationem.* Quare actus ille non est elicitus, sed imperatus a virtute poenitentiae.

Tom. I.

18 Sit III. Conclusio: *Poenitentia non est virtus Theologica, sed Moralis.* Conclusio docetur expressè a Subt. Doct. dist. 14. quæst. 2. & est communis apud Theologos. Prob. prima pars: Ut virtus aliqua sit theologica, debet habere tres condiciones: 1. habere Deum pro objecto: 2. habere pro regula primam regulam actuum humanorum: 3. immediatè a Deo infundi, tamquam a causa efficiente; sed conditiones istae non competunt poenitentiae: ergo non est virtus theologica. Major est Scoti, & videtur certa. Prob. minor. quoad primam partem: Poenitentia non tendit immediatè in Deum, sed in peccatum puniendum, & vindicandum; nam cum sit justitia vindicativa, & punitiva, ut dicemus postea, habere debet pro formali objecto correspondentiam poenit ad culpam, & pro materiali ipsam culpam, & poenam: ergo poenitentia non habet Deum pro immediato illius objecto. Prob. eadem min. quoad secundam partem: Poenitentia non regulatur per primam regulam actuum humanorum, scilicet, vel per Deum sub aliqua essentiali, aut attributali ratione, vel per divinam voluntatem, cognitam per revelationem, sed regulatur per rationis dictamen, dictans, poenam esse peccato proportionatam; ergo non habet pro regula primam regulam actuum humanorum. Prob. illa minor quoad tertiam partem ex dicendis num. 21.

19 Confirmatur ex Goneto: Virtus theologica habet Deum pro objecto formali, ut sentiunt Theologi omnes; sed poenitentia tale objectum non habet: ergo. Prob. min. Nam illius objectum est peccatum sub conceptu, quo supra immediatè diximus, vel ut dicit Gonetus, sub ratione compensationis juris divini lesi; sed neutro modo habet Deum pro immediato objecto: ergo. Prob. minor. Si poenitentia tendit immediatè in peccatum, ut vindicandum, & puniendum,

Ss

dum,

dum, uti diximus, certum est, immediatè non tendere in Deum; aliunde, si respicit per se compensationem juris divini læsi, nec Deum pro objecto immediato respicit, sed Deus tantùm ingreditur in obliquo: ergo. Explicatur doctrina in eo, qui ex affectu justitiæ injuriam Regi illatam compensaret: quo casu Rex non ingreditur compensationem ut finis *qui*; nam finis *qui* tunc esset compensatio, ut adæquans læsum jus. Ex dictis sequitur secunda Conclusionis pars: nam si poenitentia non est virtus theologalis, dici debet, esse virtutem moralem.

20 Arg. Poenitentia respicit Deum offensum, quem placare vult peccator, & vindicando in se offensam Deo illatam, ipsi Deo intendit satisfacere: ergo tendit in Deum, tamquam in objectum, & consequenter est virtus theologica. Confirmatur ex communi proloquio, quod virtus moralis consistit in medio; sed hoc non habet poenitentia; non enim quærit mediocritatem, cum Dei offensa nequeat nimium plangi, nec in ejus satisfactione excedi potest: ergo non est virtus moralis: ergo est theologalis. Respondeo r. concesso antecedenti, negando consequentiam. Poenitentia itaque non versatur immediatè, & proximè in Deum, sed in ipsum peccatum, & illius satisfactionem, quod utrumque est quid creatum. Unde licet respiciat Deum; non tamen ut objectum, & finem intrinsecum, & primarium, sed extrinsecum, & secundarium. Hoc verò non sufficit, nec confert ad hoc, quod constituatur in specie virtutis theologice. Quare sicut obedientia volens obedire Deo, & Religio colere illum, non sunt propterea virtutes theologice, eo quod non versentur proximè circa Deum, sed obedientia circa rem præceptam, & Religio circa cultum divinum, quæ sunt quid creatum: pariter poenitentia, licet intendat satisfacere Deo, hac ratione non debet censeri theologica vir-

tus; quia non versatur immediatè circa Deum, sed circa peccatum vindicandum. Ad Confirmationem dico, quod quamvis circa objecta aliquarum virtutum non possit dari excessus, nec defectus, potest tamen dari in circumstantiis, & modo illas exercendi, ideòque juxta circumstantias, quæ eveniunt, & in modo operationis, debet per virtutem prudentiæ tam excessus, quàm defectus corrigi. Debet ergo poenitentia esse prudens. Ex quo nego minor. & potius utramque conseq.

21 Sit IV. Conclusio: Poenitentia non est per se virtus infusa, sed acquisita. Ita Scotistæ, plurimique Theologi cum ipsis, existimantes, solas virtutes theologicas esse in substantia supernaturales, & per se infusas: reliquas verò virtutes non in substantia, sed tantùm in modo esse supernaturales; atque adeo per se esse acquisitas, & non infusas. Dixi, non esse infusam per se, neò supernaturalem in substantia: non enim dubitamus, quin infundi possit, & defectò sæpius à Deo infundatur per accidens, sicut aliæ virtutes naturales. Sed quia per actus nostros acquiri potest cum gratiæ actualis auxiliis, dicimus, eam esse per se acquisitam, seu acquisibilem, atque adeo naturalem quoad substantiam, sicut sunt aliæ naturales virtutes. Quare cum Tract. de virtutibus disputetur à Theologis: an virtutes Morales sint per se infusæ, vel acquisitæ? cum poenitentia una sit ex eis, resolvendum est de illa idem, quod de cæteris. Et ideò hinc ab hac difficultate oportet breviter nos expedire.

22 Probatur igitur nostra resolutio sic: Si poenitentia per se infunderetur, id fieret per aliquod Sacramentum, in quo justificamur, aut per contritionem perfectam extra Sacramentum; sed neutrum dici potest: ergo non infunditur per se. Prob. minor. Si tunc poenitentia infunderetur, statim experiremur, nos

inclinari, & facilitari ad actus ejus; sed nihil tale experimur post justificationem, magis quàm ante illam: ergo tunc non infunditur poenitentia. Minor constat; nam habitus dantur ad agendum naturaliter, & faciliter. Unde cum infunditur scientia, vel charitas, statim experimur, nos inclinari ad actus illorum habituum. Ergo est habitus parè naturalis in substantia, & acquisitus. Advertendum verò, non operari in nobis fructus sufficientes, & condignos, nisi ex motione, & auxilio gratiæ supernaturalis, ut fides docet. Confirmatur: Virtutes infusæ solùm admittuntur, ut suscipientem inclinent ad actus necessarios ad salutem; sed habitus poenitentiae in se consideratus non potest inclinare suscipientem ad actum poenitendi ad salutem necessarium: ergo non est infusus. Major constat; nam habitus fidei datur, ut inclinet ad credendum, spei ad sperandum, & charitatis ad Deum diligendum, sicut oportet. Prob. minor. Eò actus poenitentiae dicitur necessarius ad salutem, quia animam disponit ad virtutum infusionem in instanti justificationis; sed actus ille, qui est causa dispositiva subjecti ad susceptionem habitus infusi, non potest produci ab ipso habitu infuso: ergo. Major traditur à Trident. Sess. 6. cap. 6. ubi poenitentia numeratur inter dispositiones in adulto prærequisitas ad justificationem. Prob. minor. Omnis forma introducenda est posterior dispositione ad ipsam: ergo actus poenitentis necessarius ad salutem non potest elici ab habitu poenitentiae infusæ, ad quam est dispositio.

23 Arg. Tum; ad culpæ deletionem non sufficit poenitentia naturalis, & acquisita: ergo requiritur poenitentia infusa. Prob. antecedens: Tridentinum Sess. 6. Can. 3. ait: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut*

Tom. I.

*oportet, ut justificationis gratia conferatur: anathema sit: ergo sicut credere, sperare, & diligere sunt actus in substantia supernaturales, atque adeò infusi, ita etiam poenitere, debet esse actus supernaturalis, & infusus, ut sit legitima dispositio ad remissionem peccatorum. Tum; habitus acquisiti naturaliter inclinant ad producendos actus similes illis, à quibus sunt geniti: ergo ex actibus poenitentiae, concurrentibus ad salutem generabitur habitus naturalis: ergo habitus ille naturalis inclinabit ad producendos actus sufficientes ad salutem. Sed hoc est omnino falsum; aliàs ex solis naturæ viribus possemus poenitere, quod Pelagianismum sapit: ergo. Tum: Apostolus ad Thimot. 2. dicit: *ne quando Deus det illis poenitentiam.* Et ad Rom. 2. *Benignitas Dei ad poenitentiam, te adducit.* Et Jerem. 31. *Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam;* sed in his omnibus satis indicatur, eam infundi à solo Deo: ergo poenitentia est virtus infusa, & supernaturalis quoad substantiam.*

24 Respondeo ad r. distinguendo antec. Non sufficit Poenitentia naturalis, tam in substantia, quàm in modo, concedo: in substantia naturalis, & in modo supernaturalis, nego antec. & consequent. Itaque actus poenitentiae, qui est præparatio ad justificationem, supernaturalis est certissimè in modo, eò quod non eliciatur, nisi gratiæ beneficio, & Spiritus Sancti auxilio. Hac eadem ratione actus virtutum moralium, quatenus sunt, & ut sint meritorii, dicuntur supernaturales; non quidem in substantia, sed in modo, nempe, quia non possunt esse à Deo accepti in ordine ad salutem sine beneficio gratiæ. Hoc, & non aliud voluit Tridentinum loc. cit. ubi tantùm definit adversus Pelagianos, & Semi-Pelagianos, hominem non posse justificari ex solis naturæ viribus, sine speciali Dei adjutorio. Ex quo non colligitur supernaturalitas poenitentiae

Ss 2

tia

riæ quoad substantiam, sed tantum in modo, quæ supernaturalitas ad fructuosam poenitentiam necessaria est omnino.

25 Ad 2. dist. antec. Inclinant ad producendos actus similes, quoad substantiam, concedo: quoad modum, nego ant. Eodem modo distinguo 1. conseq. & nego 2. Itaque illi actus, sicut & habitus ex illis generatus, esset naturalis in substantia, seu entitativè: at verò ex concursu gratiæ actualis, à quo, ut meritorius sit, procedere debet, est supernaturalis. Unde sicut actus justitiæ temperantiæ, aliarumque virtutum moralium, sunt supernaturales, & meritorii ex concursu gratiæ actualis, & charitatis, ita est de actibus poenitentiae, juxta doctrinam Tridentini dicentis: *non posse poenitentem, sicut oportet ad justificationis gratiam, sine Spiritu Sancti inspiratione.* Ad 3. nego min. Non enim sequitur ex illis textibus, nec inferitur, poenitentiam habitum ex se infundi à solo Deo, sed solum, quod procedere debeat à divino auxilio, ut loquitur D. Hieronymus: *Vide quantum sit Dei auxilium, & quàm fragilis humana conditio? Ut hoc ipsum, quod dignus poenitentiam, nisi Dominus ante convertetis, & nisi Dei nitamur auxilio, numquam implere valeamus.* Igitur illa conversio, juxta Hieronymum, non fit per infusionem habitus poenitentiae, sed per motum, & auxilium gratiæ actualis. Dicendum est ergo, quod talis habitus non est supernaturalis, & infusus ab intrinseco, & quasi ex se petens infundi à solo Deo, sed est supernaturalis, & infusus ab extrinseco, quatenus utiliter non operatur, nisi ex gratia, & divino auxilio.

26 Sit V. Conclusio: *Poenitentia est virtus distincta à charitate, & à religione: seu non reducitur ad has virtutes.* 1. pars est contra aliquos ab Alensi citatos. 2. pars est contra Cajetanum citatum n. 9. Pri-

ma conclusionis pars apertè constat ex dictis conclus. 3. n. 18. Prob. 2. pars; Illæ virtutes distinguuntur realiter, quæ respiciunt diversa objecta formalia, ut ex se constat; sed poenitentia, & religio diversa objecta formalia respiciunt: ergo realiter distinguuntur. Prob. min. Objectum formale religionis est illa specialis honestas, quæ reperitur in eo, quod reddatur honor, & cultus conveniens supremae excellentiæ Dei, ut omnes Theologi docent; sed objectum poenitentiae non est tale, sed est peccatum, ut vindicabile, & expiabile per debitam satisfactionem, ut diximus n. 14. ergo. Confirmatur ex D. Thoma 4. dist. 14. q. 1. art. 1. ubi manifestè distinguit religionem, & ejus debitum à poenitentia, & debito illius.

27 VI. Conclusio: *Poenitentia reducitur ad justitiam: non verò ad commutativam, neque distributivam, sed ad justitiam vindicativam, seu punitivam.* 1. Conclusionis pars debet esse communis: nam virtutem poenitentiae ad justitiam reductivè pertinere, partemque potentialis ipsius rectè appellari, omnes fateri debent: licet enim à vera justitia deficiat, in quantum non potest Deo reddere æqualem satisfactionem, imitatur tamen, & quodammodo æmulatur rationem justitiæ, ob quod pars illius potentialis dicitur rectè. 2. Conclusionis pars est contra Conetum, & alios, volentes, poenitentiam reduci ad justitiam commutativam, non verò ad distributivam, neque vindicativam. 3. verò pars, nempe, pertinere ad justitiam vindicativam, seu punitivam, est Scotistarum cum Scoto in 4. dist. 14. quæst. 2. ubi loquens de poenitentia, ait: *Est ergo iste actus justitiæ punitivæ, quæ distinguitur contra justitiam commutativam, & etiam contra amicitiam.*

28 Prob. Conclusio quoad duas primas partes: virtutes, quæ habent diversa objecta formalia, sunt distinctè invicem; sed poenitentia,

& justitia, tam commutativa, quàm distributiva, respiciunt diversa objecta formalia: ergo Minor constat; nam justitia commutativa respicit æqualitatem rei ad rem, seu debitum ad æqualitatem reddendum; justitia verò distributiva respicit æqualitatem præmiorum, vel suppliciorum cum proportione ad actus laudabiles, & meritorios, & ad culpas; seu defectus. Nunc sic; sed poenitentia non potest reparare divinum jus læsum per peccatum ad æqualitatem: non enim potest offensiva commissa contra Deum sufficienter expiari per quamlibet hominis satisfactionem, nisi interveniat gratia, & misericordia Dei, offensam condonantis: ergo poenitentia ad neutram illius justitiæ speciem reduci debet. Confirmatur, maximè quantum ad justitiam distributivam: hæc justitia poenas, vel bona taxat unè per respectum ad alterum, quem etiam punit, vel præmiat; sed poenitentia non punit unum poenitentem per respectum ad alium, sed per respectum ad culpam commissam contra Deum: ergo.

29 Prob. 3. pars, scilicet, poenitentiam reduci ad justitiam punitivam: Tum, ex Conc. Trident. Sess. 14. cap. 2. ubi Poenitentia dicitur Tribunal, ad quod nos Deus, tamquam reos, sisti voluit, & in quo non sine nostris magnis fletibus, & laboribus, id exigente divina justitia, remissionem consequi non possumus. Et cap. 8. de operibus satisfactoriis alloquens Ministris, inonet, ut habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Ergo juxta Trident. Sacramentum Poenitentiae est Tribunal justitiæ punitivæ, & vindicativæ, ut ex ipsius verbis claret. Accedunt plures SS. PP. præsertim Augustinus lib. 50. Hbmi. præclare docens, quod poenitentia est quaedam dolentis

vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse. Tum: Deus ex justitia vindicativa ordinat, ut peccatum remittatur in Sacramento Poenitentiae per poenam, & actus poenitentiales ergo peccator, tales actus exercendo, habere debet eundem finem, & motivum, uti Minister legis, & legislatoris: ergo sicut Deus præscribit poenam ex motivo justitiæ vindicativæ, ita ex eodem motivo debet poenitens sibi poenam præscribere.

30 Arg. adversus 1. Conclusionis partem: Ad eam virtutem pertinet poenitentia, ad quam pertinet ejus actus principalis; sed principalis poenitentiae actus pertinet ad charitatem: ergo ad hanc virtutem, & non ad justitiam, spectat, & reducitur poenitentia. Prob. min. Actus principalis poenitentiae est contritio; sed hæc à charitate elicitur: nam contritio est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum: ergo. Confirmatur: Ejusdem virtutis est, tendere in suum objectum, ac odisse, & intendere destructionem illius, quod illi opponitur; sed charitas tendit in Deum, ut summum bonum, cui opponitur peccatum: ergo dolere de peccato cum intentione destruendi illud spectat ad charitatem.

31 Respondeo negando min. & distinguo min. probationis: Contritio, quatenus est dolor de peccato per illius simplicem displicentiam, vel ex Dei amore conceptus, concedo: quatenus est dolor de peccato cum intentione illud vindicandi, & satisfaciendi Deo offenso; seu ratione sui objecti, & finis, nempe, punitiois peccati, nego minor. Contritio itaque spectari potest sub hoc duplici conceptu, ex quibus sub priori spectat ad charitatem; non verò sub posteriori, sub quo hinc de poenitentia loquimur: nam hinc sermo est de poenitentia, secundum se præcisè, & ex proprio objecto, in quo non respicit Deum dilectum, sed peccatum, ut puniendum, & vindicandum, modo jam sæpius dicto. Ex quo ad

ad Confirmationem distinguo major. Eiusdem virtutis est &c. sub ea ratione, sub qua opponitur bono ab ipsa virtute intento, concedo: sub alia, nego major. concedo minorem sub prædicto sensu, & nego consequens. Charitas itaque de peccato dolet cum intentione illud destruendi, sub ea ratione, sub qua opponitur summo bono, quod intendit charitas: at verò dolere de peccato cum intentione illud vindicandi, puniendi, ac Deo satisfaciendi, non est actus charitatis, sed proprius poenitentiae, ut constat ex dictis.

32 Arg. adversus alias partes assertionis: Non potest recte assignari ad quam speciem iustitiae poenitentia pertineat: ergo reduci non potest ad iustitiam. Prob. anteced. Omnis iustitia vel est commutativa, vel distributiva; sed neutrum dici potest de poenitentia: ergo. Prob. minor. Ut sit vera iustitia commutativa, requiritur aequalitas dati, & accepti; & ut sit distributiva, requiritur superioritas in præmiante, & puniente, & inferioritas in præmiato, & punito; sed neutrum est in poenitente: ergo. Patet prima pars min. nam offensa ex parte Dei est infinita, & poena in poenitente est finita: aut ad minus numquam hominis satisfactio est aequalis cum injuria Deo illata. Patet etiam quoad 2. quia poenitens nec superior, nec inferior est sibi ipsi. Confirmatur 1. Iustitia tendit in alterum; sed poenitentia non tendit in alterum, sed in ipsum poenitentem: ergo non est iustitia. 2. Iustitia vindicativa, seu punitiva, solum est in superiore poenam infligente, non in reo, aut subdito: ergo peccator puniens se ipsum, non facit hoc ex iustitia punitiva.

33 Respondeo, negando antec. & distinguo minor. prob. Neutrum dici potest propriè, & rigorosè, concedo: proportionaliter, & similitudinariè, nego min. & sub hac distinctione, minorem probationis. Di-

co igitur, verum esse, quòd in iustitia commutativa propriè, & rigorosè accepta, requiritur vera aequalitas dati, & accepti: rigorosa autem aequalitas satisfactionis cum offensa, & proportio exacta possibilis non est creaturae ad Deum; & ideò poenitentia non est rigorosè iustitia commutativa: benè verò similitudinariè, & proportionaliter, eò quòd elicitur, & inclinatur ad actus compensativos injuriae, & offensa, secundum aequalitatem possibilem, ut commutativa. Unde poenitentia est vindicativa culpae, & commutativa poenae aeternae in temporalem, & simul remissiva, seu satisfactiva partis poenae. Nec Deus exigit aequalitatem physicam, aut mathematicam, sed proportionatam, & moralem; quam ipse taxat pro sua misericordia simul cum iustitia, quae in hoc sibi mirificè obviant. Ad ostensionem secundae partis dico ex doctrina Scoti, poenitentem personam agere *judicis, Ministri, & rei* sub diversis respectibus: nam dum verè vult sua peccata vindicare, accedit ad hoc tribunal, ut iudex sui peccati, ut accusator, & ut Minister sibi infligens poenas. Unde poenitentia tendit in poenitentem, quasi ad alterum: nam, quia personam agit rei, & Ministri iustitiae, est quasi virtualiter alter à se ipso. Per quod patet ad primam Confirmationem. Ad 2. dico, iustitiam punitivam illam authoritativè esse in Superiore; ministerialiter verò, & executivè esse in reo, seu inferiori, quod ad nostrum intentum sufficit.

34 Ex dictis colliges 1. quòd dum Scotus 4. dist. 19. quæst. 1. videtur docere, iustitiam punitivam eandem esse cum commutativa: & dum simile ait dist. 46. quæst. 1. inquires: *Commutativa iustitia propriè respicit punitivam, & præmiationem, ut scilicet, pro meritis, quasi commutando reddantur præmia, & pro peccatis supplicia*: in his locis non sumit iustitiam commutativam strictè,

&

& secundum omnes conditiones, quas ex ratione talis requirit: sed accipit illam in quadam latiori significatione, quatenus magis assimilatur, habetque majorem proportionem cum iustitia commutativa, quam cum distributiva. Unde signanter dicit Doctor: *quasi commutando*. Colliges 2. omnes virtutes morales revocari ad quatuor ex capitalibus, quæ *cardinales* vocantur, eò quòd cæteræ in eis volvuntur, sicut janua in cardinibus. Cùm autem virtutes cardinales sint *Iustitia, Fortitudo, Temperantia, & Prudentia*, & pariter constet, poenitentiam esse virtutem moralem, & non reduci ad *prudentiam, temperantiam*, aut *fortitudinem*, solum superest, reduci ad *iustitiam*, modo jam sæpe dicto: Et cùm ratio formalis iustitiae consistat in obligatione reddendi debitum aliquod secundum rectam rationem, hinc sequitur, multas virtutes ad iustitiam pertinere, tamquam partes ejus subjectivas, & ad quas sub aliqua vera ratione se extendit. Virtutes autem istæ, de quibus vel immediatè, vel mediatè, tamquam de suis speciebus, iustitia prædicatur, ad 22. communiter reducuntur. Tales sunt *Latria, Dulia, Hyperdulia, Pietas, Iustitia legalis, Epicheja, Benevolentia, Affabilitas, Beneficentia, Veritas, Amicitia, Liberalitas, Reverentia, Observantia, Gratitude, Misericordia, Poenitentia, Vindictio, Iustitia punitiva, Restitutiva, Distributiva, & Commutativa*, quæ duo ultimæ sunt membra iustitiae strictè, ac rigorosè.

QUÆSTIO III.

Resolvens quidquid ad objectum Poenitentiae attinet.

35 **O**bjectum cujuscumque actus, aliud est *materiale*, & aliud *formale*. Cùm autem habitualis virtus innotescat per actus, & actus per objectum, nequit melius

declarari, & percipi, entitas poenitentiae, quam per notitiam illius objecti. Objectum materiale adhuc est duplex, *proximum*, nempe, & *remotum*. Proximum est id, circa quod virtus primò occupatur; & remotum est illud, erga quod versatur primarius illius virtutis effectus. Explicatur: Objectum materiale proximum poenitentiae, ut iustitia est vindicativa, potest dici omne id, quod assumitur ad constituendam aequalitatem aliquam inter culpam, & poenam, videlicet, ipsa poena correspondens culpæ. Hæc autem nihil aliud est, quam actus assumptus ad vindicandum peccatum, sive internus, sive externus: & cùm hic actus sit, & respiciat peccatum, ut vindicabile, istud dici poterit objectum materiale remotum poenitentiae. Hoc magis clarebit ex immediatè dicendis.

36 Dico I. *Objectum proximum, seu immediatum, materiale virtutis poenitentiae est omnis actus, quo poenitens punit in se peccatum: medium verò, & remotum est omne peccatum ab illo commissum*. Sic Scotistæ communiter cum Subtili Magistro dist. 14. quæst. 1. Prob. 1. pars assertionis: Illud est objectum primarium, seu immediatum virtutis poenitentiae, quod primò, & immediatè intenditur per illam; sed poenitentia primò, & immediatè intendit punitivam, & vindictam peccati, quæ punitio, & vindicta consistit in actibus, quibus poenitens sua peccata punit: ergo illa punitio, & tales actus sunt objectum materiale poenitentiae. Prob. min. Illud primò, & immediatè à poenitentia intenditur, in quo ejus denominatio immediatè fundatur; sed denominatio poenitentiae immediatè fundatur in ipsa punitivam, & actibus punitivis; nam poenitentiae nomen sumitur à poena, & à poenae tenentia: ergo. Prob. 2. assertionis pars: Illud est objectum materiale remotum virtutis poenitentiae, quod illa respicit, seu in-

intendit aliquo medio, seu per aliqua media; sed poenitentia respicit peccata per prædictos actus, seu mediante poena assumpta in vindictam illorum: ergo peccata sunt objectum materiale remotum poenitentiae. Advertendum verò, quòd si per objectum immediatum materiale intelligeretur, ut aliqui volunt, omne id, quod à virtute attingitur, in hoc sensu peccata etiam essent de materia proxima poenitentiae; nam attinguntur ab illa per actus doloris, & punitionis.

37 Dico II. *Objectum formale, ac specificativum virtutis poenitentiae est peccatum, ut vindicabile, seu punibilitas ipsius peccati.* Est Subt. Doct. 4. dist. 14. quæst. 2. n. 4. dicentis, quòd speciale objectum, per quod poenitentia dicitur specialis virtus, est peccatum vindicabile: ergo ratio formalis, sub qua poenitentia peccatum respicit, est ejus punibilitas, seu vindicabilitas. Hæc est etiam sententia frequentior Scotistarum contra plures alios. Probat: Peccatum sub ea ratione respicitur à poenitentia, sub qua potest, & debet respici ab aliqua speciali virtute: nam respicere peccatum sub aliquo respectu bono, & honesto, honestum est, & valde bonum; sed peccatum, ut punibile, propriè, & per se respici non potest ab alia virtute: ergo. Prob. min. multipliciter. Primò ex D. August. Lib. 1. Confess. dicente: *Jussisti, Domine, & ita est, ut poena sit sibi quisque peccator.* Et S. Isidorus: *Hæc virtus nomen habet à poena, quasi poenitentia, poenitentia quasi puniendi dicitur, eo quòd ipse puniat poenitendo, quod malè admisit.* Ex quo sic: peccatum, ut vindicabile, ab aliqua virtute debet attingi; sed sic attingi non potest ab alia, quàm à poenitentia, ut per se patet, & ex dictis constat: ergo. Prob. secundò: Peccatum, in quod poenitentia tendit, speciali ratione debet ab illa attingi, sub qua ab aliis virtu-

tibus non attingitur; sed illa ratio alia non est, quàm vindicabilitas, seu peccati puniatio: ergo. Prob. min. Si aliqua esset, maximè peccati malitia, quatenus detestanda; sed ratio hæc non est peculiaris virtutis poenitentiae: nam omnes virtutes tendunt in detestationem peccati sibi oppositi: ergo. Minor constat: si quidem charitas execratur peccatum, quatenus est malum infinitæ Dei bonitati oppositum: similiter, cum omne peccatum nos beatitudine privet, & subjiciat poenis æternis, detestatio peccati sub hac consideratione non spectat ad poenitentiam, sed ad spem: pariter, si consideretur, quatenus est contra Dei honorem, & cultum, pertinet ad virtutem religionis illius detestatio, & sic de cæteris virtutibus: ergo peccatum, ut odibile, & detestabile, non est objectum solius poenitentiae: ergo specificativum illius, in quantum est virtus specialis, & distincta ab aliis, est peccatum, ut punibile, & vindicabile.

38 Arg. adversus 1. partem 1. assertionis: Actus virtutum non possunt esse objectum illarum; sed illi actus, tam interni, quàm externi, sunt actus virtutis poenitentiae: ergo non illius immediatum objectum. Prob. maj. Objectum præsupponitur actui, utpote causa illius: ergo. Confirmatur: Poena est effectus poenitentiae; sed effectus non potest esse objectum primum alicujus: ergo. Respondeo negando maj. & distingo probationem: præsupponitur objectivè, & ordine intentionis, concedo: in reali existentia, & ordine executionis, nego antecedens, & maximè in habitibus practicis, quales sunt virtutes. Solutio claret ex ratione probativa Conclusionis. Ad confirmationem nego minorem: nam sanitas est objectum, finis, & insimul effectus Medicinæ. Et generaliter habitus practici, quales sunt virtutes, sunt propter suas operationes, ad quas concurrunt effectivè. Unde iidem ac-

tus,

tus, quatenus priores ordine intentionis, sunt objectum, seu materia talium virtutum in executione. Et quidem tritum est apud Philosophos, finem, & effectus posse in idem coincidere sub respectibus diversis, ut patet exemplo medicinæ: nam sanitas potest esse simul finis, & effectus ambulationis. Similiter cultus divinus internus, & externus, qui assumitur in signum summæ excellentiæ Dei, & nostræ subjectionis, est effectus virtutis religionis, & simul finis proximus, seu objectum, quod ipsa proximè intendit. Pariter ergo in poenitentia, poena, quam quis sibi infligit, potest esse simul effectus, & objectum, seu finis proximus, à poenitentia intentus.

39 Arg. adversus 2. partem: Virtus determinata, & specialis habere debet objectum determinatum, & speciale; sed per nos, poenitentia est virtus determinata, & specialis: ergo habere debet objectum determinatum. Nunc sic: sed peccatum omne non est objectum alicujus virtutis determinatæ, sed est commune omnium virtutum: nam omnes virtutes in omnia peccata militant, cum quælibet respiciat aliquod vitium, cui opponatur: ergo. Confirmatur 1. Peccata remissa sunt vera peccata; sed hæc non sunt jam de objecto poenitentiae: ergo non omnia peccata sunt objectum poenitentiae. Prob. min. Morbus sanatus non est ampliùs morbus per medicinam sanandus: ergo nec tale peccatum est ampliùs per poenitentiam dolendum. 2. Peccatum veniale non est objectum poenitentiae: ergo non omne peccatum &c. Prob. antecedens: Quia veniale nec est offensa Dei, nec amicitiam cum Deo dissolvit, nec homo tenetur venialia vitare: ergo nec de illis poenitere, & consequenter &c.

40 Respondeo distinguendo maj. Habere debet objectum determinatum formale, concedo: materiale, nego major. Quamvis enim poeniten-

Tom. I.

tia tendat in omnia peccata, quæ seorsim aliæ virtutes impugnant: tamen poenitentia tendit in peccata aliqua speciali ratione, sub qua non attinguntur ab aliis virtutibus, sub ratione, scilicet, punibilis, & vindicabilis, ut constat ex secunda assertionem. Ad primam Confirmationem dico, peccata remissa non esse de objecto necessariò: benè verò de objecto sufficienti poenitentiae, eo quòd adhuc sunt objecta mala in se, & odienda. Sic Magdalena post remissionem culparum, de qua erat certa, de illis per totam vitam sanctissimè doluit: Sic de Davide, de D. Petro, & de pluribus aliis. Unde comparatio morbi, & medicinæ corporalis non quadrat undique. Ad secundam Confirmationem nego antecedens. Ad ejus probationem dico, peccatum veniale esse Dei offensam, quamvis levem, ac Deo displicere, estò illius non dissolvat amicitiam ex ejus benignitate. Unde homo tenetur venialia vitare, non quidem sub gravi, sed sub levi obligatione; suntque punibilia, vel in hac, vel in alia vita.

41 Arg. adversus secundam assertionem: Sub illa ratione peccatum est objectum poenitentiae, sub qua movet, & terminat illius actum principalem; sed illum nec movet, nec terminat sub ratione punibilitatis: ergo non est sub tali ratione objectum formale poenitentiae. Prob. minor. Principalis actus poenitentiae est odium, & detestatio peccati; sed hæc detestatio non terminatur formaliter ad punibilitatem, sed ad malitiam peccati: ergo. Major videtur constare ex Tridentino Sess. 14. cap. 4. ubi contritio recensetur, præcipuum locum tenere inter actus poenitentis: contritio autem odium continet, ac peccati detestationem, non verò punitionem. Confirmatur: Poenitentia est virtus, non quidem prosecutiva, sed detestativa; sed vindicabilitas non est ratio detestativa, sed prosecutiva: ergo formaliter non constituit,

Tt

aut

aut spectat ad poenitentiam.

42 Respondeo, negando minor. Ad probationem distinguo major. Est actus poenitentiae imperatus ab illa, concedo: elicitus, nego major. & conseq. Itaque, ut jam pluries manet dictum, actus primarius poenitentiae, & ab illa elicitus, ut poenitentia est virtus specialis distincta a ceteris virtutibus, est volitio punitionis peccati. Ex hac autem volitione imperatur odium, ac detestatio peccati; quod odium, & quae detestatio communis est omni virtuti, ut diximus. Unde poenitentia includit peccati detestationem, ac odium: at verò per hoc non distinguitur ab aliis virtutibus; quia omnes detestantur, & odiunt mala opposita bono suo. Sic misericordia odit ambitionem, castitas luxuriam, temperantia ebrietatem, atque ita de aliis. Quare contritio primum locum obtinet dignitate inter actus poenitentiae, non verò origine, & hoc est, quod Tridentinum intendit: siquidem innegabile videtur, poenitentiam incipere a cognitione peccati, & gravitatis culpae, & maxime contritio imperfecta, quae concipitur; ponderando peccatorum gravitatem, feiditatem, multitudinem, &c. Et inde est volitio puniendi illud, tristaturque, ac dolet peccator. Vide dicta supra num. 31. de contritione. Ex quo ad Confirmationem distinguo major. Poenitentia est virtus detestativa quoad aliquos actus, concedo: quoad omnes, nego maj. Igitur commune est omni virtuti habere actus fugae, & odii circa malum contrarium suo bono, & amoris, ac prosecutionis, circa suum bonum. Unde poenitentia detestatur peccatum, in quantum in se est malum, & in hoc convenit cum aliis virtutibus: confitetur, & punit illud, prout illud confiteri, & punire est honestum. Haec autem confessio, et punibilitas est a poenitente volita, et ex odio peccati secuta, atque poenitentiae propria, ut ab aliis virtutibus distincta.

43 Pro aliis solvendis, ac intelligendis, observa 1. etiam peccatum habituale esse objectum materiale poenitentiae: nam cum consistat in reatu, seu obligatione, quam peccator contrahit ad poenam sustinendam, quae obligatio est mala in sua causa, nempe, in peccato praeterito, inde est, quod sit materia poenitentiae. At verò, hoc ipso, quod dolemus de actuali, dolemus etiam de habituali, quod utique non est aliud, quam actuale praeteritum, moraliter durans defectu poenitentiae. Et quamvis malitia peccati actualis, & habitualis non sit distincta quoad substantiam, est verò quoad circumstantiam durationis, quae duratio in se est mala, atque adeo poenitenda. Observa 2. etiam de peccato originali posse nos poenitere, ac dolere, eo quod Deum nobis inimicum faciat: nam ut inquit August. *Corripiatur origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.* Unde saltem in Adamo illud odisse debemus. Nec dicas, quod poenitentia solum de propriis peccatis debet esse: nam etiam, licet non rigorose, aliquo verissimo sensu, de alienis peccatis esse potest. Sic David veniam petiit pro alienis, dicens: *ab alienis parce servo tuo.* Sic Christus peccata nostra portavit, & pro nobis doluit. Unde odisse, & detestari alienum peccatum est honestum, atque potest intendi illius remissio. Quare, licet in rigore loquendo retractatio, & punitio non sit nisi de peccato proprio: potest tamen fieri pro alienis ex imperio charitatis; quod quidem valde placet Deo, & a pluribus Sanctissimis viris legimus factum.

44 Observa 3. peccata remissa etiam esse de objecto poenitentiae. Ratio est; quia semper mala sunt, saltem objectivé, atque adeo deflenda, dolenda, & punienda. Sic defacto contigit in Sanctis, qui aliquando peccaverunt, & semper peccasse doluerunt. Idem de peccato futuro, &

pos-

possibili: nam in tali peccato est tota malitia objectiva, & qui in illo sibi complaceret, defacto peccaret: ideoque, saltem ut praeveniatur, est odibile, ac punibile. Est ergo necessarium ad veram poenitentiam, dolere de praeterito, & propositum firmum non peccandi in futurum. Observa 4. quod nec compensatio pro Dei offensa, nec jus divinum per illam lesum, ut resarcibile, nec amicitia cum Deo concilianda sunt objectum formale poenitentiae: est verò effectus, & finis illius. Ideo enim poenitentia tendit in vindictam peccati, ut peccator cum divino auxilio satisfaciatur Deo, illataque injuria ei resarciatur, ac amicitiam illius consequatur. Unde omnes illae rationes sunt finis poenitentem movens ad peccatum vindicandum, ut illa bona consequatur: atque adeo potius habent rationem finis, quam formalis objecti virtutis poenitentiae. Seu dicatur, esse objectum, & finem extrinsecum, non objectum formale, & finem intrinsecum: nam poenitentia directè poenam respicit, indirectè autem, & consequenter, per illam poenam Deum respicit, & juris ejus reparationem.

QUÆSTIO IV.

Quidquid ad subjectum Poenitentiae atinet declarans.

45 **P**Ræcipua difficultas hujus quæstionis est: *An habitus poenitentiae resideat in intellectu, aut voluntate, & etiam in appetitu sensitivo?* Ratio dubitandi in eo stat, quod in quibusdam virtutibus dentur aliqui habitus in appetitu sensitivo ultra eum, qui est in potentia rationali, qui habitus in appetitu existens tollit difficultatem, quae in eo est, atque ita perficitur potentia, ut faciliter eliciat actum virtutis. Sic pariter volunt aliqui in poenitentia, in qua, cum ad ejus eliciendum actum sit difficultas, nedum in volun-

Tom. I.

tate, sed etiam in parte sensitiva, duplex, dicunt, admitti debet poenitentia, quarum una in voluntate, altera in sensitivo appetitu resideat, quae utraque omnimodam difficultatem vincat. Alii senserunt, poenitentiam subjectari in intellectu. Contra hos stat commune sentire Theologorum. Cum quibus

46 Sit Conclusio I. *Poenitentia, ut est virtus, immediatè resideat in voluntate.* Est expressa Scoti 4. dist. 14. quæst. 2. quem sequuntur Scotistae. Ita etiam Gonetus disp. 2. de Poenitentia art. 3. num. 86. Probatur: Poenitentia, in quantum virtus moralis, in aliqua potentia residet, & immediatè subjectatur; sed non in intellectu, nec in parte aliqua sensitiva, & materiali: ergo unicè, & præcisè in voluntate. Prob. minor. quoad primam partem: Tum; virtus intellectiva ordinatur ad cognitionem veri, in quantum verum est, & dicitur, hoc esse speculandum, vel non speculandum, agendum, vel non agendum; sed poenitentia non est actus, qui sic dicitur aliquid speculandum, vel non, aliquid agendum, vel fugiendum; nam in se est velle vindicare peccatum, seu actus, quo imperetur, peccatum esse puniendum: ergo non est actus intellectus. Patet: nam velle peccatum vindicare solum est actus voluntatis. Tum: poenitentia est species justitiae ex dictis; sed justitia est virtus residens in voluntate: ergo. Tum: quia poenitentia non est habitus fidei, nec scientiae, nec prudentiae, nec est ars, qui soli habitus sunt intellectuales: ergo. Per hoc probata manet secunda pars: nam si unicè resideat poenitentia in voluntate, in appetitu sensitivo subjectari non potest. Sed ultra: poenitentia solum resideat in ea facultate, & potentia, in qua resideat peccatum; quia nihil aliud est poenitentia, quam velle vindicare illud; sed peccatum formaliter non existit, nisi in voluntate; nam peccatum eodem est tale, quia est liberum: ergo.

Tt 2

47

47 Arg. 1. Pœnitentia est iudicium, quo peccator intelligit, & iudicat, pœnam esse subeundam pro peccato, ac se iudicat reum, & debitorem pœnæ pro illo; sed iudicium est actus intellectus: ergo pœnitentia potius, quàm in voluntate, residet in intellectu. 2. Pœnitentia ordinatur ad eluendum peccatum: ergo debet esse in subjecto, in quo est peccatum. Patet consequens: quia non potest peccatum eluere, & expellere, nisi quatenus ei contrarietur, & opponitur: habitus autem virtutum, sicut & vitiorum, utpote contrarii, non sunt incompatibiles, & oppositi, nisi respectu ejusdem subjecti, à quo mutuo se possint expellere. Nunc sic: sed peccatum est in qualibet facultate; nam peccamus per cujuslibet facultatis operationem: ergo pœnitentia in qualibet facultate existere debet. Denique: actus aliqui pœnitendi, ut dolor, & tristitia, sunt in parte sensitiva, sicut etiam peccata externa: ergo in illis partibus sensitivis debet existere pœnitentia.

48 Respondeo ad 1. dist. maj. Est iudicium præsuppositivè, concedo: entitivè, & formaliter, nego maj. Certum est, quod ad veram pœnitentiam prærequiritur, ut intellectus malitiam, & gravitatem peccati agnoscat, & condignam pœnam luendam dicat, juxta illud Deuteronomii 25. *Promensura peccati erit & plagarum modus*; in hoc verò dictamine non stat formalis ratio pœnitentiæ, sed in volitione puniendi peccatum, juxta illud iudicium, per dolorem animi, cordis contritionem, & corporis mortificationem, in quo imperio, & volitione formalis ratio pœnitentiæ essentialiter consistit. Ad 2. poterat totum omitti usque ad minorem subsumptam, quam distinguo: peccatum est in qualibet facultate materialiter, concedo: formaliter, nego; quia sic solum est in voluntate. Deinde distinguo anteced. Ordinatur ad eluendum, &

expellendum peccatum formaliter, nego: efficienter, concedo. Pœnitentia itaque non expellit peccatum formaliter, ut calor expellit frigus, sed effectivè, & imperativè, seu efficientia morali, & meritoria. Ad expellendum formaliter, requiritur, quod pœnitentia, & peccatum sint in eodem subjecto: non verò ad effectivè expellendum. Et quare? Quia ratio formalis pœnitentiæ consistit, ex sæpius dictis, in velle vindicare peccatum, quod velle, ratione imperii voluntatis in alias, tam corporis, quàm animæ facultates, se extendit, & suum dominium exercet. Unde cum voluntas moderatrix, ac superior sit omnium aliarum facultatum, necesse non est, quod pœnitentia resideat in eis, sed unicè in voluntate. Per hoc ad ultimum dist. anteced. Actus imperati, & materiales, concedo; eliciti, & formales, nego antecedens, et consequens. Idem dicendum est de peccatis. Voluntas enim est, quæ imperat dolorem, & tristitiam, atque ipsum formale peccati, quod committitur in parte sensitiva: atque inde omne illorum formale est ipsius voluntatis, non alicujus alterius potentia.

49 Sit Conclusio II. *Pœnitentia propriè, & formaliter solum est in peccatoribus post lapsum pœnitentibus*. Est communis, & per se patet: nam pœnitentia propriè, & formaliter sumpta significat animi dolorem, ac de peccato commisso detestationem cum proposito de cætero non peccandi. Sic describit eam Trident. Sess. 14. cap. 4. & illam dividit in contritionem charitatem perfectam, & in contritionem imperfectam, quæ attritio vocatur. Utraque autem dumtaxat existere potest in voluntate hominis viatoris, cui unicè competit actus hujus pœnitentiæ, scilicet, velle peccatum à se commissum vindicare cum dolore, & laboriosa satisfactione, ac proposito de cætero non peccandi. Constat ergo, subjectum de-

nominationis virtutis pœnitentiæ, ut usurpatur frequenter à Theologis, unicè esse homines peccatores in statu viæ. Quare difficultas solum restat de illis qui numquam peccaverunt, sed potuerunt, absolutè loquendo, peccare: & similiter de Angelis, tam bonis, quàm malis: pariter de Beatis, ac de Adamo in statu Innocentiæ. In horum resolutione dividuntur Doctores: existimo verò, controversiam, plusquam de re, esse de voce, & modo loquendi: atque adeo ab illa breviter expedire oportet per sequentes Conclusiones.

50 Conclusio III. *In Beatis non est pœnitentia, nisi improprie, & quoad aliquos actus, & similiter in Angelis: at verò quoad habitum manet in illis, in quibus in hac vita extitit*. Est Subt. Doct. d. 14. quæst. 2. quem hac in re problematicum existimant plures Scotistæ, eo quod ita loquatur: *potest concedi, quod in statu Innocentiæ, & in Beatitudine maneat ista virtus*. Et quidem, quod pœnitentia propriè sumpta non sit in illis, constat aperte ex antecedenti Conclusionem. Probatur de Beatis: Isti enim possunt, in Cælo recordari de peccatis in via commissis, & illa odisse, ac detestari, quamvis sine tristitia, & dolore, cum illo statu beatitudinis incompatibili: ergo quoad aliquos actus, seu aliqualem pœnitentiam possunt habere. De habitu constat: nam qui in via habuerunt habitum pœnitentiæ, sicut & aliarum virtutum, illos in Patria optimè observare possunt: non enim statum illum dedecent, quin potius ornant, eo quod per illos meruerunt eam. Quoad Angelos ex eo constat, quod pœnitentia potest concipi, ut habitus voluntatem inclinans ad vindicandum peccatum absolutè, & præscindendo ab eo, quod commissum sit à propria, vel aliena persona, & quod puniatur in se, vel in alio; sed in hoc sensu non repugnat Angelis, quin potius potest illis adaptari: ergo pœnitentia

quoad aliquos actus, seu improprie est in Angelis. Prob. min. Quia possunt inclinari, & inclinantur ad peccatum odiendum, & ad volendum illud punire in peccatoribus, & defacto gaudent de vindicta, qua Deus punit damnatos, juxta illud Scripturæ: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam* &c. ergo.

51 Hinc sequitur, quod in statu innocentia potuit esse virtus pœnitentiæ, ut Scotus supra citatus ait: nam habuit Adamus omnia dona gratiæ: ergo non debebat istud ei deficere. Tum ex dictis de Angelis, & Beatis. Tum, & maxime; quia Adamus in statu innocentia poterat peccare venialiter, ut optimi Theologi cum Scotistis docent: ergo & de illo potuit pœnitere, & hoc verè, & propriè, & non tantum improprie. Præterea: Adamus in statu innocentia habebat liberum arbitrium ad peccatum mortale, et defacto peccavit: ergo in tali statu habere debebat virtutem ad pœnitendum, si peccaret.

52 Conclusio IV. *Nec dæmones, nec damnati habent habitum Pœnitentiæ*. Est communis, et docetur ab Scoto ubi supra dicente: *damnati sunt continuè in aliquo malo velle, nempe, obstinati in peccato*. Deinde dicit: *damnati non pœnitent; quia pœnam voluntariè non tenent*. Consonant SS. PP. inter quos Augustinus scribit: *dæmones esse spiritus nocendi cupidissimos, à justitia pœnitentis alienos*. Isidorus: *tanta est perversitas diaboli, quod nullo modo potest ad pœnitentiam, sive gratiam pœnitentiæ, resurgere: & ideo dicitur insusceptibilis pœnitentiæ: quia habet voluntatem alienam, & omnino aversam à justitia Dei*. Simile habet D. Gregorius, et cæteri Patres: ergo non est pœnitentia in damnatis.

53 Dices: Multi, qui damnantur, habuerunt habitum pœnitentiæ. Et ex Scriptura constat, quod in damnatis est timor: *videntes tur-*

habentur timore horribili. Et etiam fides: *dæmones credunt*, & *contremiscunt*: ergo in damnatis est poenitentia, tam quoad habitum, quam quoad actus. Confirmatur: Damnati recordantur peccatorum suorum: ergo possunt ea detestari, propter poenas saltem, quas patiuntur. Sed talis detestatio est actus poenitentiae: ergo. Respondeo, quod in statu damnationis nulla virtus remanet. Unde illi motus non sunt poenitentiae, cuius sunt incapaces, sed furoris, indignationis, & invidiae, cum non proveniant ex visione, nec spe felicitatis iustorum, quos habuerunt in *derisum*: & ideo motus illi sunt purae passionis ex perversa sua voluntate procedentes. Ex quo negandae sunt consequentiae omnes, etiam Confirmationis. Possunt enim detestari peccata detestatione furoris, & desperationis, non detestatione virtutis; nam illi motus sunt passionis, & involuntarii, cum illorum voluntas sit obstinata in malum.

54 Quæres: *An in Christo Domino, ac ejus immaculata Matre fuerit virtus Poenitentiae?* In resolutione valde dividuntur Theologi. Qui dicunt, poenitentiam necessariò significare animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso, quemadmodum Scriptura, Patres, & Concilia, præsertim Tridentinum, illam frequenter sumunt, necessariò asserere debent, non esse in Christo, nec in ejus Matre, imò nec in Angelis, neque in Adamo in statu innocentie. Theologi verò, qui existimant, omnes, qui ab intrinseco non sunt impecabiles, capaces esse virtutis poenitentiae, ut Gonetius asserit, solum Christum, dicunt, esse talis habitus incapax, eo quod solus Dominus ex creaturis sit ita impecabilis. Qui verò poenitentiam sentiunt, non in rigoroso sensu, sed pro habitu, & actu inclinante, & tendente in detestationem, & satisfactionem peccati, quatenus est offensa Dei in universali, & prout commissum a

quocumque peccatore, consequenter dicunt, in Christo Domino, ac in BB. Virgine talem virtutem reperi: siquidem maximè de peccatis hominum doluerunt, illa per totam suam vitam sanctissimam detestarunt, ac pro illorum satisfactione plurimas poenitentias sustulerunt. Hanc ergo virtutem poenitentiae, & in hoc præciso sensu, fuisse in BB. Virgine, & Christo Domino, Scotistæ omnes, & plures alii Theologi cum Subt. Doct. defendunt. Et ratio illorum est; quia virtus poenitentiae exerceri potest in detestatione, & dolore peccatorum alienorum, in quantum offensa Dei sunt, qui actus ad poenitentiam reducuntur, quin necessaria sit potentia peccandi in subjecto. Ex hucusque dictis sequentes excitantur, ac resolvuntur difficultates.

55 Difficultas I. *Qui, & quales sint actus poenitentiae virtutis?* Virtus poenitentiae, sicut quælibet alia virtus, propriè consistit in habitu intrinsecè subjecto inhaerente; siquidem poenitentia actualis, potius quam virtus, actus, seu ipsius virtutis exercitium dici debet. Actus igitur poenitentiae alii sunt *eliciti*, & alii *imperari*. Actus eliciti sunt *punitio*, seu *vindicta* peccati; *odium*, seu *detestatio* illius; quæ detestatio, si est perfecta, & ex motivo puro amoris Dei super omnia dilecti, dicitur *Contritio*: si vero oritur ex peccatorum foeditate, aut poenarum timore, dicitur *Attritio*. Sunt etiam actus eliciti poenitentiae peccatorum *confessio*, & illorum *satisfactio*. Actus imperati sunt omnes illi, quicumque sint, qui in peccati punitorem possunt & poenitentia imperari. Sed advertendum, quod licet actus eliciti poenitentiae inter se conveniant, & ultimè intendunt animæ justificationem, habeantque pro ultimo objecto honestatem hujus virtutis, prout distinguitur ab aliis; distinguuntur tamen secundum aliqua in objectis, aut finibus formalibus, & immediatis. Patet: nam *punitio* immediatè res-

respicit peccati vindictam: *Odiu* ejus malitiam respicit, & pro fine habet peccati destructionem: *Confessio* respicit peccati manifestationem, & erubescientiam, tam ex peccato, quam ex manifestatione sequutam.

56 Et quamvis *detestatio peccati* aliquoties sumatur pro *odio*, pro *dolore*, & pro *displicentia* ipsius peccati: tamen aliquomodo distinguuntur, loquendo propriè, & in rigore; nam *odium* est actus, quo voluntas resilit ab objecto, ipsi disconvenienti, sicut *amor* est actus, quo fertur in objectum sibi conveniens. *Dolor* est afflictio, & quasi inquietudo ipsius voluntatis, sequens odium illud, & detestationem peccati commisi, quod consideratur, ut malum maximum, & valde Deo displicens. *Dolor* iste sæpè est tantus, ut ex anima transeat in appetitus sensitivos, atque inde veniunt *suspiria*, *lacrymæ*, &c. *Displicentia*, quamvis cum odio, detestatione, & dolore coincidat, potius, ut ait Scotus, est passio, quam actus elicitus. Et advertendum, quod actus eliciti voluntatis resident in ipsa formaliter, & immediatè, sicut & habitus poenitentiae; nam quamvis præcedere debeat actus intellectus, ostendentis peccata, modum, & regulas poenitendi, ipsi actus formaliter sunt ponendi in voluntate, ut liberi sint, & laudabiles. Respondeo jam ad difficultatem.

57 Dico I. *Velle vindicare, seu punire peccatum est verus, & proprius poenitentiae actus*. Probatur: Tum ex dictis quæst. 3. de objecto formalis poenitentiae: ille est actus proprius, & principalis alicujus virtutis, qui immediatè tendit in objectum formale illius; sed talis est volitio punitiois, & vindictæ peccati: ergo. Major certissima est: & minor fit manifesta per dicta supra num. 37. ubi stabilitum est, objectum formale, ac specificativum virtutis poenitentiae esse peccatum, ut vindica-

bile, seu punibilitatem ipsius peccati. Tum; ille est actus proprius, ac præcipuus poenitentiae, ex quo alii actus, & effectus illius sequuntur; sed sequuntur omnes ex illo velle: ergo. Prob. minorem: quia volo punire meum peccatum, illius malitiam, & gravitatem considero, ut juxta ipsam vindicem illud; de illius commissione tristor, ac vellem non commisisse; doleo, & decerno non peccare de cætero; illud confiteor, satisfacio, & accepto poenam pro illo; sed isti sunt actus poenitentiae: ergo. Tum ex Scoto, & Patribus, dicentibus: *poenitentiam esse punientiam, seu poenæ tenentiam*. Nec ulterius in hoc immoremur, cum ex jam sæpius dictis fiat perspicuum.

58 Objicies: Primus actus virtutis ille est, quo illius objectum formale attingitur; sed talis actus non est illud velle, sed odium, & detestatio peccati: ergo. Prob. minor. Tum; quia objectum formale poenitentiae est debilitas peccati, quæ per odium attingitur primò, & directè. Tum; quia illud est posterius odio peccati: nam ideo poenitemus de peccato, quia odimus, & volumus destruere illud, in quantum possibile est, postquam jam est commissum: ergo illud velle supponit peccati odium, ex quo nascitur, & consequenter non est primus actus poenitentiae. Confirmatur: Velle punire peccatum est velle poenam illius; sed poena non potest esse volita: illas non esset poena; quia non esset contra inclinationem voluntatis: nec voluntas vult id, quod est sibi contrarium, & malum, uti ipsi est poena: ergo.

59 Respondeo negando min. & ejus probationes. Solutio constat ex dictis quæst. 3. de objecto formalis poenitentiae, & ex probatione præsentis assertionis. Dico igitur, quod ex volitione puniendi peccatum, quod prius placebat, provenit illius odium, & applicamus media ad illud delendum.

dum. Unde volitio vindicandi peccatum est primus motus contra illud, & imperat odium, quod est prima poena, & primum medium, ac volitionis ejusdem vindicativæ primus quasi effectus. Ad confirmationem distinguo min. Poena non potest esse volita secundum affectionem commodi, concedo: secundum affectionem justitiæ, nego min. & similiter intelliguntur illius probationes. Poena itaque juxta primam affectionem est voluntati malum: at verò juxta affectionem justitiæ est illi bonum, & sub hoc respectu est volita à poenitentia. Unde ait Augustinus: *Peccator de peccato doleat; quia peccatum est omnino malum: & de dolore gaudeat; quia dolor iste bonus est, & salutaris.* Pro aliis recole dicta q. 2. & præcipue Concl. 2. per totam.

60 Dico II. *Odium, & detestatio, ac displicentia peccati sunt veri actus poenitentiae.* Est omnium Theologorum. Et loquimur hic de *displicentia*, prout coincidit cum odio, & detestatione, ut animadversum est num. 56. Docetur ab Scotto, qui quæst. 1. dist. 14. poenitentiam per utrumque actum etiam describit, dicens: *pœnitere est detestari, & odire peccatum à se commissum.* Probat 1. ex Scriptura: nam Psalm. 118. dicitur: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum... omnem viam iniquitatis odio habui.* 2. ex Trident. Sess. 14. cap. 1. ubi dicit de verè poenitentibus: *Perversitate abjecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pro animi dolore detestantur.* Unde contritionem, quam præcipuum poenitentis actum vocat, definit, dicens: *esse dolorem, & detestationem de peccato commisso, qui dolor, & quæ detestatio continent veteris vitæ odium, juxta ipsum Concilium: ergo.* Prob. 3. ratione: Odium, & peccati detestatio directè respiciunt objectum, & finem poenitentiae: ergo sunt illius veri actus. Antecedens

patet; quia ex vera volitione puniendi peccatum nascuntur, ut probatum jam manet: atque adeo sunt tenentiæ poenarum peccati, seu primæ, & principales illius punitioes. Vide n. 57.

61 Arg. 1. Odium, & detestatio, vel respicit peccatum, ut Dei offensivum, vel ut à Deo aversivum: vel ut gloriæ impeditivum, vel ut gehennæ inductivum; sed sub nullo ex his respectibus est poenitentiae actus: ergo. Prob. minor. Sub respectu offensæ Dei, & aversionis ab illo, est actus charitatis; deinde sub respectu impeditivi gloriæ, & inductivi gehennæ, est actus amoris concupiscentiæ, qua vel ex amore nostri, vel ex timore servili, qui virtus non sunt, nobis nociva odimus: ergo. 2. Detestatio non est actus voluntatis: ergo nec poenitentiae. Patet consequens ex quæst. 3. Concl. 1. num. 46. Prob. anteced. Detestatio est actus judicii, quo malum, & inhonestum reprobatur: ergo. Confirmatur: Omnis actus poenitentiae debet esse cum tristitia, & dolore; sed detestatio est sine dolore, & tristitia; quin potius non semel est cum lætitia: ergo. Denique: Displicentia communis est, nedum omnibus virtutibus, sed etiam habitui vitioso: cuilibet namque objecta illi contraria displicent: ergo non est actus proprius virtutis poenitentiae.

62 Respondeo ad 1. distinguendo major. Odium, & detestatio, prout imperantur ab aliis virtutibus, vel respiciunt &c. concedo: prout ex poenitentia procedunt, nego major. Potest utique odium, & detestatio imperari à cæteris virtutibus, in quantum omnes odiunt, & detestantur inhonestum sub ratione particulari ipsarum illis oppositum: at verò nulla virtus detestatur peccatum sub ratione, & motivo poenitentiae, per quod hæc virtus distinguitur à cæteris. Nec hic restat aliud expendere, quàm quod dictum est quæst.

2. Concl. 2. & præcipue in argumentorum solutione. Vide ibi. Ad 2. distinguo anteced. Detestatio directivè, & præsuppositivè non est actus voluntatis, concedo: elicivè, & formaliter, nego minor. & eodem modo intelligitur antecedens probationis. Verum est, quòd detestatio, qua improbamus, & dolemus de peccato commisso, supponit judicium de malitia, & punibilitate illius: at verò voluntas sic illustrata est, quæ peccatum detestatur, & odit, & quæ vult illud in peccatore punire. Ex quo distinguo antecedens probationis: Detestatio directiva est actus judicii, concedo: formalis, & elicitiva, nego. antecedens. Similiter ad Confirmationem distinguo minorem: Detestatio prout in intellectu, seu per modum judicii, est sine dolore, & tristitia, concedo: detestatio affectiva, & voluntatis, nego minor. Non enim potest quis detestari malum à se commissum, quin doleat de ipsius commissione, nisi sit perditissimæ voluntatis. Ad ultimum distinguo antecedens: Displicentia generaliter accepta, & ex motivis specialibus virtutum, & habituum, concedo: orta ex motivo speciali justitiæ, ac vindictæ peccati, quomodo oritur à sola poenitentia, nego antecedens. Solutio abundè constat ex dictis.

63 Ad aliorum intelligentiam advertas. 1. *Displicentiam, & tristitiam*, in quantum considerantur aversio, retractatio, & improbatio, qua voluntas peccatum commissum retractat, & improbat, esse propriè actus poenitentiae: non verò si sumantur passivè, & ut effectus quidam actus voluntatis. Hoc, in sensu vocantur *passio* à Subt. Doct. 4. dist. 14. quæst. 2. sicut effectus actus elicitus voluntatis, illam tristitiam, & displicentiam imperantis. Et patet: nam tristitia, & displicentia per se, & propriè accepta, nec est velle, nec nolle. Non velle; quia velle est de bono, quod nec tristitiam, nec

dolorem causat, sed gaudium, & lætitiā. Nec est nolle, sed passio ex illo nascens: nam ut D. Augustinus ait: *Nolle est de his, quæ nobis nolentibus accidunt: ergo non est actus voluntatis: ergo nec poenitentiae, cujus actus, ut diximus, in voluntate residet.* Adverte 2. ex Subt. Doct. id expressè docente ubi supra, tales actus non esse virtuti poenitentiae adeo proprios, ut ex suis peculiaribus motivis, & honestatibus imperari non possint ab aliis virtutibus, et tunc ad illas pertinent, et non ad poenitentiam: siquidem quandoque ex charitate, sive ex contemplatione Dei, inest quædam detestatio peccati, & sequitur maxima tristitia, nullo adhuc posito actu justitiæ, respectu illius tristitiæ. Possunt etiam quandoque imperari ab eisdem virtutibus ex motivo poenitentiae, & etiam elici possunt à poenitentia ex motivo illarum, & tunc ab utrisque participant bonitatem, nempe, ab eliciente, & ab imperante.

64 Difficultas II. *An actus poenitentiae, ad justificationem disponentes, debeant esse supernaturales?* Indubium esse debet, præter habitum poenitentiae supernaturalis dari etiam habitum poenitentiae naturalis. Siquidem naturaliter cognoscitur, peccatum esse contrarium naturali rationi, necnon & legi æternæ: ergo voluntas potest viribus propriis illud detestari, ut contrarium rationi, & legi æternæ, & consequenter ex talibus actibus potest gigni habitus voluntatem facilitans ad eligendos actus consimiles. Unde in statu puræ naturæ potuit esse habitus poenitentiae naturalis; quia homo in eo statu potuisset dolere de peccatis commissis in Deum, ut auctorem naturæ cum spe veniæ. Sic plures Gentiles, ut Plato Lib. 10. de legibus scribit, lumine fidei destituti, & solo ductu rationis naturalis, sacrificia Deo offerebant ad illum placandum pro peccatis. Nunc verò non loquimur de hac poenitentia, sed de illa,

illa, quæ proximè, aut remotè peccatorem disponat ad justificationem, & potest dici poenitentia Christiana. Queritur ergo: an illi actus poenitentiae, nempe, odium, displicentia, & detestatio peccati, ad gratiam justificationis obtinendam, debeant esse supernaturales? vel sufficiat, esse naturales, aut elicitos viribus naturæ? Hoc secundum docuerunt Pelagiani, Semi-Pelagiani, atque alii Hæretici. Contra quos:

65 Dico: *Actus poenitentiae, ad gratiam justificationis aliquomodo disponentes, sunt supernaturales, necessario provenientes ab auxilio gratiae Dei excitantis, & adjuvantis.* Est dogma Catholicum contra præfatos Hæreticos. Probatur 1. ex Scriptura, sæpè docente, conversionem peccatoris ad poenitentiam esse donum Dei, & effectum gratiae. Jeremias 31. *Postquam convertisti me, regredieris poenitentiam.* Paulus 2. ad Timotheum. *Ne quando Deus det illis poenitentiam, & respiciant à Diaboli laqueis.* Super quæ Hieron. ait: *Id ipsum, quod agimus poenitentiam, nisi Dei auxilio, implere non possumus.* Et Christus. *Quis hoc dat, nisi qui reserpat Petrum negantem, & facit scelerum?* Prob. 2. ex Tridentino Sess. 6. Can. 3. *Indefinitè sic: Si quis dixerit, spiritus Sancti inspiratione, & adiutorio ejus, hominem credere, sperare, aut poenitere, sicut oportet, ut si gratia justificationis conferatur, anathema sit.* Ex quibus sequitur evidenter, nullum actum naturalem, poenitentiae sufficienter disponere posse ad gratiam justificantem. Mitto, alia plurima ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, adducta à Theologis, dum pertractant de necessitate gratiae.

66 Sed non omitam aliqua, loca Sub. Doct. expressissimè Catholicam doctrinam docentis; ubi videant, quod illum, vel non intelligunt, vel non bene intelligere, quantum absit ab errore Pelagii, quem damnat multoties!

In 4. namque dist. 80. docet: *Opus esse, non hominis, sed Dei, fructuosam poenitentiam inspirare.* Et dist. 17. dixerat: *Asserere, actum ex puris naturalibus esse meritum, appropinquat errori Pelagii.* Item: *Hoc quo homo meritorie agit, non potest esse pura natura; quia tunc ex solis naturalibus posset meritorie agere, quod videtur error Pelagii.* Potest ergo. Scotus clariùs doctrinam Pelagii damnare, nec asserere, actus poenitentiae, quibus disponimur ad justificationem, debere esse supernaturales ex parte gratiae actualis, qua peccator meritorie possit poenitere? Non certè. Equivocantur plures, ut Brancatus demonstrat disp. 6. num. 125. & Mastrius disp. 6. num. 71. erga mentem Subt. Doct. eò quod in 4. dist. 14. quæst. 2. dicat: *quod peccator ex naturalibus cum communi influentia gratiae possit poenitere.* Sc. Hinc existimant per illas voces: *ex naturalibus, & per influentiam communem, intellexisse Scotum influxum, non gratiae actualis supernaturalis, sed generalem, quo Deus concurrat ad omnes effectus causarum secundarum, ut causa prima universalis.*

67 Equivocantur, inquam; nam dum Scotus loquitur de tali auxilio, semper monet, cavendum esse ab errore Pelagii, & nullum meritum haberi posse ex puris naturalibus, nisi fortè de congruo, ut patet ex pluribus ejus locis, & maximè ex supra adductis. Unde clariùs est luce, nunquam exclusisse necessitatem influxus gratiae supernaturalis actualis ad omnia opera, quibus homo disponitur ad gratiam justificationis. Distinguit insuper Doct. Subt. *Attritionem à Contritione, more antiquorum Theologorum, qui omnem poenitentiam informem, seu quæ justificationem præcedit, vocabant Attritionem: poenitentiam vero formatam, seu quæ conjungitur statui sanctificationis gratiae, appellabant Contritionem.* Quapropter per illas voces: *per in-*

flu-

fluentiam communem, intelligit gratias actuales, per quas Deus concurrat ad actus bonos, quibus peccatores se disponere solent ad gratiam habitualement: vocatque illum influxum communem; quia illæ gratiæ actuales auxiliantes communes sunt peccatoribus, & justis. Et per vocem ex naturalibus intelligit potentias intellectus, & voluntatis, quæ sunt naturales, & quæ non operantur, ut oportet ad salutem, sine concursu gratiæ supernaturalis excitantis, & juvantis, quæ utique sunt influentiæ communes utrique actui contritionis, & attritionis, sicut & poenitentibus justificatis, et justificandis. Ecce veram, ac clarissimam doctrinam Scoti, penitus oppositam menti Pelagii.

68 Arg. Ex dictis num. 64. convincitur, quod quidquid in poenitentia reperitur, naturaliter fieri potest: ergo superfluum est ad hoc auxilium supernaturale. Prob. anteced. Malitia, & punibilitas peccati naturaliter cognosci potest; sed aliunde etiam voluntas potest naturaliter illud odisse, & velle punire, ut ibi dictum manet: ergo cum in hoc objecto nihil concurrat supernaturale, uterque actus est naturalis, & consequenter &c. Respondeo negando antecedens de poenitentia ad justificationem disponente, ut loquimur in præsentia, & consequentiam probationis. Vel illud distingo: fieri potest naturaliter, imperfectè, & insufficienter, concedo: perfectè, & sufficienter, nego. Certum est, quod potest dari actus poenitentiae naturalis, qualis in Paganis potuit esse. Sed de hac non loquimur, sed de illa, quæ peccatorem reconciliat, aut disponit ad reconciliandum cum Deo, quem peccata faciunt nostrum inimicum. Ad hanc reconciliationem, sicut ad omnia alia opera æternæ salutis, negabat Pelagius, necessarium esse influxum gratiæ excitantis, & adjuvantis, affirmans, nos viribus naturæ illam posse consequi: & Se-

Tom. I.

mi-Pelagiani negabant, talem influxum ad salutis initia esse necessarium. Contra hos militant Scriptura, Concilia, SS. PP. & universalis Catholica Ecclesia, edocens firmiter, conversionem peccatoris ad veram, & fructuosam poenitentiam esse Dei donum, et divinæ gratiæ effectum, ut in probatione manet demonstratum.

QUÆSTIO V.

Quomodo virtus Poenitentiae necessaria sit Peccatori?

69 **R**ecolendum est 1. quantum ad præsens attinet, quod necessitas ad salutem alia est finis, seu medii, & alia est præcepti. Necessarium necessitate medii est illud, sine quo æterna vita consequi non potest, & talis est status gratiæ justificantis. E converso, illud est necessarium necessitate præcepti, sine cujus adimplerione potest quis salvari, si adsit sufficiens causa excusans ab adimplerione præcepti. Sic infantes, eò quod non sint compotes rationis, salvantur absque observantia præceptorum Dei, & Ecclesiæ: & infirmi propter infirmitatem excusantur ab obligatione jejuniandi. Deinde, inter illa, quæ necessaria sunt ad salutem necessitate medii, hoc adest discrimen, quod quædam sunt necessaria in omni statu, & omnibus modis, eò quod reperiat intrinseca connexio inter ipsa media, & ultimum finem, qui est vita æterna, & hoc modo necessaria est gratia, aut charitas. Quædam verò non sic sunt necessaria, sed sola ordinatione Dei, ordinantis aliquod medium ad salutem pro aliquo tempore determinato, quod in alio non erat necessarium. Sic necessarius est Baptismus in lege Evangelica, & non erat in lege naturali, & Mosayca.

70 Recolendum est 2. ex sæpè dictis, poenitentiam virtutem summi

Vv 2

posse

posse generatim, seu ut generalis, & communis est etiam aliis virtutibus, & speciatim, seu prout ab illis est specie distincta. Sub prima consideratione est dolor, & vera peccatorum detestatio: & sub secunda, volitionem vindicandi peccatum dumtaxat importat, ut constat ex quæst. 2. Conclus. 2. & 6. Et quidem, poenitentiam sic rigorosè acceptam absolutè non esse necessariam ad peccati remissionem, doctrina debet esse communis, & docetur expressè à Subt. Doct. dist. 14. quæst. 2. num. 13. ubi ait: *De secundo principali, scilicet: an poenitere requiratur ad deletionem peccati? Dico, quod non, ut actus unius determinatæ virtutis.* Ratio illius est; quia peccatum remitti potest per amorem Dei, ut dicemus, & etiam per poenitentiam generatim sumptam, seu per detestationem, ac dolorem de peccato commisso, qui dolor, & quæ detestatio elici potest ab aliis virtutibus, quàm à poenitentia, nempe, à charitate, religione, spe, &c. ut dictum est quæst. 3. num. 37. & alibi. Unde quoties divina testimonia meminerunt necessitatis poenitentia, toties illam exprimunt per aversionem à peccatis, & illorum detestationem, ut videri est in Trident. Sess. 14. cap. 20. His animadversis, resolvendæ veniunt aliquæ difficultates. 1. *An, & quomodo, poenitentia, prout est dolor animi, ac detestatio peccati commissi, necessaria sit, & fuerit quovis tempore ad æternam salutem?* 2. *An necessaria sit poenitentia hæc formalis? An sufficiat virtualis?* 3. *An adsit præceptum de poenitentia agenda, & quale sit?* Pro quorum resolutione.

71 Sit I. Conclusio: *Poenitentia, quæ est animi dolor, ac detestatio peccati commissi, cum firmo proposito de cætero non peccandi, necessaria est ad veniam peccatorum impetrandam, quovis tempore, & hac necessitate medii.* Conclusio hæc, quæ est de fide, luculenter declaratur à

Scoto dist. 14. quæst. 1. num. 9. Probatur: Tum ex Sac. Scriptura: Eccles. 3. *Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Lucæ 13. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Act. 2. *Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Est dicere, quod sine poenitentia, nec Baptismus sufficit peccatoribus adultis. Alia sunt plurima sacra loca hanc veritatem suadentia. Tum ex Conciliis: nam in Lateranensi necessitas hujus poenitentia stabilitur: & in Trident. Sess. 14. cap. 1. ex locis Scripturæ allegatis sic definitur: *Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali peccato aliquo inquinassent, quovis tempore ad gratiam assequendam necessaria; illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui potuissent; ut perversitate obiecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur &c.* Tum ex SS. PP. qui omnes prædicant absolutam necessitatem poenitentia: Augustinus: *nisi poenitentiam egeris, salvus esse non poteris.* Ambrosius: *novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.* Tum denique: quia Deus justissimè decrevit, non remittere peccata sine poenitentia: atque idèd dicit: *convertimini ad me, & ego convertar ad vos.*

72 Hinc firmissimè colliges contra Lutherum, & ejus discipulos, non sufficere ad remissionem peccatorum veteris vitæ abjectionem, & novæ instaurationem, sed omnino necessarium esse verum dolorem, & detestationem peccatorum ad remissionem illorum. Constat ex dictis quæst. 1. Quare facultas Parisiensis, ut falsam, & impeditivam viæ ad poenitentiam, Scripturis Sacris, & doctrinæ Sanctorum difformem, hanc damnat Lutheri propositionem: *Contritio, quæ paratur per discussionem, & detestationem peccatorum: hæc inquam contritio [quæ nos asserimus]*

mus] *facit hominem hypocritam, imò magis peccatorem.* Meritò igitur Tridentinum Sess. 14. cap. 4. de Contritione inquit: „*Declarat Sancta Synodus, hanc contritionem, non solum cessationem à peccato, & novæ vitæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite à vobis iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.*“ Et consequenter Can. 5. expressè Lutheranorum dogma præscribit. Similiter SS. PP. hanc egregiè exprimunt veritatem, præsertim S. Cyprianus in Libello *de lapsis*: S. Ambrosius Lib. 1. de *Poenitentia*, cap. 4. S. Augustinus Serm. 34. de *diversis* cap. 12. aliisque pluribus locis.

73 Arg. 1. Ex pluribus Sacris locis constat, Christum Dominum pluries dimisisse peccata absque ulla prævia poenitentia: ergo hæc non est ad peccati remissionem necessaria. Prob. ant. 1. ex illo paralytico, quem posuerunt per tectum ante Jesum, qui Lucæ 5. dixit ei: *Homo, remittuntur tibi peccata tua.* Et Joan. 8. dum Christus peccata mulieris adulteræ dimisit, nullum signum poenitentia illi antea dedit, sed dixit ei: *neque ego te condemnabo: vade in pace, & noli amplius peccare:* ergo poenitentia necessaria non est ad peccati remissionem. Confirmatur: Eleemosinæ, & condonationi injuriarum tribuitur remissio peccatorum; sed in his non est poenitentia: ergo non est necessaria. Prob. maj. ex illo Daniëlis Nabuchodonosori suadentis: *Peccata tua eleemosinis redime.* Et Lucæ 22. dixit Dominus: *Date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et Matth. 6. *Dimittite, & dimittetur vobis.* Et: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, ita Pater cælestis dimittet vobis peccata vestra:* ergo. Urgetur: Sufficit observantia mandatorum ad salutem æternam consequen-

dam, ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* sed mandata servari possunt sine poenitentia: ergo.

74 Respondeo, distinguendo antecedens: absque ulla prævia poenitentia explicita, & formali, transeat: sine implicita saltem, virtuali, & æquivalenti, nego anteced. & consequ. Paralyticus ille, & omnes alii, quibus Dominus ita loquebatur, veniebant ad ipsum cum magna fide, devotione, spe, & charitate, quæ utique involvunt poenitentiam virtuales, & movent ad formalem. Et quidem de muliere illa adultera docet S. Ambrosius Epist. 22. Poenitentiam, & dolorem habuisse de peccato suo, dicens: *Mulier adultera meruit absolvi, quæ, recedentibus Judæis accusatoribus suis, sola cum Christo remansit, & confessus est crimen, ac testata per sinceram poenitentiam.* Ad Confirmationem nego minorem: nam charitas perfecta peccata destruit, & poenitentiam aut supponit, aut complectitur saltem virtualiter. Unde, quando dicitur, *largitionem eleemosinæ, & injuriarum condonationem habere vim peccata remittendi,* supponunt perfectam charitatem, atque ita poenitentiam, virtuales saltem. Ad urgentiam distinguo major. Sufficit &c. si non adsit peccatum, concedo: si adsit, nego maj. & constat ex rationibus Conclusionis.

75 Si replices: quod Deus potest, & facit in pueris, potest in adultis: nam æqualis est ejus virtus erga adultos, & infantes; sed istis absque poenitentia peccatum remittit: ergo & adultis, & consequenter poenitentia non est necessaria necessitate medii ad salutem. Disting. major. Erga ea, quæ eis sunt communia, concedo: quæ communia non sunt, nego. Dispar est ratio justificationis infantis, & adulti: quia in infantibus tantum est originale, quod cum non consistat in actuali deordinatione voluntatis, sed in habitua-

li quadam naturæ deordinatione, remittitur eis cum sola habituali immutatione per gratiæ infusionem, & non per exercitium alicujus actus virtutis. In adulto verò, in quo sunt peccata actualia, prærequirunt actualem voluntatis immutationem, quæ fit per pœnitentiam, & non aliter.

76 Arg. 2. cum Lutero: Deus nihil aliud exigit à peccatore, quàm cessationem à peccatis, & novæ vitæ institutionem; sed hoc sine pœnitentia fieri potest: ergo. Prob. major. pluribus Scripturæ oraculis: Isaia 55. *Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserabitur ejus.* Ad Galat. 5. & 6. *In Christu Jesu neque Circumcisio aliquid valet, sed nova creatura:* ergo ad peccatorum veniam necessaria non est detestatio prioris vitæ, sed innovatio præsentis, & futuræ sufficit. Nec in toto Decalogo est mandatum aliquod de detestatione prioris vitæ.

77 Respondeo, negando majores. Est ergo necesse impio, quòd vias suas relinquat, non tantùm negativè, dumtaxat desistendo à peccatis, sed positivè, hoc est, per propositum cavendi à peccato deinceps. Hoc autem propositum refertur ad contritionem, & prioris vitæ detestationem: ille enim propriè dicitur peccata deserere, cui displicent, & dolet, se illa admisisse. De cætero falsum est, non esse præceptum de pœnitentia agenda, quod utique includitur, virtualiter saltem, in præcepto Decalogi de diligendo Deo. Nec potest quis Deum perfectè diligere, quin ablatum illius honorem resarcire velit, & ei impendere debitam satisfactionem. De hoc iterum quæst. VIII. sermo redibit. Vide alia adversus Lutheranorum errorem quæst. I.

78 Sit II. Conclusio: *Quamvis*

regulariter necessaria sit pœnitentia, & formalis, ad peccatorum remissionem: sufficit tamen pœnitentia virtualis. Hoc est, actus eximiæ charitatis, in quo dolor de peccatis includitur virtualiter: vel Martyrium pro Christo perpassum. Est communis apud Theologos contra Sotum in 4. dist. 15. quæst. 1. & Canum relect. de Pœnit. quorum primus docet, pœnitentiam formalem adeo ad culpæ remissionem præquiri, ut ad id nullus charitatis actus, quamvis egregius, sufficiat, excepto Martyrii actu: & secundus nec actum Martyrii vult ad id sufficere. Docetur, & explicatur assertio nostra à Subt. Doct. dist. 14. quæst. 1. num. 17. inter alia sic dicente: *Regulariter ad deletionem peccati requiritur pœna, vel punitio voluntaria: (Ecce pœnitentiam formalem) posset tamen Deus remittere per aliquem motum ferventem dilectionis in Deum, absque quocumque prædictorum actuum (pœnitentiæ formalis) sub propria ratione, utpotè in actu fervoris Martyrii, ubi fortè non esset cogitatio de aliquo peccato mortali, prius commisso, nec per consequens aliquod punire prædictum, & hoc formaliter: licet virtualiter in hoc motu esset pœnitere &c.* Ubi docet, interdum fieri justificationem, & peccatorum remissionem, per solum actum dilectionis Dei super omnia, sine ulla pœnitentia formali, aut dolore expresso de peccato. Constat exemplo hominis, qui casu inopinato raperetur ad Martyrium, & oblitus alicujus peccati mortalis, de illo non recordaretur, dum estuanti charitatis igne fragrans, Martyrium subiret. In hoc ergo casu quis dubitet, quòd hic homo per actum charitatis, & Martyrium justificaretur absque formalis pœnitentiæ aliquo actu?

79 Probatur Conclusio ex omnibus illis Sacræ Scripturæ locis, in quibus dilectioni formali Dei tribuitur efficax peccatorum remissio, nulla mentione facta pœnitentiæ, seu do-

loris, & detestationis peccati. Eccl. 34. *Oculi Dei in diligentes se.* Proverb. 8. *Ego diligentes me diligam.* Lucæ 7. dicitur Magdalene: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Et, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et D. Petrus: *Charitas operis multitudinem peccatorum.* Et sic de aliis similibus Scripturæ locis. De Martyrio constat ex 2. Petri: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.* Certum est ergo, quòd per amorem ferventem Dei super omnia homo convertitur ad Deum, & consequenter remittitur ejus peccatum sine actu formali pœnitentiæ: & pariter, quòd charitas in Martyre perfectè supplet defectum pœnitentiæ ad peccati remissionem. Unde colliges, quòd dum pœnitentia necessaria dicitur ad salutem, intelligi debet de pœnitentia formali, aut virtuali: nam aliquando sufficiens est virtualis, scilicet, vel attritio cum actuali Martyrio, vel actus charitatis, in quo tamquam in aliquo eminentiori tota efficitur, & virtus pœnitentiæ continetur. Ratio: quia amare Deum super omnia est illum amare super omne peccatum, & Deum omnibus præferre pro omni tempore: ac proinde ibi est implicitè nolle peccasse, odio habere, quòd peccaverit, ac dolere se illud fecisse. Quid ergo requiritur ampliùs ad justificationem? Est verò advertendum, quòd si quis per eximiæ charitatem justificaretur, & teneretur postea, si superviveret, de peccato suo pœnitere, & illud confiteri: quia tunc præceptum de pœnitentiæ obligaret. *Idem Arg. Id., quòd est necessarium necessitate mediæ ad salutem æternam, nec excusari potest, nec per aliud suppleri: sed pœnitentia expressa, & formalis sic est necessaria ad peccati remissionem: ergo nec per charitatem, nec Martyrium suppleri potest.* Prob. min. Tum ex

à nobis allegatis ex Scripturâ 1. Concl. n. 71. Tum; quia non minus necessaria est pœnitentia ad salutem peccatori, quàm fides infideli; sed fides adeo necessaria est, ut sine illa nemo possit salvari: ergo pariter. Tum: quia non potest esse in peccatore perfecta charitas sine pœnitentia formali, hoc est, quin imperet odium, & detestationem peccati: ergo sine pœnitentia formali remissio peccatorum non potest assequi. Pro solutione recole dicta supra num. 69. ubi constat, necessarium necessitate mediæ aliquando esse tale ex intrinseca connexionè mediæ cum fine, & omnibus modis, & aliquando solum est tale regulariter, & ex Dei ordinatione, non in omni eventu, tempore, & occasione; & sic est in præsentibus.

81 Respondeo itaque, intellecta majori sub hac distinctione, negando minorem: nam pœnitentia formalis, quam diximus, necessariam esse, debet intelligi in casibus regularibus; sed non in extraordinariis, quales sunt illi, quos supra adduximus, & in quibus ex Dei ordinatione, & voluntate, ut constat ex Scripturis allegatis, sufficiens est pœnitentia virtualis. Ex quo nego 1. minoris probat. Ad 2. nego major. Inter fidem, & pœnitentiam hoc adest discrimen, quòd quamvis pœnitentia de via ordinaria necessaria sit ad justificationem peccatorum, sicut fides infidelis tamen pœnitentia suppleri potest ex Dei voluntate, & institutione per actum dilectionis Dei, in quo continetur virtualiter: fides verò suppleri nequit per aliquem actum, in quo contingatur: nam si posset, & Deus sic statuisset, minor esset falsa. Ad 3. probationem distinguo antecedens: si cogitatio peccati occurrat, concedo: si non occurrat, nego: nam loquimur in casu, quo quis adeo vehementer raperetur, vel in Dei amorem, vel tam subito raperetur ad mortem pro Christo, ut nulla cogitatio occurreret de peccato. Tum arguitur

82 Sit III. Conclusio: *Possunt de potentia Dei absoluta peccata remitti sine ulla poenitentia formali, nec virtuali.* Est communior, & docetur á Scoto, ubi supra, dicente, quód Deus de sua absoluta potentia posset condonare peccatum absque ullo actu doloris, aut detestationis ex parte poenitentis. Id docet etiam Gonetus cum pluribus Thomistis contra Petrum, & Dominicum Soto, id repugnare, asserentes. Probatur: Poenitentia antecedens infusionem gratiae, & peccati remissionem tantum habet rationem dispositionis, & hoc non ex natura rei, sed ex divina ordinatione; sed quod dumtaxat requiritur ex ordinatione divina, dispensari, & amoveri potest de potentia extraordinaria: ergo. Major certa est: nam si poenitentia ex natura rei esset necessaria, sequeretur, quód infantes, qui incapaces sunt actus poenitentiae, non possent justificari per gratiam baptismalem. Confirmatur ex Gonetis: Tum; quia videtur innegabile, Deum de sua absoluta potentia posse hominem dormientem justificare, infundendo gratiam, & charitatem; sed in tali casu nullum actum poenitentiae eliceret, ut supponitur: & aliunde peccata remitterentur, cum gratia incompatibilis sit cum peccato: ergo. Tum: quia nulla repugnantia adest in eo, quód Deus hominem peccatorem possit elevare ad visionem beatam; sed hoc ipso ille homo justificaretur, & á peccatis mundaretur: ergo sine poenitentia potest tolli peccatum. Minor constat: nam si peccatum non componitur cum gratia, multo minus cum beatitudine, quae est gratia consummata, & cum Deo unio perfecta.

83 Arg. Dum homo justificatur, fit de injusto justus, & de Dei inimico amicus; sed hoc fieri non potest sine aliqua poenitentia: ergo. Prob. minor. Non potest fieri transitus de contrario in contrarium sine aliqua mutatione intrinseca ex parte

transeuntis; sed sine poenitentia homo sic non transiret: ergo. Confirmatur: Non potest tolli peccatum, quamdiu voluntas aversa est á Deo; sed voluntas post peccatum manet aversa á Deo, donec per poenitentiam convertatur: ergo. Major patet: non enim potest homo esse justus, & simul á Deo aversus. Prob. minor. Recessus ab uno termino non potest tolli nisi per regressum ad illum: sed per poenitentiam convertitur peccator ad Deum, á quo recessit per peccatum: ergo. Respondeo negando utramque minor. Verum non est, quód non possit fieri transitus de contrario in contrarium sine mutatione intrinseca: nam paries transit de non esse visum ad esse visum, & é contra sine aliqua ipsius mutatione intrinseca, & solum tunc adesset nova denominatio extrinseca. Sed hoc omisso, dico, quód in nostro casu transiret peccator de statu peccati ad statum gratiae sanctificantis, quam Deus liberé in animam illius infunderet, atque illum positivé sanctum faceret, modo quo per Baptismum evenit in parvulis. Ad Confirmationem disting. maj. Quamdiu voluntas aversa est positivé, tam ex parte Dei, quam ex parte hominis, concedo: aversa negativé, & hoc ex parte hominis tantum, nego major. & sic intellecta minori, nego consequent. In tali namque casu per condonationem ex parte Dei, & infusionem gratiae sanctificantis, cessaret aversio positiva, & activa ex parte Dei, & etiam passiva ex parte hominis, qui, cessante peccato actuali, non esset aversus nisi negativé. Quia potius, voluntas tunc fieret conversa passivé in hominem per gratiae receptionem, & activé in Deo, ad quem gratia illa animam convertit, & inclinatur, & per illam Deus amat, quem oderat.

84 Unde si Deus peccatori dormienti habitum gratiae, & charitatis infunderet, hoc ipso illum justificaret, & ab eo maculam peccati tol-

tolleret, cum macula peccati consistat, aut sit connexa cum privatione gratiae habitualis. *Sed quid cogitandum est de illo homine, dum á somno excitaretur?* Dico, quód tunc eliceret actum contritionis, & charitatis, Deo ad id movente, ad cuius suavem providentiam, quæ rerum naturas non vult destruere, id pertineret. Nec existimandum est, illum aliter operari, aut tanto beneficio repugnare: nam quando fiunt, etiam nobis nescientibus, in nostram utilitatem, censemur virtualiter, & interpretativé eis consentire. Ideoque talis peccator dormiens censetur consentire virtualiter infusioni gratiae, & charitatis, ac consequenter destructioni peccati habitualis, seu maculae peccati sui.

85 Sit IV. Conclusio: *Peccator tenetur sub præcepto agere poenitentiam: quod præceptum est de lege positiva, & naturali.* Antequam Conclusionem probemus, aliqua satis nota advertenda veniunt. Adverto 1. præcepta divina (& etiam humana) alia esse negativa, & affirmativa alia. *Negativa* exprimuntur verbis negativis, & obligant semper, non solum quantum ad affectum, & præparationem animi, sed etiam quantum ad actus prohibiti non positionem. *Affirmativa* sunt, quæ actionem aliquam imperant, & non obligant semper, quantum ad exercitium actus imperati, sed tempore ab ipso præcepto determinato: quantum veró ad præparationem, & affectum animi, illud non frangendi, obligant etiam semper. Sit exemplum de *negativo* in præcepto non furandi, quod nedum obligat ad numquam habere furandi animum, sed etiam ad nusquam furtum committendum. Sit exemplum de *affirmativo* in præcepto honorandi Patres, quod quantum ad animi affectum, eis exhibendi obsequium tempore congruo, semper est obligatorium: non tamen semper obligat ad actum. Adverto 2. omne præceptum affirmativum im-

Tom. I.

portare secum unum negativum de non eliciendo actum contrarium. Sic præceptum honorandi Patres includit negativum, numquam eos inhonorandi. Adverto 3. præcepta divina impleri posse, vel quantum ad substantiam actus præcepti, vel quantum ad finem præcipientis, V. g. qui jejuna in statu peccati mortalis, præceptum quoad substantiam actus implet: non veró quoad finem Dei præcipientis, & intendentis, quód illa abstinentia, & parsimonia cibi sit meritoria vitæ æternæ. Unde in quolibet præcepto duplex obligatio exurgit: alia ex parte operis, alia ex parte finis, propter quem actus elici debet. His stabilitis:

86 Conclusio, in quam conspirant Catholici DD. probatur quoad primam partem ex Subt. Doct. dist. 17. quæst. unic. ubi dicit: *Quicumque primam gratiam amisit, tenetur de necessitate præcepti illius: Diliges Dominum Deum tuum &c. agere, quantum est in se, ad recuperationem: & etiam virtute illius præcepti: Diliges te ipsum.* Ex quibus hæc formatur ratio: qui gratiam sanctificantem, & divinam amicitiam perdidit, tenetur ex necessitate præcepti de diligendo Deo, agere quantum est in se ad divinæ gratiæ, & amicitiae recuperationem; sed peccator per peccatum mortale gratiam, & amicitiam Dei perdidit: ergo tenetur ad illius recuperationem. Nunç sic: sed neutram recuperare potest, nisi egerit poenitentiam: ergo ex illo præcepto de diligendo Deo, colligitur præceptum de poenitentia exercenda. Probatur autoritate Sacrae Script. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis;* & ex omnibus aliis sacris locis Conc. 1. num. 71. adductis. Quæ verba nedum significant, poenitentiam esse necessariam necessitate mediæ, ut volunt aliqui, sed etiam necessitate præcepti. Doctores namque Catholici præceptum de Baptismo suscipiendo in re, vel in voto colligunt ex illo Joan. 3. *Nisi quis*

Xx

re-

renatus fuerit ex aqua &c. & præceptum de suscipienda Eucharistia ex Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* ergo cum idem sit modus loquendi Scripturæ de poenitentia agenda, pariter idem præceptum debet inferri. Secunda Conclus. pars, nempe, tale præceptum esse de lege positiva divina, fit evidens ex dictis. Quod etiam sit de lege naturali, patet ex eo, quod ratio naturalis dicit, Deum diligendum esse: & pariter, hominem debere sibi procurare, & applicare media necessaria ad salutem, & amicitiam Dei; sed habenti peccatum mortale poenitentia necessaria est ad hoc, ut demonstratur ex dictis: ergo ad id tenetur, tam lege Divina positiva, quam naturali.

87 Arg. Si esset præceptum de poenitentia agenda, nullus damnari posset propter solum unum peccatum mortale; sed hoc est falsum: ergo & id, ex quo sequitur. Prob. major. Peccator ille, qui post commissum peccatum mortale moreretur, poenitentia non acta, necessariò damnaretur; sed tunc non solum damnaretur propter illud peccatum mortale, sed etiam propter omissionem præcepti de poenitentia agenda: talis namque ommissio esset peccatum speciale, cum contra speciale præceptum militaret: ergo. Confirmatur: Negationem poenitentia non solemus confiteri, ut peccatum, sed ut circumstantiam ad summum; sed si esset de necessitate præcepti, deberemus illam confiteri, ut peccatum speciale: ergo.

88 Respondeo, negando majorem: nam fieri potest, quod peccator damnetur pro uno peccato dumtaxat, etiamsi præceptum de agenda poenitentia omittat. Sic eveniret, si statim ac peccatum mortale commisit, moriatur, aut omnino deperdat usum rationis. Tunc enim damnabitur propter solum illud peccatum mortale, & non propter omissionem hujus præcepti: nam usu ra-

tionis deperdito, aut morte preventus ille peccator, impossibilis ei esset adimpletio præcepti de poenitentia agenda. Potest etiam evenire, quod non advertat ad periculum, nec ad obligationem poenitendi, & sic moriatur, & tunc non peccaret contra hoc præceptum. Secus verò est dicendum; si adverteret; quia tunc novum peccatum necessariò committeret. Deinde: nihil absurdi sequi videtur ex eo, quod peccator non damnatur propter unicum dumtaxat mortale peccatum, quamvis ad damnationem sufficeret unicum solum; quia hoc ex eo proveniret, quod poenitentia, saltem in periculo mortis, ad talis peccati commissionem necessariò subsequi debet. Ad Confirmationem nego majorem; est enim omnino certum, quod si aliquod Sacramentum recipimus, aut illud ministramus, aut salutis imminet periculum, & habemus aliquod grave peccatum, tenemur poenitere de illo alioquin novum peccatum committimus, quod debemus confiteri, non ut puram circumstantiam, sed ut verum, & distinctum peccatum.

QUÆSTIO VI.

Quando obligat præceptum de poenitentia agenda?

89 **L**oquimur de poenitentia virtute, non de Sacramento Poenitentia. Pariter de obligatione poenitendi, orta ex ipsius præcepto poenitentia per se, & directè; non verò per accidens, nempe, ex occasione implendi illud aliud præceptum, ut est administrandi aliquod Sacramentum, vel celebrandi; quia nunc obligatio illa poenitendi venit ex illo præcepto: *Sancta sanctæ sunt tractanda: Et probet seipsum homo &c.* Ex quibus illa poenitendi obligatio venit, & ratione quorum talia opera impleri non possunt in statu peccati mortalis. Unde de sensus proprius hujus quæstionis est:

est: *An sit aliquod tempus determinatum, in quo habens peccatum mortale teneatur elicere actum poenitentia de illo. Et pariter: qualis actus ille esse debeat, ita ut novum peccatum committat, si non poeniteat. Sed est advertendum pro dicendis, quod ut, resultet necessitas poenitendi, præcedere debet plena advertentia de statu peccati mortalis, quin sufficiat non plena. Itaque advertentia, seu cogitatio peccati potest esse perfecta, seu plena, & deliberata; & est illa cogitatio à consilio cum matura rei discussione, & ejus circumstantiis: ita ut cognoscatur, & perpendatur natura, qualitas, & conditio rei, vel actus; & potest esse imperfecta, non plena, seu indeliberata, quæ est cognitio, seu cogitatio levis, accidentalis, & quasi transitoria sine consideratione, vel examine de natura, qualitatibus, & circumstantiis actus, vel rei. His suppositis, difficultas in titulo proposita, claritatis gratia, per varias Conclusiones est resolvenda.*

90 Conclusio I. *Præceptum poenitentia non obligat statim post commissum peccatum mortale. Est communior Theologorum contra Alensem, & aliquos alios, asserentes, præceptum confitendi, & pariter agenda poenitentia, statim obligare, ac opportunitas occurrit. Hoc negat Subt. Doctor dist. 17. n. 21. dicens: Præcepta poenalia non sunt amplianda, sed restringenda: nec invenitur quando præceptum istud affirmativum liget, vel obliget, nisi aliquando. Ex quibus probatur primò: Præceptum de poenitentia agenda est affirmativum: ergo non obligat pro quolibet tempore, sed tantum pro aliquo determinato: ergo non obligat statim post commissum peccatum. Antecedens est indubium, & constat etiam ex dictis quæst. antec. præsertim Conclus. 4. n. 85. Consequentia patet à paritate de aliis præceptis affirmativis, ut de amore Dei, Parentum veneratione, auditione mis-*

Top. I.

se &c. quæ omnia præcepta non obligant ad actum positivum elicendum pro quolibet determinato tempore; quamvis semper obligent ad negationem, seu non positionem actus contrarii. Prob. 2. Si homo teneretur poenitentiam agere statim, ac peccavit, sequeretur, quod in singulis momentis, in quibus posset poenitere, & non poeniteret, peccaret mortaliter; sed hoc falsum est ex communi praxi Fidelium, qui peccata sua confitentes, numquam se accusant de dilatazione poenitentia, nisi fortè talis dilatio fuerit ultra tempus ab Ecclesia determinatum, de facienda accusatione, & poenitentia peccatorum: ergo signum est, accusationem illam non esse ad salutem necessariam, & consequenter talem omissionem poenitentia non esse peccaminosam. Minor vera est; quia in singulis illis momentis esset transgressor gravis præcepti.

91 Urgetur: Si dilatio talis esset contra præceptum, Baptismus olim adultis collatus eis primam gratiam, ad quam ordinabatur principaliter, non contulisset; sed hoc asserere absurdum videtur: ergo. Major constat: quia Ecclesia olim non baptizabat solemniter Catechumenos, nisi in Paschate. Unde si debuissent conteri statim post peccatum mortale, non potuissent ad Baptismum cum peccato accedere. Hoc patet; quia jam illud peccatum debuisset expungi per contritionem, quæ sufficit ad justificationem. Hic enim non est sermo de simplici retractatione peccati, sed de ea poenitentia, & retractatione, qua peccator constituitur extra statum periculosum damnationis æternæ. Quare Adversarii poenitentiam statim requirunt post commissionem peccati, ne homo tempore intermedio inter peccatum, & mortem, quæ quolibet momento potest ei evenire, se exponat periculo æternæ damnationis.

92 Arg. 1. Plurima Scripturæ loca: peccatores jubent, & gravissimis

Xx 2

com.

comminationibus terrent, ne audeant poenitentiam differre: ergo statim post peccatum peccator tenetur poenitere. Prob. anteced. ex Eccl. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim venit ira illius, & in tempore vindictae disperdet te.* Et cap. 21. *Quasi a facie colubri fuge peccatum.* Et ex Proverb. 1. constat, Deum punire procrastinationem poenitentiae. *Vocavi vos, & renuistis... despectiones meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Idem habetur Isaia 65. Jeremia 8. Apoc. 2. aliisque in locis. Accedunt SS. PP. docentes obligationem poenitendi statim, ac poenitentiam prorogatam fore inutilem, atque ita sensum Scripturae intelligentes: ergo sic, & non aliter debet intelligi. Anteced. constat ex D. August. Serm. 37. dicente: *Poenitentia sera raris est vera.* Ex D. Gregorio hom. 11. *Peccatum, quod per poenitentiam cito non deletur, Deo permittente, sub pondere in alium trahit &c.*

93 Respondet distinguendo. ant. Ne audeant poenitentiam differre dilatione nimia, & dum graves occasionibus urgent, concedo: absolute, & precise, seu aliquali dilatione, precise ab occasionibus, & circumstantiis, nego anteced. & consequentia. Itaque illa, & similia oracula significant, saluberrimum consilium esse, statim post peccatum poenitentiam agere; non vero dilatationem illius utcumque peccaminosam esse, ac consequenter praecipit absolute. Hoc vero intelligitur, cessante omni affectu actuali, & inclinatione in peccatum praeteritum; quia tunc propter talem affectum peccaret. Unde textus illi improbant, & damnant dilaciones longiores, nempe, in finem vitae, vel in circumstantiis, in quibus salus periclitatur: vel in quibus alia praecipua, & obligationes urgent, quae in peccato mortali non possunt impleri. Idem dicendum est ad SS.

Patres; est enim satis clarum, illos, & alios loquentes similiter, intelligi debere de praedicta nimia dilatione, ut constat ex August. Lib. 50. homil. 41. sic dicente: *Poenitentia, quae ab infirmo petitur, infirma est: quae a moriente petitur, timeo ne & ipsa moriatur.* Quam autem periculosa sit haec poenitentia, dicemus & nos postea Concl. 3. num. 99.

94 Arg. 2. Nullo temporis momento licet peccatum committere, nec in eo complacere: ergo nec in eo permanere, & consequenter statim, ac cognoscitur, debet peccator per poenitentiam ab illo se purgare. Probatur consequentia: Si advertenter poenitentiam de peccato differimus, tot momentis, quot illam differimus, complacemur in peccato, & volumus converti ad Deum; sed utrumque, negante nemine, est peccatum ergo & permanere in eo, & consequenter &c. Confirmatur 1. Ex praecipio charitatis tenemur, corripere statim fratrem peccantem: ex iustitia debemus proximo laeso statim satisfacere: ex charitate sui tenetur eger remedia corporalia statim quaerere: ergo potiori ratione peccator debet statim se corrigere: Deo satisfacere: & animae suae mederi. Sed omne id per poenitentiam fieri debet ergo. Confirmatur 2. Qui non amat Deum, odio habet ipsum; sed peccator; quamdiu permanet in peccato, non amat Deum: ergo odio habet ipsum: ergo sic permanere est peccatum: ergo non sic permanere est praecipitum. Denique: saltem Religiosus peccat differendo poenitentiam: ergo hic saltem tenetur ad statim poenitendum. Prob. anteced. Religiosus debet semper tendere ad perfectionem: ergo & semper a peccato recedere.

95 Respondet, negando consequentia, & distinguo maj. probat. Complacemur per actum positivum, quod voluntas velit illud peccatum, aut in illo complacere, nego: negativè, & per puram actus-omissionem,

concedo maj. & nego minorem in hoc sensu. Aliud enim est permanere in peccato per negationem actus displicentiae, & puram poenitentiae suspensionem, & aliud valde diversum illud velle, approbare, aut in illo complacere: hoc certè est novum peccatum, sed non illud. Unde non valet haec argumentatio: *peccatum in eo statu non displicet: ergo placet*; quia inter placere, & displicere datur medium, nempe, non displicere per meram negationem, seu suspensionem actus. Idem est de nolitione conversionis ad Deum; quae etiam potest esse positiva, & negativa solum, seu purè suspensiva. Ad 1. Confirmationem nego antecedens quoad omnes suas partes. Igitur neque tenemur statim corripere proximum, nisi tempore opportuno; & non pro peccato praeterito, sed quando est periculum relapsus, & ne incidat in aliud; aliter enim peccatum fratris non est materia correctionis. Neque proximo debemus statim satisfacere injuriam, seu debitum, nisi ex dilatione restitutionis crescat, seu augetur illius detrimentum, adeo ut per illam voluntariam dilationem novam injuriam, aut necessitatem in temporalibus pateretur. Nec denique tenetur quis adhibere statim medicamenta corporalia, nisi necessitas curationis urgeat, & periculum sit in mora; aliter non statim obligat. Homini namque in peccato existenti non semper incumbit periculum vel relapsus, vel damnationis: nam rari sunt ex pluribus peccatoribus, qui statim post peccatum commissum, & antequam poenitentiam agere possint, moriantur. Si enim aliter argumentum valeret, eodem modo probaret, Baptismum non posse differri, cum parvuli mori possent detrepente: & certum est tamen, quod differri possit per aliquos dies.

96 Ad 2. Confirmationem nego maj. Aliud itaque est, Deum non

amare, & aliud eum odisse: nam inter amicum, & inimicum datur medium, quale est non amicus. Sic inter poenitentiam, & impenitentiam datur medium, nempe, non poenitere, & hoc, ut manet dictum, non positivè, sed negativè. Poenitentia enim est displicentia de peccato commisso, et impenitentia est complacencia in ipso peccato: atque adeo non idem est, esse impenitentem, ac non esse poenitentem. Unde quamvis praecipitum affirmativum de diligendo Deo includat negativum de actu contrario, quod est, numquam odio habere Deum, et quod obligat pro semper: non verò includit negativum de suo contradictorio, nempe, numquam non amabis Deum, hoc est, *semper amabis.* Sequitur ergo, quod poenitentiam differens actualem amorem Dei non habet: sed tamen nec illius odium habet, nec est transgressor illius praecipiti: *Diliges Deum tuum.* Ad ultimam nego majorem, et distinguo antecedens probationis: debet semper tendere, ex debito generali, & negativè, concedo: debito positivo, et specialiter, nego antecedens. Explicatur solutio. Religiosus, ut talis, debet tendere in perfectionem; quae tendendi obligatio consistit in observantia suae regulae, et suarum legum, ita ut numquam transgrediatur eas, alias deficeret, et recederet a perfectione debita. Et idem est de quolibet Christiano, quoad mandata, quae ipsi incumbunt. Unde si ipsius regulae non ipsi praecipiant, ut poeniteat statim post peccatum, nihil quoad hoc habet speciale, quod sit ei ex praecipito obligatorium.

97 Conclusio II. *Praecipitum poenitentiae obligat per se, instante mortis periculo: & etiam in aliis temporibus vitae, & occasionibus.* Est communis doctrina Theologorum. Prob. prima pars, & 1. ex Sub. Doct. qui dist. 49. quaest. 4. loquens de praecipito confessionis, dicit: *Illud argere, quancumque homo est in pe-*

periculo mortis. Et prosequitur: *Quilibet, dum imminet iudicium damnationis, vel misericordiae, debet se praeparare ad misericordiam, quantum potest.* Prob. secundò ratione: Tum; quia instante mortis periculo, instant praepcepta charitatis in Deum, & proximum, ac seipsum: ergo tunc debent tolli peccata, quae sunt offensae Dei, & consulendum est aeternae nostrae saluti per amotionem causae damnationis, & peccati remissionem; sed hoc per poenitentiam fit, & sine illa fieri non potest: ergo. Tum: quia juxta Theologos, in tali articulo obligant sub praepcepto actus supernaturales fidei, spei, & charitatis; sed perfecta charitas, non potest esse sine poenitentia: etenim vera charitas non est, quin hominem moveat ad detestandas Dei offensas: ergo tunc obligat praepceptum poenitentiae. Tum ex D. Augustino, qui dicere solebat: *Neminem, etsi nullius sceleris conscius esset, committere debere, ut sine poenitentia migraret à vita.* Unde ipse, ut Possidius refert, cum discessum sibi imminere intelligeret, Psalmos poenitentiales in conspectu positos recitabat, uberrimè effusis lacrymis. Advertendum est verò, hæc intelligi debere, si homo tunc non sit praeventus aliquo erga Deum nobiliori affectu, ut esset motus ardentissimus charitatis, vel elevationis mentis in Deum, vel estuans desiderium Martyrii subeundi. Tunc enim justificaretur per actus istos, juxta dicta quaestione antecedenti.

98. Probatur secunda pars, nempe, quod etiam in alijs temporibus obligat praepceptum poenitentiae, ut sunt, dum quis existens in peccato mortali, ministrare debet aliquod Sacramentum: tunc enim tenetur poenitere, ut in statu gratiae per poenitentiam recuperata Sacramentum dignè ministret, & sanctè pertractet; pariter, dum quis ad Sacramenta, quae dicuntur vivorum, accedit: graviter enim peccaret, si

tale Sacramentum cum conscientia peccati mortalis reciperet. De hoc satis peractum est Tract. de Sacramentis. Etiam obligatorium est praepceptum agenda poenitentiae, quando vehemens tentatio urget, aut periculum grave peccandi imminet: non enim est opportunius vitandi peccatum subsidium, quam peccatorum vera, & efficax detestatio. Demum obligat tale poenitendi praepceptum, cum adest publica necessitas, & imminens ultio divina in communitatem, propter propria, aut propter aliena peccata. Tunc enim ex affectu, & amore erga communitatem, cujus membrum est, tenetur quisque per suam poenitentiam, quantum in se sit, divinam justitiam placare.

99. Dices: In nova lege sufficit ad justificationem Sacramentum Poenitentiae: ergo necessaria non est illa poenitentia, adhuc morte instante. Nunc sic: Sed ad Poenitentiae Sacramentum necessaria non est contritio, qua homo justificetur: ergo de illa non est praepceptum. Nego consequentiam, & concessa, vel omissa minori, nego consequentiam. Itaque illud poenitendi praepceptum est omnibus universale, & necessitate medii necessarium: Sacramentum verò Poenitentiae nec omnes recipiunt, nec recipere possunt. Unde cum in mortis articulo consulenda sit salus aeterna, omnibus possibilibus modis, & medijs, assequenda, ad quod securissima est poenitentia, ideò tunc est obligatoria. Praeterquamquod, evenire potest, quod licet peccator tunc confiteatur, Sacramentum esse nullum, propter defectum alicujus rei necessariae ad illius valorem, poenitentia intentionis Ministri: quo casu, si non poeniteret, necessariò damnaretur. Quare omnia, quae probant, & ostendunt necessitatem justificationis in homine ad consequendam beatitudinem, probant consequenter necessitatem contritionis perfectae.

100. Conclusio III. *Kalde periculum mortis*

iosum est, poenitentiam differre usque ad extremum vitæ: atque ideò, qui illam sic differunt, mortaliter peccant. Prima Conclus. pars constat ex SS. PP. ex quibus aliquos adduximus supra num. 92. & etiam aliquos Sacros textus, qui veritatem hanc clarissimè ostendunt. Sed ultra audiatur Augustinus Lib. 3. de Poenitentia: *In extrema aegritudine vix potest aliquis poenitere, vel etiam cogitare: ait enim Hieronymus: cum aegritudine opprimeris, vix potes aliud cogitare, quam quod sentis: & illuc rapitur intentio mentis, ubi est vis doloris.* Et prosequitur ostendens plurimas causas, & impedimenta ad tunc faciendam veram poenitentiam. Et Serm. 7. inquit: *Sais alienus est à fide, qui ad poenitentiam agenda tempus senectutis expectavit.* S. Ambrosius dubitat de tali poenitentia. S. Cæsarius Arelatensis hom. 4. *Age poenitentiam, dum sanus es... si sic agis, securus es. Si enim vis poenitere, quando peccata jam non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Similiter loquuntur cæteri Patres.

101. Ex illis adducit Doct. Subt. plures rationes, quibus probat, in extremis fere impossibilem esse poenitentiam, & illas enumerat in Report. ad dist. 20. Prima provenit ex effectibus infirmitatis, & periculi, qui animam adeo vehementer occupant, ut vix aliud possit cogitare. Secunda; quia tunc plus movetur timore servili poenarum, quam amore filiali, & propter Deum: quæ poenitentia ex se, & sine Sacramento non est sufficiens ad justificandum. Tertia ex vehementi, & obstinata inclinatione habitus contracti per totum cursum vitæ. Unde ait: *difficile est tunc maximè contra istum habitum inclinari, detestando, quæ prius erant delectabilia.* Consonant hæc illi dicto D. Augustini, supra adducti: *Multa enim tunc occurrunt impedimenta: nam morbus urget, poena terret, filii, quæ illicitè dilexit,*

uxor, & mundus, ad se vocant. Et concludit Scotus, quod requiritur in infirmo multò major displicentia, quam in sano; quia liberiùs poenitet sanus. Ex quibus probata satis clarè manet secunda pars Conclusionis: nam si quis poenitentiam usque in finem vitæ differt, se exponit evidenti periculo damnationis, quod sine controversia est grave peccatum, necessariò erit etiam talis poenitentiae dilatio.

102. Quæres: *An, qui non poenitet, quando plene advertit, se esse in peccato mortali, graviter peccet?* Plures, etiam ex nostris, affirmant, & citant Subt. Doct. dist. 47. quaest. 3. dicentem: *Viator non potest completa deliberatione recordari peccatum suum commissum, quin detestetur, vel displiceat: alioquin peccat, adminus omittendo.* At verò consequenter ad jam stabilita à nobis, (& etiam ab illis) Conclusionem 1. praesertim num. 91. non apparet ratio urgens, quare pro omnè tempore, quo peccator recordatur sui peccati, poenitere debeat poenitentia reconciliativa cum Deo, quæ est contritio, nisi in temporibus Conclusionem 2. assignatis, vel alijs similibus; nisi displicentia, quam Doctor dicit, intelligatur pro non complacencia, seu approbatione peccati, quæ utique peccatum esset: vel pro displicentia non perfecta, qualis est contritio, sed pro imperfecta, qualis est attritio, seu aversio à peccato propter illius foeditatem &c. Unde dico, quod quoties peccator recordatur sui peccati, debet in illo non complacere, sed illud detestari detestatione imperfecta ad summum, & etiam sufficit, ut de novo non peccet, habere actum negativum erga illud, modo num. 95. expresso, quin obligetur nisi in determinatis temporibus agere formalem poenitentiam de illo. Verum quidem est, quam optimè se gerere prudenter, ac valde meritorie, si ita poeniteret, veramque efformaret contritionem, aut

ac-

actum intense dilectionis Dei. In hoc sensu dicit D. Thomas 3. p. quæst. 48. quod *pœnitentia debet durare usque in finem vitæ: semper enim debet displicere homini, quod peccaverit*; quod etiam intelligitur de peccatis jam remissis, quibus recordatur. Et Scotus dicit: *quod perfecta dilectio semper impellit ad odiendum illud, quod est contra Deum, quando actu cognoscitur, vel cogitatur.*

QUÆSTIO VII.

Quæ peccata remittantur per veram pœnitentiam?

103 **N**on institimus hic sermonem de Pœnitentia Sacramentali, sed præcisè de pœnitentia virtute, quæ à Patribus appellatur *pœnitentia cordis*. Hæc est duplex, perfecta, nempe, quæ dicitur *Contritio*, & imperfecta, quæ appellatur *Attritio*. Dicitur imperfecta, non quia sit mala; sed quia extra Sacramentum Pœnitentiæ insufficientis est ad perfectam peccatorum remissionem: contritio verò, utpote pœnitentia perfecta, ad peccati remissionem sufficit, cum voto, aut proposito confessionis faciendæ. De huius efficacia hic loquimur, & quærimus: *An tanta sit, & talis, quod remittat omne peccatum, quantumvis grave?* Et notandum, aliquos esse peccatores ita in malo obfirmatos, ut eis pœnitentia, quamvis non impossibilis, sit valde difficilis, quæ difficultas oritur ex parte peccatoris, qui propter delinquendi consuetudinem jam obduruit, juxta illud Prov. 38. *Peccator, cum in profundum malorum venerit, contemnet, scilicet, peccare: eo quod, propter nimiam peccandi consuetudinem delicta apparent ei leviora, nec de illis erubescit, juxta illud Jerem. 3. Frons meretricis facta est tibi, noluit erubescere.* Oritur etiam difficultas ex parte Dei, justè peccatores punientis, ac eis ple-

rumque auxilia specialia ad pœnitendum denegantis. His scitis:

104 **E**rga præsentem controversiam plures fuerunt erroneæ sententiæ. Prima fuit Novatianorum, qui, ut refert S. Cyprianus Lib. 1. Epist. 1. Hieronymus Epist. ad Marcellam, & alii Patres, affirmarunt, peccata post Baptismum commissa esse omnino irremissibilia, ac proinde nihil ad peccatorum remissionem suffragari posse pœnitentiam. Unde negaverunt consequenter, & maximè efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc hæresis à *Novato*, omnium malorum fonte, effluxit, qui fuit Episcopus in Africa, ut colligitur ex Epist. 49. S. Cypriani, & à quo, tamquam à pestilenti capite, prodierunt Novatiani: quorum errores damnati sunt, ut scribit Eusebius Lib. 5. historiæ cap. 35. in Romana Synodo à num. 255. & postea in Conciliis pluribus. Secunda erronea sententia fuit quorundam Judæorum, dicentium, remissibile esse tertium peccatum, & jam non aliud amplius. Errorem hunc confirmabant ex cap. 1. & 2. Amos, ubi pluries Deus testatur, se condonaturum tertium, non verò quartum peccatum. Hoc verò falsissimum est, ut videri est ibi: nam pluries dicitur de tertio idem, ac de quarto peccato, sic: *super tribus sceleribus, et super quatuor non convertam eum &c.* Loquitur enim de pœnis, & afflictionibus temporalibus, quibus eis minatur, ut à tantis recedant excessibus. Error 3. fuit aliquorum, asserentium, numerum peccatorum esse determinatum, quem cum homo impleverit, jam non potest veniam assequi, etsi statum viatoris, aut huius vitæ cursum nondum impleverit. Ultimus tandem error fuit impii Lutheri docentis, omnia nostra opera esse peccata, Deo id consentiente, atque volente: ea tamen ad pœnam non imputari præter peccatum solum infidelitatis. Doctrina hæc, sicut & alia, quam jam impugnavimus num. 71. scilicet, quod ad peccati remissionem

sionem sat est, novam vitam inire, absque pœnitentia ulla, aut illius detestatione, proscripita est à Leone X. & à Concilio Tridentino. Contra hos errores stat.

105 **C**onclusio I. *Omne peccatum, quantumvis grave, per pœnitentiam perfectam remitti potest.* Est de fide, & probatur 1. ex testimoniis Sacræ Scripturæ, in quibus absque restrictione, verè contritis, ac pœnitentibus promittitur remissio omnium peccatorum. Sapientiæ 11. *Misereris omnium; quia omnia potes, & dissimulas peccata omnium propter pœnitentiam.* Ezechiel. cap. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et cap. 33. *Viva ego, dicit Dominus, nolo mortem impii.* Id est, nolo, quod impius moriatur, quacumque impietate fuerit reus. Probatur 2. ex Concilio Lateranensi sub Innoc. III. ubi cap. *Firmiter* dicitur: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Et in Tridentino Sess. 14. Can. 2. decernitur, *omnia omnino peccata, post Baptismum commissa, remitti posse per pœnitentiam*: ergo nullum est peccatum irremissibile, & quod per veram pœnitentiam deleri non possit. Eandem docuerunt veritatem SS. Patres: nam Chrisostomus hom. 33. in Matth. dicit: *Non est aliquod peccatum, quod non cedat virtuti pœnitentiæ.* Et in Psalm. 50. *Peccasti? pœnitere: millies peccasti? millies pœnitere.* Ambrosius Lib. 2. de Pœnitentia c. 5. *Tanta est Dei erga homines propitiatio, ut Judas potuisset non excludi à venia, si pœnitentiam non apud Judæos egisset, sed apud Christum.* Hoc est, si intima conversione pœnituisset, & veniam sincerè à Christi pietate expectasset, ut ipse Ambrosius inquit. Idem scribit Augustinus in Enchiridio c. 65. & luculenter colligit ex parabola filii prodigi Chrysologus Ser. 3.

Tom. I.

106 **P**robatur 3. ratione: Si peccatum aliquod per pœnitentiam deleri non posset, eò esset, vel quia peccator non posset de illo pœnitere, vel quia pœnitentia aliquod peccatum non posset delere; sed utrumque falsissimum est: ergo. Prob. minor. quoad primam partem: Nullus est homo, qui quamdiu viator est, non habeat liberum arbitrium flexibile ad bonum, & malum: & pariter divina gratia cor cujusvis peccatoris, quantumvis obdurati, ad veram pœnitentiam flectere potest: ergo. Antecedens patet; quia viator, quantumvis induratus, non est, sicut sunt dæmones, & damnati, quorum affectus, cum in malo sit obstinatus, per veram pœnitentiam dolere non possunt de peccato. Unde (& declaratur per hoc efficacia, aut possibilitas divinæ gratiæ) S. Augustinus homil. 50. egregiè inter alia plura dicit: *Quidquid enim feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in hac vita es: unde & omnino Deus, si sanare nollet, auferret.* Cur ergo ignoras, quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Prob. primam minor. quoad secundam partem: nempe, nullum esse peccatum, quod pœnitentia delere non possit: quia hoc repugnat divino illi amoris Patris erga homines, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat. Quare, si per veram pœnitentiam peccatum aliquod deleri non posset, peccator, etsi crederet, periret. Etiam derogaret virtuti Passionis Christi, & ejus copiosissimæ redemptioni, à qua mortalis nullus quantumcumque peccator excluditur, si ab ipso non proveniat perditio. Ergo cum Deus misericors in adductis locis Sacris, & plurimis aliis suam exprimat voluntatem de salute, & conversione peccatoris, & veniam ei promittat, si convertatur, sequitur evidenter, peccatum omne per pœnitentiam posse in hac vita deleri.

Yy

107

107 Objicies pro Hæreticis, maximè Nestorianis, plura Sacra oracula ab ipsis perversè intellecta. 1. Proverb. 1. ubi de peccatoribus, qui propter pœnitentiæ dilationem consilium Dei neglexerunt, & increpationes, dicitur: *Quando venerit super vos tribulatio, & angustia, tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non invenient me.* Jerem. 14. *Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum, & si obtulerint holocausta, & victimas, non suscipiam ea.* Et Eccles. 7. *Considera opera Dei; quia nullus potest corrigere, quem Deus despererit.* Et Matth. 12. *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemiæ non remittetur.* Et quicumque dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro: ergo sunt aliqua peccata, quæ per pœnitentiam non possunt expiari, & consequenter pœnitentia omne peccatum non remittit.

108 Respondeo, negando absolutè utramque consequentiam. Ad tria prima Sacra oracula dico: in illis solùm agi de peccatoribus, qui Deum invocant, & ad illum confugiunt; non quidem vera humilitate, neque sincera, & efficaci peccati displicentia, seu pœnitentia; sed id faciunt magis temporali timorè, poenarumque aversione, quàm intima cordis conversione. Si enim sincerè convertantur, & de offensa Dei doleant, Deus excipiet eos, quacumque peccatorum atrocitate, & multitudinem teneantur. Sic loquitur Isaia 1. *Si fuerint peccata vestra, ut coëcinum, quasi nix dealbabitur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Ad locum Matth. dico cum D. Augustino Serm. 21. *de verbis Domini, Christum per illam blasphemiam contra Spiritum intelligere impœnitentiam finalem, quæ propositus irremissibilis est; quia post hujus vitæ terminum nulla est veniæ spes, nec futura peccatorum remis-*

sio. Et si per vocabulum *irremissibile* intelligatur aliquod peculiare peccatum, ita appellatur; non quia remitti omnino non potest, sed quia difficilimè, & rarissimè remittitur defectu efficaci gratiæ prævenientis, & adjuvantis, quæ ad se convertendum per veram pœnitentiam necessaria est omni peccatori.

109 Nec sic loquitur textus, intelligendo, quòd blasphemia in Spiritum Sanctum sit gravissimum omnium peccatum: sed quia magis directè opponitur bonitati divinæ, seu Spiritui Sancto, qui est fons inspirationum, & gratiarum, sine quibus impossibile est pœnitere, sicut oportet, ut gratia justificationis conferatur, ut definit Tridentin. Ses. 6. Can. 3. dicens: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Unde qui blasphematur in Spiritum Sanctum, id est, qui opera Spiritus Sancti, quæ operatur ad nostram salutem, despicit, aut tribuit spiritui maligno, dignus est, ut specialibus auxiliis destituatur: nam quicumque sic loquitur, specialiter delinquit contra talia Spiritus Sancti opera: & qui sic blasphematur in Spiritum Sanctum, indignus est illius adjutorio. Sic faciebant illi, contra quos Christus loquebatur: nam Marcus reddens rationem illius sententiæ, ait: *Quoniam dicebant, spiritum immundum habet... quoniam Beelzebub habet, & quia in Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* At verò illud peccatum remitti potest per misericordiam Dei: & fortè, ut ait S. Ambrosius 2. de pœnitentia: *credibile est inter Judæos, qui dixerunt, in Beelzebub ejicere Dæmonia, qui sic peccabant in Spiritum Sanctum, Dæmoni tribuentes manifesta Spiritus Sancti opera, nonnullos prædicatione Patri fuisse conversos ad fidem.*

110 Replicabis: Aliquos pœnituit peccatorum suorum, qui veniam illorum consecuti non fuerunt: ergo pœnitentia non remittit, nec remittere potest omnia peccata. Prob. antecedens ex Lib. 2. Machab. cap. 9. ubi dicitur, quòd Antiochus Rex sua crimina agnovit, de eis doluit, & pro rebus ablatis satisfactionem Judæis spondit; sed hoc non obstante, non obtinuit veniam peccatorum suorum: nam ibidem dicitur: *Orabat hic scelestus ad Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus: ergo.* Idem cernitur in Juda proditore, de quo Sacer Textus refert, quòd de suo peccato pœnituit, dicens: *peccavi, tradens sanguinem justis: & quòd pœnitentia ductus retulit triginta argenteos.* Respondeo cum ipso Sacro Textu, pœnitentiam Antiochi imperfectam, & frustraneam fuisse, ac duntaxat naturalem: nam de præterita culpa doluit, non quidem propter offensam Dei, sed propter morbi, & dolorum acerbiteriam. Ob hoc Textus subdit: *Hinc igitur cepit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, &c.* Quibus significat, eam afflictionem fuisse causam suæ pœnitentiæ, non offensam Dei: non igitur mirum, quòd invalida, & inutilis fuisset, cum ejus objectum naturale omnino esset. Per eandem doctrinam respondetur ad illud Judæ, qui juxta SS. Patres, *nequaquam, quamvis dixit: peccavi, pleno corde doluit; nec habuit spem de venia, sed potius fuit affectus desperationis.* Unde ait D. Ambrosius num. 105. adductus, *venia fuisse indignum, quia non intima conversione pœnituit: nam Christus tantæ pietatis est, ut veniam & donasset, si Judas misericordiam expectasset.*

111 Conclusio II. Per pœnitentiam non potest remitti unum peccatum mortale sine alio de via ordinaria, & juxta præsentem divinam providentiam. Est communis apud Theologos. Colligitur ex pluribus Sacris

Textibus: nam Ezechiel. 18. dicitur: *considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, & non morietur; sed singula mortalia mortem inferunt animæ, juxta ipsum Ezechielem, dicentem: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: ergo cum non possit simul esse per gratiam viva, & per peccatum mortua eadem anima, sequitur, quòd unum mortale sine alio non possit remitti.* Confirmatur ex D. Jacobo cap. 2. dicente: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Denique, res est clarissima, quòd homo per gratiam est Dei amicus, & per peccatum inimicus: ergo cum per gratiam remittatur peccatum, & per eam inimicitia cum Deo tollatur, certum est, quòd naturaliter, & de via ordinaria simul hæc stare non possunt.

112 Objicies: Deus aliquando unum dimittit peccatum, & non aliud, & hoc juxta ordinariam providentiam ipsius: ergo falsa est assertio nostra. Prob. antecedens: nam Amos cap. 4. nomine Dei inquit: *plui super unam civitatem, & super alteram civitatem non plui: pars una compluta est, & pars, super quam non plui, aruit; sed verba hæc explicat D. Gregorius hom. 10. in Ezechielem de illo, qui se corrigit ab uno peccato, & permanet in alio: ergo juxta D. Gregorium unum potest remitti peccatum, & non aliud.* Confirmatur: peccata hominibus dimittuntur per charitatem, juxta à nobis dicta num. 79. sed uni præstantiorem dilectionem Dei habent, quàm alii: ergo illi plurium peccatorum remissionem obtinent. Prob. consequentiam: pro majori amoris intensione, vel remissione plura, vel pauciora peccata remittuntur, ex illo Lucæ 7. *cui minus remittitur, minus diligit: id est, minus remittitur illi, qui minus diligit: ergo,*

113 Respondeo, negando antecedens,

dens. Ad expositionem, quæ est in sensu morali, & mystico, D. Gregorii, dico, aliquos esse, qui resecant, quoad actum, unum vitium, v. g. odium proximi, & non aliud, nempe, luxuriam. In tali casu aliquo qualiter obligatur Deus ad conferendum auxilium, ut discedat ab omnibus excessibus: quod si non fecerit, numquam perveniet ad culpæ remissionem; siquidem ut S. Jacobus cap. 2. dicit: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ad Confirmationem claritatis gratia distinguo maj. Dimittuntur per charitatem magis, aut minus intensam peccata, quantum ad culpæ remissionem, nego: quantum ad intensiorem, vel remissionem poenæ, concedo maj. min. & nego conseq. Est dicere, quod poenitens ampliorem poenæ pro peccatis luendis obtinet relaxationem, quo Deum prosequatur ferventiori actu dilectionis: at verò reatus culpæ dilui non potest nisi propter perfectum actum contritionis, vel dilectionis Dei; quoposito, omnia omnino peccata diluuntur.

114 Hic queri solet: *An per Dei absolutam potentiam, seu extraordinariam dispositionem, unum peccatum possit sine alio remitti?* Resolutio hujus difficultatis pendet ab illa, quæ inter Thomistas, & Scotistas controversatur in Tract. de peccatis, & de gratia sanctificante. Scotistæ, qui ibi defendunt, Deum posse peccatum remittere per solam extrinsecam, & gratuitam condonationem, & absque ulla sanctificantis gratiæ infusione; atque pariter, gratiam sanctificantem in esse qualitatis, & præcisivè à divina ordinatione posse simul cum peccato in eodem compati, affirmativè resolvere debent, ex consequentia doctrinæ. At verò, Thomistæ propugnantes oppositum, consequenter etiam hic negativè resolvunt. Unde cum hoc dependeat ex illis principis, orio-

sum esset hic ampliùs immorari.

115 Interrogas pro complemento hujus quæstionis: *Per quid, & quomodo remittatur peccatum veniale?* Certum est 1. peccatum veniale, præter obligationem ad poenam, relinquere in anima aliquam maculam, seu reatum culpæ. Quare, cum *nihil coinquinatum introibit in regnum caelorum: neque ullus ascendet in montem Domini, aut requiescet in monte sancto ejus, nisi innocens manibus, & mundo corde:* hinc consequenter quodlibet peccatum, etiam levissimum, necessariò elui debet ante aternæ felicitatis consecutionem. Quod autem peccatum veniale aliquam maculam expiendam relinquat, manifestè colligitur ex universali præxi Ecclesiæ, quæ poenitentiam Sacramentalem imponit pro solùm venialibus confessis, & quoad culpam per absolutionem remissis. Certum est 2. peccatum veniale non disolvere amicitiam cum Deo, atque adeo compatibile esse cum statu gratiæ; & pariter posse unum veniale remitti, si quis de illo doleat; alio non remisso, si de ipso non doleat.

116 An verò ad venialium remissionem prærequiratur status gratiæ sanctificantis? Affirmat Subt. Doct. 4. dist. 15. quæst. 1. quod pluribus rationibus, & Sacris locis suadere conatur. Eandem sententiam docuit Serap. Doct. in 4. dist. 21. part. 1. art. 1. quæst. 5. dicens, post aliquarum objectionum satisfactionem: *Tenendum est omnino de omnibus peccato generaliter, quod nullum omnino potest deleri sine gratia gratum faciente: sic enim decrevit nos sanare divina misericordia, & hoc dicunt Sancti, & sonat Scriptura: quæ maximè ponit, gratiam esse necessariam ad delenda peccata.* Hanc confirmat sententiam auctoritate S. Augustini 21. de Civitate cap. 17. ubi loquens de necessitate gratiæ ad mortalius remissionem, subdit: *Si enim mi-*

nimè peccata, sine quibus non est etiam vita justorum, aliter non remittuntur; quanto magis multitis, & magnibus criminibus involuti, etiamsi ea perpetrare jam desinant, nullam indulgentiam consequuntur &c. His breviter prælibatis.

117 Respondeo: *peccatum veniale remittitur, quantum ad reatum culpæ, & poenæ per poenitentiam formalem, aut virtuales; per Sacramentorum dignam receptionem; per opus meritorium quodlibet; & per Sacramentalia.* Prob. quoad primam partem: peccatum veniale remitti potest per id, per quod remitti potest mortale; sed ad hujus deletionem sufficit actus poenitentis, nedum formalis, sed etiam virtualis: ergo. Major videtur innegabilis, & minor constat ex dictis quæst. 5. Conclus. 1. & 2. Prob. secunda pars, scilicet, posse remitti per Sacramentorum receptionem: omnia novæ legis Sacramenta nobis fructum Passionis Christi applicant, institutaque sunt ad animas sanctificandas, illasque ad gloriæ æternæ consecutionem perfecte disponendas: ergo & ad tollenda omnia impedimenta, quæ remorari possunt ab illius consecutione: ergo cum venialia ab ea retardent, sequitur, quod per Sacramenta remitti possint. Deinde: Sacramenta ex primaria Christi institutione ordinantur in remedium peccati mortalis, vel ad illud eluendum, ut Baptismus, & Poenitentia, vel ad illud præcavendum, ut de quolibet est dictum; sed peccata venialia faciliùs, quàm mortalia, remittuntur: ergo consequens est, quod per Sacramenta remittantur. Tertia pars, scilicet, veniale posse remitti per opus meritorium, docetur à Sub. Doct. adducto paulò supra, ubi dicit, peccatum veniale non solùm condonari posse per actum poenitentis, sive internæ, sive externæ; sed etiam per quemlibet actum bonum, & meritorium, qui sit magis acceptus Deo, quàm

actus peccati venialis fuerit ipsi odiosus.

118 Quarta denique pars, scilicet, Sacramentalia habere vim remittendi peccata venialia, affirmatur ab omnibus Theologis, & SS. Patribus, necnon et à decretis Pontificum. Quomodo hoc eveniat, & quæ ac quot sint Sacramentalia, stabilitum jam manet Tract. 1. de Sacram. in Genere, disp. 4. quæst. 2. & ultima, pertractante de Cæremoniis Sacris, & Sacramentalibus. Nec aliquid aliud hic vacat superaddendum: sed solùm advertendum, quod Sacramentalia talem vim, & efficaciam remittendi habent, prævio, vel conjuncto motu, & affectu animi, sibi illa applicantis: nam requiritur, quod nobis, mediante fide nostra, & religionis cultu, applicentur. Sunt enim cæremoniæ Sacræ, quarum usus debet esse humano modo, & religiosus. Idcirco fortè in amentibus, aut dormientibus non habebunt effectum talem: at verò in infantibus ex impetratione Ecclesiæ habent effectus fugandi Dæmones, & alios similes.

QUÆSTIO VIII.

An, culpa per Poenitentiam remissa, adhuc maneat reatus poenæ temporalis? Et quomodo hic solvi possit?

119 **C**ontroversia præsens est inter Catholicos, & Hæreticos, & de culpa, tam mortali, quàm veniali, movetur: an, nempe, remissa culpa, tam mortali, quàm veniali, aliqua restet luenda poena temporalis? Et supponendum est, quod remissa per poenitentiam culpa mortali, remittitur etiam reatus, seu obligatio poenæ æternæ luendæ: nam de via ordinaria numquam mortalis culpa remittitur, quin gratia hominem justificans infundatur, ut definit Trident. Sess. 6. cap. 7. Cum ergo, saltem de lege ordinaria repugnet, ali-

aliquem Regni Cœlestis esse hæredem, & simul addictum æternæ poenæ; aliás simul esset dignus vita, & morte æterna; hinc est, quòd remissa per poenitentiam mortali culpa, impossibilis est in justificato æternæ poenæ reatus. Affirmant omnes Catholici Doctores cum Concilio Tridentino cap. 14. docente, quòd remissa culpa mortali multoties remanet in poenitente reatus poenæ temporalis, quæ solvi potest per debitam satisfactionem: & de qua satisfactione sic dicit: "Non quidem pro poena æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, uná cum culpa remittitur, sed pro poena temporali, quæ, ut Sacra litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis &c." Negant vero Sectarii, & præsertim impius Calvinus cum suis discipulis, volentes, ut suas sequantur libertates, peccato remisso, omnem omnino poenam etiam remitti, adeo ut poenitens nulla indigeat alia satisfactione. Contra hunc errorem.

120 Sit Conclusio: *Dimisso per poenitentiam peccato mortali, quoad reatum culpæ, remanet sæpè in poenitente reatus poenæ temporalis.* Sic definit Concilium Florentinum, ubi in Decreto Eugenii decernitur, satisfactionem esse tertiam partem poenitentia, impositam pro peccatis ad arbitrium Sacerdotis: quæ satisfactio poenitentialis fit præcipue per *jejunia, orationes, eleemosinas, aliaque opera poenalia*: ergo supponit, quod culpa remissa, adhuc superest aliqua poena. Idem docet Tridentinum Sess. 6. Can. 130. Sed adhuc clariús Sess. 14. cap. 8. sic definiens: "Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & à Verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin universa etiam poena condonetur: perspicua enim, & illustria in Sacris litteris exempla reperiuatur, quibus, præter divinam traditionem hic error quàm

manifestissimè revincitur: "ergo juxta Tridentinum, contra Scripturam, & Traditionem procedunt contrarium asserentes. Oracula autem divina, quibus confirmatur catholica veritas, sunt plurima: nobis verò sufficit illud Exodi cap. 32. ubi Israhelitis lapsis in adorationem vitulæ aurei Deus remisit peccatum ad Moysis preces: *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Et nihilominus ibidem dicitur, Deum reservasse poenam populo illi infligendam propter illud peccatum: nam subditur: *in die ultionis visitabo, & hoc ad peccatum eorum: percussit enim populum Dominus pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.*

121 Hujus divinæ ordinationis varias proferunt rationes congruentiæ SS. Patres. Primam profert D. Augustinus Tract. 124. in Joan. nempe, ut peccati gravitas magis innotescat peccatori, & ab offensa removeatur timore poenæ induendæ: "prolixior rem, inquit, voluit esse poenam, quàm culpam: temporaliter enim detinet poenam, quem jam reum ad damnationem non detinet culpa." Secundam affert, & mirificè explicat ipse Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 67. nempe, ut peccator debitam satisfactionem exolveret Deo, & intelligeret ejus benignitatem, & misericordiam, æternam poenam condonando. Tertiam rationem profert Chrysostomus hom. de Poenitentia, videlicet, ad frenandam licentiam peccandi, quæ utique esset longè major, si simul cum culpa omnis poena relaxaretur. Quartam adducit Augustinus, dicens; ita conveniens fuisse, ut habitus vitiosos malè vivendo contractos, per actus contrarios tolleremus: quod quidem fieri non poterat efficacius, quàm temporales poenas luendo. Unde Lib. de peccatorum meritis c. 24. inquit: "Propter hoc Adam ejectum è Paradiso contra Eden habitasse; id est, contra sedem deliciarum, ut

sig-

"significaret, quòd in laboribus, qui contrarii sunt deliciis, erudienda esset caro peccati, quæ in deliciis obedientiam non servavit." Conveniens fuit denique, quòd remissa culpa, adhuc poena restet sustinenda, ut membrorum cum suo capite Christo esset proportio quædam. Quare, cum Christus pro peccatis nostris acerbissimos cruciatus temporales subierit, decebat pari ratione, ut poenam aliquam pateremur pro talibus peccatis. Omnes has rationes Tridentinum optimè enumerat, & disertissimè explicat Sess. 14. c. 8.

122 Arguit Calvinus 1. Remissio peccatorum fit, mediante poenitentia, per meritum, & virtutem Passionis Christi; sed Christus per Passionem suam plenissimam exhibuit satisfactionem pro omnibus peccatis, & hoc tam quoad reatum culpæ, quàm quoad reatum poenæ: ergo quælibet nostra satisfactio est superflua, & consequenter, remissa culpa, nulla est jam luenda poena. Major constat ex Apostolo ad Rom. 3. dicente: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Minorem intendit impudenter probare Calvinus, sic dicens: *Quid, quæso, nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis poena exigetur?* Urgetur: Causa remota, & ablata, aufertur ejus effectus; sed reatus culpæ est causa reatus poenæ: nam quisque poena dignus est; quia peccatum commisit: ergo ablato per poenitentiam reatu culpæ, aufertur consequenter reatus poenæ.

123 Respondeo distinguendo, aut declarando minorem: plenissimam exhibuit satisfactionem &c. quoad dignitatem ipsius, & virtutem, concedo: quantum ad applicationem, & modum, quo ex Dei voluntate ab hominibus participatur, subdist. aliquando, concedo: semper, nego min. & conseq. Christus igitur

pro nobis satisfecit, ut causa universalis, singulis applicanda per propriam cooperationem, & juxta cooperationis mensuram, & maximè per poenitentiam. Modus autem proportionatus naturæ liberè est, quòd sicut liberè dereliquit, liberè sibi applicet causam satisfactionis, & remissionis peccati. Hoc adhuc stante, ipse Christus voluit, & instituit, tollere per Baptisum, & proportionè servata, per Martyrium omnem reatum, tam culpæ, quàm poenæ; quia sic applicavit merita, & efficaciam suæ Passionis, ut notum est omnibus Catholicis. Maximum itaque beneficium nobis præstitit Christus, nostra peccata, mediante vera poenitentia, condonando, & æternam poenam illis correspondentem in temporalem commutando, quam per nostram satisfactionem, ipso adjuvante, solvere possumus: Delirat ergo Calvinus. Ad urgentiam dist. maj. remota causa effectus in esse, & conservari, concedo: quæ solum est causa illius in fieri, & non in conservari, nego maj. & conseq. Sunt aliquæ causæ, à quibus pendet effectus in conservari, quales sunt *causæ formales*, nempe, forma respectu compositi. His enim deficientibus, deficit etiam compositum. Aliæ sunt *purè efficientes*, & à quibus effectus dependet tantum in fieri, ut Architectus est causa ædificii; quibus deficientibus, effectus non deficit, ut experientia patet. Est ergo reatus culpæ causa reatus poenæ non quidem formalis, ut est anima rationalis, constituens hominem, & qua separata à corpore, homo necessario deficit: sed in genere causæ efficientis, seu ut fiat, aut resultet reatus poenæ: & idè, sicut deficiente artifice, non ob hoc ædificium deficit, sic pariter, deficiente, aut remissa culpa, poena ex illa proveniens manere potest; quia ab illa pendet in fieri, non verò in conservari.

124 Arguit 2. aliis Scripturæ testi-

ti-

timoniis, in quibus Deus testatur, & promittit obliviscere peccata hominis, qui poenitentiam egerit. Ezech. 18. dicit: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et cap. 33. *Impietas impij non nocebit ei iniquitate die conversus fuerit ab iniquitate sua.* Apost. ad Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu.* Ex quibus sic insurgit: Sed Deus iniquitatum peccatoris absdubiè recordaretur: impietas ipsa noceret impio: & aliquid superesset damnationis in his, qui sunt in Christo Jesu, si culpa dimissa, superesset temporalis poena luenda: ergo remisso reatu culpæ, nullus remanet reatus poenæ. Præcavetur solutio: quia licet Deus justos non semel affligat poenis, ista in illis non sunt satisfactiones pro peccatis, sed eorum certamina, & virtutis exercitationes, ut D. Augustinus in Psal. 138. docet, dicens: *Flagellat nos in istis languoribus, & eruit nos. Tota ista miseria generis humani, in qua gemit mundus, dolor medicinalis est, non sententia poenalis:* ergo poenæ à justis post remissa peccata luendæ, non sunt satisfactoriæ, sed vel æternæ vitæ meritorie, vel tantum medicinales. 125. Respondeo ad duo Prophetæ loca, satis esse, ut Deus obliviscatur iniquitatum peccatoris, quod eum recipiat in suam amicitiam, & condonet æternam poenam. Sic oblitus est delicti Adæ, à quo eum eduxit, ut dicitur Sapientie 10. quo non obstante, tam Adæ, quam suis posteris calamitates plures, & mortis poenam reservavit. Constat similiter ex Num. 10. quod Deus Mariam, sororem Moysis, à peccato murmurationis absolvit, & tamen jussit, eam extra castra septem diebus separari. Unde Deus propriè dicitur, non recordari, seu oblivisci peccatorum, ex quo illa condonet, & amicitiam admittat, nec ei peccata talia aliquid noceant in ordine ad

consequendam beatitudinem, quamvis remaneat debitor poenæ temporalis. Ad illud Apostoli dico, nihil utique damnationis esse in justificatis, quamvis aliquando remaneat adhuc reatus aliquis poenæ temporalis: temporalis enim poena tantum distat ab influxu, vel ordinatione in damnationem, quod potius ab ea revocet: siquidem peccatorem efficit cautiorem, ne in peccatum rursus incidat, & peccandi licentiam valde cohibet. Ad D. Augustinum dico, quod quamquam eo in loco satisfactionis non meminerit, tamen in aliis, ut in Lib. 3. de Civit. cap. 6. pluries docet, poenas, & calamitates non tantum esse exercitationes justorum, sed etiam non semel satisfactiones peccatorum. Ex quo neganda est consequentia illata à Calvino. Calamitates enim infligi possunt ad meritum majus, & etiam ad justorum satisfactionem, ut Calvinus volens, nolens, fateri debet: nam illud Psalmi 89. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum,* quæ expressiones poenas propriè dictas significant, ipsis justis tribuit. Procedit ergo Calvinus valde inconsequenter.

126. Ex dictis inferitur resolutio secundæ partis quæstionis, nempe, *quomodo poena, quæ, post peccata gravia remissa, adhuc restat luenda, solvi possit in hac vita?* Potest itaque solvi, & ille poenæ reatus satisfieri, tam per Sacramentalem Poenitentiam satisfactionem impositam à Confessariis, quam per opera voluntaria poenalia, per eleemosinam, per humilitatis, obedientiæ, temperantiæ, patientiæ, aliarumque virtutum rectam exercitationem: omnia hæc, & similia offerendo recto corde, ac Dei misericordiam implorante in satisfactionem poenæ, pro suis jam dimissis peccatis adhuc debitæ, & vel in hac, vel in alia vita solvendæ.

QUÆS.

QUÆSTIO IX.

In qua inquiruntur aliqua alia huc spectantia.

127. QUÆRES I. *Quid sit sentiendum de poena pro peccato veniali debita?*

Duplici in sensu excitatur hæc difficultas, scilicet: An peccatum veniale in hac vita quoad reatum culpæ remissum, sed non quoad reatum poenæ, adjunctum cum peccato mortali in damnato, puniatur poena æterna, vel tantum temporali in inferno? Vel si nec quoad reatum culpæ, nec poenæ sit remissum, quid tunc dicendum? Triplex hac in re versatur sententia. Prima docet, peccatum veniale in eo, qui cum mortali decedit è vita, puniri poena æterna, sive remissum sit quoad culpam, sive non, dummodo non fuerit remissum quoad poenam. Sic Vazquez, & alii à Mastrio citati. Secunda sententia docet, tale veniale peccatum non remissum, & cum mortali conjunctum, poena æterna puniri in inferno: temporali verò, si jam quoad culpam fuit remissum, & solum remanebat poenæ debitum. Idem docet de peccato mortali remisso, dum in hac vita debitum poenæ temporalis non est solutum. Hæc videtur opinio Angelici Doct. D. Bonaventuræ, & Alensis, quam Gonetus dixit valde esse probabilem.

128. Sed adhuc inter sic opinantes controversitur: *an poena illa, qua veniale in æternum, justa ipsos, puniatur, sit æterna per se, vel tantum per accidens, & ratione conjunctionis cum peccato mortali?* Et quamvis certum sit apud fere omnes Catholicos, peccato veniali, non adjuncto mortali, poenam temporalem per se correspondere; tamen voluerunt nonnulli, cum quibus citatur Alensis 2. parte q. 124. veniali secundum se, & ex natura sua deberi poenam æternam, & per accidens tem-

Tom. I.

poralem, ratione, nempe, ordinationis, & benignitatis divinæ. Tertia vero sententia asserit, peccatum veniale, sive remissum quoad culpam, & non quoad reatum poenæ, sive non remissum, & cum mortali conjunctum, non puniri poena æterna in inferno, sed temporali tantum. Ita Subt. Doct. dist. 21. num. 6. ubi prædictas sententias impugnans, contendit, poenam æternam nec per se, nec per accidens esse debitam peccato veniali. Hæc est communis in sua Schola, quam sequuntur non pauci extra ipsam. Unde, juxta hos Authores, poena pro veniali in inferno finitur, & completur, completo, & finito passionis, seu satispassionis termino. Quia verò difficultas hæc propriè agitur Tract. de Peccatis, & Vitiis, tam ab Scotistis, quam ab aliis: nosterque Gonzalez Matheo illam pro dignitate pertractet sua Scotica Theologia tom. 4. in 2. sentent. Tract. 5. de Peccatis, disp. 2. quæst. 5. sufficiat, illam hic insinuare: & ne tempus absolvamus inutiliter, aut propter repetitionem molestè, lectorem ad præcitatum Tract. remittere placet.

129. Quæres 2. *Quando, & quomodo decedentibus in gratia peccatum veniale remittatur?* Hoc dubium resolutione difficilimum, excitatur etiam à prædicto Gonzalez quæst. 5. citata num. 226. Sunt varii, valdeque diversi modi dicendi circa ipsum, quos refert Subt. Doct. in 4. dist. 21. quæst. 1. Primus dicendi modus est, peccatum veniale in Purgatorio remitti per *satispassionem*. Hanc fuisse Subt. Doct. sententiam, judicaverunt Scotistæ aliqui, eo quod num. 7. innuit, quod possit dici, nihil aliud esse culpæ venialis remissionem, quam poenæ temporalis pro ipsa debitæ solutionem. Unde concludit: *Et consequenter, soluta poena temporali in Purgatorio, ex hoc ipso, ipsa culpa venialis soluta est.* Sed videre debuissent tales Scotistæ, quod postea §. *Si iste modus non placet*, dicit, Zz SS.

SS. Patres videri distinguere inter remissionem culpæ, & pœnæ: ex quo inferre debebant, quod Scotus, etsi prædictam sententiam indicet, illam, ut propriam, non tenet: aliàs contra sensum sibi notum SS. PP. resolveret, quod quidem non censendum est verisimile.

130 Secundus dicendi modus, qui etiam indicatur à Subt. Doct. d. 21. est, peccatum veniale remitti quoad culpam in illis, qui in gratia decedunt, in primo instanti separationis animæ à corpore. Et tunc remittitur, dicunt sic opinantes, vel per opera bona in hac vita facta, & in remissionem venialium in divina acceptatione pro illo instante reservata: vel per condonationem Dei extrinsecam. Tertius dicendi modus convenit cum secundo, quantum ad remissionem venialis in instanti separationis animæ à corpore: sed differt ab illo in eo, quod sui Authores doceant, remitti; quia in illo instanti anima justi habet ferventem actum charitatis, seu Dei dilectionem, aut præcedentium culparum perfectam contritionem. Pro hac sententia citari solet Angelicus Doct. Quartus dicendi modus docet, decedentibus in statu gratiæ venialia remitti ante mortem, mediante dispositione voluntaria, per actum sufficientem ad ejus deletionem, quem actum Deus tenetur suscitare ex vi prædestinationis illius justi: adeo ut, non verificetur, justum mori in peccato, eo quod Deus ex vi prædestinationis illius ad gloriam, teneatur præbere auxilium efficaciter, ut pœniteat, vel excitare efficaciter ultimum actum vitæ, qui sit sufficiens dispositio ad venialium remissionem. Hoc eodem modo, quo hæc sententia discurrit de prædestinato proximo morti cum veniali, discurrit etiam de prædestinato morti proximo cum mortali, in ordine ad divinam providentiam, quam Deus tenetur habere cum illo in vi prædestinationis, ne decedat in peccato mortali.

31 Hic quartus dicendi modus amplectitur, & defenditur à nostro citato Gonzalez nu. 231. dicente, quod quamvis inter modos à Subt. Doctore insinuos non contineatur: non tamen rejicitur, sed potius permittitur. Ratio illius est; quia cum mulum ex tribus ab ipso insinuos resolutoriè tradat sub num. 10. ait: "Si neuter modorum istorum placet; queratur alius, quem est difficile invenire: nam motum aliquem bonum, per quem, tamquam per dispositionem, vel meritum de congruo, vel condigno deleatur veniale, ponere in anima post mortem, non videtur doctrinæ Theologicæ consonum, quæ ponit statum illum ab istis immunem." Ubi Scotus, ut non consonum doctrinæ theologicæ, rejicit asserere, veniale remitti post mortem, per aliquod opus bonum extra statum viæ elicatum. Magis ergo consonum est veræ doctrinæ, ac SS. Patribus asserere, veniale non remitti sine aliquo opere bono voluntario, virtualiter saltem retractativo, quod sit dispositio ad peccati venialis remissionem, & deletionem.

132 Quod sic breviter suadetur omne peccatum, sive mortale, sive veniale, quoad culpam irremissibile est extra statum viæ: ergo Deus talem providentiam habere debet cum prædestinato, proximo morti cum veniali, ut excitet actum, qui sit sufficiens dispositio ad ejus remissionem: ergo tenetur providere erga illum, usque in finem vitæ, ut moriatur sine veniali: nam cum extra statum viæ sit irremissibile, & aliunde cum beatitudine inconjunctibile, frustraretur aliter prædestinatio: in gloria itaque nihil etiam levissimè coinquinatum ingrediatur. Antecedens multipliciter suaderi potest: Tum, quia veniale extra statum viæ non potest remitti quoad culpam per satisfactionem, per quam unicè pœna potest remitti. Nec remitti potest extra viæ statum per voluntariam dispositio-

10-

tionem ullam; quia non est status merendi, nec demerendi, nec remissionis, sed unicè præmiationis, vel punitiois. Tum; quia hoc etiam colligitur ex Ecclesiastes cap. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*: id est, post vitam mortalem non est locus merendi, nec demerendi: sed quisque mansurus est in eo statu, vel gratiæ, vel peccati, in quo ex hac vita migravit. Idem significat Matth. cap. 25. parabola decem Virginum, quarum quinque fuerunt prudentes, & quinque fatuæ. Hæc sententia satis est fundata, & sine scrupulo videtur mihi tenenda. Nec simplicius hæc est immerendum, cum, ut monui, controversiæ istæ proprius spectent ad præcitatum Tractatum.

133 Quæres 3. *An merita per peccatum mortificata in peccatoris justificatione reviviscant?* Hæc difficultas, & quæ subsequitur, quamvis hæc scitari soleat ab aliquibus, tamquam in proprio loco, agitur à Theologis Tract. de Merito Justorum, & à laudato Gonzalez Tract. 7. q. 3. num. 257. Plures sunt erga illam sententiæ. Sotus, Ledesma, & Suarez, citantes pro suo sentire D. Bonaventuram, & Alensem, docent, per justificationem non reviviscere merita, quoad totum essenziale præmium illis correspondens ante lapsum, & consequenter nec totam gratiam: sed solum juxta proportionem dispositionis, qua se peccator disponit ad justificationem: Scotistæ non pauci existimantes esse de mente Subt. Doct. dist. 21. q. 1. docent, totam gratiam correspondentem meritis restitui, sed non statim post justificationem, sed vel in fine vitæ, vel in principio gloriæ. Mastrius verò advertit, parum referre; quod dicatur, circa tempus restitutionis gratiæ, quod sit immediate, ac peccator justificatur, aut postea in fine vitæ. Hanc sequuntur plures Theologi.

134 Alii Scotistæ cum Gonzalez Tom. I.

docent, totam gratiam sanctificantem, respondentem meritis justorum mortificatis post peccatum, restitui ipsis per justificationem. Colligunt hanc doctrinam ex Subt. Doct. dist. 46. quæst. 1. Et advertendum, quod hæc nomine gratiæ intelligenda est, nedum gratia per Baptismum accepta, sive à parvulis, sive ab adultis, sed gratia per Sacramentum Poenitentiae accepta, aut per aliud Sacramentum, & etiam quæ recipitur extra Sacramentum, posita ultima dispositione à peccatore, qualis est actus contritionis perfectæ, aut dilectionis Dei super omnia. Docent etiam Scotistæ plures, contra alios ejusdem Scholæ, totam gratiam ante lapsum meritis correspondentem ipsis restitui in ipso instanti justificationis instanti. P. Mastrius dicit, in via Subtil. Doct. utrumque probabile esse, nempe, vel restitui in instanti justificationis, aut postea in fine vitæ.

135 De gratia Sacramentali, aut alia quacumque sine meritis accepta, tenet Doct. dist. 22. §. *Contra hoc*, & cum illo frequenter Scotistæ, quod semel amissa, nunquam jam restituitur. Ratio est; quia gratia, quæ non datur ex meritis recipientis, totaliter perit per peccatum mortale, & nullo modo manet in acceptatione Dei, nec ad illam manet jus aliquod in peccatore. Unde quamvis Sacramentum validum, & informe, fictione recedente, gratiam causet: non tamen, si fuit jam amissa, iterum reddit: quia Sacramenta unicè à Christo instituta sunt, ut singula suum effectum causent semel tantum. Quare gratia Sacramentalis non multiplicatur, nisi Sacramento reiterato: atque adeo gratia Sacramentalis Sacramentorum filiorum, quæ reiterari nequeunt, semel tantum recipi potest.

136 Ex dictis colliges virtutem, & efficaciam pœnitentiæ, per quam revera opera meritoria, per peccatum mortificata, reviviscunt: & insimul, ejus virtutem quantum ad

Zz 2

gra-

gratiam, & gloriam deperditam. Hanc prope divinam poenitentiae virtutis efficaciam S. Chrisost. serm. de *Poenitentia* sic egregie commendat: „ O Poenitentia, quae peccata, Deo miserante, remittis, & Paradisum reseras; contritum sanas; omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas; statum restauras; honorem revocas; fiduciam das; vires reformas; gratiam abundantiore refundis. Omnia ligata tu solvis; omnia soluta tu custodis; omnia adversa tu mitigas; omnia contrita tu sanas; omnia confusa tu lucidas; omnia desperata tu animas. Per te, o Poenitentia, David afflictus, vel contritus, factus est Sanctus: per te filius prodigus paternum amplexum meruit: per te Petrus, postquam ter Dominum negavit, indulgentiam recepit: per te, o Poenitentia, latronem subito Christus ad regnum aeternum rapuit. Eadem encomia de efficacia poenitentiae alii PP. passim profecerunt.

137 Quæres IV. *An peccata semel remissa per poenitentiam, per subsequens peccatum reviviscant, & denuo imputentur ad culpam, & poenam?* Non est sermo de reviviscencia peccati præteriti quoad suum esse physicum; nam certum est, quod redire non potest eademmet numero deformitas, & malitia moralis, quæ per poenitentiam extincta jam fuit: sed intelligitur de reviviscencia virtuali, seu quoad imputationem, & quoad obligationem poenae sustinendæ. Unde sensus est: *an peccati macula, & reatus aeternae poenae, prout oriebantur ex peccatis prius remissis, redeant per peccatum mortale subsequens: ita quod is, qui jam consecutus fuerat per poenitentiam remissionem furti, v. g. si recidat postea in peccatum mortale ebrietatis, non solum damnandus sit propter ebrietatem præsentem, sed etiam propter furtum jam dimissum?* Circa præsentem contro-

versiam, varia fuere Theologorum dictamina. Aliqui ex antiquioribus dixerunt, peccata dimissa redire, quantum ad deformitatem moralem, & reatum culpæ, & poenae; quibus subscripsit Hugo Victorinus Lib. 2. de Sacram. p. 14. cap. 9. Seraph. Doct. in 4. dist. 22. art. 1. q. 1. refert, nonnullos docuisse, peccata dimissa redire, non per quodcumque peccatum, sed per quatuor tantum genera peccatorum, nempe, per *fraternum odium, per apostasiam à fide, per contemptum confessionis, & per poenitentiam præteritam revocationem*, adeo ut homo se debeat poenituisse. Gratianus dist. 4. de *Poenitentia*, & Magister sentent. affirmant, utrique parti favere Doctores præbatos, ipsique non resolvunt. Jam verò communior Theologorum sententia est, peccata semel dimissa nunquam redire quoad reatum culpæ, nec poenae.

138 Dico igitur: *Peccata per poenitentiam semel remissa non redeunt simpliciter per ullum subsequens peccatum mortale, quoad reatum culpæ, nec poenae.* Notanter dixi: *simpliciter*: nam reddere secundum quid, hoc est, ratione circumstantiæ ingratitudinis, quæ peccatum subsequens non parum aggravat, communior est Theologorum opinio, quam Subt. Doct. docet, probat, & declarat dist. 22. num. 14. Quare, cum peccatum subsequens gravius sit intuitu remissionis præcedentis, & ratione aggravantis circumstantiæ ingratitudinis, major poena illi peccato correspondet, quam præcisive ab hac circumstantia illi corresponderet: & propter hoc, & non in alio sensu, dicitur peccatum remissum per poenitentiam, virtualiter redire per subsequens grave peccatum. Unde peccatum subsequens, ait Doctor, annexam habet circumstantiam ingratitudinis, ratione cujus est peccatum gravius: nam ingratitudo per se est vitium. Et quantum ad plura vitia, aut vitiorum circumstan-

tantiae ad actum peccati concurrunt, tanto peccatum est gravius, & majori poena dignum, ac puniendum. Quod autem, qui post acceptam remissionis gratiam peccat, sit ingratus tali beneficio, satis est per se notum, ut Seneca dicit Lib. 3. de *Beneficiis*. Hanc ingratitudinem declarat Scotus, nedum quia immemor est beneficii accepti, sed etiam, quia infidelis, & inconstans est in servando promisso, quo, dum poenituit, statuit, se non peccaturum amplius. Nomine verò promissi, non intelligitur votum proprie dictum; aliàs quodlibet mortale peccatum post poenitentiam esset sacrilegium: sed intelligitur obligatio, fundata in proposito de cætero non peccandi: ad cujus promissi observantiam poenitens tenetur ex lege fidelitatis, seu fidei Deo servandæ.

139 Probatur jam assertio ex eo, quod Deus ita voluerit, ac ordinaverit, quæ est ratio à priori, & quæ divina ordinatio colligitur ex Scriptura, & ex communi Doctorum sententia. Hoc probat 1. Doctor dist. 22. sic: *Dico, quod Deus disposuit peccata poenitentis post poenitentiam esse tecta, secundum Augustinum, exponentem illud Psal. 31. Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, id est, non amplius videntur ad vindictam.* Confirmari quamobrem potest ex illis Scripturae locis, quibus superioribus quæstionibus, & præsertim quæst. 7. num. 103. manet probatum, per poenitentiam peccata omnino expungi, & penitus aboleri, nec eorum amplius Deum recordari. Pari-ter constat eadem veritas ex Gelasio Papa, ut refertur dist. 4. de *Poenitentia* cap. finali, dicente: *Divina clementia remissa peccata in ultionem iterum redire non patitur.* Ex quibus argumentor sic: quod omnino extinctum, & abolitum est, redire nullatenus potest; sed peccata per poenitentiam omnino abolentur, & extinguuntur: ergo. Proba-

tur 2. Si peccata per poenitentiam remissa, per subsequens peccatum redirent, teneretur homo, quoties aliquod mortale confitetur, simul confiteri omnia mortalia per totam vitam commissa: non enim posset obtinere veniam illorum, & absolutionem, quin ea denuo confessus fuerit; sed hoc est absurdum, & à Benedicto XII. in Extrav. damnatum, per hanc definitionem: *Absurdum est, ut quis peccata per poenitentiam dimissa rursus debeat confiteri, & ut debitor liberatus adhuc maneat ad solvendum obligatus*: ergo. Deinde: si peccata actualia redirent, etiam rediret originale; eadem namque omnino est ratio; sed hoc est absurdum; nam tunc esset originale irremissibile; quia ad Poenitentiae Sacramentum non pertinet: & aliunde Baptismus, ad quem spectat ejus deletio, iterari nequit: falsissima ergo est assertio contrariae nostrae assertioni.

140 Objicies aliquos Sacros Textus, in quibus videtur significari, peccata reviviscere, atque iterum redire. Psal. 108. dicitur: *In memoriam redeat iniquitas Patrum ejus in conspectu Domini.* Et in parabola Matth. 18. expressè dicitur, quod cum Dominus servo nequam omne dimisisset debitum, audita postea ejus crudelitate in conservum, revocavit debitum, & servum illum tradidit tortoribus, in carcerem mittendum, & cruciandum, dicens: *Non exeat inde, donec reddat universum debitum*: ergo cum Pater Coelestis, ipso Domino ibidem teste, sic faciat vobis, si non dimiserit unusquisque fratri suo ex toto corde, sequitur, quod saltem per subsequens peccatum crudelitatis, cætera alia peccata redeant, quantum ad imputationem, & poenarum obligationem. Urgetur ex illo Jacobi, cap. 2. dicente: *Qui peccat in uno, factus est omnium reus.* Et D. Gregorius Lib. 4. Dialogorum cap. ultim. dicit: *Ex dictis Evangelicis constat, quod si hoc,*

hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, illud rursus exigitur, quod jam nobis per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Similiter Beda Lib. 4. in Lucam, exponens illa dæmonis verba: Revertar in domum meam &c. ait: timendus est ille versiculus, non exponendus, ne culpam, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat. Has, & alias similes sententias S. Ambrosii, & Augustini, profert Magister sententiarum pro affirmativa opinione, quas Doct. Subt. ibi mirificè explicat, & solvit.

141 Respondeo, Textum Scripturæ, & alia similia oracula, ut illud de muliere Sarephtana, Eliam alloquente 3. Reg. cap. 17. nihil aliud significare, quàm quòd parentum iniquitates redeant in conspectum, & memoriam Dei pro filiis: non quidem quantum ad culpam, sed quantum ad temporalem pœnam, quæ Deus solet visitare, & castigare in filiis peccata parentum. Unde ibi sermo non est de redditu peccatorum, quantum ad reatum culpæ, & pœnæ æternæ, de quo est præsens quæstio. De pœna illa temporali precabatur Tobias cap. 1. dicens: *Domine, memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.* In Matthæi parabola, & in aliis similibus, ea tantum sunt applicanda, quæ scopus, & intentum rei propositæ exposcit. In illa enim Christus Dominus solum declarare intendit, quàm malè veniam sui peccati petant à Deo, qui suo proximo veniam postulanti concedere nolunt.

Voluit itaque per illam parabolam significare Dominus, quòd Deus gravissimè offenditur ab eo, qui offensam suam ipsi condonari vult, & ille renuit condonare proximo suo, quodque peccatum, quasi sine misericordia, hoc est, severissimè sit puniendum, juxta illud Jacobi: *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Alia, quæ in parabola continentur, Christo propriè convenire non possunt; nam ibi dicitur, Dominum igaorare crudelitatem illius servi in conservum, quod quidem non est dicendum, propriè loquendo.

142 Ad Jacobi dictum hanc rectam intelligentiam tribuit Scotus, *quod factus est omnium reus, quantum ad damnationem, quæ est generalis pœna omnis peccati mortalis: adeo ut eodem modo damnandus sit pro illo superveniente peccato, ac si per poenitentiam remissa non fuissent, quæ antea commiserat.* Vel factus est omnium reus, quantum ad aversionem à fine ultimo, quæ aversio communis est omni gravi peccato. Non verò est intelligendum, quòd factus sit omnium reus, quantum ad gravitates singulorum peccatorum. Ad SS. Patres dico, intelligendos esse de redditu peccatorum, quantum ad durationem æternæ pœnæ, quæ aggravatur ratione circumstantiæ ingratiitudinis ex prioribus peccatis remissis, ut num. 138. dictum manet. Unde loquuntur de redditu peccatorum quoad illam circumstantiam ingratiitudinis, & quoad culpam, & pœnam equivalentem, & correspondentem.

DISPU.

DISPUTATIO II.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ, DE EJUSQUE
partibus in Communi.

DE poenitentia virtute transimus jam ad Poenitentiam Sacramentalem, seu ad Sacramentum Poenitentiae, quòd Tridentinum Sess. 6. cap. 14. meritissimè appellat *secundam post naufragium perditam gratia tabulam*: quam appellationem omnes SS. PP. proclamant. In hac Disputatione de illius vera institutione, & existentia pertractabimus; de quo ejus materia, forma, & specialissimo effectu, & hoc quasi generaliter, & brevi calamo, eò quòd de illis postea, & necessariò redibit sermo.

QUÆSTIO I.

An Poenitentia sit verum novæ legis Sacramentum? Et quando fuerit institutum?

143 **I**Nter varias appellationes, quibus sortitur Poenitentia Sacramentum, frequentiores sunt apud SS. PP. 1. Sacramentum *absolutionis*, sic denominatum ab absoluteione Sacramentali, quæ illius est forma: id est, ait Doct. dist. 14. q. 4. *quædam sententia definitiva absolvens reum.* Dicitur 2. *Baptismus laboriosus*, quam denominationem accipit ab operibus laboriosis, & satisfactoriis; & cujus denominationis Tridentinum meminit Sess. 14. cap. 2. Appellatur 3. *secundu post naufragium tabula.* Sic nominavit illud Tertullianus Lib. de Poenitentia cap. 14. D. Hieronymus Epist. 9. Et expressissimè Trident. Sess. 6. & 14. Ratione remissionis peccatorum, & modo, quo per illud remittuntur vocatur à Nazianzeno *lavacrum lacrymarum, & secunda purgatio.* Item, *Baptismus iterabilis*, in quo à Bap-

tismo, qui iterabilis non est, differt. Appellatum fuit 5. à Concilio Carthaginensi Can. 76. à D. Augustino Lib. 3. de Baptismo cap. 16. à D. Leone Epist. 69. cap. 17. & ab aliis, *Manuum impositio*, sumpto hoc nomine à quadam cæremonia, quæ tunc usurpabatur in Ecclesia, scilicet, ut Sacerdos absolvens manus poenitenti imponeret. Denique appellabatur *Exomologesis*, id est, *communicatio ex pane*; quam denominationem ex eo sumpsit, quòd postquam peccatorum fit Confessio, poenitentes regulariter sacra communione reficiuntur.

144 Notandum est verò, in hac Disputatione Poenitentiam non sumi sensu, quo sumpta est in præcedenti; sed unicè pro signo exteriori: & non quocumque, sed exhibito à poenitente peccatum suum coram Sacerdote debitè confitente, & in hoc se subjicientè Sacerdoti, facultatem habenti eum absolvendi. Unde istud signum sensibile ex parte poenitentis connotat etiam signum sensibile ex parte Sacerdotis, nempe, absoluteionem activam sensibilem, quæ signum sit absoluteionis passivæ poenitentis. Hoc verò

verò signum non est naturale, sed arbitrium, & ad placitum institutum, ut videbitur. His animadvertens, triplex difficultas hinc est proponenda, ac contra Hæreticos præsertim Novatianos, de quibus supra num. 104. mentionem fecimus, resolvenda. Prima difficultas est: *An Poenitentia signis externis expressa, cui absolutio verbalis Sacerdotis accesserit, sit verum, ac proprium novæ legis Sacramentum à Christo Domino institutum?* Secunda. *An sit Sacramentum adequatè à Baptismo distinctum?* Tertiâ: *Quando, aut quo tempore institutum sit hoc Sacramentum?* Pro quibus:

145 Sit I. Conclusio: *Poenitentia est verum novæ legis Sacramentum à Christo Domino institutum.* Utraque pars est de fide, determinata variis in Conciliis, maxime in Florentino, initio Tractatus adducto, & in Trident. Sess. 14. Can. 1. sic alloquente: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia, Poenitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum: anathema sit.* Hanc veritatem constanter secuti sunt omnes SS. PP. & Catholici DD. & quod plus est, Calvinistæ, & Lutherani illam receperunt quingentos, & amplius annos, post quos deliraverunt, Ecclesiam visibilem jam defecisse, contra quos Tract. de vera Christi Ecclesia constanter procedunt Catholici. Probatur ex Sacra Scriptura, ex qua expressis verbis constat, auctoritatem remittendi peccata, & absolvendi ab eis promissam, ac collatam esse à Christo Domino suis Discipulis: sic de promissione constat Matth. 16. & 18. & de collatione Joan. 20. ut Tridentinum egregiè docet Sess. 14. cap. 1. Et ut conterat Concilium Hæreticorum interpretationes, quibus Scripturæ verba non ad potestatem absolvendi à peccatis, sed ad potestatem prædicandi ver-

bum Dei, conantur reducere, sic decernit: " Verissimum verborum " illorum Domini sensum Sancta hæc " Synodus probans, & recipiens, " damnat eorum commentitias inter- " pretationes, qui verba illa ad po- " testatem prædicandi verbum Dei, " & Christi Evangelium anuntian- " di, contra hujus Sacramenti ins- " titutionem falsò detorquent. Unde " Can. 3. sic definit: Si quis dixe- " rit, verba illa Domini Salvatoris " *Accipite Spiritum Sanctum* &c. " non esse intelligenda de potestate " remittendi, & retinendi peccata " in Sacramento Poenitentiae, sicut " Ecclesia Catholica ab initio semper " intellexit, detorserit autem con- " tra institutionem hujus Sacramenti " ad auctoritatem prædicandi Evan- " gelium: anathema sit.

146 Probatur ratione eadem Catholica veritas, missis SS. Patribus, qui unanimiter illam contra Hæreticos demonstrant, & Subtili Doctore, qui in 4. dist. 14. quæst. 4. num. 3. pluribus eam illustrat: Poenitentiae convenit definitio veri, ac proprii Sacramenti: ergo est tale. Prob. anteced. Definitio Sacramenti propriè talis hæc est: *Signum sensibile à Christo Domino institutum, gratiæ sanctificantis effectivum;* sed hoc habet Poenitentia, de qua loquimur, nempe, Poenitentia externa cum absolutione accepta à Sacerdote potestatem absolvendi habente: ergo. Major est definitio Sacramenti propriè dicti, ab omnibus admissa, ut constat ex Tract. de Sacram. Prob. min. quoad omnes ejus partes: In primis est signum sensibile, tam ex parte poenitentis sua peccata sensibiliter confitentis, & de eis sensibiliter dolentis, quàm ex parte Sacerdotis absolventis: non quidem per actus purè internos, sed externos: nam Christus auctoritatem remittendi peccata Apostolis contulit, ut eam in poenitentes exercerent, tamquam iudices in reos, instar fori exterioris. Unde debet esse aliquod signum sensibile, quo

quo poenitens sua peccata manifestet Sacerdoti, & Sacerdos manifestet poenitenti vicissim, se auctoritate, & vice Dei illa remittere. Et eum hæc potestas concessa sit à Christo Apostolis, & eorum successoribus absque limitatione temporis, & durationis, sequitur, quòd tale signum est perpetuum, quòd Sacramenti est proprium. Deinde, quòd sit à Christo institutum, constat ex Matth. 16. ubi alloquens Petro, ait: *Tibi dabo claves Regni Coelorum: & quodcumque solveris super terram &c.* Et omnes Apostolos ait Matth. 17. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Coelis &c.* Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Denique: hoc signum est gratiæ effectivum: nam de lege ordinaria remissio peccatorum non fit, nisi per gratiæ infusionem, ut Tractatu de gratiæ justificante ab omnibus docetur Theologis: ergo Poenitentia habet, quidquid requiritur ad rationem essentialem Sacramenti: ergo est unum ex septem à Christo Domino institutis.

147 Objicies cum Novatianis: Ad omne verum Sacramentum requiritur elementum, adhibitum ab aliquo Ministro; sed in Poenitentia nullum elementum, seu res materiales applicantur à Ministro, sub quibus virtus divina operetur salutem, sicut cernitur in aliis Sacramentis: ergo Poenitentia non est verè, & propriè Sacramentum. Maj. constat ex D. Augustino Tract. 80. in Joan. dicente: " Accedit verbum ad elementum, & " fit Sacramentum. Consonat S. Isidorus Lib. 6. *Originum inquit:* " Baptismus, Chrisma, Corpus, & " Sanguis Christi ob id Sacramenta dicuntur; quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius operatur. " Urgetur 1. Deus non potest instituire incentivum delinquendi; sed illud instituisset, si hominibus tribuisset facultatem absolvendi à peccatis: ergo. Prob. min. Juxta D. Ambrosium: *facilitas ve-*

Tom. I.

nia incentivum præbet delinquendi; sed si Deus illud instituisset, hoc ipso instituisset facilitatem veniæ: ergo. 2. Quia ut Apostolus Act. 26. significat, non prædicatur alia poenitentia in nova lege, quàm in veteri: sed in hac poenitentia non erat Sacramentum: ergo. Major constat: nam dicit: *nihil extra ea, quæ Prophetæ locuti sunt, futura esse, & Moyses.*

148 Respondeo faciliter, D. Augustinum determinatè sermonem ibi instituire de Sacramento Baptismi, in quo verissimum est, quòd accedente elemento, nempe, aqua, quæ est illius materia, & verbis Ministri adjunctis, Sacramentum fit. Et quidem perspicuum est, Augustinum non intelligere elementum propriè dictum, loquendo generaliter de omni Sacramento: aliàs Eucharistia verum Sacramentum non esset, cum non conficiatur ex elemento propriè dicto. Quòd autem ad verum Sacramentum requiritur, est, quòd constet rebus sensibilibus, & externis, quòd utique in Poenitentia invenitur: nam signa, quibus poenitens peccata sua declarat, ac dolorem de eis ostendit: & pariter verba absolutionis Sacerdotalis sunt verè quid sensibile, significativum absolutionis à peccatis. Ex quibus distinguo minorem: nullum est elementum &c. propriè dictum, concedo: impropriè dictum, sed sufficientissimum signum sensibile, nego minorem. Ad urgentiam nego minorem, primæ partis probationis. Itaque tantum abest, ut D. Augustinus hom. 27. ex *quingenta*, ostendit, quòd facilitas veniæ per Poenitentiam à Christo ex sua pietate, & misericordia hominibus concessa, incentivum præbeat peccandi, quòd potius hominum moveat, ac incendat gratitudinem, ne ingratus ulterius peccet. Præterquamquòd, non fit peccatorum remissio per Poenitentiam Sacramentalem, absque poena ex parte delinquentis, exigita ab ip-

Aaa

so

so Domino. Ex quo distingui potest minor: si nulla exigeretur laboriosa satisfactio, & poena ex parte delinquentis, concedo: si exigatur: nego. Hæc enim poena, & satisfactio est una ex partibus Poenitentiae. Ad 2. probationem dico; Hæreticos pravum huius sensum detorque verba Apostoli: qui non ait, se aliam poenitentiam non prædicare, quam quæ à Moysè, & Prophetis prædicabatur: Sed, se nihil annuntiare, nisi quæ Prophetae de Christo prædixerant, ac esse futura, denuntiaverant. Quare distinguo maj. non prædicatur alia poenitentia, quatenus virtus, omittor quatenus est Sacramentum, nego maj. In veteri lege non fuit dictum: *Quorum remisistis peccata &c.* sicut dictum est in lege nova.

149. Sit II. Conclusio: *Poenitentia est Sacramentum distinctum à Baptismo.* Unde remissio peccatorum, quæ per Poenitentiam fit, non fit per simplicem recordationem Baptismi suscepti, ut delirant Hæretici. Sic definitur in Tridentino Sess. 14. Can. 2. sic dicente: *Si quis Sacramentum confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint: atque ideò Poenitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari: anathema sit.* Prosequitur sancta Synodus clarissime explicando differentiam, & discrimen utriusque Sacramenti, nendum ex parte materiae, & formæ utriusque, sed maxime ex parte Ministrum: nam in casu necessitatis Baptismi Minister est quilibet homo; Poenitentiae verò solus sacerdos. Subiectum etiam utriusque Sacramenti est valde distinctum; siquidem ministrari potest Paganis, & Gentilibus, pueris, & amentibus; Poenitentia verò solis adultis, & fidelibus, ratione utentibus; quia cum per modum iudicii exerbeat, vim tantam habere potest erga Ecclesiae filios, adultos, & ratione præditos.

Confirmatur: Christus Joan. 20. Apostolis dedit potestatem remittendi, & retinendi peccata; sed talis potestas frustranea esset omnino, si remissio peccatorum, quæ fit per Poenitentiam, esset Baptismi recordatio dumtaxat: ergo Poenitentiae Sacramentum non est simplex Baptismi recordatio. Minor constat: nam independentè à Sacerdotibus, fideles Baptismi suscepti recordari possunt, nec Sacerdotes possunt prohibere, aut impedire, quòd recordentur.

150. Arg. pro Hæreticis: Poenitentia novæ legis alia non est ab ea, quam Joannes prædicavit; sed hæc fuit Poenitentia ipsius Baptismi: ergo Poenitentia novæ legis non distinguitur à Baptismo. Prob. min. Tum ex illo Marci 1. *Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans Baptismum Poenitentiae in remissionem peccatorum.* Tum; quia hæc fuit D. Augustini sententia Lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia, ipsum Baptismum appellantis Poenitentiam. Ob quod D. Fulgentius sui Magistrum Augustini secutus sententiam Lib. de fide ad Petrum cap. 30. Baptismum appellat *Sacramentum fidei, & Poenitentiae*, juxta illud Evangelii, quòd Joannes prædicavit *Baptismum Poenitentiae in remissionem peccatorum.*

151. Respondeo distinguendo maj. Poenitentia virtus alia non est &c. concedo: Poenitentia Sacramentum, nego maj. & similiter intelligitur minor. Ex dictis disp. 1. constat abundè, quòd Poenitentia est duplex. Una est virtus, & quæ omni tempore fuit necessaria peccatoribus ad gratiam consequendam, etiam illis, qui Baptismum recipiebant, & quam Joannes prædicabat. Alia est, quam Christus in Sacramentum instituit, quando Apostolis facultatem dedit absolvendi à peccatis, quæ à Baptismo omnino distincta est. D. Augustinus loc. cit. nihil aliud vult, ut ipsemet se explicat, quam quòd

Poe-

Poenitentia tam virtus, quam Sacramentum non possit veniam impetrare peccatorum sine regenerationis lavacro, aut ejus voto, quod est verissimum. Similiter, & non aliud sentit D. Fulgentius, qui ideò appellat Baptismum *Sacramentum Poenitentiae, & fidei*; quia in adultis, qui mortaliter peccaverunt, Baptismus necessariò supponit fidem, & Poenitentiam, quam D. Petrus Act. 2. innuit, dicens: *Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum &c.*

152. Sit III. Concl. *Sacramentum Poenitentiae institutum fuit à Christo Domino, post suam sacratissimam Resurrectionem.* Prima hujus Conclusionis pars est de fide, definita contra Hæreticos pluribus in Conciliis, & præsertim in Tridentino Sess. 14. Can. 1. sic: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino institutum: anathema sit.* Hac supposita veritate, nempe, Sacramentum hoc esse institutum à Domino, quod Hæretici pertinaciter inficiantur; controvertitur inter Doctores Catholicos: an immediatè, vel mediatè tantum, à Christo fuerit institutum? Communissima illorum sententia est, Christum immediatè illud instituisse: quod & nos accuratè docuimus Tract. 1. de Sacramentis in genere disp. 2. quæst. 2. ut videri potest ibi, ne hic repetamus sermonem. Pariter, postquam docent, Christum immediatè hoc Sacramentum, sicut, & cætera, instituisse, disputant Catholicos: *An de fide sit, illa instituisse immediatè? Erga quam difficultatem nostrum aperimus iudicium contra fere omnes ex nostratibus, & ex extraneis, loco nuper citato num. 124. sub quo hoc subtile dubium excitatur: An Concilium Tridentinum per illud suum Decretum: Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à*

Tom. I.

Christo instituta: anathema sit, definierit, tamquam fidei dogma, Sacramenta omnia esse à Christo immediatè instituta? Videas quæso ibi, ubi invenies, quidquid in hoc puncto necessarium sit scire.

153. Secunda Conclusionis pars, scilicet, *hoc Sacramentum institutum fuisse à Domino, non ante, sed post suam admirabilem Resurrectionem, constat expressè ex Tridentino Sess. 6. cap. 14. sic definiente: Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus, insufflavisset in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verba à Christo manifestè post suam Resurrectionem prolata, habentur Joan. c. 20. Ratio autem à priori, quare Dominus Sacramentum Poenitentiae post Resurrectionem instituerit? alia esse non potest, quam sua divina voluntas, juxta quam Sacramenta instituit quando, & quomodo voluit. At verò inter rationes congruentiæ, quas proferunt Authores, præcipua potest esse hæc: non erat conveniens, quòd prius daretur Apostolis potestas in Corpus Christi mysticum, quam in Corpus Christi reale, & verum; sed hanc acceperunt Apostoli in ultima Cæna, in qua illos in Sacerdotes ordinavit: ergo cum Sacerdotium præcedere debeat necessariò, ut quis potestatem absolvendi habere possit, prius erat, quòd essent Sacerdotes. Nunc sic: sed nulla ratione colligi valet, quòd immediatè ad Sacerdotium illis potestatem absolvendi conferret: ergo cum Dominus passus fuerit illa nocte, post illam hoc Sacramentum instituit, & consequenter post Resurrectionem. Prob. min. quia colligi non potest, nec ex Scriptura, nec ex Traditione, in ultima Cæna, nec ante illam hoc Sacramentum institutum fuisse: quin potius oppositum docetur à Tridentino. Unde cum constet, potes-

Aaa 2

ta-

tatem remittendi peccata collatam esse post Resurrectionem, tunc, & non antea dicendum est, Sacramentum hoc institutum fuisse.

154 Arg. Tunc dicendum est, Pœnitentiæ Sacramentum institutum fuisse, quando Christus Apostolis potestatem absolvendi, & ligandi primò contulit; sed hanc contulit illis ante suam mortem: ergo tunc instituit, & non post Resurrectionem. Prob. minor. Potestatem absolvendi, & ligandi Apostolis contulit, dum illis tribuit potestatem clavium; sed hanc illis tribuit ante suam Passionem: nam Matth. 18. illis dixit: *Amen, dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo*: quæ quidem verba, nemine negante, Dominus protulit ante suam Passionem: ergo potius tunc potestatem illam contulit, quam postea, dum post Resurrectionem eandem expressit potestatem, iterum Discipulis dicens Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis &c.* Patet consequens: Tum; quia non apparet ratio, cur potius talem absolvendi potestatem Christus tribuerit verbis à Joanne relatis, quam à Matthæo, cum in substantia sint eadem. Tum; quia si non in primo loco, sed in secundo potestatem illam Apostolis contulit, sequeretur, quòd D. Thomas talem potestatem non habuerit, caruissetque autoritate Apostolica perfecta, & completa, quòd absurdum est cogitare. Sequela hæc patet; quia dum Joan. 20. Apostolis absolvendi contulit facultatem, D. Thomas non erat cum aliis Apostolis: nam post præfata verba: *Accipite Spiritum Sanctum*, subjungitur: *Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus.*

155 Respondeo, negando minorem, & minor. probationis. Dico igitur, quòd in verbis à Matthæo relatis solum promissa fuit Apostolis

potestas clavium ad peccata remittenda, vel retinenda: non tamen defectò tunc illis fuit collata. Et ratio est: Tum; quia hæc potestas, ut suo loco videbitur, unicè spectat ad Sacerdotes, quales tunc nondum erant Apostoli, cum constituti fuerint Sacerdotes nocte Cœnæ. Sequitur ergo, quòd illa fuit certissima promissio, sed non autoritatis absolvendi actualis collatio. Tum; quia Concilium Tridentinum, ut constat ex n. 153: definit, institutionem hujus Sacramenti factam esse à Domino, postquam excitatus est à mortuis: quòd solum sufficere debet ad dirimendam hæc in re omnem controversiam, & dubitationem. Præterea, advertit Gonetus, si quis contendat, ex testimonio Matth. Apostolos potestatem ligandi, atque solvendi recepisse de præsententi, ut verba videntur sonare poterit dici, talem judicariam potestatem non esse potestatem remittendi, vel retinendi peccata in foro interno: sed esse potestatem ferendi sententiam in foro exteriori, & ad rebelles puniendos pœnis, & censuris Ecclesiasticis. Sic docet D. Thomas super illa Matthæi verba, & colligit ex ipso contextu: nam Dominus, posito ibi præcepto ordinis servandi in fraterna correctione, subjungit: *Si Ecclesiam non audierit, sis tibi, sicut Ethnicus, & publicanus.* Id est, separetur, ut excommunicatus per excommunicationis sententiam ab Ecclesia latam. Et ut efficaciam Ecclesiasticæ potestatis ad inferendam pœnam hanc appareat, addit Dominus: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram &c.* Super quæ ait Ang. Doct. *Sic dicitur alligare, quia non solvit, vel quia excommunicat.*

156 Nunc tam pro dictis, quam pro dicendis, plura observabis. 1. Quòd quamvis erga tempus institutionis hujus Sacramenti Armacanus senserit, institutum fuisse, dum Christus Matth. 12. & Luca 6. Apostolos misit prædicare Evangelium, ne potes-

testate dimissa per mundum ipse derent: quamvis etiam Cyprianus insinuet Serm. de ablutione pedum, institutum fuisse in nocte Cœnæ: quamvis denique alii existiment, institutum fuisse à Christo, dum Luca 13. declaratur medium necessarium ad salutem, per hæc verba: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*: quamvis igitur sic isti Authores opinentur, videtur mihi, sine illorum præjudicio, omnino standum esse Tridentinæ definitioni, juxta quam institutum docetur post Domini Resurrectionem.

157 Observabis 2. Sacramentum hoc institutum fuisse immediatè à Christo, nedum quoad formale, seu quoad potestatem absolvendi à peccatis, sed etiam quoad materiale, seu quoad peccatorum confessionem: relicta in sua probabilitate sententia A. Jensis, D. Bonaventuræ, Marsilii, aliorumque antiquorum Theologorum, qui dixerunt, Pœnitentiæ Sacramentum à Christo quidem institutum fuisse, quantum ad formale, seu potestatem absolvendi; non verò quantum ad materiale, hoc est, quantum ad ipsam peccati confessionem, ex qua integratur hoc Sacramentum. Hæc autem peccatorum confessio insinuatam fuit, dicunt, à Christo: ab Ecclesia verò, & Apostolis ex Christi commissione instituta, atque à D. Jacobo promulgata illis verbis cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Hinc moti fuerunt isti Authores ad opinandum, Christum non omnia Sacramenta immediatè instituisse, sed quædam immediatè, & quædam mediatè. Nobis sufficienter dicta in hoc puncto Tract. de Sacramentis, locis supra n. 152. adductis.

158 Observabis 3. Calvinum tenaciter intendere, confessionem à Christo institutam non fuisse, ex facto Nectarii, Episcopi Constantinopolitani, qui confessionem abrogavit: & ex Chrysostomo, quem suum vocat patronum, eò quòd multis in locis confessionem abrogare vi-

deatur, & præcipuè hom. 2. in Ps. 50. ubi ita inquit: *Peccata tua dicito, ut doleas illa: si confundaris alicui dicere, quæ peccasti, dicito ea quotidie in anima tua: non dico, ut confitearis ea conservo tuo, qui exprobrat, dicito Deo, qui curat ea.* Verum nec Nectarius, antecessor Chrysostomi, nec ipse Chrysostomus, confessionem abrogarunt, nec abrogare potuerunt, sensu quo proterviat Calvinus. Etenim tempore Nectarii erat consuetudo quædam, ad publicam pœnitentiam pertinens, consistens in eo, quòd aliquorum criminum manifestatio fieret de consensu ipsorum pœnitentium à quodam Pœnitentiario ad munus hoc ab Ecclesia designato. Ex hac consuetudine aliàs laudabili, utpote quæ instituta fuit ad humiliationem, & correctionem pœnitentium, atque ad ædificationem aliorum, ortum fuit tempore Nectarii ingens scandalum, nempe, quòd crimen à quadam nobili matrona commissum cum Diacono manifestum fieret. Unde Nectarius munus illud Pœnitentiarii, delicta scandalosæ populo detegentis, prudenter sustulit. Alii volunt, publicam abrogasse confessionem, eo tempore fieri solitam coram multis, ut testantur Casianus collat. 2. cap. 11. Origenes hom. 2. in Psalm. 37. August. Lib. 50. homil. quam etiam publicam confessionem reprobatur, & sustulit Leo Magnus Epist. 8. ad Episcopos Campaniæ directa.

159 De hac eadem publica confessione intelligendus est Chrysostomus, dum solam confessionem coram Deo factam, videtur admittere. Et quòd hæc sit illius mens, patet ex illis verbis: *non dico, ut confitearis conservo tuo, ne exprobrat: quæ verba apertè significant, Chrysostomum loqui de confessione publica, ex qua confusio, & opprobrium pœnitentium sequi solebat. Hoc apertius declarat hom. 4. de Lazaro, ubi ita ait: cave enim homini dixeris, ne tibi exprobrat. Neque enim conser-*

vo confitearis, ne tibi publicum proferas: Sed ei qui Dominus est; qui tui curam gerit; ei, qui humanus est; ei, qui medicus est, ostendis vulnera. Unde vult Chrysostomus, confessionem publicè non esse faciendam, sed soli Deo, nempe, soli Sacerdoti, qui confessionem audiat, & à peccatis absolvat, ut Vicarius Christi. Quare confessio facta Sacerdoti, soli Deo censetur fieri, ut testantur Tertullianus, D. Augustinus, ac cæteri SS. PP.

160 Observabis denique, Calvinum falsissimè scripsisse in Antidoto Tridentini Sess. 6. cap. 15. nullum fuisse in Ecclesia per mille annos usum confessionis Sacerdotalis, donec, inquit, Innocentius III. cum pauculis cornutis bestiis, laqueum hunc populo Christiano induit, quem Tridentini Patres adstringunt. Sic impudens Hæresiarcha appellat mille ducentos Patres, qui interfuerunt Concilio Lateranensi, conspicuos doctrina, & sanctitate. In pluribus enim Conciliis ante Lateranense celebratis expressa fit mentio confessionis Sacramentalis, nempe, in Laodicenense sub Sylvestro Papa, Cabilonenense sub Vitaliano, Turonense, & Rhemenense, sub Leone III. Moguntino sub Leone IV. Sequitur ergo, Innocentium III. nullo modo confessionem instituisse, ut Hæretici dicunt, solùmque determinasse tempus annuæ confessionis, cujus usus viguit ab initio Ecclesiæ, ut uniformiter docent omnes Ecclesiæ antiquissimi Patres, & Doctores.

QUÆSTIO II.

De Materia remota, ac proxima hujus Sacramenti.

161 **C**ertum est primò, & docetur à Concilio Florentino, omnia novæ legis Sacramenta constare materia, & forma, per hæc verba: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, re-*

bus, tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministræ conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Materia hæc Sacramentorum alia dicitur remota, alia proxima. Sic in Baptismo aqua naturalis est materia remota, & exterior ablutio est proxima. Utraque potest esse duplex: una ex qua Sacramenta fiunt, & componuntur: altera circa quæ Sacramenta versantur. Hinc orta est distinctio materiæ ex qua, & circa quam. In cæteris Sacramentis materia ex qua dicitur aliqua substantia realis, & physica, ut in Baptismo aqua; in Confirmatione *chrisma*; in Eucharistia *panis, & vinum*: at verò in Pœnitentia aliter aliquomodo est theologizandum; quia in hoc Sacramento nihil propriè tale reperitur, cum solùm adsint actus ex parte pœnitentis, ut sunt *contritio, confessio, & satisfactio*, quæ nec habent esse permanens, nec substantiale, sed transiens, & accidentale. Quare, ut Concilium loquitur, non dicitur materia absolutè, sed quasi materia; quia locum tenent materiæ. Ex quo certum est secundò, actus pœnitentis, qui sunt *Contritio, Confessio, & Satisfactio*, necessariò concurrere ad hoc Sacramentum: *Quartum Sacramentum, ait Florentinum, est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes &c.* Vide in initio hujus Tractatus clarissima verba Florentini. Nunquam.

162 Sit I. Conclusio: *Peccata omnia post Baptismum commissa sunt materia remota, & circa quam Sacramenti Pœnitentiæ: materia verò illius proxima sunt tres memorati actus pœnitentis.* Est, & debet esse omnium Theologorum. Dixi: *peccata post Baptismum commissa*; quia tam peccatum originale, quam omnia actualia, ante Baptismum commissa, per nullum aliud Sacramentum, quam per Baptismum remittuntur,

ut pluries manet dictum: Prima Conclusio pars docetur à Tridentino Sess. 14. cap. 1. ubi de hoc Sacramento dicit: *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus, fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Probat ex Subt. Doct. in 4. dist. 14. dicente: *Pœnitentia habet pro objecto malum, scilicet, peccatum; sed objectum est materia remota, & circa quam versatur Pœnitentia: ergo.* Probat minor. Materia circa quam in Pœnitentia illa est, erga quam versantur tam materia proxima, quæ est ipsius pœnitentis actus, quam actus ipsius Ministri Sacramenti; sed actus pœnitentis, & Ministri versantur circa peccata, post Baptismum commissa: ergo. Minor constat: nam Sacramentum hoc institutum est per modum iudicii, in quo iudicio materia remota, & circa quam sunt crimina delinquentis, quorum deletionem, & remissionem actus pœnitentis, & Ministri intendunt, & circa illam versantur.

163 Secunda Conclusionis pars, quòd, nempe, materia proxima hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, qui sunt *Contritio, Confessio, & Satisfactio*, est communis, & docetur à Scoto dist. 16. quæst. 1. dicente: *Hæc tria requiruntur ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad hoc ut dignè recipiatur, vel prævia, vel sequentia.* Probat 1. ex Tridentino Sess. 14. cap. 3. dicente: *Sunt autem materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe, contritio, confessio, & satisfactio: qui quantum in pœnitente ad integram Sacramenti, & plenam perfectionem, ex Dei institutione, requiruntur, habitatione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Unde Can. 4. sic definit: *Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri-*

tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur: anathema sit. Id ipsum expressis statuerat terminis Florentinum. Probat 2. Omne Sacramentum novæ legis constare debet rebus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma, ut pluries manet dictum, & ampliùs dicitur; sed nihil est in Pœnitentia, quod habere possit rationem materiæ, præter tales actus, ut consideranti fiet perspicuum: ergo.

164 Objicies: Materia cujuslibet Sacramenti, sicut & forma, debet esse sensibilis; nam Sacramentum, quod ex materia, & forma equaliscit, essentialiter est signum sensibile; sed illi actus non sunt sensibiles: sunt enim motus animæ, & ex se purè interni: ergo non possunt esse materia Sacramenti. Confirmatur: Materia compositi debet esse simul cum forma, & illi uniri, utpote pars essentialis compositi; sed hoc non verificatur in talibus actibus: ergo non sunt materia Sacramenti. Prob. minor. Tum; quia contritio, & confessio regulariter præcedunt formam, nempe, absolutionem, quæ ampliùs existant, dum absolutio confertur: nec tunc existit adhuc satisfactio. Tum; quia plerumque Sacramentum hoc existit sine confessione, & satisfactione, ut evenit in homine moriente, qui subito amisit vocem: qui quidem in tali casu sine confessione absolvitur, & quia ei satisfactio imponatur: ergo.

165 Hoc argumentum extensius est propositum, ac planè solutum Tract. 1. de Sacramentis in Genere, Disp. 1. quæst. 7. per totam, & præsertim num. 84. argument. 1. Quare hinc breviter respondeo, distinguendo minorem: non sunt sensibiles per se, & extra Sacramentum considerati, concedo: prout in Sacramento, & manifestati per aliquod signum externum, nego minorem. Suf.

Sufficit enim, quod in Sacramento per aliquod signum externum manifestentur Sacerdoti: aliter absolvere non posset, saltem absolute, sed tantum conditionate in casu urgentissime necessitatis, nempe, sub conditione, quod signum aliquod poenitens exprimat, quamvis hic, & nunc Sacerdos forte non percipiat. Ad Confirmationem, distinguo majorem: in composito physico, & permanenti, concedo: in morali, & transeunte, subdistinguo: debet esse simul moraliter, & juxta naturam, & institutionem illius Sacramenti, concedo; aliter, nego major. & minorem. Licet enim partes physice se succedant, moraliter tamen coexistunt. Ad secundam probationem distinguo illam sic: sine confessione, & satisfactione in re, & quando ad illas adest impotentia, concedo: sine illis in voto, & equivalenter, nego: nam illo in casu confessio, & satisfactio sunt in voto, quod moriens ostendere debet per aliquod signum poenitentiae, & positionis Sacramenti.

166 Secunda Conclusio: *Peccata venialia, sicut & mortalia, valide confessam, & remissa, sunt materia sufficiens, sed non necessaria hujus Sacramenti.* Ante probationem suppono ex consensu omnium Theologorum, materiam remotam Poenitentiae aliam esse necessariam; aliam sufficientem, sed non necessariam; & aliam non sufficientem, sed necessariam. Materia necessaria sunt omnia peccata mortalia non debite confessam, quamvis alias per contritionem, aut dilectionem Dei super omnia ante confessionem fuerint remissa. Materia sufficiens, & non necessaria sunt ea peccata, de quibus loquitur Conclusio. Materia non sufficiens, sed necessario confitenda, sunt peccata mortalia pure existimata; illa, nempe, quae in re peccata non sunt, sed solum in mente per errorem, seu in conscientia erronea. Ista enim confiteri debent; alias confessio esset nulla: non tamen sufficiunt ad Sacra-

mentum Poenitentiae, quod sine materia vera, & in re valorem habere non potest.

167 Probatur de venialibus 1. ex Tridentino Sess. 14. cap. 5. dicente: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quae frequentius labimur, quamquam utiliter, citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam possunt: ergo venialia non sunt materia necessaria Sacramenti Poenitentiae: bene vero sufficiens, cum vere sint peccata, & a poenitentibus confiteantur, ut talia.* Probatur 2. ex Subt. Doct. dist. 17. ubi inquit: *Dico, quod ex statutis Ecclesiae nullus tenetur ad confessionem venialium... si est innocens a mortali, potest confiteri venialia, & potest non confiteri: ergo venialia sunt materia sufficiens, sed non necessaria.* Prob. 3. ratione: Peccata, quae vere sunt talia, sunt materia Poenitentiae; atque egent remissione, quamvis Dei gratia hominem non privent; sed venialia post Baptismum commissa sunt vere peccata: ergo sunt materia sufficiens, quamvis non necessaria.

168 Probatur de mortalibus, jam confessis, & remissis per absolutionem. 1. ex Constitutione Benedicti XI. de Poenitentia, in qua inquit Pontifex: *Licet de necessitate non sit iterum confiteri eadem peccata: tamen quia propter erubescendum, quae magna est poenitentiae pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Probatur 2. ex Ecclesiae praxi: nam plurimi fideles clavibus saepius subjiciunt peccata, jam rite confessam, & remissa, tam in confessionibus particularibus, quam generalibus: atque in multis Religionibus ipsarum Religiosi invitantur ad generales confessiones; in quibus peccata confessam, & remissa repetuntur, de illisque denuo absolvuntur: ergo talia peccata mortalia sunt materia sufficiens Sacramenti

Poe-

Poenitentiae. Accedit Ecclesiae praxis, juxta quam Confessarii poenitentibus peccatum mortale de praesenti non habentibus monent, ut aliquod peccatum, jam confessum, subjiciant pro materia illius confessionis, quod & ipsi poenitentes devoti, ac instructi, faciunt regulariter sine Confessarii monitione; ergo. Et quod eadem peccata possint subjici pluribus absolutionibus, probatur etiam ex eo, quod super eandem aquam baptismalem potest benedictio saepius iterari; & possunt plures per eandem baptizari: ergo pariter.

169 Arg. adversus primam partem: vel quando Dominus hoc Sacramentum instituit, dicens: *Quorum remiseritis peccata &c.* inclusit tam mortalia, quam venialia, vel sola mortalia? Si tam mortalia, quam venialia? ergo utraque sunt materia necessaria. Si sola mortalia? ergo non dedit potestatem remittendi, nec retinendi venialia: ergo non sunt hujus Sacramenti materia. Respondeo, Dominum in illis verbis omnia peccata mortalia, & venialia inclusisse, & super omnia illa Apostolis tribuisse potestatem: ex quo neganda sunt consequentiae illatae. Christus itaque potestatem dedit utraque remittendi, ac retinendi: nam potest. Sacerdos absolutionem venialium etiam negare, ut si videat, hominem de illis nolle dolere, aut abstinere ab illis. At vero Christus noluit aequaliter obligare ad omnia confitenda, ob rationem, quam Tridentinum praestat, nempe, quia venialia, nec a gratia, nec a gloria excludunt; aliisque pluribus mediis deleri possunt, juxta dicta sup. Disp. 1. q. 7. num. 115. ubi inquitur: *Per quid, & quomodo remittatur peccatum veniale?*

170 Arg. adversus secundam partem: Tum ex Scoto dist. 17. dicente: *Simpliciter innocens a mortali, & veniali, tenetur simpliciter non confiteri; sed qui alia peccata non*

haberet, quam confessam, & remissa, esset simpliciter innocens: ergo ille teneretur non confiteri: ergo quia talia peccata non sunt materia confessionis. Tum; quia eadem contritio non sufficit pro diversis absolutionibus, nec eadem forma inservire potest pro diversis Sacramentis: ergo nec idem peccatum potest esse materia plurium confessionum: non enim materia est minus essentialis, quam forma. Tum: veritas absolutionis consistit in peccati remissione, quam efficaciter significat; sed absolutio illa nullum remitteret peccatum: ergo propter materiae defectum esset falsa: ergo talia peccata non sunt sufficiens materia.

171 Respondeo ad 1. neg. minorem, & utramque consequentiam. Loquitur itaque Scotus de innocente absolute, & simpliciter, de illo, nempe, qui umquam mortaliter, nec venialiter peccavit, qui quidem defectu materiae incapax esset absolutionis, & in illo Sacramentum hoc frustraneum esset. Ideo Scotus exemplum apposuit in BB. Virgine, quae incapax omnino fuit confessionis; quia omni culpa omnino caruit. Qui vero semel peccavit, nec est simpliciter innocens, sed semper dicitur peccator a peccatis commissis, nec incapax absolutionis: sed potius plures potest peccata illa denuo confiteri, & toties absolvi, quoties de illis dolet. Ad 2. concedo, quod eadem contritio non sufficit pro pluribus absolutionibus, sed nego, quod eadem forma inservire non possit pro diversis Sacramentis, & nego etiam consequentiam. Contritio itaque est actus transiens, nihilque de illo permanet in secunda confessione; confessio autem sine dolore de peccato, quod pro materia confessionis manifestatur, nulla esset; quia deficeret materia proxima Sacramenti. Forma vero eadem aequivalere valet pro pluribus, prolata in plurali: & ideo, si plures confiteantur, & plures baptizentur, per formam hanc: *ego vos absolvo,*

Tom. I.

Bbb

&

& per hanc: *ego vos baptizo*, essent plura Baptismata, & plura Sacramenta Pœnitentiæ, tot, nempe, quot essent personæ baptizatae, & verè confessæ. Ad 3. claritatis gratia distinguo major. In peccati remissione, quantum est ex se, in virtute, & efficacia illius, concedo: in remissione semper actuali peccati, nego major. & in hoc sensu minor. Forma illa ex se, & ex ipsius virtute à Christo communicata, semper est peccati remissiva: si autem peccatum omnino invenit remissum, tunc in substantia facit hunc sensum: *Confero tibi Sacramentum peccati remissivum, & gratiæ collativum: quia verò nullum hic, & nunc habes peccatum, quod remittatur, confero tibi gratiæ augmentum.* Parificatur clarissimè in adulto, qui cum perfecta contritione accederet ad Baptismum: in hoc enim casu verus esset Baptismus, veraque illa forma: *ego te baptizo*: & tamen nullum remitteret peccatum, cum supponatur, remissa jam esse ei omnia peccata per perfectam antecedentem contritionem, ut in *Tract. de Baptismo* stabilitum manet. Patet etiam: quia aliàs habens perfectissimam contritionem, & per se omnium peccatorum remissivam, non deberet recipere absolutionem; quia hæc tunc nihil remitteret, quod quidem absurdissimum esset asserere.

172 Pro quæstionis complemento: Quæres I. *An peccata venialia, quæ ex se sunt materia sufficiens, & non necessaria Pœnitentiæ, aliquando sint, aut esse possint materia necessaria?* Ante resolutionem sciendum est I. peccatum mortale, & veniale primò, & principaliter in eo distinguì, quòd mortale est contra legem ordinantem, & præcipientem media necessaria ad consecutionem ultimi finis, qui est Deus, per visionem, & beatificam fruitionem possessus: veniale verò non ita, sed solum est contra legem, media non necessaria, sed utilia ad ultimi finis assecutionem præcipientem. Hoc in

sensu, & non in alio, ab aliquibus intento, dixit Subt. Doct. *Peccatum veniale esse contra consilium*: non quidem, quia non sit contra legem præcipientem; sed quia non est contra legem præcipientem media necessaria ad salutem: eo quòd jus ad æternam gloriam non deperdat, ex quò talem legem non adimpleat. Hinc est, quòd mortale avertit hominem ab ultimo fine: veniale verò non avertit, sed illius consecutionem retardat: Quamvis enim veniale componibile sit cum gratia sanctificante non consummata: non tamen compatitur cum gratia per visionem beatificam consummata, usque dum reatus illius satisfiat, juxta dicta supra disp. I. quæst. 7. num. 115.

173 Sciendum est 2. erga mortalis, & venialis specificam distinctionem, quòd considerari possunt *theologicè*, ac *philosophicè*, & *moraliter*. Theologicè considerantur, non quidem in ordine ad objectum, sed ad finem ultimum, nempe, Deum. In hac ergo acceptione utique distinguuntur specie; quia mortale est transgressio legis media necessaria ad talis finis assecutionem præcipientis, à quo fine avertit, & amicitiam cum Deo dissolvit, quorum nihil habet veniale: ergo theologicè distinguuntur in specie mortale, & veniale. Possunt etiam accipi *philosophicè*, aut *moraliter*, per ordinem, scilicet, ad objectum, prout regulis morum regulatum: atque ita non distinguuntur specificè, nisi versentur erga diversa objecta formalia per diversas regulas regulata. Unde *philosophicè*, & *in genere moris* non distinguuntur in specie furtum grave, & leve; distinguuntur verò specificè theologicè: at verò mendacium leve, & furtum distinguuntur specificè moraliter; quia regulantur regulis moralibus diversis.

174 Nunc respondeo affirmativè cum communi Theologorum consensu. Intelligitur, non quia peccatum veniale, constitutum in ratione ta-

lis,

lis, fiat mortale; quia hoc est impossibile: sed quia propter aliquas rationes, aut circumstantias, id quod præcisivè ab illis esset materia non necessaria, transit ad esse materiam necessariam. Hoc evenire potest tripliciter, dicunt Theologi, & Canonistæ, nempe, *ratione voti: ex suppositione Confessionis: & ex ratione excommunicationis minoris illi annexæ.* Dum quis vovit confiteri peccata venialia, quæ ipsi occurrant, dicitur teneri *ratione voti* ad illa confitenda. Hæc est sententia communis. Mihi verò videtur, quòd si non adimplere votum in materia levi, non est nisi peccatum leve, nec illa peccata non confiteri erit amplius, quàm veniale peccatum, & consequenter non erit taliter tunc necessaria illorum confessio, quod aliter esset grave peccatum, aut nulla illa confessio. *Ex suppositione Confessionis*: ut dum quis peccatum mortale non habens, recipere vult Sacramentum Pœnitentiæ. In hoc enim casu debet confiteri de aliquo veniali pro materia illius Sacramenti; aliter nullum esset. *Ratione excommunicationis minoris annexæ*: quia cum hæc impediatur Sacramentorum susceptionem, debet pœnitens illam manifestare Confessario, ut ab illa absolvat illum, priusquam à peccatis. Debet etiam explicare, si illam excommunicationem incurrit; quia cum excommunicato vitando communicavit *in politicis*: nam si ita non exprimeret, significaret, communicationem fuisse *in politicis*, quod solum est peccatum veniale: & si fuit *in Sacris*, esset peccatum grave. Unde si fuit *in politicis*, & diceret, communicasse *in Sacris*, esset mendacium in re gravi: si verò fuit *in Sacris*, & non exprimeret, intelligeretur, tantum fuisse *in politicis*.

175 Quæres II. *An Ecclesia possit præcipere venialium confessionem?* Dubium hoc sequitur ex immediatè dictis. Respondeo affirmativè. Canus relect. de Pœnit. cap. 5. & Navar-

Tom. I.

rus de Pœnit. dist. 6: inquit, confessionem venialium præceptam fuisse Monachis Benedictinis in Clementina: *Ne in agro Dominico*, in qua eis præcipitur, ut singulis mensibus semel adminus confiteantur, & Corpus communicent Dominicum. Ex quo inferunt, quòd Benedictini ex vi hujus constitutionis tenentur ad confessionem mensalem venialium, si tunc mortali crimine non graventur. Sed quidquid sit de hac constitutione, probatur I. valde probabile esse, Ecclesiam præcipere posse venialium confessionem: Ecclesia aliquando fert censuram excommunicationis pro peccato veniali, ut manifestum est ex num. antec. sed ad hujus censuræ absolutionem necessaria est manifestatio talis peccati: ergo. 2. Actus virtutis sub præcepto cadere potest, & Ecclesia præcipere omnem actum virtutis; sed peccata venialia confiteri est actus virtutis pœnitentiæ: ergo. 3. Confessio venialium cum efficaci proposito plurimum conducit ad spirituales profectum, atque est magnum frænum, & remedium ad levia peccata, & ordinarios defectus corrigendos: ergo præcipi potest in bonum, & utilitatem fidelium.

176 Sed oppones: Ecclesia non potest facere materiam necessariam Sacramenti, quod ex Christi institutione non est talis: aliàs mutaret materiam Sacramenti, ad quod quidem facultatem non habet; sed si venialium confessionem præciperet, faceret materiam necessariam: quæ talis non est ex Christi institutione: ergo. Minor patet; quia tunc suo præcepto constitueret, quòd peccata venialia, quæ sunt materia voluntaria, atque adeo necessariò non confitenda, necessariò confiterentur. Confirmatur: Pœnitentiæ Sacramentum per se primò ad culpæ deletionem ordinatur; sed ad venialium remissionem hoc Sacramentum necessarium non est, cum deleri possint, juxta jam stabilita, pluribus

Bbb 2

aliis

aliis mediis : ergo talis culpa non potest fieri hujus Sacramenti materia necessaria, & consequenter nec illius confessio præcipi ab Ecclesia.

177 Respondeo distinguendo majorem ; quod ex Christi institutione, per illam semper, & in omni eventu, illam à materia necessaria excludente, concedo : si ita non sit, uti non est, nego majorem, & ejus imbibitam probationem. Itaque aliquando venialia esse materiam necessariam confessionis, constat ex casibus memoratis patulè supra num.

174. Nec tunc Ecclesia ullo modo mutaret materiam à Christo institutam Sacramenti Poenitentiae : talis namque materia est peccatum, non solum mortale, sed etiam veniale. Unde Ecclesia suo præcepto tantum faceret, quod materia, quæ aliàs erat sufficiens, & libera, hic, & nunc esset necessaria. Modo quo, quamvis liberum sit audire Sacramentum in die non festo, si ab Ecclesia fiat festum, necessaria est jam Missæ auditio. Hoc autem non est mutare materiam Sacramenti : esset verò, si id, quod peccatum est, declararet, non esse materiam confessionis, vel esse illius materiam, quod non est peccatum. In proposito autem non est sic : nam Ecclesia suo præcepto solum faceret, materiam, quæ aliàs erat sufficiens, & libera, esse nunc necessariam. Ex quibus ad Confirmationem distinguo minor. Hoc Sacramentum necessarium non est, ita ut sine venialium remissione numquam ministrari possit, concedo : ita ut non fiat materia necessaria, quæ hic, & nunc, virtute hujus Sacramenti remitti debeat, nego min. & utramque consequ. Solutio constat ex dictis.

178 Quæres III. An peccatorum jam dimissorum iterata confessio illorum repetita absolutio fructuosa sint, ac de pena temporali, pro peccatis debita, aliquid remittant? Pro resolutione recolendum est ex dictis num. 171. ad novum Poenitentiae Sacramentum conficiendum per novam

peccatorum jam confessorum confessionem requiri novum dolorem de peccatis, quia sufficiat dolor, ac dispositio, quam quis habuit ad primam illorum absolutionem, ut aliqui apud Dianam affirmarunt, & quos Faber fuit secutus. Dixerunt enim, quod dum quis semel confessus est peccatum, & manet in eadem dispositione, est sufficienter dispositus ad secundam absolutionem, absque nova dispositione, vel dolore, sicut fuit ad primam absolutionem. Unde, juxta ipsos, hæc nova dispositio necessaria non est ad novam confessionem. Longè autem verius est, ad novam confessionem eorundem peccatorum novum requiri dolorem de eisdem peccatis, quæ iterata confessione clavibus subjiciatur, ut fert communior Theologorum consensus. Et est ratio ; quia ad conficiendum novum Sacramentum nova materia proxima, à priori distincta, requiritur ; sed eadem peccata, nova tantum confessione clavibus subjecta sine novo dolore, non sunt nova materia proxima, à priori distincta, ut per se constat : ergo. Quare quando confessio dicitur materia proxima, & pars essentialis Sacramenti Poenitentiae, non intelligitur de confessione nuda, & absolutè sumpta, sed vero dolore, & peccatorum detestatione informata.

179 Circa difficultatem propositam aliqui Nominales cum Gabriele senserunt, peccata jam confessa, & remissa non posse amplius esse materiam confessionis, eo quod nihil amplius circa talia peccata possit absolutio operari, nec tunc potest forma absolutionis verificari, cum peccata jam absoluta rursus absolvi non possint. Pro hac sententia citatur satis incautè ab aliquibus Scotus, cujus mens valde diversa est, ut vult debetur. In 4. enim dist. 19. postquam concedit, validè, & licitè idem peccatum jam dimissum iterum subdici clavibus, ac etiam fructuosè quoad

effectum, nempe, augmentum grati-

gratiæ : non tamen quoad 2. scilicet, quoad dimissionem poenæ temporalis, quæ post primam confessionem solvenda remansit, & ait : *Videtur probabilius, quod secunda absolutio virtute clavium nullam partem poenæ remittat.* Vult itaque Doctor, ut declarant Hiquès, Brancatus, Faber, & cum Mastro alii meliores Scotistæ, quod ex suppositione, quod in secunda confessione non sit novus dolor, novaque dispositio ex parte poenitentis, ac fuit in prima confessione, adeo ut, nulla alia sit ratio augendi fructum, nisi jus clavium, tunc nihil poenæ, ad hæc debite, remitteretur ; quia non esset tunc causa augmenti illius fructus. Ideò ait : *virtute clavium, hoc est, præcisè ex parte Sacramenti.* nam loquendo de fructu ex parte dispositionis poenitentis, si adsit, nempe, novus dolor de peccatis jam remissis, concedit Scotus, salubrem esse iteratam confessionem, ac utilem, tam ad collationem augmenti gratiæ, quam ad dimissionem partem poenæ temporalis, quæ remansit post primam confessionem. Ex quibus constat, Scotum loquutum fuisse ex suppositione opinionis num. anteced. relata.

180 Dico igitur : *Iterata confessio peccatorum, novo dolore informata, salubris est, & fructuosa.* Est dicere, per hanc secundam absolutionem ejusdem peccati causari effectus ejusdem generis, qui per primam fuerunt causati ; atque adeo per illam consequitur augmentum gratiæ, ac diminutio poenæ temporalis, quæ remanserat solvenda in primo Sacramento Poenitentiae. Hæc est opinio verior, ac communior Theologorum contra Authores supra memoratos. Deducitur apertè ex Extrav. Benedicti XI. adducta num. 168. ubi dicitur : *Ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubrem.* Prob. 1. Super eadem peccata, semel contrita, repetimus extra Sacramentum novam contritionem ; pot

solum licitè, sed etiam cum magno fructu : ergo pariter possumus cum fructu iterare confessionem super peccata jam confessa. Antecedens est certum, & consequentia probatur : In lege Evangelica succedit Sacramentum confessionis præcepto contritionis : ergo si super eadem &c. Prob. 2. Peccatum contritione jam remissum potest cum Sacramentali absolutione verum constituere Sacramentum validum, efficax, & fructuosum, ut ab omnibus conceditur : ergo pariter, peccatum absolutione jam remissum poterit cum iterata confessione validum, ac fructuosum efficere Sacramentum. Prob. consequ. Tum ; quia contritus non minus, quam secundò confitens, accedit cum peccatis jam remissis. Tum ; quia non minus in uno, quam in alio verificari debent verba formæ : ergo si hoc non obstat in uno, nec obstat debet in alio.

181 Objicies : Absolutio pro peccata validè confessa, & absoluta nullum effectum habere potest in poenitente : ergo esset frustranea, & inutilis. Prob. anteced. Talis effectus in poenitente vel esset remissio culpæ, vel infusio gratiæ, vel remissio poenæ temporalis, in quam commutata fuit æterna per præcedentem confessionem ; sed nihil ex his dici potest : ergo. Prob. minor. quoad primam partem : nam culpa semel remissa, non videtur amplius remissionis novæ capax : siquidem nullus solvi potest, nisi ligatus, & talis poenitens tunc jam non esset ligatus, sed solutus, & indotens, qui absolvi non potest : ergo talis effectus non esset remissio culpæ. Prob. minor. quoad secundam partem : Gratia in hoc Sacramento infunditur propter remissionem culpæ : ergo si hæc per priorem gratiam Sacramentalem supponeretur remissa, frustra infunderetur nova, & consequenter ejus effectus non potest esse infusio gratiæ. Prob. minor. quoad tertiam partem : Si per iteratam absolutionem

nem

nem remitteretur poena temporalis, quæ ex antecedenti remansit, sequeretur, quod qui plura, ac gravissima peccata commisit, per iteratas eorumdem peccatorum confessiones posset tandem totius poenæ consequi relaxationem; sed hoc dici non debet; aliàs hoc medio, & modo posset liberari poenitens ab omni poenali satisfactione: ergo talis effectus in poenitente non est remissio poenæ temporalis, in quam commutata fuit æterna per confessionem præcedentem. Hoc est oppositæ sententiæ fundamentum præcipuum.

182 Respondeo, negando antecedens, & concessa majori, nego rotundè minorem quoad triplicem illius partem. Ad primam probationem dico, falsum esse, peccata semel remissa amplius non esse capacia novæ absolutionis Sacramentalis, novo titulo, & dispositione acceptæ, ut constat ex dictis num. 171. & 178. Aliter sequeretur, quod peccata, contritione remissa, non essent absolutionis capacia propter rationem ipsissimam. Qui enim semel se obligavit ad aliquid, benè potest se ad idem iterum obligare: potest sæpius idem vovere, & idem objectum iterum promittere: poterit ergo pariter, qui debitum remisit, idem debitum iterum remittere. Quare, quamvis absolutè innocens, aut qui numquam ligatus fuit, non sit capax solutionis, ut diximus num. 171. cum Subt. Doct. qui verè semel fuit ligatus, & absolutus, potest quamoptimè aliquo novo titulo absolvi, & remitti. Patet evidenter: aliter peccata per præviam contritionem jam remissa non essent Sacramentalis confessionis, & solutionis capacia, quod erroneum est cogitare: ergo sicut peccata semel per contritionem remissa, iteratis contritionibus iterum possunt remitti, pariter per iteratam confessionem. Ad secundam probationem nego consequentiam: nam tunc Sacramentum iteratum gratiam conferret remissivam ex se culpæ, es-

tó illam non inveniatur, & etiam temporalis poenæ, si quam inveniatur in poenitente. Ex quo ad tertiam nego minorem. Sicut enim potest poenitens pro suis peccatis satisfacere per alios actus poenitentiae, ita pariter per frequentatos actus Sacramentalis Poenitentiae pro tota poena satisfacere poterit: nam difficultas, & erubescencia est aptissima satisfactionis materia, ut Benedictus XI. dicebat, & nos cum ipso diximus supra.

QUÆSTIO III.

Quenam sit, & debeat esse, Sacramenti hujus forma?

183 **B** Reviter expletis difficultatibus, quæ ad materiam spectant Sacramenti Poenitentiae, consequens est de absolutione, quæ ejus forma est, & complementum disserere. Erga illam tot sunt exortæ celebres difficultates, totque sunt Theologorum modi discurrendi, ut plus confusionis afferant, quam claritatis. Ut ergo quæ de ipsa agitari solent resolvamus dilucidè, per aliquas quæstiones excitabimus difficultates. In præsentia duæ controversantur, quæ per duas Conclusiones resolventur. Præmitendum tamen est I. ex communi Theologorum consensu, verba illa absolutionem antecedentia: *Misereatur tui &c. Dominus noster Jesus Christus te absolvat &c.* atque illa alia subsequentiæ: *Passio Domini nostri &c.* nec esse de essentia absolutionis Sacramentalis, nec necessaria ad Sacramenti valorem. Sunt verò preces illæ valde utiles ad antecedenter exorandam divinam misericordiam, & consequenter, ut opera poenitentis eleventur ex meritis Christi, & virtute clavium ultra proprium valorem. Propter hoc ait Tridentinum Sess. 14. cap. 3. *De Ecclesiæ sanctæ more, preces illas laudabiliter adjungi.* Præmitendum est 2. quod impositio manus Sacerdotis super

super poenitentem necessariâ non est in hoc Sacramento: ejus namque necessitas colligi non potest, nec ex Scriptura, nec ex Traditione, nec ex Conciliis. Nec obstat, quod ab aliquibus ex SS. Patribus Sacramentum Poenitentiae appelletur *manus impositio*: quia tunc loquuntur, non de absolutione Sacramentali, sed de reconciliativa, quando, nempe, poenitentes publicè cum Ecclesia erant reconciliandi: quod tunc ex cæremonia Ecclesiæ fiebat per Sacerdotis manus impositionem. Vel appellatur impositio manus à cæremonia, quæ fieri solet in hoc Sacramento, quando Sacerdos absolvendo poenitentem benedicit: quæ benedictio non est essentialis, sed merè accidentalis.

184 His prætermisissis, difficultas est circa hæc: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ à Florentino, & Tridentino assignantur pro forma Sacramenti Poenitentiae. Aliqui cum Durando opinati sunt, omnia illa verba, nullo omnino prætermisso, esse de necessitate absolutionis, & Sacramenti Poenitentiae: adeo ut invocatio SS. Trinitatis tam necessaria sit, quam in Sacramento Baptismi. Alii cum Gabriele, & Paludano asseruerunt, hæc saltem verba: *absolvo te à peccatis tuis* esse de essentia hujus Sacramenti. Per oppositum alii cum Dominico Soto sentire videntur, verbum hoc: *Absolvo*, unicè prolatum sufficere ad valorem Sacramenti. Unde dicunt, quod si in periculo mortis, ne quis sine absolutionis beneficio decederet, Sacerdos animo absolvendi à peccatis, & censuris, absolutè diceret: *Absolvo*, tunc absolveret validè. Cæteri verò Theologi cum D. Thoma, & Scoto docent, sola illa verba: *Absolvo te* formam essentialem hujus Sacramenti constituere, ad ejusque valorem sufficere, ac necessaria esse.

185. Conclusio I. Per se loquendo, & extra necessitatis casum, ver-

ba hæc: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* proferti debent à Sacerdote. Intelligitur, non quidem de necessitate Sacramenti, sed ut licitè Sacerdos hoc Sacramentum ministret. Dixi: *extra casum necessitatis*; quia si periculum mortis immineret, sufficiunt verba: *Ego te absolvo*, ut dicetur Conclusionem sequenti. Conclusio videtur innegabilis: nam ipsa est forma stabilita in Florentino, & Tridentino, atque ita ex Ecclesiæ præcepto proferti debet à Sacerdote: ergo. Unde expressio SS. Trinitatis tantum est necessaria necessitate præcepti; non verò necessitate Sacramenti. Ratio potest esse, quia hoc Sacramentum non est fidei professivum, sicut est Bæptismus, & Confirmatio. At verò talem expressionem voluntariè omittere esset peccatum mortale, juxta communio-rem opinionem: & omittere particulam: *Ego, & Amen*, esset veniale: nam sine illis forma completum, & perfectum sensum habet: siquidem pronomen *Ego*, per se patet, quod includitur in verbo *absolvo*: & particula *Amen* nullo modo est necessaria ad judicialem sententiam. Et supponitur, omissionem talem non provenire ex contemptu præcepti; quia si ex illo proveniret, semper foret peccatum grave. Deinde in forma hujus Sacramenti dari potest mutatio *accidentalis*, & *substantialis*, sicut & in aliorum Sacramentorum formis, ut dictum est suis in locis. Accidentalis mutatio non invalidat Sacramentum: substantialis verò illud facit nullum, de quo quæst. seq. tractabitur.

186 Conclusio II. *Sola verba illa: Absolvo te, formam essentialem constituunt hujus Sacramenti: ac proinde sufficiunt ad illius valorem.* Est sententia communior, quam sequitur, ut talem, Gonetus, & docetur à Subt. Doct. dist. 14. quæst. 4. ubi dicit, quod communiter ista verba: *Ego te absolvo* apta sunt ad

ad hoc Sacramentum. Prob. 1. Conclusio: Sola illa verba sunt de essentia formæ absolutionis, quæ principalem effectum significant Sacramenti Poenitentiae; sed verba hæc: *Absolvo te* id habent: ergo illa sola sunt absolutioni Sacramentali necessaria. Major constat; quia essentia Sacramentorum novæ legis est id significare, quod efficiunt; igitur quæ sufficiunt ad id significandum, sufficient ad Sacramenti effectum. Prob. minor. Verba quoad significationem, seu significatio verborum sumenda est ex circumstantiis, quas adjunctas habet, & secundum quas ex communi usu, & institutione hominum determinatur ad significandum; sed ista verba sola: *Absolvo te*, omnibus circumstantiis, in quibus profertur, consideratis, principalem effectum Sacramenti Poenitentiae significant: ergo. Major. constat in illa Baptismi forma, corruptè prolata: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ valida: est ex declaratione Zachariæ Papæ, eo quod in talibus circumstantiis prolata significat ex communi hominum sensu Mysterium Trinitatis, quæ in aliis circumstantiis prolata illud non significaret. Prob. min. Hæc sola verba: *Absolvo te*, quamvis indifferentia sint ex se ad significandum absolutionem, tam à censuris, quam à peccatis, tamen prolata supra poenitentem, qui sua peccata confessus est Sacerdoti, ante quem est postratus, sufficientissimè determinantur ad absolutionem à peccatis significandam; sed hæc est effectus principalis hujus Sacramenti: ergo ista verba sola: *Absolvo te*, &c.

187 Probatur secundò Conclusio, alias sententias relatas num. 184. refellendo: Invocatio Sanctissimæ Trinitatis nullo modo est de essentia absolutionis Sacramentalis; sed aliunde nec omnia hæc: *absolvo te à peccatis tuis*; nec *te absolvo ab omnibus peccatis tuis*, ut cum Gabriele sen-

serunt aliqui antiqui: nec denique solum verbum *absolvo* sufficienter exprimit formam absolutionis: ergo sola ista verba: *te absolvo*, sunt præcisè de essentia Sacramenti Poenitentiae. Major, ultra dicta supra num. 185. manifesta est: nam in hujus Sacramenti institutione solum dicitur: *quorum remisistis peccata, remittuntur eis*, quia ulla fiat mentio Trinitatis, sicut in Baptismi institutione. Ob quod probabile est, & citatur à Gonetio D. Thomas 3. parte quæst. 84. art. 3. Sacerdotem nec venialiter peccare, si talem expressionem omitteret, eo quod, dicat, relictam esse arbitrio Sacerdotis. Alii oppositum tenent, ut videri est num. 185. Prob. minor. In primis, non debere necessariò poni omnia illa verba: *absolvo te à peccatis tuis*, patet ex probatione Conclusionis, ubi dicitur, hæc verba: *absolvo te* ratione circumstantiarum sufficienter explicare absolutionem à peccatis; sed aliunde necessaria non est illa particula *omnibus*; quia non apponitur in Rituali Romano, jussu Pii V. edito; nec absolvi potest poenitens ab uno mortali peccato, quin ab omnibus mortalibus absolvatur: denique, solo verbo *absolvo* prolato, non exprimitur sufficienter forma absolutionis. Patet hoc: nam in ea forma significari debet, absolutionem cadere supra talem personam, accusatam, poenitentem, & confessam talia singularia peccata; sed si non exprimitur *ly te*, forma non exprimit, absolutionem cadere supra personam determinatam: ergo particula *te* est de essentia formæ hujus Sacramenti, sicut est in forma Baptismi, & Confirmationis. Major constat ex illo Joan. 20. *Quorum remisistis peccata &c.* ubi Christus, & personam designat, & peccata à poenitente præsentem manifestata. Minor etiam constat; quia verbum *absolvo* per se est indifferentens, ut referri possit ad quamcumque personam, nec per se determinatur potiùs ad unam, quam ad

ad aliam, ut constabit ex num. 191.

188 Arg. fundamenta adversariorum pro qualibet opinione illorum. 1. Ideò in forma Baptismi, & Confirmationis necessaria est expressio SS. Trinitatis, quia illorum Sacramentorum effectus à Deo causatur principaliter, & ab homine tantum ministerialiter; sed Sacerdos in hoc Sacramento, ut Dei Minister absolvit: ergo pariter. Nego causalem majoris: nam ratio, qua necessaria est expressio SS. Trinitatis in Baptismo, & Confirmatione, est; quia Baptismus inducit, & reducit hominem ad fidem, & Confirmatio roborat valde ad ejus confessionem: præcipuum autem mysterium fidei est mysterium Trinitatis: & ideò talis expressio necessaria est in illis Sacramentis, ut abundantius constat in suis locis. Si ergo ratio in argumento assignata teneret, sequeretur manifestè, quod in omnium Sacramentorum forma exprimi deberent tres Divinæ Personæ; quia in omnibus effectus à Deo causatur principaliter, & ab homine tantum ministerialiter; quæ sequela falsa est apud omnes.

189 Arg. 2. & principaliter: Concilium Florentinum, & Tridentinum satis clarè docent, omnia illa verba: *absolvo te à peccatis* necessaria esse ad formam hujus Sacramenti: ergo ista sola: *te absolvo* non sufficiunt, & consequenter falsa est nostra Conclusio. Prob. anteced. Utrumque Concilium formam hujus Sacramenti assignans, post illa verba: *Ego te absolvo*, addit, & *cætera*: ergo censet, aliqua ex verbis sequentibus esse necessaria: Sed non potest esse aliud, quam *ly à peccatis*: ergo. Confirmatur 1. Hæc verba: *absolvo te* sine particula *à peccatis*, ex se sunt indifferentia ad significandam absolutionem à censura, vel à peccatis; sed forma absolutionis Sacramentalis determinatè significare debet absolutionem à peccatis: ergo necessariò per hanc particulam à

Tom. I.

peccatis determinari debet. Non enim addere *tuis* est necessarium; quia hoc distinctè per pronomen *te* exprimitur. Minor constat in cæteris Sacramentis, quorum formæ sunt illa verba, quæ distinctè ejus effectum principalem exprimunt, qualis est absolutio à peccatis in hoc Sacramento. Confirmatur 2. Si ad essentiam formæ Poenitentiae sufficiunt verba illa: *te absolvo*, sufficeret etiam tantum verbum *absolvo*; sed non sufficit ex dictis in probatione Conclusionis: ergo nec sola illa verba. Prob. major. Ideò per nos sufficiunt sola illa verba; quia quamvis ex se indifferentia sint ad significandum absolutionem tam à peccatis, quam à censuris, prolata tamen in talibus circumstantiis supra poenitentem determinatè significant absolutionem à peccatis; sed idem dici debet de verbo *absolvo* tantum in eisdem circumstantiis: ergo. Minor certa est; quia, Sacerdotem poenitenti sua peccata illi manifestanti, atque ab illo absolutionem illorum petenti, dicere: *absolvo*, manifestè denotat, absolvere à peccatis, quæ poenitens ei manifestat.

190 Respondeo, negando antecedens, & consequentiam probationis, quæ non sequitur: aliter sequeretur, quod etiam deberent addi: *in nomine Patris &c.* cum eodem modo referatur illa particula: *& cætera ad à peccatis*, quod ad *in nomine Patris*, quod negant illius sententiæ Authores. Itaque Concilia illa per particulam *& cætera*, tantum voluerunt indicare, verba sequentia ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ addi verbis essentialibus formæ: seu indicare voluerunt, se abstrahere à controversia Theologorum, qui putant, alia etiam verba esse essentialia, intendendo per hoc, quod quamvis non sint essentialia, non ob hoc sint omittenda. Si enim existimassent, esse essentialia, non omisissent pauca hæc verba: *à peccatis tuis*, cum formam expresserint

Ccc

Bap.

Baptismi, etsi longiorem. Ad primam Confirmationem nego majorem ex dictis in secunda probatione Conclusionis: nam verba hæc: *absolvo te* in hujus Sacramenti administratione proferuntur circa, & super poenitentem, confitentem sua peccata, ex qua circumstantia habent, quod determinatè significant absolutionem à peccatis, & quod indifferentiam non sint ad absolutionem à censuris.

191 Ad secundam Confirmationem nego majorem, & minorem probationis, & illius probationem. Itaque per solum verbum *absolvo*, omissa particula *te*, non conficitur Sacramentum validum; quia tunc significatio formæ mutatur substantialiter: nam talis forma instituta fuit per verba demonstrativa, quæ talis non est, particula *te* sublata, cum verbum *absolvo* enuntiari possit, non solum circa peccata alicujus presentis, sed etiam absentis. Unde verbum *absolvo* est per se indifferentis, ut ad quamcumque personam referri possit. Nec ex præsentia, gestu, aliisque actibus, & verbis præcedentibus poenitentis, & Confessoris, determinari potest, quia verbalis forma Sacramenti per se habere debet sensum integrum, perfectum, & determinatum. Ita Mastrius, qui addit, quod Aversa testatur, hunc dicendi modum, nempe, ad formam hujus Sacramenti sufficere dicere: *absolvo*, malè audivisse in Sacra Congregatione: qua ratione, cum Aversa antea sensisset, hæc sola verba: *absolvo te* pertinere ad essentialiam formæ; postea Sect. 3. tenet, illam particulam à peccatis esse de illius essentialia, & necessitate.

192 Hac Mastrii stante doctrina, & solutione, quam sequuntur ceteri Authores, defensantes, illa sola verba: *absolvo te* esse de essentiali formæ hujus Sacramenti, paritas pro argumento adducta, videtur mihi satis efficax. Urgetur sic: per vos, ad essentialiam formam absolutionis

sufficiat hæc verba: *absolvo te*, quin necessaria sint illa: à peccatis, ergo pariter sufficere hoc solum verbum, *absolvo*, quin necessaria sit particula *te*. Prob. consequent. Ideò antecedens est verum; quia quamvis verba illa: *absolvo te*, ex se indifferentia sint ad peccata, & ad censuras: in circumstantiis verò confessionis, in quibus proferuntur, determinatè significant absolutionem à peccatis; sed hæcmet ratio probat, in eisdem circumstantiis verbum *absolvo* non esse indifferentis, sed determinari ad peccatorum absolutionem: ergo. Prob. minor. In illis circumstantiis verbum *absolvo* determinatè caderet supra poenitentem se accusantem, ac absolutionem petentem: ergo. Prob. antecedens: Tum; quia si ego dicerem Petro: *parce mihi injuriam*, & Petrus diceret: *parce*, ab omnibus ex ipsa circumstantia petitionis intelligeretur, Petrum injuriam illi illatam pepercisse: ergo pariter. Tum: ideò verbum *absolvo*, adhuc in illis circumstantiis, determinatè non significaret absolutionem à peccatis; quia verba formæ ex se, & per se, habere debent sensum integrum, perfectum, & determinatum: hoc est, debent per se habere determinatam significationem, & non à materia: modo quo in physicis, materia non determinat formam, sed potius forma per se est actus determinativus materię; sed hæc eadem ratio militat in his solis verbis: *absolvo te*, si non addatur à peccatis, ut in eisdemmet circumstantiis videtur evidens: ergo pariter. Nec capio disparitatem, intellectum quietantem: nam dicere, absolutionis formam institutam esse per verba demonstrativa, qualis non esset *absolvo*, sublata particula *te*: non convincit intentum; semel namque quod verbum *absolvo* in circumstantiis confessionis poenitentis, & absolutionem peccatorum petentis, significaret, absolutionem dirigi determinatè ad peccata illius, necessa-

riò

riò esset demonstrativa, tam illius poenitentis, quam suorum peccatorum.

193 Hæc dixi; non quia per id intendam recedere à communiori, & plausibili sententia Scholæ, tam Thomisticæ, quam Scotisticæ, asserentis, sola ista verba: *te absolvo*, essentialia esse formæ Sacramenti Poenitentiae, uti Conclusionem 2. stabilitum manet: sed ut ostenderem, valde mihi efficacem esse, ac verè fundatam, opinionem defensantem, ad essentialiam, & valorem talis formæ illa sola verba non sufficere, sed omnino necessarium esse addere: à peccatis. Hanc sequitur, quamvis omnino obiter, & absque ulla Theologica Disputatione, Gonzalez Matheo in Summa Mor. Tract. 23. de Poenitentia, §. 8. num. 122. dicens, ad hujus Sacramenti valorem, hanc formam: *te absolvo*, non sufficere, atque omnia verba hæc necessaria esse: *te absolvo à peccatis tuis*. Quæ doctrina vera est in praxi: hoc est, quod non liceat Confessario aliter Sacramentum hoc ministrare, quin expressè proferat: *te absolvo à peccatis tuis*, ut constat ex num. sequenti.

194 Colliges 1. ex dictis, in Sacramentorum administratione, sine peccato non posse omitti, contemni, vel commutari, ritus ab Ecclesia præscriptos, prout Tridentina Synodus definiit Ses. 7. Can. 24. Unde, quamvis preces, quæ formæ absolutionis præmittuntur, scilicet, *Dominus noster Jesus Christus te absolvat* &c. non ad formæ substantiam, sed ad ritum spectent, prætermitti nequeunt, nisi gravis necessitas, aut mortis periculum imminet. Sequentia verò verba, nempe: *Passio Domini* &c. omitti possunt in confessionibus frequentioribus, & brevioribus, eò quod invocatio Dei, & Passionis Christi applicatio, etiam in cæteris verbis comprehendatur. Cavendum est ergo, ne aliquid ad valorem formæ, juxta opi-

Tom. I,

nionum varietatem, attinens, omitatur, ut non exponatur periculo nullitatis Sacramentum, si fortè in re vera esset illa opinio: & pariter propter propositionem 1. damnatam ab Innocentio XI. quæ dicebat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tuorum* &c.

Colliges 2. quod cum de essentiali formæ Sacramenti Poenitentiae tantum sit, ut profecatur per modum actus judicialis quibuscumque verbis, quibus Sacerdos in forma absolutionis utatur, dummodo judicialem sententiam exprimant, absolutio erit valida; quia tunc non adesset mutatio substantialis; sed tantum accidentalitatis in forma, quæ mutatio Sacramentum non invalidat. Quare si Sacerdos diceret: *remitto tibi peccata tua: vel delicta tua condono tibi: vel absolvatur Petrus à peccatis*, Sacramentum validum esset. Est communis; & expressè docetur à Scoto dist. 14. quæst. 4. num. 4. Nihilominus observat Doctor, præferendam, & proferendam esse formulam ab Ecclesia præscriptam, his verbis: *Absolvo* &c. quia citrà peccatum non licet immutare eam. Colliges 3. gratiam Sacramentalem remissivam peccatorum produci in instanti terminativo prolationis formæ. Unde in sententia dicente, sola verba illa: *absolvo te*, esse formæ essentialia; gratia producit, antequam proferatur: *à peccatis tuis*. Colliges denique, absolutionem datam in plurali, causa honoris, validam esse: peccare verò Sacerdotem, qui illa uteretur, à communi forma Ecclesie recedendo. Pariter est sententia communis contra Tebianam in sua Summa, posse Sacerdotem unica absolutione multos absolvere, mortis periculo imminente, & in casu naufragii: modo quo unica ablu-tione multi possunt baptizari.

Ccc 2

QUÆS.

QUAESTIO IV. *an absolutio ad sui valorem necessaria debeat esse vocalis? Et an possit per litteras praesentem absens absolvi?*

195. **D**uplicem amplectitur difficultatem quaestio praesens. Prima ad hoc reducitur: An ad hujus Sacramenti formam requirantur verba propria dicta, seu forma necessaria debeat esse vocalis? An sufficiat ad illius valorem, quod aliquo signo conferatur, scripto, scilicet; vel nutu, quia voce profertur? Hoc sufficere, dixerunt non pauci Theologi, ut Paludanus, Adriaqus, Navarro, Soto, & alii. Difficultas secunda haec est: An absolutio conferri possit praesentem absentem, qui confiteretur per scriptum, aut quatuor? Et pariter: An confessus Sacerdoti praesentem, ab eodem absolvi per litteras, quando jam est absens? Roga illam plures, & graves Auctores opinaverunt, iuxta interveniente causa, valide, & licite posse dari absolutioem inter absentes, per epistolam, vel per internuntium, vel propria voce, absentem absolvendo. At vero quamvis licuerit aliquando ita opinari, tamen post Ecclesiae declarationem, & iurisdictionem, certissimum est, absolutioem non posse dari inter absentes, ut Conclusio docebit. Unde jam haec sententia est improbabilis practice. Sit ergo.

196. I. Conclusio: *Sacramentalis absolutio necessario necessitate Sacramenti debet esse vocalis, seu voce expressè exprimi.* Haec est veteris, & communis sententia, quam docuit Subt. Doct. dist. 14. quaest. 4. Prob. 1. ex Florentina, docentes *Omnia nova legis Sacramenta perfici verbis, tanquam forma.* Et Tridentinum Ses. 14. de hoc Sacramento dicit: *illius formam in verbis Ministri consistere: ergo necessa-*

ria sunt: Sacerdotis verba ad illius valorem. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesiae, quae manifestat, hanc fuisse Christi voluntatem, & institutionem, ex eo, quod ipsa nunquam maliter hoc Sacramentum, sicut & caetera, ministravit, quam verbis humana voce prolatis. Quamvis igitur Christus explicitè non dixerit, quod dum absolvitur poenitens, aliquas esse preferendas voces, sicut nec, dum alia administrantur Sacramenta, dixit: tamen id censetur implicitè signasse, dum de Baptismo dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Et dum in Eucharistia dixit: *haec facite in meam commemorationem.* Unde perpetua Ecclesiae praxis, & perpetuus Patrum consensus semper firmavit, in Baptismo preferendas esse has voces: *Ego te baptizo: Et in Eucharistia: Hoc est Corpus meum.* Si ergo nunquam Baptismus, nec Eucharistia confecta est per nutum, vel scriptum, idem iudicium est ferendum de Poenitentia, & ad potiori iure; quia illius forma, non solum effectum ejus debet exprimere, nempe, peccatorum remissionem, sed etiam hunc effectum hic, & nunc, operari, ex potestate à Christo collata sibi.

197. II. Conclusio: *Nedum illicita, sed etiam omnino invalida, est absolutio collata absentem.* Unde nullum esset hoc Sacramentum inter absentes, sive poenitens confessus fuerit praesens, sive absens. Conclusio amplectitur duplicem sensum secundae difficultatis, supra num. 195. propositae. Haec est sententia Subt. Doct. in 4. dist. 27. in responsione ad 8. argumentum, ubi docet, praesentiam poenitentis omnino necessariam esse ad valorem Confessionis, quod validissimis rationibus convincit. Prob. 1. ex Trident. Ses. 14. pap. 2. ubi loquens de hujus Sacramenti institutione, inquit: *Christus ante hoc tribunal, tanquam reos visis, ut per Sacerdotum sententiam*

tiam ab admissis peccatis, possint liberari; sed Concilium, hoc modo loquendi, expressè significat, debere poenitentem personaliter constitui ante ipsum Sacerdotem, ut ab eo accipiat absolutioem: hoc namque sonat vocabulum *sisti*: ergo. Prob. 2. ex Decreto Clementis VIII. super hoc edito anno 1602. in quo dimit hanc controversiam, declarando, & damnando, uti falsam, temerariam, & scandalosam hanc propositionem: *Licet per litteras, sive per internuntium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutioem obtinere.* Et prohibendo illam sub poena excommunicationis ipsi Pape reservatae, dicit: *Ne illa publicè, aut privatè, doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur:* ergo Pontifex in omni, & quocumque casu, etiam extremae necessitatis, illam damnat, & prohibet: nam si in aliquo casu eam validam putasset, eam pro omni, & quocumque casu non prohibuisset, ut defacto prohibet. Prob. 3. ex ipsa Sacramenti hujus forma, *absolve te*, quae & personam praesentem demonstrat, & ex antecedenti Conclusionem necessario debet supra poenitentem praesentem voce exprimi: ergo.

198. Arg. 1. adversus 1. Conclus. Absolutio eo modo conferri potest, quo peccatorum accusatio fieri potest in confessione; sed confessio peccatorum fieri potest validè nutu, scripto, vel aliquo signo exteriori, quin necessaria sit locutio verbalis: ergo pariter, non est de absolutioem essentia, quod profertur voce humana. Prob. major: Idèò absolutio non posset dari eo modo, quo fieri potest peccatorum confessio: quia in Sacramentali absolutioem includitur specialis ratio, exigens, eam debere esse vocalem, quae non reperitur in Sacramentali confessione; sed ratio sumptè ita non esse: ergo

absolutio: &c. 2. Prob. minor. Ratio exigens absolutioem necessario debere esse vocalem, vel est; quia est absolutio, vel quia est Sacramentalis? Sed neutrum dici potest: ergo. Prob. majori quoad primam partem: Absolutio à censura, & excommunicatione est vera absolutio; sed hæc dari potest scripto, nutu, osculo, aut alio equivalente signo, à Summo Pontifice saltem, ut constat ex Clementina de sententia excommunicationis cap. finali: ergo non, quia est absolutio. Prob. illa major quoad secundam partem: Si talis ratio esset; quia est Sacramentalis, nullum Sacramentum aliter, quam voce, celebrari posset, seu omnium Sacramentorum forma deberent esse vocales; sed hoc non est dicendum: nam Sacramentum Matrimonii validè confertur per nutum, signa, & scripta internum consensum significantia: ergo Confirmatur: Florentinum loquens de Matrimonio docet, quod regulariter perficitur verbis, in quo satis indicat, interdum fieri posse sine illis: ergo pariter sentiendum de Sacramento Poenitentiae.

199. Respondeo, negando majorem, & minorem probationis. Ad hujus probationem dico, rationem esse; non quia est absolutio, nec quia est Sacramentalis, divisivè acceptis, sed collectivè sumptis, nempe; *quia est absolutio Sacramentalis Poenitentiae*, quae ex Christi voluntate, & institutione verbalis debet esse, ut demonstratur in probatione Conclusionis. Ex quo concessio, quod absolutio à censuris est absolutio; & quod Matrimonium per nutum, vel signa consensum manifestantia sit validum, nego, quod à paritate inferri intenditur. Ratio itaque potissima, quare in casu aliquo necessitatis sufficiat confessio, quae non sit verbalis; in nullo verò casu absolutio Sacramentalis valida sit sine verbis expressis, & determinatis, est ipsa voluntas, & institutio sui: An-

thoris, sic instituentis, ut amplius constabit Dip. 3. art. 2. quæst. 1. & 2. Congruentialis ratio potest esse; quia occurrere possunt plures causæ, quæ poenitentem præpediant à confessione vocali, potius quam Sacerdotem à vocali absolutione. Certum est enim, quod homines lingue ignotæ, & omnes muti non possunt sua peccata promere verbis: Sacerdoti verò vix aliqua causa occurrit, quæ ipsum impedire valeat prolationem formæ, cum ipsam in quocumque idiomate proferre possit.

200 Est itaque valde dispar ratio inter absolutionem à peccatis, & à censuris: nam absolutio à censuris pendet ab Ecclesia per auctoritatem à Christo ad illas imponendas communicatam in illis verbis: *Quodcumque ligaveritis super terram &c.* Per quæ Christus auctoritatem Ecclesie concessit, censuras infligendi, & ab eis absolvendi, cum Ecclesia sic reconciliando hominem. Unde penes eam est præscribere modum, quo censura contrahatur, & absolvatur: illumque præscripsit, volendo, & statuendo, quod talis absolutio non habeat certam verborum formam, sicut & quod possit conferri in absentia indigentis illa. Non sic est sentiendum de forma Sacramentorum, quam Ecclesia immutare non potest pro suo libito. Nec est paritas de Matrimonio, cum aliis Sacramentis comparato; nam cum ex ejus institutione fiat, & conferatur per mutuum partium consensum, omne id, quod talem consensum exprimere potest, sufficere potest etiam ad ejus valorem. In Poenitentia verò, & in aliis Sacramentis, in quibus forma est determinata à Domino, non est sic discurrendum. Per hoc patet ad Confirm.

201 Arg. 2. Sacramentum Poenitentiae institutum est per modum judicii: ergo id, quod in rigore sufficit ad valorem sententiæ in aliis judiciis, in hoc etiam sufficiet. Nunc sic: sed non est essenziale judicio

fori externi, quod Judex proferat sententiam vocalem; nam potest illam aliis modis ferre: ergo pariter in Poenitentia. Nego consequentiam, & concessa subsumpta, nego etiam consequentiam. Verum est, Poenitentiam per modum judicii à Domino esse institutam; non verò quoad omnia, sed quoad aliqua, quæ ad rationem formalem judicii requiruntur, ut sunt *rei accusatio, criminum cognitio, & sententiæ prolatio*. Alia sunt necessaria in judicio voluntate Principum tantum, ut sunt, quod iudicia scripto lata legitima sint, aut irrita; quod sententia contra absentem prolata, valida, sit aut invalida. Christus autem voluit, iudicium suum in Poenitentia & esse vocale, & ferri in reum præsentem. Quare estò Sacramentum, & tribunal Poenitentiae similitudinem aliquam habeat cum iudicio forensi, adhuc discrepat in multis. Primò, quia in tribunali Poenitentiae idem est accusator, testis, & reus. Secundò, quia hoc iudicium est liberum, tam ex parte rei, quam iudicis. Tertiò ipse reus absolvitur, vel damnatur, secundum ea, quæ contra, vel pro se manifestat: quia cum in favorem rei sit institutum; fides ei adhibetur, dum delictum suum confitetur, ut ab ipso solvatur. Alias mitto rationes differentiae inter iudicium forense, & Sacramentale, apud Authores videntas.

202 Arg. 3. adversus 2. Conclusionem: Decretum Clementis VIII. quo Conclusionem probamus, solum convincit, absolutionem absenti datam esse illicitam, non verò esse invalidam: ergo quamvis absens, regulariter loquendo, non possit licite absolvi, poterit valide, & præsertim in casu extremæ necessitatis. Patet consequens: quia cum hoc Sacramentum sit necessarium lapsis post Baptismum, expediens, ac valde utile videtur, quod Christus instituerit, absentes in casu necessitatis à legitimo Sacerdote posse absolvi, ut

ut quando ob ægritudinem, aut aliud impedimentum æquale, & Sacerdotum penuriam non possent Sacerdos, & poenitens præsentialiter convenire, & præsertim inter Infideles. Prob. antecedens: nam juxta Suarium cum aliquibus aliis, Pontifex non damnat utramque partem illius propositionis, in suo decreto contentæ divisim, sed tantum collectivè, & conjunctim: hoc est, quod non liceat absolutionem dare absenti, non verò invalidam fore confessionem per litteras factam.

203 Respondeo, negando antecedens, & totam illius probationem, itaque illa interpretatio repudiata, ac reprobata fuit omnino à Paulo V. in decreto factò in generali Inquisitione, in quo inter alia, hæc sunt verba: *Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & idem amovendam esse ab ejus libris, juxta decreta aliàs facta à Clemente Papa VIII.* ergo censet Pontifex, improbabile, ac falsum esse, dicere, absolutionem illam, & confessionem validam fore. Ex quo sequitur, illam opinionem non solum impracticabilem esse, sed etiam speculative improbabilem. Ad ostensionem primæ consequentiæ argumenti nego assumptum: quia hoc Sacramentum, & ejus effectus, per contritionem suppleri possunt: atque adeo ad plura incommoda vitanda expediens fuit, ac utilius, ut absolutio poenitentibus non aliter, quam à Sacerdote præsentem impendatur. Est enim, ut ait Subt. Doct. dist. 17. *forum istud ex natura sua secretissimum*. Si autem fieret confessio per litteras, vel internuntium, & absenti conferretur absolutio, sequeretur primò, quod secretum exponeretur, ut per se est manifestum. Secundò, quod etiam exponeretur absolutio; quia dum nuntius, vel epistola poenitentis ad Sacerdotem vadit, ille mori potuit, aut mutare mentem, aut inhabilis fieri, aut de novo peccare: & idem est post scriptam absolutio-

nem, & dum vadit ad poenitentem: tunc utique nullitatis periculo exponitur absolutio. Sic de aliis rationibus, quibus Ecclesia mota est ad talem praxim damnandam, ut falsam, scandalosam, & invalidam.

204 Arg. 4. Praxi fuit aliquando Ecclesie absentes per litteras absolvere: ergo talis absolutio etiam nunc valida esset. Prob. antecedens: Tum, ex facto S. Thomæ, quod refert Baronius tom. 12. ad an. 1164. & cujus meminit Doct. Subt. 4. dist. 17. & qui Thomæ Episcopus Cantuariensis absolutionem petiit à Sede Apostolica, eò quod humiliter existimabat, & timebat, se mitius, & mollius, quam debebat, restitisse Henrico II. pro Ecclesie juribus, & libertate: quam quidem absolutionem consecutus fuit per litteras ab Alexandro III. Tum ex S. Cypriano. Lib. 8. Epist. 13. dicente, *quod lapsi absolutionem per epistolas petentes, possent illam obtinere*. Tum ex rescripto Gregorii VII. qui absolutionem peccatorum concessit Episcopo Nilconniensi in Anglia, qui per litteras illam petiit. Aliæ plures referuntur historie, id ipsum comprobantes: non ergo talis absolutio censenda est invalida, sed illicita, eò quod sit prohibita.

205 Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem dico, D. Thomam non postulasse à Sede Apostolica absolutionem Sacramentalem, nec Pontifex illam dedit, sed tantum Canonicam, seu à poenis, & censuris Canonicis, quas timebat incurrisse, eò quod ea, qua debebat, constantiam Ecclesie jura non propugnasset. Unde Alexander, postquam relaxat, & remittit poenas Canonicas, aut censuras, remittit illum ad Confessarium, qui sit providus, & discretus, cum quo sua peccata confiteatur, dicens: *Tibi consulimus per poenitentiam confiteri*: ergo absolutio illa non erat Sacramentalis: nam si esset, frustra moneret, confiteri per poenitentiam illam Sa.

Sacerdoti. Per hoc patet ad casum Gregorii VII. Ad 2. dico, Cyprianum loqui de absolutione Canonica, & ab aliquibus poenis, quæ concedi potest Diacono: & ideo dicit, quod impendi potest à Diacono in absentia Sacerdotis. Nec mirum, cum ex Lib. 8. Constitut. Apostolicarum Clementis constet cap. 34. auctoritatem excommunicandi, & absolvendi ab excommunicatione habuisse Diaconos, absente Presbytero. Ergo non loquitur, nec loqui potest, de absolutione Sacramentali.

206 Doctrina verissima hæc amplius constat ex eo, quod ad ejusmodi absolutiones non præcessit peccatorum accusatio particularis, & distincta, sed tantum generalis, & indistincta; quæ extra casum necessitatis non sufficit ad obtinendam absolutionem Sacramentalem. Quare, tam præfata, quam alia similia testimonia nec significant, nec probant, absolutionem peccatorum absentibus datam legitimam fuisse, nec validam: sed fulse dumtaxat, vel remissionem poenitentiarum Canonicarum; vel spiritualem quamdam benedictionem per modum precum, & orationum, quibus Præsules, sic absolventes postulantes absolvi, Deum precabantur, ut eis per gratiam poenitentiae veniam suorum peccatorum, & poenæ pro illis debitæ concederetur: vel denique significabant Indulgentiarum concessionem, quæ etiam appellari solet absolutio. Nunc jam pro quæstionis complemento.

207 Quæres I. An validum sit Sacramentum, si poenitens sua peccata per litteras mittat Confessario, & postea in sua præsentia dicat, se accusare de his omnibus, quæ scripsit, & sic in præsentia absolvatur à Confessore? Respondeo affirmativè cum Mastrio, aliisque pluribus Theologis, unanimiter docentibus, posse poenitentem confessum per litteras, vel nuntium Sacerdoti absentem, ab eodem postea præsentem absolvi. Ita videtur sentire Doct. Subt. loco cit.

dum cum Glossa inquit: *validam esse Poenitentiam per scripturam dummodò in præsentia Sacerdotis postea absolutionem obtineat.* Ratio est; quia tunc absolutio, & confessio fieri censetur in præsentia poenitentis, & Confessarii; sed nihil aliud ad valorem confessionis desiderari videtur, cum in tali casu poenitens integrè, & cum dolore de peccatis, se accuset: ergo. Hoc idem dicere debent omnes, qui docent, absolutionem posse dari infirmo, qui testimonio adstantium dedit signa contritionis, & obmutuit ante adventum Sacerdotis. Hoc ipsum, refertur, approbasse ipsum Clementem VIII. qui interrogatus: *An moribundus, qui ante Sacerdotis adventum signa contritionis dedit, si deinde obmutuit, debeat à Sacerdote præsentem Sacramentaliter absolvi?* respondet, debere, nec talem casum in suo decreto comprehendisse. Hoc ipsum docet Rituale Romanum: ubi non solum dicitur, absolvi posse, sed etiam debere, qui desiderium confitendi per alios ostendit.

208 Si dicas: Si Sacerdos præsens absolvere potest poenitentem, quem audivit absens: ergo etiam poterit absolvere absentem, quem audivit præsens. Sed hoc negatum est à nobis: ergo & illud debet negari. Nego consequentiam. Ratio claret disparitatis supra num. 197. & 199. Confessio itaque non est limitata ex sua institutione ad certa verba, sed fieri potest nutu, scripto, ac interprete, dum causa sufficiens adest: absolutio verò præsentiam, tam confitentis, quam absolventis, requirit. Unde non nisi ipsius Sacerdotis verbo impendi potest in præsentia ipsius poenitentis. De hoc postea redibit sermo, dum de confessione in particulari pertractemus.

209 Quæres II. An in aliquo casu extremæ necessitatis, in quo solus Sacerdos mutus esset præsens, posset nutibus, vel aliquo signo poenitentem absolvere? Respondeo ne-

ga

gativè; quia ut constat ex 1. Conclusionem, absolutio necessariò debet esse vocalis, seu voce exprimi. Unde, si in extrema necessitate solus reperiretur Sacerdos mutus, idem esset, ac si nullius esset copia Sacerdotis; quia ille tunc absolvere non posset. Iste verò casus, & alii similes magis cogitantur mente, quam possint evenire. Hiquæus tamen, Ponticus, & alii sentiunt, in tali casu inconsultum non fore, confiteri tali Sacerdoti, & ab ipso, vel scripto, vel nutibus absolutionem accipere. Cum enim Theologi non spernendi affirmant, id sufficere, & oppositum definitum non sit hucusque, tutius erit, dicunt, id facere. Simili modo monent aliqui de Baptismate pueri, in extremis constituti, si solum adessent duo Ministri, quorum unus esset mutus, & alius mancus. Hoc in casu, dicunt, mancum debere proferre formam, & mutum applicare materiam, saltem sub conditione, ut ita fortè subveniatur tali necessitati. De hoc Tract. de Bapt. dictum est satis. In nostro verò casu poenitens conari deberet perfectam habere contritionem, & propositum talia peccata iterum confitendi, dum commodè potuerit, Sacerdoti potenti proferre verba absolutionis.

QUÆSTIO V.

Utrum Absolutio verbis deprecativis; & etiam sub conditione collata, esset valida?

210 Pro 1. partis resolutione, Theologos opinasse, absolutionis formam, verbis deprecativis prolatam, esse validam. Unde, dicunt: hæc forma: *Absolvat te., vel absolvit te Christus*, esset valida, quamvis non licita. Paritatem desumunt ex forma Extremæ Unctionis, quæ concipitur his verbis deprecativis: *Indulgeat tibi Dominus &c.* Ita May-

Tom. I.

ronius, Aureolus, & alii cum Soto. Nifuntur Authores, pro forma deprecatoria stantes, auctoritate, & præxi Ecclesie Orientalis, existimantes, Græcos tali forma uti. Aequivocantur verò; quia nec Græci absolutione deprecativa utuntur, nec umquam hac in re fuit controversia inter Græcos, & Latinos. Alii antiqui Theologi, inter quos enumerari potest Alensis part. 4. quæst. 21. rigidius adhuc opinantes, dixerunt, absolutionis formam ita debere omnino deprecativam esse, ut si verbis indicativis proferretur, nulla, & invalida esset.

211 Notari etiam debet pro 2. parte quæstionis, conditiones posse esse tripliciter: vel de præsentem, ut *si es contritus, ego te absolvo*; vel de præterito v. g. *si restituisti, ego te absolvo*; vel de futuro, ut *si non pecces amplius, ego te absolvo*. Inter has conditiones adest discrimen, quod sub conditione de præsentem, vel de præterito, Sacramenta validè ministrentur: nam illæ conditiones absolutam efficiunt conditionalem intentionem, juxta illam regulam juris civilis: *Conditiones, quæ ad præsens, vel futurum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt.* Hac juris civilis regula etiam utitur Ecclesia, nisi sacris Canonibus contradicat. Unde in jure Canonico cap. 2. de Baptismo decernitur, de quibus dubium est: *an Baptizati fuerint?* ut baptizentur his verbis præmissis: *Si es baptizatus, non te baptizo: Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Deinde conditiones aliæ sunt necessariò connexæ cum legitimo Ministro, aut recipiente, & quæ semper adsunt, vel explicitè, vel implicitè, ut: *si sum Sacerdos, vel si tu es baptizatus, ego te absolvo.* Aliæ sunt contingentes, & disparatæ, atque ad Sacramentum omnino impertinentes, ut *si Petrus dormierit, dormit, aut cras sit dormiturus, ego te absolvo.* Aliæ sunt impossibi-

Ddd

les,

les, ut, *si ego sum omnipotens, aut tu es Angelus, ego te absolvo*. Est igitur difficultas præsens: An absolutio data sub conditione de futuro invalida sit, donec adjiciatur illa conditio? Et an valida sit sub conditione de præsenti, & præterito.

212 Conclusio I. *Nulla, ac invalida est absolutio Sacramentalis, expressa verbis deprecativis*. Debet ergo, ut valida sit, proferri verbis indicativis, aut imperativis. Est verior, ac frequentior opinio Theologorum cum D. Thoma, & Scoto, qui dist. 14. cit. quest. 4. inter alia ad hunc intentum, sic ait: *Congruum fuit hoc Sacramentum in verbis significativis absolutionem... Pœnitentia est absolutio, id est, sententia absolutiva, definitiva absolventis reum*. Et in Reportatis inquit: *Ista absolutio peccatorum non fit ab omni Sacerdote, sed à Sacerdote jurisdictionem habente*. Ex quibus sic argumentor: sed non datur sententia definitiva Judicis per verba deprecativa, sed per indicativa, vel imperativa: & aliunde ad precandum non requiritur jurisdictio; quia id licet, non tantum omni Sacerdoti, sed etiam omni fidei: ergo juxta Scotum absolutio non valet, nisi prolata in verbis indicativis, aut imperativis. Probatur etiam ex Conciliis Florentino, & Tridentino, decernentibus, ut dictum manet, formam absolutionis conceptam esse his verbis: *Ego te absolvo*. Quibus, ait Tridentinum Sess. 14. cap. 3. *quavis de Ecclesie Sancte more preces quædam laudabiliter adjungantur, ipsius tamen formæ essentiali nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ*. Nunc sic: sed si absolutio verbis deprecativis concepta esset valida, essentialia verba formæ non essent illa: *absolvo te, & preces illæ adjunctæ ad essentialiam illius formæ spectarent, atque ad Sacramenti administrationem necessariæ essent: ergo ex Conciliorum determinatione forma absolutionis*

deprecatoria non debet, nec potest esse.

213 Probatur denique ratione, quam Subt. Doct. expendit, & Tridentinum innuit, dum cap. 6. ait, quod *absolutio Sacerdotis est ad instar actus judicialis, quo ab ipso, vel à Judice, sententia pronuntiatur, sed Judicis sententia indicativo, vel imperativo modo fertur, & non deprecativo, seu obtativo: ergo absolutio Sacerdotalis non debet fieri verbis deprecativis*. Minor apparet in omnibus humanis judiciis, sive civilibus, sive Ecclesiasticis: nam sententia est actus superioris auctoritatem exercentis, & deprecatio est actus inferioris non habentis potestatem: qui enim alteri supplicat, ostendit, se non habere potestatem efficiendi, quod ab alio postulat sibi fieri. Et Confirmatur: modus indicativus magis convenit institutioni hujus Sacramenti, quam modus deprecativus: ergo forma illius debet esse indicativa, & non deprecativa. Prob. antecedens: dum Scriptura refert institutionem Sacramenti pœnitentiæ, nullibi meminit deprecationis, aut orationis. Non itaque dixit Christus: *dimittentur peccata, pro quorum remissione oraveritis: sed dixit: quorum remiseritis peccata, illis tribuens potestatem per se ipsos remittendi*. Veritas Conclusionis evidentius patebit ex argumentorum solutione.

214 Conclusio II. *Valida esset absolutio sub conditione de præsenti, vel præterito: invalida vero, & nulla, sub conditione de futuro*. Est communissima apud Theologos, quoad utramque partem, & docetur à Scoto, supra laudato. Prob. prima pars: Baptismus sub conditione de præsenti, & præterito collatus, omnino est validus, y. g. *si non es, vel non fuisti baptizatus, ego te baptizo*; ergo & hæc forma est valida: *si non es absolutus, ego te absolvo*. Hoc itaque adeo certum est, quod si Sacerdos dubitet, an absolutionis forma

ma

ma legitime profulerit, nedum potest, quinimo debet illam adjicere cum hac conditione: *si non es absolutus, ego te absolvo*. Similiter si prudenter dubitet de dispositione pœnitentis, poterit hanc apponere conditionem: *si es recte dispositus, ego te absolvo*. Et est ratio; quia tales conditiones non suspendunt effectum præsentem absolutionis Sacramentalis, sed transeunt in absolutas propositiones, dum reverà adest conditio præsens.

215 Pro secunda parte Conclusionis, nempe, *invalidam esse absolutionem sub conditione de futuro*, nulla alia ratio efficacior adduci potest, quam Christi voluntas, qui noluit, effectum hujus Sacramentalis judicii pro Ministri voluntate suspendi pro futuro, dum legitima materia absolutionis adest. Constat hæc Domini voluntas ex perpetuo sensu Ecclesie, quæ nusquam admisit absolutionem Sacramentalem sub conditione suspensiva valoris ipsius: nec in aliquo ex Ritualibus reperitur talis formula conditionalis absolutionis de futuro. Ex quo probatur 1. Per conditionem de futuro contingenti suspenditur Sacramenti effectus, usque dum conditio de futuro adimpleatur; sed hæc effectus suspensio invalidat, & nullum reddit, hoc Sacramentum: ergo invalida esset illa absolutio. Major est indubia. Probo minor. Sacramentum nec valet, nec suum operatur effectum, nisi juxta voluntatem Christi instituentis illud; sed non instituit hoc Sacramentum modo, quo ejus effectus suspendatur ad arbitrium Ministri, usque ad impletionem conditionis ab ipso positæ: ergo. Major est innegabilis. Probo minor. Tum; quia semper Ecclesia ita sensit, & comprobatur illius præxis. Tum: Christus voluit, Sacramentum hoc esse signum certum, & efficax gratiæ remissivæ peccatorum, quam significat, & ad quam est institutum; sed non esset tale signum, si ejus efficacia penderet ab intentione Ministri, &

Tom. I.

à talibus conditionibus: ergo. Probo minor. Per hanc formam: *absolvo te, si ablata restitueris; vel si eleemosinam dederis*, nihil operaretur absolutio ex Ministri intentione, donec restitutio, vel eleemosina facta esset; sed tunc non esset signum certum, & efficax gratiæ peccatorum remissivæ: ergo. Probo minor. Dum fieret eleemosina, vel restitutio, non existeret fortè in Ministro intentio absolvendi, nec dispositio necessaria in pœnitente; sed cum tali contingentia impossibile est, illud Sacramentum, quod tunc nullum esset, esse signum efficax gratiæ remissivæ: ergo. Major constat; quia potest Minister mutare, & retractare intentionem, & pœnitens potest mori, aut de novo peccare, ante adimpletam conditionem. Unde Sacramenti efficacia penderet ab arbitrio Ministri, & etiam pœnitentis, quod absurdum est dicere. Essent igitur invalidæ, ac sacrilegæ tales absolutiones.

216 Arg. adversus I. Conclus. 1. Absurdum est dicere, Ecclesiam Græcam semper errasse in hujus Sacramenti administratione, semperque irritè illud conferre, & contulisset sed hoc necessariò sequeretur, si absolutionis forma deberet esse essentialiter indicativa, aut imperativa; quin ad illius valorem sufficiat forma deprecativa: ergo necessarium non est, absolutionem esse indicativam. Prob. min. Quia Græci non nisi deprecativè absolvent, dicentes: *absolvat te Dominus: seu Deus peccata tua condonet*: aut similibus formulis: ut ex eorum Ritualibus videtur constare: ergo. Confirmatur ex SS. Patribus, Dionysio, Augustino, Chrysostomo, & Cypriano, qui dicunt; *absolutionem esse deprecationem: peccata supplicatione Sacerdotis solvi, & remitti: potestatem indulgenti peccata nulli hominum, sed soli Deo, competere*. Unde Augustinus, quasi hæreticum reputat, si quis auderet dicere: *ego peccata dimittor*

Ddd 2

ego

ego justifico : ego sanctifico &c. ergo dicendum est, ne contrariemur authoritati SS. Patrum, formam deprecative proferri debere, ut peccata Sacramentaliter solvantur.

217 Argumentum hoc, quod efficacissimum visum est aliquibus, facillimè solvitur. Respondeo negando minorem, & antecedens probationis. Falsum omnino reputant Authores peritissimi rituum Græcorum, inter quos viget Arcudius, qui fusè, & accurate disputat de Græcorum Eucharistia, seu Rituali, formam absolutionis apud Græcos fuisse, aut esse deprecativam. Præmittunt utique verba hæc precatoria, aut similia: *Dominus noster Jesus Christus, & Deus, qui mandatum ligandi, & solvendi peccata Discipulis tradidit, prætereat omnia peccata tua.* Ad orationem hæc verba hæc consequuntur *ego verò, indignus ejus servus, absolvo te à peccatis tuis &c.* Alia illorum formula absolvendi: *Dominus justus, qui propter nos carnem assumpsit, & universi Orbis peccatum tollit, delicta tua deleat: ego verò condono tibi omnia peccata tua.* Vel: *habeo te absolutum: vel: habeo te venia donatum:* quod omne phrasè Græca æquivaleret Latine: *ego te absolvo.* Quare, ait Arcudius, nulla refertur forma absolvendi Græcorum, in qua non sit aliqua propositio, quæ authoritatem præferat sententiæ judicialis: quamvis ante, & post illam, adjunctas aliquas orationes precatorias habeat, quemadmodum habet etiam nostra Latina: & quæ, ait Trident. Sess. 14. *De Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam non spectant &c.* Vide supra num. 112.

218 Præterea, ut occurramus aliquibus Recentioribus, in eo insistentibus, nedum apud Græcos, sed etiam apud plures Latinos, absolutionis formam fuisse deprecativam, dicimus, quod si nonnulli eorum in absolvendo tantum supplicationes adhi-

buerunt, degeneres fuerunt à suis Majoribus, & nequaquam peccata absolventur. Nec est argumentum: *aliqui ex Græcis utebantur formula deprecativa: ergo omnes Græci utebantur illa: ergo erat valida.* Sicut non consequitur: *aliquis Græcorum arbitratus est, Eucharistiam consecrari precibus: ergo hæc fuit sententia omnium Græcorum: ergo valida fuit talis consecratio.* Idem dicendum est de Latinis, si aliquis, propter ignorantiam, absolutionem protulit tantum deprecatoriæ. Est ergo jam apertum, cum precationibus necessariam esse prolationem sententiæ judicialis modo indicativo, aut imperativo expressam. Quare, ut abusus, vel errores aliquos, vigentes adhuc anno 1595. Clemens VIII. supprimeret, hoc Decretum pro illorum instructione edidit: *Utantur forma absolutionis in Concilio Florentino præscripta, & postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.*

219 Ad Confirmationem ex dictis SS. Patrum, nego consequi quæ nullo modo sequitur. Dico ergo 1. ab illis Sacramentum Pœnitentiæ preces, orationes, & supplicationes appellari ab oratione deprecativa, quæ præmittitur absolutioni. Non enim novum est, ut Sacramenta nomina sortiantur à ritibus accidentalibus quod quidem patet: tum in ipsomet Sacramento Pœnitentiæ, quod antiquitus vocatum est *manuum impositio*, quæ numquam fuit de necessitate illius, ut supra quæst. 3. num. 183. manet ostensum. Tum in Eucharistiæ Sacramento, cujus confectio, seu consecratio dicta est ab aliquibus ex Patribus, fieri *oratione Sacerdotis*, ut in illo Tractatu dicemus: & tamen certissimum est, sola illa verba: *Hoc est Corpus meum*, & non preces, aut orationes Ministri esse essentialem formam hujus Sacramenti. Sic interpretatur D. Thomas 3. p. quæst. 84. art.

ad

ad 2. Canonem *Multiplex de Pœnit.* dist. 1. dicentem: *Indulgentiam Dei, nisi supplicatione Sacerdotum obtineri non posse.* Ubi Pontifex Sacramentum Pœnitentiæ appellat supplicationes ab oratione deprecativa, quæ præmittitur absolutioni. Dicit potest 2. absolutionem ab aliquibus Patribus, & præsertim à S. Leone Epist. 99. ex qua Canon ille desumptus fuit, *orationem Sacerdotis* appellari; quia cum proferatur in fide promissionis Christi, virtualiter continet vim, & rationem orationis, cum quo stat, quod non sit deprecatio formaliter.

220 Arg. 2. Tum: eodem modo dedit Christus Apostolis potestatem remittendi peccata per illa verba: *quorum remisistis &c.* quàm sanandi morbos, & dæmonia ejiciendi per illa: *curate infirmos... in nomine meo dæmonia ejicient &c.* sed hac potestate non utebantur indicativè, nec imperativè, dicendo: *Ego te sano*, sed deprecativè, dicendo: *Sanet te Deus*; sicque Petrus curavit paralyticum: ergo pariter. Tum: potestas data Apostolis absolvendi à peccatis, non erat principalis, & authoritativa, sed tantum ministerialis, & instrumentaria; sed modus indicativus, aut imperativus facultatem principalem, & authoritatem operandi significat, ut patet in Principibus, qui semper indicativè, vel imperativè loquuntur: ergo conveniens est, quod Christi Ministri utantur in absolutione, non verbis indicativis, sed deprecativis tantum. Tum: Sacerdotes Aaronici Israëlitas peccantes reconciliabant Deo deprecatoriè, dicentes: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te &c.* Sed eodem modo gerere se debent Evangelici Sacerdotes erga peccatores: ergo dicere debent: *absolvat te Deus &c.* & non: *Ego te absolvo*, sicut nos defendimus.

221 Respondeo ad 1. negando maj. nam ut D. Thom. adductus à Gonet, ait: *Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos,*

sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur. Omnia enim hæc à voluntate, & arbitrio Dei pendent, ideòque nec extendi, nec limitari debent, ultra, vel citra ejus intentionem, de qua constat ex Scriptura, & sensu Ecclesiæ. Ergo licet Apostoli non nisi verbis deprecatoriis uterentur ad expellendos dæmones, & morbos, inde non sequitur, idem debere dici de virtute clavium. Deinde potest omitti major, & negari minor: nam sæpè usi sunt verbis indicativis, & imperativis, ut cum Petrus Act. 3. dixit paralytico: *quod autem habeo, hoc tibi do... surge, & ambula:* & hoc idem ex aliis pluribus Sacris locis constat. Utebantur enim hac potestate, ut volebant: in formis verò Sacramentorum non aliter potest se gerere, nisi juxta modum, quem Christus præscripsit. Ad 2. nego minorem, si sumatur absolute. Modus itaque imperativus, vel indicativus significat quidem potestatem authoritativam operandi in judiciis, sed non semper principalem. Patet in Judicibus subalternis, qui quamvis non habeant supremam judicandi potestatem, sed tantum ministerialem: tamen dum sententiam absolutionis, vel condemnationis proferunt, semper loquuntur modo indicativo, vel etiam imperativo, & numquam deprecativo. Ratio est; quia in materia judicii modus deprecatorius solum significat potestatem intercedendi apud Judicem, & non potestatem operandi, & judicandi, adhuc moralem. Ad 3. nego minorem; quia non est paritas, nec comparatio de Sacerdotibus antiquæ legis cum Evangelicis, sicut nec est comparatio nostrorum Sacramentorum cum antiquis: nam Sacramenta nostra ex Christi institutione sunt plena, efficacissima, & operantia, quod significant: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis:* antiqua verò, ut D. Paulus affirmat, *erant vacua, & egena elementa, & hoc ex ipsa institutione divina.*

222

222 Pro solutione aliorum, nota 1. non esse paritatem de Extrema Unctione ad Sacramentum Pœnitentiæ, quantum ad formam illorum: efficacia enim Sacramentorum, quæ in omnibus est æqualis, pendet à forma, & materia, in quibus ex Christi arbitrio, & voluntate sunt instituta. Unde Extrema Unctio verbis deprecativis instituta est: *Inducat Presbyteros, ut orent super eum: Pœnitentia verò in verbis indicativis, ut jam est demonstratum. Nota 2. nec esse parem rationem de absoluteione judiciali Canonica, seu à censura ad Sacramentalem: siquidem ad illam nulla est præscripta verborum forma. Unde, ait D. Thomas, in absoluteione judiciali Canonica, verba efficaciam habent ab intentione dicentis: ideòque non refert, quòd quibuscumque verbis, aut signis utatur ad suam exprimendam intentionem: in Sacramento autem verba efficaciam habent ex institutione divina: atque adeo tenenda sunt illa, & non alia, quæ fuerunt instituta.*

223 Arg. adversus 2. Conclusionem: Sacramentum Matrimonii non fit invalidum per conditionem de futuro: ergo nec per talem conditionem invalida fit absoluteio. Antecedens patet; quia contrahentes dicere possunt: *accipio te in meam, vel meum, si Pater tuus cras consenserit*: quo casu Matrimonium, quod non valebat ante consensum Patris, positò consensu, valet. Prob. consequ. Sicut se habet Matrimonium ad contractus humanos, se habet absoluteio ad iudicia humana in hoc Sacramento: sed humana iudicia valida sunt, & dari possunt cum conditionibus de futuro: ergo pariter: si Sacramentum Matrimonii &c. Urgetur: Illæ conditiones non tollunt significationem verborum essentialium; sed hoc stante, non impediunt Sacramenti effectum: ergo. Prob. maj. Verba hæc: *Ego te absolvo à peccatis*, idem significant sub quavis conditione: ergo.

224 Respondeo 1. negando contra seq. & maj. probationis. Christus itaque mutare noluit plures condiciones contractus humani, in quo admittuntur, ita ut ante illarum adimpletionem non valeant illi contractus. At verò non est ita de absoluteione, & aliis Sacramentis, quæ ex Christi voluntate operari debent de præsentì. Unde evidens disparitas petitur ex Christi voluntate, qui sic determinavit circa Matrimonium, & non sic circa hoc Sacramentale iudicium: quin potius voluit, ut determinatè esset absoluteorium, vel retentivum, dicens: *Quorum remisseritis &c.* Responderi potest 2. negando maj. nam quamdiu consensus non est absolutus, propriè non est per verba de præsentì, sed Matrimonio per verba de futuro æquivaleret, quasi diceret: *accipiam te cras, si consenserit Pater tuus*: & tunc, dato consensu Patris, ipse tenetur consentire de præsentì. Ratio est; quia ex Christi intentione formæ Sacramentorum sunt absolutæ. Unde ante positionem Matrimonium esset inchoatum, sed non perfectum, nec ratum. Ad urgentiam nego major. & anteced. probationis: nam per conditiones illas restringitur verborum significatum, aut suspenditur operatio, seu Sacramenti effectus. Si enim Sacerdos dicat: *absolvo te, si cras jejunaveris*, significat, nolle te pronunc absolvi, sed cras, postquam jejunaveris: hoc autem, ut demonstratum manet, est contra Christi institutionem.

225 Ex dictis sequitur primò, absoluteionem cum conditione *impossibili*, ut: *si ego sum omnipotens, te absolvo*, nullam esse; quia talis conditio destruit Ministri intentionem. Patet: nam qui ita diceret, idem esset, ac si diceret: *nolo te absolvi, nisi sim omnipotens*. Cùm autem sciat, omnipotentem non esse, perspicuum est, nolle absolvi. Sequitur secundò, condiciones *contingentes, & disparatas*, atque ad Sa-

cra-

cramentum *impertinentes*, siue sint de præsentì, præterito, aut futuro, v. g. *Si Petrus dormit, dormierit, aut dormiturus sit cras, te absolvo*, invalidare absoluteionem. Patet; quia ut diximus, valor, & effectus Sacramenti debet esse certus, quia à Ministro aliquid possit apponi, per quod reddatur incertus: condiciones autem de re contingenti, præterita, futura, aut præsentì incertum reddunt Sacramenti valorem. Si enim dicas: *absolvo te, si Petrus dormiat, dormit, aut dormierit*, valor Sacramenti est tam incertus, quàm Petri dormitio, quæ incertissima est, & nullam habet connexionem cum Sacramento. Essent ergo tales absoluteiones sacrilegæ, ac contra Christi Domini institutionem.

QUÆSTIO VI.

An Sacramentalis absoluteio verè remittat peccata pœnitentis?

226 PRæsens difficultas tot aliis titulis solet excitari, quot sunt Theologorum placita erga illius resolutionem. Ab aliquibus excitatur sic: *Quinam sint effectus absoluteionis?* Ab aliis sic: *Quomodo absoluteio Sacerdotis remittat reatum culpæ, & pœnæ?* Ab aliis sic: *An Sacerdos per hæc verba: Ego te absolvo, verè pœnitentem absolvat à peccatis?* Ab aliis denique: *quis sit verus sensus verborum formæ: Ego te absolvo à peccatis tuis?* Fuerunt itaque hac in re multæ, ac variæ Theologorum, veterum maximè, opiniones circa absoluteionis virtutem, dissidentes in explicando, quid hæc verba: *ego te absolvo*, significant? Et hoc nedum illi, qui docuerunt, absoluteionis formam deprecatoriè prolatam validam esse, sed etiam, qui existimant, materiam Sacramenti Pœnitentiæ debere esse contritionem.

227 Audias quot somnia, circa voces adeo claras. Igitur Gabriël, &

Ochamus cum Nominalibus dixerunt, quòd homo, quando absolvitur, declaratur tantum solutus ab obligatione subjiciendi peccata clavibus Ecclesiæ. Unde verba hæc: *ego te absolvo*, faciunt hunc sensum: *ego eximo te ab obligatione subjiciendi peccata Ecclesiæ clavibus*. Hæc opinio supponit, tunc jam peccata esse remissa per confessionem, & absoluteionem in voto, quæ est, contritio, Ricardus, & Hugo Victorius docuerunt, quòd Sacerdos solum absolvit à pœna æterna debita peccato, postquam Deus solus remisit culpæ reatum. Unde illa absoluteionis verba hunc reddunt sensum: *Absolvo te*, id est, *remitto tibi pœnam æternam pro culpa debitam*. Medina cum aliis opinatus est, per contritionem liberari hominem à culpa, & pœna æterna; non verò ab exilio patriæ Cœlestis, quam Sacerdos per absoluteionem aperit illi, & ideò dicitur, habere Claves Regni Cœlorum: faciuntque hunc sensum: *Absolvo te*, id est, *aperio januam Regni Cœlorum*. Alensis, & Serap. Doct. videntur docere, Sacerdotis absoluteionem solum se extendere ad solutionem pœnæ temporaliæ, quæ etiam dicitur absoluteio à peccatis, juxta illud: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*, id est, à pœnæ debita pro peccatis. Quare verbis absoluteionis hunc tribuunt sensum: *absolvo te*, id est, *remitto tibi pœnam pro culpa debitam*. Magister Sentent. dixit, hunc esse sensum: *absolvo te*, id est, *ego te ostendo, & declaro absolutum à peccatis*: vel, *declaro, tua peccata esse remissa*. Contra tam varias opiniones, ac liberos modos cogitandi:

228 Sit Conclusio: *Sacerdos per verba: Ego te absolvo à peccatis tuis, verè, & propriè peccata remittit, quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ: & consequenter non declarat pœnitentem solum absolutum à peccatis*. Hæc Conclusio apud Theologos adeo

cer-

certa est, ut oppositę sententię ab aliquibus eorum reputentur erroneę ac periculosę. Docetur expressę a D. Thoma, & Doct. Subt. Ille optusc. 22. cap. 1. sic ait: *Patet ex dictis Salvatoris, quod habens claves absolvit: pręsumptuosum ergo est, ne dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non possit, ego te absolvo, quando Dominus absolvere confitetur.* Et Scotus dist. 14. quęst. 4. inquit: *absolutionem fieri certis verbis, significantibus ablutionem anime a peccato.* Et referens infra opinionem Magistri, dicentis, quod in solvendis, vel retinendis culpis, ita Evangelicus Sacerdos operatur, & judicat, sicut olim legalis in illis, qui erant contaminati lepra, addit: *Sed istud videtur nimis derogare Sacramento Pęnitentię: nam secundum hoc per Sacramentum Pęnitentię numquam deletur peccatum: ergo clarę sentit, verę peccata remitti per Sacramentalem absolutionem.*

229 Probatur itaque 1. ex Concilio Tridentino Sess. 14. Can. 9. sic definit: *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti &c. anathema sit.* Et cap. 3. ait: *Res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Si dicas: Concilium id asserere de Sacramento hoc, non ratione absolutionis, quę est illius forma, sed ratione contritionis, quę est materia. Contra: tum; quia ex ipso Tridentino Sess. 14. cap. 4. attributio sola sufficit ad hoc Sacramentum, ut ostendemus Disp. 3. q. 5. Tum; quia ibidem ait, precipuam vim hujus Sacramenti sitam esse in illis verbis: *ego te absolvo.* Tum: quia apertę docet, absolutionem Sacerdotis non esse dumtaxat declarativam remissionis peccati, sed verum actum judicialem, quo remittuntur

peccata. Unde cum cap. 1. pręmississet Concilium hęc Christi verba: *Quorum remisistis peccata &c.* Subdit: *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, & Apostolis, & eorum legitimis successoribus suis, se communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Quare merito proscripta fuit a Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. hęc Bani propositio: *Peccator pęnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pęnitentię suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.*

230 Probatur 2. ex SS. Patribus, qui omnes in Sacerdotibus novę legis veram potestatem absolvendi a peccatis agnoverunt: & prę cęteris docuerunt Chrysostomus Lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. Ambrosius Lib. 1. de Pęnitentię cap. 2. exponens illa verba: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis &c.* Augustinus Lib. de Rudibus Catechizandis, aliisque locis: Hieronymus Epist. ad Heliodorum. Et ut affirmat Tridentinum, hic fuit semper sensus omnium Patrum. Ex quo sequitur, quod dum aliqui ipsorum, uti Hieronymus, & Augustinus asserunt, quod solus Deus, & non homo, peccata remittat, intelliguntur sic, exponit Subt. Doct. dist. 14. quęst. 4. num. 24. quod solus Deus dimittere potest peccata potestate propria, & principali; & homo potestate delegata, & commisione. Quare particula *solus*, non excludit, remissionem fieri posse ab alio, quám a Deo. Patet ex illo Psal. 71. ubi similiter dicitur: *Deus facit mirabilia magna solus*, quod de virtute propria, & principali intelligitur: nam Ecclesiastici 31. de homine dicitur: *quod fecit mirabilia in vita sua: pariter ergo de Sacerdote,*

te,

te, quoad peccatorum remissionem per absolutionem Sacramentalem.

231 Probatur 3. refutando sensus, qui tribuuntur verbis absolutionis: constat enim, verba: *ego te absolvo*, non facere hunc sensum, *libero te ab obligatione iterum confitendi peccata*, ut dicebat 1. opinio. Patet: tum; quia liberare ab obligatione confitendi peccatum, non est remittere peccatum ipsum, & Sacramentum Pęnitentię ex se est peccati remissivum. Tum; quia dum quis absolvitur a mortalibus semel confessis, vel a solis venialibus, locum non habet talis interpretatio: nam pęnitens ante absolutionem erat liber ab obligatione talia peccata confitendi. Tum: qui tantum indirectę absolvitur a reservatis, non liberatur ab obligatione confitendi illa Superiori legitimo: ergo omnino falsa est illa expositio. Falsissimus etiam est sensus a secunda opinione intentus: *absolvo te*, id est, *remitto tibi pęnam pęternam pro culpa debitam.* Tum; quia pęna, licet ex peccato orta sit, peccatum non est: ergo peccata remittere, & a peccatis absolvere, non est pęnam tantum remittere: ergo explicatio hęc in sensum improprium detorquet verba Christi, & formę absolutionis. Tum; quia pęna æterna remittitur simul cum culpa; nec remitti potest culpa, quin simul remittatur pęna: ergo si, ut ipsi volunt, culpa ante absolutionem est remissa, etiam condonata fuit pęna pęterna, seu in temporalem commutata. Tum: habens venialia solum, verę absolvitur; sed ipsi non remittitur pęna pęterna, quę venialibus non est debita: ergo talis doctrina vana est, & illusoria.

232 Non minus inutilis est expositio 3. opinionis: *absolvo te*, id est, *aperio tibi januam Regni Cęlorum: seu libero te ab exilio Paradisi*, qui sensus coincidit cum illo: *libero te a pęna pęterna*, seu damnationis, & qui est valde falsus, quoties Sacramentum sine mortalibus, & in statu

Tom. I.

gratię recipitur: nec venialia a Cęlesti Regno excludunt: ergo tunc verba absolutionis nequeunt efficere hunc sensum: *aperio tibi Regnum Cęlorum.* Falsa est etiam expositio 4. sententię, dicentis, verba: *ego te absolvo*, hunc sensum facere: *remitto tibi pęnam temporalem culpę correspondentem.* Tum ex dictis contra secundam opinionem: nam pęna temporalis peccatum non est: ergo nec talis sensus est peccati absolutio. Tum; quia potest quis accedere ad Pęnitentię Sacramentum cum tanta contritione, ut vi illius remittatur ipsi tota pęna temporalis: imo potest etiam talis pęnę remissio consequi per Indulgentias, & alia bona opera: quo casu forma Pęnitentię non verificaretur: ergo inutilis est talis expositio. Nec 5. dicendi modus est magis fundatus, nempe, *te ostendo, & declaro absolutum a peccatis.* Tum; quia hoc est, Sacerdotes solum habere potestatem declarandi, peccata a solo Deo remissa esse, non veró ipsos potestatem habere dimittendi; quod apertę Tridentino supra num. 128. laudato contradicit. Tum; quia sic falsum esset dicere, in Ecclesia esse Ministros absolventes a peccatis, contra institutionem Christi, qui Apostolis dixit, non *quorum declaraveritis, sed: quorum remisistis.* Denique ostenditur inutilis, & falsus sensus aliorum, explicantium verba: *te absolvo*, sic: *trado tibi Sacramentum absolutionis.* Puerilis enim est hęc expositio, & explicat Sacramentum per remotius, & obscurius. Ergo sensus horum verborum: *ego te absolvo a peccatis*, non est, nec esse potest alius, quám ille, quem nos defendimus, & consequenter Sacerdos verę absolvit pęnitentem a peccatis, & a pęna debita pro illis. Per doctrinam datam solvi possunt omnia Adversariorum fundamenta. Sed adhuc hoc stante:

233 Arg. Tum: Sacerdos non aliter habet potestatem solvendi, quám ligandi; sed potestas ligandi

Eec

di

di tantum est ad declarandum, aliquem esse ligatum: ergo potestas absolvendi tantum erit ad declarandum, aliquem esse solutum, & consequenter absolutionis verba hunc, & non alium, reddunt sensum. Confirmatur: Sacerdos per absolutionem nihil aliud potest velle significare, nisi quod facere potest; sed non potest aliud facere, quam declarare remissionem peccati, quae Deo soli reservata est: ergo nec aliud significare, quam talem declarationem. Prob. min. ex illo Isaie 43. ubi dicit Deus: *Iniquitates vestras ego deleo*. Et saltem, dum homo accedit perfecte contritus, videtur, absolutionem habere illum sensum declarativum tantum. Tum: Confessio ipsa peccatoris jam eum supponit per gratiam suscitatum: ergo antequam Sacerdos dicat: *te absolvo*, poenitens liber est a peccatis: ergo absolutio peccata non remittit, & consequenter facit aliquem sensum ex supra dictis. Prob. 1. antec. ex D. August. Tract. 6. in Joan. dicente: *Nemo potest confiteri, nisi suscitatus: Lazarus enim prius suscitatus est, quam de monumento eductus*. Item: *A mortuo, velut qui non est, perit confessio*: ergo. Prob. ant. 2. Sacramentum Poenitentiae est medicina; sed medicina prodesse mortuis non potest, sed solum vivis: ergo supponit, suscipientes vivos esse, & consequenter &c.

234 Respondeo, distinguendo maj. Non aliter, quantum ad auctoritatem, concedo: quantum ad exercitium, nego maj. Potestas ligandi duplici modo valet exerceri: vel quatenus Sacerdos negare potest absolutionem, & sic peccata retinere: vel quatenus poenitentem obligare potest ad Sacramentalem satisfactionem. Ex quo nego minorem in sensu, quo intendit, & conseq. Sacerdos itaque utroque modo non solum declarat, hominem ligatum esse, sed illum veram ligat denegando absolutionem, & obligat, tam ad habendam dis-

positionem meliorem, ut debite percipere valeat absolutionem, quam ad implendam sibi praescriptam satisfactionem. Ad Confirmationem nego min. Ad probationem patet per dicta num. 130. Nam Deus solus remittit propria auctoritate, & principaliter: homo vero ministerialiter, & ex commissione: quam potestatem commisit in Ecclesia Christus Apostolis, & eorum Successoribus. Hoc idem argumentum fieri potest in omnibus aliis Sacramentis, & eadem responsio valet. Et dum dicitur, quod dum homo accederet perfecte contritus, absolutio tunc solum haberet sensum declarativum, negatur hoc; quia etiam tunc absolutio aliquid aliud operatur, nempe, augmentum gratiae, quae ex se remissiva est peccati, si adsit. Vide dicta supra, praesertim quaest. 2. per totam, & pro aliis applica doctrinam num. 182. traditam.

235 Ad 2. distinguo antecedens suscitatum imperfecte, hoc est, per gratias excitantes, & juvantes, concedo: perfecte nempe, per gratiam sanctificantem, nego antecedens, & utramque conseq. Per quod patet ad verba D. Augustini, qui nihil aliud praetendit, sicut nec alii SS. PP. qui eodem modo videntur loqui. Unde pulchre Doct. Subt. distinguit de confessione *laudis*, quam suscitatus, & justus facit: & confessione *fraudis*, seu peccati. Illa non prodest mortuis, seu peccatoribus: bene vero ista per Sacramentum hoc, quod est vivificativum. In hoc sensu verum est illud Augustini dictum: *a mortuo, velut qui non est, perit confessio*. Ad 2. antecedentis probationem dico, Sacramentum Poenitentiae esse utique medicinam contra vulnera peccati, quae, dum homo vivit vita naturali, nondum causant mortem damnationis aeternae, & respectu cujus ille peccator est curabilis: intulerunt vero vulnera lethalia mortem gratiae, quam mortem hoc Sacramentum aufert, & ideo dicitur vivificare.

236 Ex dictis satis abunde constat 1. per hoc Sacramentum remitti etiam partem poenae temporalis, magis, vel minus, juxta poenitentis dispositionem. Colligitur, ultra dicta, ex Tridentino Sess. 3. cap. 14. ubi alloquens de satisfactione per jejunia, orationes, eleemosinas, aliaque spiritualis vitae pia exercitia, poenitentibus praescribenda, aperte docet, quod si non semper tota poena debita dimittatur simul cum remissione culpae: aliqua saltem illius pars relaxatur per Sacramentalem absolutionem. Haec est etiam universalis Ecclesiae praxis, ut Confessores minores satisfactiones injungant illis poenitentibus, qui ad hoc Tribunal accedunt cum majori contritione, aut attritione. Hoc igitur signum est, Ecclesiam supponere, aliquam partem temporalis poenae majorem, vel minorem relaxari per Sacramentum Poenitentiae, juxta propriam cujusque dispositionem, praeter eam, quae remittitur per impletionem satisfactionis a Confessario praescriptae. Hanc eandem veritatem explicat luculenter Seraph. Doct. in 4. dist. 18. p. 1. art. 2. quaest. 2. cujus praecleara verba, ne dilatemur, plusquam convenit, duximus omitenda.

237 Constat praecclare 2. Sacerdotes novae legis veram habere potestatem solvendi, ac ligandi peccatores apud Deum, & hoc absolute, & respectu omnium peccatorum. Est contra Haereticam sententiam Antonii de Dominis, Archiepiscopi Spalatensis, qui Lib. 5. de *Repub. Ecclesiastica* scripsit temere, non respectu omnium, sed quorundam dumtaxat peccatorum, potestatem habere. Ad hunc suadendum errorem peccata duplicis generis distinguit: quaedam namque sunt omnino occulta, & latentia, v. g. deliberata animi voluntas adulterandi, nullo exteriori signo manifestata: & quaedam notoria, & publica, ut homicidium, adulterium publicum &c. Et docet,

peccata occulta non ligare, nisi apud Deum, a quo solo dissolvi possunt. Unde talis peccator occultus, si perfecte sit contritus, veniam peccati consequitur, nec tenetur confiteri illud peccatum; quia prorsus inutilis, & otiosa esset Sacerdotis absolutio; eo quod ante illam jam est remissum; & quia Ecclesia solvere non potest, quod ipsa non ligavit. Si vero peccata sunt publica, remittuntur immediatè, & directè a Deo, quatenus sunt offensiva illius, & ab Ecclesia, quatenus per publicitatem sunt illius offensiva, & tunc dumtaxat remittit per impositas satisfactiones, & peressos labores poenitentiales. Unde hic Haereticus turpissimè confundit potestatem Clavium quoad forum exterius, & contentiosum, cum potestate Clavium, quoad forum internum, existimans, vinculum, seu ligamen, quo Ecclesia peccatores ligat, semper consistere in aliqua excommunicatione, qua publicum peccatorem separat a numero fidelium, si sit contumax. Haec enim, dicit, & non alia, potest esse potestas Clavium; quia Ecclesia solum potest solvere, quae potest ligare; at non potest ligare occulta peccata; cum de internis, & occultis non judicet: ergo totum ejus judicium est externum, & nullo modo internum.

238 Hoc vero dogma haereticum Spalatensis proscriptum manet efficaciter ex saepius dictis: nam ex Scriptura, ex Conciliis, ex Patribus, & ex validissimis rationibus constat, Sacerdotes novae legis accipere a Christo, per illa verba: *Quorum remiseritis peccata &c.* potestatem remittendi simpliciter, & absque ulla limitatione, quaecumque peccata. Confundit itaque Spalatensis forum externum Ecclesiae cum foro interno, quod quidem perperam confundit: nam potest quis ab excommunicatione solvi, & cum peccato remanere. Sicut etiam potest alius per contritionem perfectam absolvi

& peccato, & simul remanere excommunicatione ligatus. Igitur diversa est potestas absolvendi ab excommunicatione, quæ pertinet ad forum externum, & contentiosum, & potestate, qua quis absolvitur à peccatis in foro secreto, & interiori Sacramenti Pœnitentiæ. Dicendum est ergo Catholicè, quod Ecclesia ligare non potest peccata occulta, & interna omnino, seu quæ non manifestantur: potest verò ligare, & solvere, quæ per confessionem nota fiunt. Tunc enim Ecclesia potest per suos Ministros idoneos peccata occulta absolvere, si dispositiones requisitæ advertat, & retinere illa, si dispositiones debitas non inveniat.

QUÆSTIO VII

*An Sacramentum Pœnitentiæ consti-
tuatur essentialiter ex Absolutione,
& actibus Pœnitentis, tam-
quam ex partibus intrinsecis?*

239 **A**lius terminis excitari so-
let difficultas præsens,
scilicet: *Quæ sit essentia Sacramen-
ti Pœnitentiæ? Vel sic: An Pœni-
tentiæ Sacramentum essentialiter consti-
tet ex rebus, tamquam ex materia,
& ex verbis, tamquam ex forma? Et
supposito, absolutionem esse formam
hujus Sacramenti, atque illi intrin-
secam, & essentialem, alij quærun-
t sic: An: & quomodo actus pœni-
tentis, nempe, contritio, confessio,
& satisfactio sint materia proxima,
& partes Sacramenti Pœnitentiæ?
Omnes isti modi quærendi coinci-
dunt in idem: & etiam Theologi co-
incidunt, & conveniunt in eo, quod
necessaria sint illa omnia huic Sa-
cramento, nempe, illos actus ex par-
te subjecti, & absolutionem ex par-
te Ministri. Solum itaque apud Scho-
lasticos controversatur: *An dicendi
sint illi actus partes essentielles, vel
integrales? An omnes ad hoc Sacra-
mentum importantur de re, vel in**

*obliquè? Existimo verò hanc litem,
plusquam de re, esse de voce: nam
cum omnes concordent, quòd ad hu-
jus Sacramenti existentiam omnes om-
nino illæ partes necessariae sunt, quòd
dicantur intrinsecæ, essentielles, aut
integrales, & quòd dicatur, illas
in recto, vel in obliquè ingredi, ad
rei substantiam parum, aut nihil re-
fert.*

240 Hoc non obstante, Soto cum
aliis sensit, essentiam hujus Sacra-
menti in solis actibus pœnitentis ade-
quatè consistere: formam verò uni-
cè esse illius complementum. Duran-
dus concedit, absolutionem, & con-
fessionem esse partes intrinsecas Pœ-
nitentiæ, quod negat de contritio-
ne, & satisfactione: de illa; quia,
inquit, non est aliquid sensibile, sed
spirituale: de ista; quia ad absolu-
tionem non supponitur, sed subse-
quitur: & hanc sententiam, quoad
absolutionem, docuit etiam Marsilius,
Gabriel, & Major existimant, so-
lam formam esse partem intrinsecam,
& essentialem hujus Sacramenti, &
actus pœnitentis esse dispositiones tan-
tum, & partes integrales. Hunc o-
pinandi modum rotundè tribuit Go-
net Scoto: sed immeritò; quia licet
Scotistæ aliqui cum Fabro, & Fras-
senio ita opinentur, communior, &
sanior Scotistarum pars cum Subtil.
Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. docet,
tam formam, quàm actus pœniten-
tis pertinere ad Sacramenti essen-
tiam, atque esse ejus partes intrin-
secas, Sic & nos cum illis docuimus
Tract. de Sacramentis. Disp. 1. quæst.
7. Conclus. 2. num. 82. Et quia ibi
de omnibus Sacramentis in usu con-
sistentibus (ut excludatur Eucharis-
tia, quæ consistit in re permanenti)
extensè satis pertractavimus, nunc
difficultatem in particulari excitatam
de Pœnitentiæ Sacramento brevissimè
resolvemus.

241 Sit Conclusio: *Sacramentum
Pœnitentiæ intrinsecè, & essentiali-
ter constituitur ex absolutione, & tri-
bus actibus pœnitentis.* Prob. 1. Ex

Con-

Conciliis Florentino, & Tridentino
sepius citatis, docentibus, quod ac-
tus pœnitentis sunt *quasi materia* hu-
jus Sacramenti, & forma sunt verba
absolutionis; sed omne Sacramentum
intrinsecè, & essentialiter includit
materiam, & formam, cum sit ve-
rum compositum morale: ergo ex
Conciliorum mente, nec consistit es-
sentialiter in sola Ministri absolutio-
ne, nec in solis actibus pœnitentis,
sed simul in utrisque. Si dicatur, Con-
cilia loqui de *materia circa quam*,
non de *materia in qua*, vel *ex qua*:
atque adeo actus illi non sunt pars
intrinseca: modo quo objecta scien-
tiæ, quæ sunt ejus *materia circa
quam*, non sunt partes ejus. Contra
est: Tum; quia Concilia loquuntur
de *materia hujus Sacramenti*, sicut
de aliis; sed *materia*, quam aliis as-
signant, non est *circa quam*, ut patet
de Baptismo, cujus *materia est
aqua*, & de Confirmatione, cujus
materia est chrisma &c. ergo de hoc
Sacramento idem debet fateri. Tum;
materia circa quam est illa, ad quam
operationes humanæ terminantur: ergo
materia circa quam Pœnitentiæ ea
est, *circa quam* actus ejus versantur.
Nunc sic: sed actus isti non versan-
tur *circa* contritionem, confessionem,
& satisfactionem: aliàs versa-
rentur erga seipsos: ergo illis assignari
debent objecta, in quæ tendant,
quæ utique sunt peccata: ergo tales
actus non sunt *materia circa quam*
Sacramenti Pœnitentiæ, sed *materia
ex qua*, vel *in qua*, & consequen-
ter sunt illius partes intrinsecæ. Vide
aliàs, non minoris efficacitatis, ra-
tiones, tam pro hoc, quàm pro aliis
Sacramentis, præcitata quæst. 7.
Nec opus est hic aliquid aliud ad-
dere.

242 Arg. 1. ex Subt. Doct. 4. d.
16. quæst. 1. *De Pœnitentiæ Sacra-
mento dico, quòd ista tria nullo mo-
do sunt partes ejus; quia Pœnitentiæ
Sacramentum est illa absolutio Sacra-
mentalis facta verbis* &c. *Hu-
jus autem nulla pars est contritio: er-*

go juxta Scotum, tota essentia hujus
Sacramenti in absolutione consistit,
& consequenter &c. Confirmatur 1.
Sacramentum essentialiter consistit in
eo, per quod sensibiliter significa-
tur totus ejus effectus, qui est pec-
catorum remissio; sed tota signifi-
catio hujus gratiæ remissivæ stat in
absolutione, & non in actibus pœ-
nitentis: ergo & in illa stat tota es-
sentia Sacramenti. Major constat;
quia Sacramentum est signum sensi-
bile gratiæ propriæ illius. Minor e-
tiam constat: quia nec contritio, neq;
confessio, nec satisfactio significans
peccati remissionem. Confirmatur 2.
Hoc Sacramentum operatur per mo-
dum judicii absolutorii; sed abso-
lutio sola est judicialis actus: ergo
in illa sola stat essentialiter Sacra-
mentum.

243 Respondeo, Scotum aliquan-
do loqui de hoc Sacramento; secun-
dum duntaxat, quod principaliter
importat, & juxta definitionem suam
in quo sensu verum est, quòd Sa-
cramentum est ipsa absolutio: Tum;
quia illa est judicialis sententia: Tum;
quia vocari solet: *Sacramentum ab-
solutiois*: Tum; quia forma in quo-
cumque composito est pars nobilior,
& principalior, ut cernitur in com-
posito humano, cujus forma, quæ
est anima rationalis, longè excellen-
tior est corpore, quod est materia
illius compositi, quia propter hoc
dici possit, quòd homo intrinsecè non
constet ex corpore. Aliquando res-
picit Sacramentum hoc adequatè, &
secundum omne, quòd ad illius es-
sentialiam requirit; in quo sensu ve-
rè illos actus agnoscit, ut partes illius;
& de quibus loquens ibidem, ait:
*Ut hoc Sacramentum suscipiatur, re-
quiritur vel prævia, vel sequenti-
simpliciter enim requiritur confessio*
&c. Ergo requirit necessariò actus
pœnitentis ad existentiam hujus Sa-
cramenti. Et dum dicit, quòd con-
tritio non est pars absolutionis, non
intelligit in ly *absolutionis* totum com-
plexum Sacramenti, cujus pars est
con-

contritio: tunc enim illud sumit tantum secundum ejus principaliorum partem, quæ est absolutio, & cuius non est pars contritio. Præterea Subt. Doct. ut notat Hiquæus, dicit, hos actus, si seorsim spectentur, non esse partes formaliter inclusas in Sacramento illo, sed virtualiter, eò quod regulariter præcedant absolutionem: at verò loquendo de toto complexo Sacramenti, non negat, in illo esse partes essentielles.

244 Ad 1. Confirmationem distinguo maj. Per quod significatur, & efficitur effectus, concedo: per quod nudè significatur, sine efficientia illius, nego maj. Absolutio itaque sine illis actibus significaret quidem, sed non causaret peccati remissionem: idèque significaret speculative, sed non practice, & efficienter. Ad 2. Confirmationem distinguo min. Sola absolutio, materia iudicii concurrente, est actus judicialis, concedo: præcisa, aut ablata tali materia, nego min. nam illi actus poenitentis, *contritio, confessio, & satisfactio*, ex divina institutione operantur simul cum absolutione Ministri. Unde si Sacerdos absolutionem præferret super reum, non contritum, aut non confitentem, certè nihil faceret. Sequitur ergo 1. quod absolutio in suo genere est causa principalis, sed non totalis. Sequitur 2. quod dum Concilia dicunt, actus poenitentis esse non materiam, sed quasi materiam, hujus Sacramenti, sic loquuntur, non quia putent, ex illis propriè, & intrinsicè non componi: sed cum hac se explicant restrictione, eò quod illi actus in hoc Sacramento non se habent, sicut materiam aliorum Sacramentorum, in quibus res magis sensibiles sunt, & cum forma simul existunt: hi verò actus sunt magis interiores, ut contritio, & formam præcedunt, vel subsequuntur.

245 Sequitur 3. quod dum Concilium Tridentinum dicit: *Vis, & efficacia hujus Sacramenti præcipua*

in absolutione sita est. Et Colonien-
se: *Pœnitentia, ut Sacramentum, potissimum in absolutione consistit.* Et dum definitur hoc Sacramentum: *absolutio hominis poenitentis.* Ex his itaque, & similibus, inferre non licet: ergo in absolutione sola consistit hoc Sacramentum: ergo illi actus non sunt illius partes, cum non sint partes absolutionis, quæ sola Sacramentum constituit. Quinimo ex Conciliis laudatis contrarium infertur. Fatemur enim, in sola absolutione consistere potissimum, præcipuè, & principaliter; quia est forma, quæ, ex ratione talis, exigit materiam, ex quibus compositum, tamquam ex partibus, coalescat. Unde quando hoc Sacramentum definitur: *absolutio hominis poenitentis*, tunc absolutio sumitur in recto, & ut actus principalis, in quo sita est vis Sacramenti: ob quam rationem Sacramentum per illam aliquomodo definiri, aut explicari potest: non verò sic definitur; quia sit essentia totalis illius. Aliud enim est, actus poenitentis non esse partes absolutionis, quod fatemur, & aliud, non esse partes Sacramenti completè, & adæquatè accepti, quod negamus. Sequitur 4. quod contritio fit sensibilis per alios actus poenitentis, de illaque aliquomodo constare debet Sacerdoti: deinde signa in eo, quæ non potest loqui, suppleunt vices verborum in confessione: satisfactio in voto præcedit, & omnia hæc moraliter coexistunt absolutioni.

246 Arg. 2. Si actus poenitentis essent partes essentielles intrinsicæ hujus Sacramenti, non solum Sacerdos, sed & ipse poenitens, esset ejus Minister; sed hoc est contra Concilia, Patres, & Theologos: ergo. Prob. major. Tunc poenitens ministraret materiam; sed hæc est pars essentialis Sacramenti: ergo. Explicatur: Qui confert actus, qui componunt Sacramentum, & causant gratiam cum illo, est illius Sacramenti Minister; sed hoc faceret ipse poenitens, si il-
lius

lius actus sunt Sacramento essentielles: ergo esset Minister, seu Sacramentum ministraret, simul cum Sacerdote. Confirmatur: tunc poenitens per illos suos actus cooperaretur ad gratiam ex opere operato; quod est modus operandi Sacramentorum; sed hoc omnino est falsum: nam poenitens ad summum dispositivè concurrat per illos: ergo.

247 Nego maj. & concessis præmissis probationis, nego consequentiam. Sacramentum Poenitentiae institutum est per modum tribunalis, & iudicii, ad quod requiritur reus, qui sua crimina manifestet, ut sententiam proferat Iudex. Cum autem reus, & accusator in hoc iudicio necessarii debeat esse poenitens ipse, hinc est, quod ipsemet debet apponere actus sufficientes, ut assequatur fructuosa sententia Iudicis. Hoc est speciale, & proprium Sacramenti Poenitentiae, per quod secernitur ab aliis: & idè non est paritas de ministratione materiam in hoc, & in aliis Sacramentis. Unde in Poenitentia officium Ministri illius non potest attendi penes ministrationem materiam, sed unicè penes ministrationem formæ, quæ est sententia judicialis, & cui formæ, seu absolutioni, subsunt actus illi, qui aliter non essent pars Sacramenti. Consequenter ad hoc dici debet, quod poenitens dispositivè, & materialiter causaret gratiam per actus illos ad eam disponentes: non verò ministerialiter, & activè, atque representans causam principalem efficientem, qui est Deus, & quem, ut talem, solus representat Sacerdos. Ad Confirmationem dico, quod illi actus, prout subsunt absolutioni, & virtuti Clavium, causant gratiam ex opere operato; quia sic sunt, vel constituunt Sacramentum, cuius est propria talis causatio: at verò secundum se, & præcisivè ab absolutione, sunt meræ dispositiones morales; nam sic sumptæ, nec sunt partes Sacramenti, & consequenter nec causæ morales gratiæ Sacramen-

talis.

248 Arg. 3. ab opposito: Tum: Sacramentum in illo consistit, à quo denominatur in sua propria specie; sed istud in sua specie sumit denominationem à solis actibus poenitentis: nam essentialiter, & specialiter dicitur Sacramentum Poenitentiae, & poenitentia nisi per illos actus esse non potest: ergo in his actibus, & non in absolutione, tota hujus Sacramenti essentia consistit. Tum: Deus dat gratiam remissivam intuitu hujus Sacramenti: ergo intuitu poenitentiae. Sed poenitentia solum stat in actibus poenitentis: ergo in illis stat Sacramentum Poenitentiae. Nego rotundè major. & consequentiam. Denominatio rerum non semper sumitur à partibus essentialibus, & intrinsicis, sed sumi solet, modò à causis, modò ab effectibus, modò à materia, modò à forma, modò à subjectis &c. Et idè dicitur etiam *Sacramentum absolutionis*, desumpta à forma hac denominatione. Ad 2. nego consequentiam. Respicit itaque Deus ad interiorem dispositionem, seu actus poenitentis, in collatione gratiæ remissivæ: & etiam respicit ad iudicium, sententiam, & absolutionem Sacerdotis: *Quorum remisistis peccata &c.* Quare, si contritio perfecta non sit, gratiam non recipiet, quin adsit absolutio Sacerdotalis.

249 Quæres: *Quomodo partes hujus Sacramenti ingredientur in illo?* Quod inquiritur est: an hoc Sacramentum adæquatè sumptum, nempe, pro aggregato ex rebus, & verbis, in quibus fundatur relatio signi Sacramentalis, importet absolutionem principaliter, & in recto: actus verò poenitentis importet minus principaliter, & in obliquo? An ab opposito, actus importet in recto, & formam in obliquo? Vel: an æquè primò, & directè importet actus, & absolutionem? Omnes isti modi dicendi habent pro se defensores. Sed quia res videtur parvissimi momenti, quoad

quoad substantiam Sacramenti, modo constet, quod utrumque includit essentialiter, & actus poenitentis, & absolutionem Ministri, veluti obiter absolvemus difficultatem. Communior opinio Theologorum, & praesertim Scotistarum, asserit: Poenitentiae Sacramentum, adequatè sumptum, importare absolutionem principaliter, & in recto: actus verò poenitentis minus principaliter, & in obliquo. Hoc insinuare videntur Concil. Trident. & Colon. in illis verbis: *Poenitentiae vis praecipua sita est in illis verbis Ministri: Ego te absolvo: Et* Scotus dist. 14. quaest. 4. in his: *Poenitentia Sacramentum est illa absolutio Sacramentalis &c.* Et dum hoc Sacramentum definit: *Absolutionem hominis poenitentis.*

250 Ex quibus suadet. 1. pars: Id in concreto importatur in recto, quod in eo est principaliter, & quod in explicatione nominis ponitur in recto, ut Dialectici dicunt; sed absolutio est principaliter in hoc Sacramento, in ea est vis praecipua illius, atque in ejus definitione ponitur in recto, ex Conciliis citatis, & ex Scoto: ergo. Roboratur: Id, sine quo concretum consistere non potest, importatur in recto: atque id connotative, & in obliquo, sine quo tale concretum concipi potest saltem confusè, & minus perfectè; sed Sacramentum hoc nec concipi, nec consistere potest sine absolutione; bene verò sine illis actibus, formaliter saltem, & explicitè: ergo absolutio importatur in recto in Sacramentali concreto, & actus poenitentis in obliquo. Minor constat in illis casibus, in quibus attritio, vel contritio implicita sufficit, & etiam confessio, & satisfactio in voto: numquam verò sufficit absolutio, quae non sit explicita, & formalis. Suadetur secunda pars: Id dicitur importari connotative, & in obliquo in concretis, sine quo concretum perfectè non potest concipi; quia illud necessariò connectitur, & consignificatur cum

principaliter significato; sed tales sunt actus poenitentis in hoc Sacramento: ergo. Prob. minor. Hoc Sacramentum est judiciale, & confertur per modum judicii; sed judicium perfectè intelligi non potest, quin praesupponatur reus accusatus, & convictus, aut confessus: ergo nec istud Sacramentum sine poenitentis actibus, quibus seipsum accuset, de peccatis doleat, & satisfacere velit, ut consequatur absolutionem. Habent ergo necessariam connexionem.

251 Arg. Tum; hoc Sacramentum est judiciale; sed judicium eque primò importat actus judiciales, nempe, accusationem, auditionem rei, aut ejus confessionem, & sententiam judicis: ergo importantur in recto, sicut absolutio. Tum; per nos, tam illi actus, quam absolutio sunt partes intrinsecæ, & essentiales Sacramenti: ergo aequè primò importantur tales actus: nam in essentialibus, & intrinsecis non datur magis, & minus, in recto, & in obliquo, sed aequè ingrediuntur in composito. Ad 1. nego minorem; quia tam judicium humanum, quam Sacramentale primario importat sententiam absolutoriam, vel condemnatoriam, & secundario illos judiciales actus. Nec concretum accidentale, quale est Sacramentum, quod ex verbis, tamquam ex forma, componitur, & ex rebus, tamquam ex materia, potest aequè primò importare res, quales sunt actus, & verba, qualis est absolutio, ut constat ex Dialectica, dum de concretis accidentalibus loquitur. Ex quo ad 2. nego consequentiam, quae, licet admittatur in actibus, quae habent logicè, aut metaphysicè unitatem per se: non verò tenet in habentibus unitatem tantum per accidens, seu per aggregationem rerum, & verborum, quale est Sacramentum.

DIS-

DISPUTATIO III.

DE PARTIBUS POENITENTIAE IN PARTICULARI.

Postquam de tribus poenitentis actibus in communi locuti sumus, superest, quod de illis in particulari pertractemus. Isti enim actus sunt cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Hos clarissimè significavit Augustinus super illud Palmi 146. *Qui sanat contritos corde, dicens: Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes.* Sed quia de quolibet illorum plures difficultates excitantur, illas ad majorem claritatem per tres Articulos resolvemus.

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE.

Verbum *contero*, à quo nomen contritionis sumitur, significat, juxta Aristotelem, rem duram in partes minutissimas dividere. Cum autem per peccatum hominis voluntas, & cor, velut induretur, juxta illud Job cap. 1. *Cor ejus indurabitur, tamquam lapis &c.* actus ille, quo hæc durities amovetur, merito contritio appellatur. De qua.

QUÆSTIO I.

Quid, qualis, & quotuplex sit contritio?

252 **C**ontritio in phrasi Sacrae Scripturae aliquando significat calamitatem magnam aliquam, qua graviter affligimur, juxta illud Psalmi 13. *contritio, & infelicitas in visceribus eorum:* & aliquando etiam devastationem, seu exitium, ut habetur Isaie 51. *Vastitas, & contritio, & fames, & gladius, quis consolabitur te?* Sumitur etiam ad significandam displicentiam, & aversionem peccatorum commissorum, & sic appellatur etiam contritio cordis humiliatio: sic Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum, Deus non despiciet.*
Tom. I.

Pariter vocatur amaritudo cordis; quia peccata amara reddit poenitenti, Isaie 38. *Ecce in parte amaritudo mea amarissima.* In materia autem Poenitentiae sumitur à Theologis pro actu, quo dolemus de peccato commisso, qui etiam dicitur *compunctio cordis*, à quadam cordis punctione ex conscientia peccati commisi. Contritio igitur in hac consideratione definitur à Tridentino Ses. 14. sic: *Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

253 Hæc definitio, quæ præstantior est omnium, quæ illi, sic, vel sic conceptæ, ab aliis tribuuntur, convenit contritioni secundum actus entitatem, tam ut est actus virtutis, de quo fuit sermo in prima Disput. quam ut est pars Sacramenti Poenitentiae.
Fff ten,

tentia, de qua est sermo praesens: nam utroque modo debet esse dolor de peccato commisso cum firmo proposito non peccandi de caetero. Differentia vero intervenit, quod quatenus pars Sacramenti involvit propositum confitendi, & satisfaciendi: at vero, quatenus actus virtutis poenitentiae, hoc non involvebat olim, sed tantum voluntatem puniendi, & vindicandi peccatum. In praedicta igitur definitione tres includuntur actus necessarii ad perfectam contritionem, nempe, dolor de peccato commisso; illius odium, seu detestatio; & propositum non peccandi amplius. In hoc conveniunt Catholici quamvis Cajetanus, Suarez, & aliqui alii contendunt, contritionem essentialiter consistere in actu odii de peccato: dolor vero est proprietas illius, & propositum non peccandi effectus. Coninhe vult, consistere essentialiter tam in actu doloris, quam in actu odii de peccato. Lutherani, & cum illis Haeretici hujus temporis, semper veritatem catholicam temere insectantes, auferunt a contritione odium, detestationem, aut dolorem peccati, ita ut contritio nihil acerbum, aut amarum importet; sed omnia jucunda, & grata esse. Infertque, dolorem, seu tristitiam non facere hominem magis poenitentem, sed magis hypocritam. Sic Haeretici isti delirant, protervientes, contritionem unice esse amorem justitiae, novam vitam, & prioris vitae emendationem. Contra hunc errorem satis dictum manet Disputat. 1. quest. 1. num. 3.

254 His de contritione praehabitis, ejus divisio, ac distinctio exponenda venit. Solito igitur dividitur contritio in perfectam, quae *connitio* simpliciter dicitur, & in imperfectam, quae vocatur *attritio*. Illa est dolor de peccatis propter Deum summe dilectum: haec vero est dolor de peccatis ex aliquo alio motivo honesto, quod non sit ipse Deus propter se amandus, &

quatenus est bonum summum, a quo avertit mortale peccatum. Unde potest quis detestari peccatum propter finem diversum: Primo propter timorem gehennae, quam per peccatum incurreret. Secundo propter gloriae desiderium, quam perderet peccando. Tertio propter virtutis amorem, & odium vitii oppositi. Quarto, ex Dei dilectione, quem dupliciter amare potest: vel *amore concupiscentiae*, propter bona, quae ab illo recipit, aut recipere potest: vel *amore amicitiae*, nempe, quatenus est summum bonum, infinite perfectum, & amabile, & hoc est propriè amare Deum propter se. Hic ultimus actus solus est contritio perfecta: caeteri vero sunt attritio, seu contritio imperfecta. Ex quibus manifestè sequitur, quod contritio oritur ex nobiliori motivo; quia per illam dolemus de peccato, ut est offensa Dei, ex puro, ac summo amore ejus: per attritionem vero dolemus de peccato propter ejus turpitudinem, vel propter poenas per peccatum incurrendas &c. Unde *contritio* venit ex amore amicitiae, & ex affectione justitiae: *attritio* communiter ex amore concupiscentiae, & ex affectione commodi.

255 Suppositis igitur doctrinis, quas de contritione, in quantum est virtus, seu actus virtutis poenitentiae, de ejus necessitate in omni tempore; de illiusque efficacia ad peccata delenda, tradidimus disp. 1. ferè per totam, nunc ea tantum, quae de ea, ut pars Sacramenti Poenitentiae, restant, breviter sunt pertractanda. Omittendaque insimul est controversia illa: scilicet, in quo ex illis tribus actibus, ad perfectam contritionem necessario requisitis, nimirum, dolor de peccato, illius odium, aut detestatio, & amplius non peccandi propositum, consistat contritio: nam eum Tridentinum ex aequo illos enumeret in definitione, quam tribuit contritioni, & insuper addat satisfactionem, & confessionem, a nullo

nullo Catholicorum negatur, omnia haec ad veram contritionem necessaria esse in Evangelica lege. Quare judico, hac in re tempus impendendum non esse. Quare hic proponendum est, ac resolvendum: 1. *Quae sit vera, ac propria contritionis definitio?* 2. *An, ut sit contritio perfecta, necessarium sit, quod ex charitate procedat?*

256 Sit I. Conclusio: Contritio perfecta rectissime definitur: *est dolor de peccatis assumptus propter Deum summe dilectum, cum proposito confitendi, & de caetero non peccandi.* Est communis, constatque ex Tridentino Sess. 14. cap. 4. ubi agens de contritione ait: *Contritio, quae primum locum inter poenitentis actus habet, est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero.* Et prosequitur, duplicem delineando contritionem, unam, quae fit extra Sacramentum, & eam, quae Sacramento jungitur. Ad utramque vero in nova lege requirit Concilium non solum dolorem, ac detestationem de peccato, sed etiam votum praestandi ea omnia, quae ad absolutionem Sacramentalem requiruntur, nempe, confessionem peccatorum. Sic expressè Tridentinum ibi loquitur. Sequitur ergo, quatuor praefatos actus, videlicet, dolorem de peccato commisso, ejus detestationem, aut odium, propositum non peccandi amplius, & confitendi propositum ad veram, & perfectam contritionem requisitos esse, ac necessarios.

257 Sed est notandum 1. quod dum contritio definitur per dolorem, ibi non accipitur *dolor* pro ipso doloris actu praecise, neque pro tristitia, quae est passio, sed pro causa ipsius tristitiae, & doloris, nempe, pro peccatorum nolitione. Haec enim tria, *nolitio, tristitia; & dolor*, inter se differunt; quia *nolitio* est actus voluntatis, scilicet, nolle peccasse: *tristitia* vero est maestitia, & passio, quae oritur ex ipsa no-

litione, & afficit voluntatem: *dolor* autem est passio; quae in facultate sensitiva subicitur, & est illa cordis anxietas, quam poenitens habet ex peccati nolitione, & detestatione. Ex his tribus sola nolitio videtur esse de essentia contritionis, & caetera sunt illius effectus. Unde si quis nollèt patrasse peccata, quae commisit, neque tamen dolet dolore sensitivo, ea peccatorum detestatio, absque ulla tali tristitia: & dolore ad justificationem sufficeret. Non enim potest verti in dubium, quod tales peccatores a suis peccatis resipiscant, et verè illorum eos poeniteat. Ideo adhibere possumus fidem nonnullis peccatoribus, ex una parte asserentibus, se non posse dolere de suis peccatis, et ex alia firmiter velle non peccasse. Hoc enim evenire potest ex eo, quod non experiantur dolorem sensitivum, (ex quo lacrymae regulariter sequuntur) propter duram complexionem, vel propter nimium aliquem dolorem intensivum. Non itaque mirandum est, si alia magis sensibilia majorem causent sensibilem dolorem. Nec ob hoc censendi sunt indispositi ad obtinendam absolutionem.

258 Notandum 2. quod si qui dicerent, de hoc dolere, quod non dolent, se verò nolle peccasse, admitti debent ad absolutionem. Et si dicerent, se affectum non habere, quo nolint consensisse peccatis; quia non possunt talem affectum habere, (eò est, quia hunc affectum dolorem vocent, quem in se non sentiunt) nec isti sunt a Sacramento Poenitentiae excludendi. Non enim fieri potest, ut doleant, quod non dolent de peccatis suis, et firmiter nolle peccasse, quin habeant dolorem, et affectum non peccandi, quamvis ob defectum doloris sensitivi judicent, non habere. Iste enim affectus semper subest potestati ejus, qui verè vult habere eum. Et ad illorum quietem, & solatium paulatim trahendi suat, ut nolint pecca-



ta admisisse, & ut modo possibili hunc affectum efforment. Et quia hoc magis ex Dei gratia, & benignitate pendet, quam ex nostra libertate, orandus est Deus, ut eum dignetur impertiri. Hinc sequitur, dolorem formalem essentialiter non requiri ad contritionem. Doctrina hæc traditur à nostro doctissimo Vega Lib. 13. de justificatione cap. 25. citans Serap. Doct. dist. 16. art. 1. q. 1. & Doct. Subt. dist. 14. q. 2. num. 17. in fine.

259 Notandum est 3. probabile esse, ad integram, & perfectam contritionem non requiri necessariò, quòd omnes illi actus, nempe, detestationis, odii, doloris, & propositi de cætero non peccandi, seorsim debeant elici: sed sufficere, quòd in detestatione includantur, uti includuntur virtualiter. In ipsa igitur detestatione efficaci, & perfecta includitur propositum non peccandi amplius. Nam quomodo stare poterit, ut alicui displiceant præterita delicta, quia Dei sunt offensæ, si sit propositum Deum graviter offendendi, aut aliquam talem offensam contumnuandi? Est ergo verissimum, & tutissimum, omnes illos actus à peccatoribus elicandos esse, ac ita semper inculcandum est populis: at verò censendum puto, quòd peccatores ad solam peccati admissi compunctionem justificentur. Constat ex Scriptura pluribus exemplis, sed sufficiat illud Davidis, qui statim ac ex corde dixit: *Peccavi Domino*, justificatus est, et audivit: *Dominus quæque transtulit peccatum tuum*. Ubi nulla fit mentio propositi emendationis.

260 Et quis dubitet, contingere posse, aliquos peccatores, subita morte sic præveniri, ut recordentur de peccatis præteritis, & de eis dolentes, clament: *Damne, miserere mei*, atque ita moriantur, quia de futuris cogitent, & consequenter propositum non amplius peccandi expressè non efforment? Quæro nunc,

Isti tunc carebunt venia? Quid rigidius, & durius? Deus namque omnes ad se confugientes apertis brachiis excipit, neminem, facientem, quod est in se, despicit, atque veniam impartitur in articulo mortis cunctis ad se venientibus benè conversis. Neque de Latrone illo foelici in cruce cum Christo pendenti aliud legitur in Evangelistis, quam quòd priorem suam vitam aversatus, ad Christum recurrit, ipsius misericordiam implorat, & veniam statim consequitur. Pariter ad absolutionem Sacramentalem sufficiunt aliquando signa certa doloris de peccatis. Quare absolvi, possunt, & debent peccatores, qui articulo mortis præventi, sua peccata confiteri non possunt, si explicuerint, in specie saltem aliquòd peccatum, & exterioribus signis dolorem suum interiorum indicent, etiamsi nullo signo, quid in futuro proponant, declarant.

261 Si dicas: Virtuale propositum non peccandi de cætero nihil est aliud, quam ipsum peccati odium, & detestatio; sed præter dolorem, odium, & detestationem peccati requirit Tridentinum votum, aut propositum de cætero non peccandi, & ea implendi, quæ necessaria sunt ad consequendam Sacramentalem absolutionem; ergo ex mente Concilii non sufficit propositum virtuale, sed requiritur actuale, & formale. Respondeo, Concilium ideò conjungere propositum emendationis detestationi peccati, ut significaret, ad contritionem perfectam non sufficere quamcumque peccatorum simplicem displicentiam, sed efficacem detestationem esse necessariam, ex qua si peccata futura occurrerent, illicò voluntas prosiliret in affectum in posterum non peccandi, si congruum tempus non desit. Quod autem hoc sufficiat, & propositum amplius non peccandi includatur virtualiter in voluntate peccatum detestante, colligitur ex eodem Concilio Sess. 14. cap.

4. ubi loquens de contritione imperfecta, quæ attritio dicitur, inquit: *Si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat Sancta Synodus &c.* Quibus in verbis, & sequentibus, id, quòd Concilium, definiendo generatim contritionem, vocaverat propositum non peccandi, hæc appellat exclusionem voluntatis peccandi: quo significat, eum, qui peccatum detestatur sincerè, & efficaciter, ita esse dispositum, ut si interrogaretur; an vellet rursus peccare? responderet, se velle potius millies mori, quam Deum graviter offendere: qui quidem affectus non est alius, quam propositum virtuale non peccandi de cætero. Hoc amplius patet ex eo, quòd Concilium ibidem non solum requirit propositum emendationis, sed etiam confessionis, satisfactionis, & actum spei; sed ad contritionem veram, & perfectam non requiritur votum explicitum confessionis, nec actus formalis spei: ergo nec votum explicitum emendationis.

262 Cætera, quæ ad hanc difficultatem spectare possunt, jam animadverta, & soluta manent in his, quæ de essentia Pœnitentiæ, ut virtus est, diximus Disp. 1. quæst. 1. per totam, & quæst. 2. præsertim Conclus. 5. & 6. Advertendum tandem maximè est, quòd dum contritio definitur: *Dolor de peccatis &c.* non intelligitur de dolore, seu tristitia sensitiva, & quæ ex odio peccati causatur in sensibus, ut sunt gemitus, suspiria, lacrymæ, & similes affectus, & signa externa doloris interni: intelligitur verò de tristitia, vel dolore spiritali, qui utique necessarius est ad veram contritionem, & de quo loquitur Tridentinum, dum dicit, quòd contritio est *animi dolor*: ostendens per hoc, quod non exigere dolorem sensitivum, sed spiritualement, quod commune est contritioni perfectæ, ac imperfectæ. Unde, ut ait Scotus dist. 14. dolor, & tristitia sensibilis sunt passiones,

quæ imperantur, vel resultant ex detestatione animi: non verò semper, nec in omnibus; quia potest quis habere maximum actum pœnitentiæ primo modo, nempe, doloris spiritalis, & animi, & tamen nullum effectum, adhuc modicum, scilicet, nullum dolorem externum, & sensitivum.

263 Ex quibus sequitur, quòd licet aliquando SS. PP. & Scriptura loquantur de lacrymis, & gemitibus peccatorum, numquam significarunt, se de aliis loqui, quam de gemitibus, & lacrymis cordis. Quare dum Joel cap. 3. Deus exigit in pœnitentibus conversionem *in jejuniis, & fletu*: & Mich. cap. 1. *plangam, & ululabo, & faciam planctum*, & plura alia his similia: non significat utique Sacer Textus in sensu vero nisi dolorem, & planctum internum cordium, non sensuum. Videtur utique exigere passiones, & externa signa doloris, & luctus, & aliquando exiguntur in publicis peccatoribus, & ad exemplum; quod etiam concedimus in viris perfectis, & quibus contentum est, & in quibus contritio intensa ordinariè causat tristitiam, & dolorem in appetitu sensitivo: & maximè in pluribus ex dono Dei, quòd *idolum lacrymarum* dicitur: at verò dicimus, ad veram, & perfectam contritionem, hoc non esse necessarium.

264 Sit II. Conclusio: *Ut contritio sit perfecta, & sit extra Sacramentum peccati remissiva, debet peccatum detestari ex affectu, seu ex motivo charitatis, saltem virtualiter, vel à charitate imperari.* Est communior apud Theologos, & docetur à Subt. Doct. supra citato, dicentem cum D. Augustino, quòd pœnitentia non potest esse fructuosa, quantum ad finem pœnitentiæ attingendum, id est, quantum ad peccati remissionem, sine charitate: & quòd sine amore Dei nullus consequitur veniam. Sed hæc loquimur de contritione, quæ justificat extra Sacramentum: ergo Pro-

Probatur ex Tridentino Sess. 14. cap. 4. ubi distinguens contritionem perfectam ab imperfecta in eo, quod illa tendat in Deum propter se diligendum, seu quatenus est summè amabilis, & attingitur à charitate, de quo postea nos pertractabimus q. seq. hæc verò non ita tendat in Deum, addit: *Etsi contritionem hanc aliquando charitatem esse contingat, hominemque Deo conciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Ergo censet Concilium, contritionem, qua extra Sacramentum remittitur peccatum, includere charitatem, seu amorem Dei super omnia, vel formaliter, vel virtualiter, vel imperatur à charitate actus ille poenitentiae, seu contritionis. Explicatur: Juxta Concilium, poenitentia, quæ dolet de peccato ex aliis motivis, quàm amoris Dei, dicitur attritio: nam sic prosequitur: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur: quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gebennæ, & poenarum metu communiter concipitur &c.* Ergo ex mente Concilii, ut sit perfecta, debet provenire ex amore Dei, vel eum annexum habere, aut virtualiter includere.

265 Quod autem sufficiat, contritionem esse charitatem virtualiter, aut ab illa imperari, quin necesse sit, esse actum formalem, & explicitum ipsius charitatis, seu dilectionis Dei super omnia, videtur certissimum contra Frassenium, & alios Theologos, si cum doctrinæ consequentia procedamus: nam Disput. 1. abundè diximus, actum poenitentiae peccati remissivæ virtualiter continere charitatem; & actum charitatis, seu dilectionis Dei super omnia virtualiter includere perfectam contritionem. Unde Scripturæ Textus, quos allegant, nempe, Joan. 3. *Qui non*

diligit, manet in morte. Et 1. ad Corinth. *Si charitatem non habuerit, nihil sum... nihil mihi prodest.* August. de vera poenit. *Sine amore nemo umquam gratiam invenit, aut veniam consequetur, & similia, non sunt ad propositum: Tum; quia velis, nolis, ea omnia per veram poenitentiam, virtualiter includentem charitatem, salvantur. Tum; quia aliàs numquam sufficeret attritio ad justificandum, etiam simul cum Sacramento; quia nec tunc attritio est, nec potest esse, actus dilectionis Dei formalis.*

266 Probatur itaque 1. ex Subt. Doct. loc. cit. sic dicente: *Charitas potest imperare actum poenitentiae, & uti actu poenitentiae, & vicissim poenitentia potest uti charitate: nam sicut causa continet virtualiter effectum, sic actus poenitentiae, quo imperatur charitas, etiam virtualiter continet charitatem.* Sed ipsa charitas virtualiter continet poenitentiam, ut demonstratum manet disp. 1. q. 5. Conc. 2. num. 78. & pariter poenitentia perfecta continet, aut includit Dei dilectionem super omnia, ex Tridentino, & ex sæpius dictis: ergo ut contritio sit perfecta, ac peccati remissiva, sufficit virtualiter continere, aut includere charitatem: ergo non est necessarium, imò nec facile potest intelligi, quod debeat esse ipsemet formalis, & explicitus actus amoris Dei. Prob. 2. ex illis locis Sacris: *convertimini, & agite poenitentiam: Si impius egerit poenitentiam &c.* & similibus aliis cit. q. 5. Concl. 1. adstruente necessitatem poenitentiae, adductis: in quibus nulla fit mentio de charitate formali, & in quibus de poenitentia perfecta, & remissiva peccatorum loquitur. Constat idem ex Tridentino, in quo, quamvis justificatio extra Sacramentum tribuatur contritioni perfectæ ex charitate: illam tamen definit sine mentione charitatis formalis, ut videri est in 1. Conc.

Conc. Sufficit ergo, quod in contritione contineatur virtualiter.

267 Arg. 1. Contritio perfecta justificat extra Sacramentum, ut constat ex Tridentino, & nos sæpè sæpius diximus, & adhuc dicemus; sed hoc efficere non potest sine charitate formali: ergo sine illa contritio stare non potest, aut est formalis charitas ipsemet actus contritionis. Prob. min. Quia Concilium requirit Sess. 6. c. 6. *Ut diligere Deum incipiant, velut justitiæ fontem.* Et Sess. 14. aperte docet, contritionem, quæ extra Sacramentum justificat, debere esse charitate formatam, seu perfectam; sed hæc rectè intelligi non possunt, nisi de amore, & charitate formali: ergo. Nego minorem utramque: Tum, quia initium illud dilectionis nec est vera charitas, ut dicitur q. 4. nec facit perfectam contritionem, justificantem extra Sacramentum. Tum; quia licet regulariter in tali contritione adsit simul formalis charitas: Concilium tamen non negat, quod contritio perfecta ex charitate virtuali, & implicita sufficiat, ut ex proximè dictis num. 266. manifestè constat. Per hanc eandem doctrinam respondetur ad plura SS. Patrum dicta, quæ ad justificationem necessariò requirunt charitatem, aut Dei amorem.

268 Arg. 2. Nec actus contritionis potest esse charitas formalis, nec potest illam virtualiter includere: ergo contritio perfecta nullo modo debet esse charitate formata. Ant. quoad 1. partem constat: Tum ex immediatè dictis. Tum; quia actus detestationis est recessus à peccato, tamquam omnium malorum maximo: actus autem amoris est accessus ad Deum, tamquam bonorum omnium optimum. Nunc sic: Sed accessus, & recessus sunt duo actus distincti: ergo actus contritionis non potest esse formalis charitas. Quoad 2. partem etiam constat: nam actus charitatis est omnium perfectissimus:

ergo virtualiter non potest includi in actu contritionis, qui est minoris perfectionis: continens enim aliquid virtualiter nobilius est contento. Ad hoc argumentum, quod impugnare intendit, contritionem nullo modo includere charitatem, quod videtur expressè contra Tridentinum, & Patres, dum de contritione peccatorum remissiva loquuntur, responderi potest negando antecedens, quoad utramque partem.

269 Potest enim dici, eundem actum amoris saltem virtualiter, & æquivalenter, esse simul accessum ad Deum, ut summum bonum, & recessum à peccato: sicut & idem actus contritionis formaliter est recessus à peccato, atque illius detestatio, & hoc ipso, saltem virtualiter, & æquivalenter, est accessus ad summum bonum. Unus enim motus necessariò sequitur ex alio, quando uterque circa idem objectum formale, & terminativum occupatur. Unde et ipso, quod quis detestetur peccatum propter Deum summè diligibilem, etiam Deum, saltem virtualiter diligit; sicut è converso, dum quis in Deum, ut summè diligibilem propter se, tendit affectu, et actu amoris, saltem virtualiter detestatur peccatum. Non enim fieri potest, ut quis accedat ad Deum per actum dilectionis, et charitatis, quin à peccato fugiat, et recedat: et vicissim non potest recedere à peccato, ut summè bonitati offensivo, quin aliquomodo accedat, et tendat in summum bonum. Ex quibus negatur secunda pars antecedentis, et ejus probatio: quia cum actus contritionis implicitè, et virtualiter sit charitas, et ista implicitè, et virtualiter sit contritio, unus actus non est alio perfectior, nisi ad summum conotativè, & penes diversum modum tendendi in objectionem: nempe, quatenus charitas immediatè terminatur ad Deum, ut summum bonum, & mediatè, seu implicitè, ad peccatum, quod detestatur.

testatur, quia summo bono oppositum: Contritio verò immediatè terminatur ad peccatum detestandum, & implicite, aut mediatè ad Dei summam bonitatem, propter quam peccatum aversatur.

270 Sequitur 1. optimè Subt. Doct. dixisse, charitatem includere poenitentiam, & vicissim poenitentiam includere charitatem, ut dictum manet. Sequitur 2. neminem, ut dicta Patrum salventur, salvari posse sine charitate actuali, aut habituali: explicita, vel implicita, & virtuali. Sequitur 3. quòd contritio debet esse actus, aut elicitus, mediante habitu charitatis, ut dum elicitur ab homine justificato; aut à charitate imperatus, ut dum fit ab homine peccatore: adeo ut non sufficiat, quòd peccati detestatio fiat ex motivo obedientiæ, religionis, aut alterius virtutis à charitate distinctæ.

QUÆSTIO II.

De vi, & efficacia Poenitentiae ad remittenda peccata.

271 **U**T duplicem resolvamus in hac quæstione difficultatem, prius aliqua notari debent. Noto 1. tribus modis posse aliquod objectum plus diligi, quàm aliud, aut odio haberi. Primò objectivè, ut quando ei optamus, & volumus majora bona, quàm alteri. Secundò intensivè, ut quando diligitur cum majori conatu, et fervore, quàm aliud: ita ut actus amoris erga istud habeat plures gradus intensiōis, quàm quicumquè alius actus amoris erga aliud objectum. Tertiò appetitativè, hoc est, quòd plus aestimetur, quàm aliud: ita quòd quodcumque aliud omittatur propter objectum dilectum consequendum. Sic dicimur appetitativè diligi Deum, dum eum cuiusque rei diligibili præferimus. Patet dicimur aliquid appetitativè o-

disse per comparationem ad aliud, quando optamus potius pati quodlibet aliud malum, quàm istud. Sic dicitur quis peccatum odisse, si plus optaret quodlibet malum perpeti, quàm per peccatum Deum offendere graviter. Noto 2. cum Seraph. Doct. in 4. dist. 16. intensiōem amoris aliam esse sensitivam, quæ comitatur actum appetitus sensitivi, et assimilatur amori, quo mater diligit filium cum cordis teneritudine: aliam intellectualem, quæ est actus voluntatis, quatenus voluntas est, et assimilatur amori matris, qui cum animi constantia, et firmitate eundem filium diligit.

272 Noto 3. in voluntate aliam esse intensiōem amoris secundum portionem inferiorem, et quæ provenit ab anima, quatenus est corpori conjuncta. Aliam secundum portionem superiorem, et quæ regulatur secundum dictamen fidei, et gratiæ. Hæc autem consistit in majori estimatiōe unius objecti, quàm alterius. Ex quibus certum est, quòd quilibet tenetur Deum magis diligi, saltem appetitativè, quàm patrem, matrem, aut quodlibet aliud objectum creatum, amore rationali, seu intellectuali, et secundum portionem superiorem. At verò non tenemur Deum plus, et magis intensivè diligi secundum teneritudinem, et juxta portionem inferiorem voluntatis. Nam viri plures, etsi Sancti, experiuntur, se majorem cordis teneritudinem habere erga filios, quàm erga Deum: majorique dolore sensitivo affici de morte filiorum, quàm de amissione Dei per peccatum: et tamen mallent filios, et omnia alia amittere, quàm Deum mortaliter offendere. Noto 4. quòd licet Theologi ferè omnes conveniant, quòd contritio, urgente necessitate, et Sacerdote deficiente, sufficiat extra Sacramentum ad obtinendam peccati remissionem: non verò desunt, qui existiment cum Estio in 4. dist. 17. neque ordinariè, et multò minus

sem-

semper, sed rarissimè fieri, ut peccator sit absolutus coram Deo ante actualem absolutionem Sacerdotis. His prænotatis, duplex difficultas consurgit. 1. *Utrum contritio sanctificet ante Sacramenti realem susceptionem?* 2. *Ad talem effectum qualis intensiōis debeat esse contritio?* Pro quarum resolutione:

273 Conclusio I. *Contritio perfecta sine susceptione Sacramenti, & etiam extra casum necessitatis, est remissiva cujuscumque peccati, si adsit votum recipiendi Sacramentum Poenitentiae.* Intelligitur, habere vim remittendi peccata, non formaliter, sed solùm dispositivè. Unde gratia est forma remittens peccata, & contritio est ultima dispositio ad hanc formam, ut præclare docetur à Tridentino Sess. 14. cap. 4. Conclusio, quæ militat in sensu exposito contra Estium, probatur 1. ex Bullis Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. in quibus damnantur sequentes propositiones. Una erat hæc: "Charitas perfecta, & sincera, quæ ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum." *Alia erat hæc.* Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramentorum. "Ergo asserunt consequenter ad hujus doctrinæ damnationem, contritionem cum charitate perfecta conjunctam, & voto Sacramenti crimen remittere extra casum necessitatis, aut Martyrii sine actuali receptione Sacramenti Poenitentiae: ergo talis contritio habet vim remittendi peccata, semper ac verificetur, esse veram contritionem. Conformiter ad Decreta Pontificia facultas Parisiensis damnat, ut hæreticam, hanc propositionem: *Per contritionem, non adhibito realiter Sacramenti Baptismi, vel Poenitentiae.*

Tom. I.

*tia, non dimittitur crimen extra casum Martyrii, & necessitatis: ergo hæc est vera: extra casum necessitatis, & sine illorum Sacramentorum vera receptione regulariter, ordinariè, ac semper per veram contritionem remittitur crimen. Patet; quia hæc est alia contradictoria: ergo si illa est falsa, necessariò hæc est vera. Confirmatur ex Catechismo Concilii Tridentini, plura edocente de contritione num. 39. & sic concludente: *Ex quo licet colligere, veræ contritionis... eam vim inesse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim à Deo impetremus.**

274 Probatur 2. ex illis Sacrae Scripturae oraculis: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et: *Ego diligentes me diligo.* Et: *Oculi Domini in diligentes se: Et: Qui manet in charitate, in Deo manet: & de Magdalena: dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum & cætera alia, quæ adduximus Disp. 1. quæst. 5. ibi videnda. Ergo juxta Scripturam, charitas, & contritio, amorem Dei ex vera charitate includens ex parte poenitentis, semper ex parte Dei est conjuncta cum charitate: ergo cum gratia sanctificante, & consequenter cum peccatorum omnium remissione. Confirmatur ex Patribus, pro quibus sufficiat Chrysostomus hom. 72. dicens: *Sicut ignis, ubi silvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita & charitatis fervor, quocumque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit, quæ divitiarum segetem demoliuntur... ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Denique urgetur ex Subt. Doct. dist. 14. q. 2. qui ex conjunctione gratiæ cum perfecta contritione, hanc distinguit ab attritione.*

275 Arg. 1. Tridentinum Sess. 13. Can. 11. præcipit, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, ad Eucharistiam accedere audeat, absque præmissa Sacramentali confessione, si habeatur copia Sacerdotis, sed hoc

Ggg

non

non præciperet, si contritio gratiam tam certò confert: ergo ita non est. Prob. minor. Ad dignam Eucharistiæ sumptionem non alia, nec major requiritur dispositio, quàm status gratiæ; sed hæc, per nos, certissimè haberetur per contritionem: ergo confessio præcipi non deberet. Confirmatur: Connexio gratiæ cum contritione, vel esset privilegium legis Evangelicæ, vel Mosaycæ, vel utriusque legis; sed non Evangelicæ; quia hæc habet Sacramenta, per quæ infallibiliter consequitur gratia, & per consequens alia quæcumque videntur frustranea: nec Mosaycæ; quia in illa per sacrificia expiabantur peccata: ergo in nulla lege habetur talis connexio: ergo gratis asseritur, per contritionem, sine Sacramento, remitti quodlibet peccatum. Accedit Catechismus Concilii Trident. in quo dicitur, quòd, quia paucissimi sunt, qui per contritionem ante Sacramentum veniam consequantur: *Necesse fuit, ut clementissimus Dominus fo-ciliori ratione communi hominum salutis consuleret: quòd quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni Cælestis tradidit, id est, cum Pœnitentiæ Sacramentum instituit.*

276 Respondeo negando minor. & major. probationis, si teneatur, ut satis communiter à Theologis asseritur, præceptum de præmittenda confessione sacrae communioni, in eo, qui conscius est peccati mortalis, esse divinum, & à Concilio, ut tale propositum, ac declaratum; constareque ex illo Pauli: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* Unde declarat, hanc probationem non debere esse per conscientia probationem, seu illius examen, ut allucinati voluerunt aliqui, sed præcisè, per Sacramentalem confessionem, dicens: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confes-*

sione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat. Et postea: *Statuit, atque declarat Sancta ipsa Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem.* Voluit itaque Christus, fideles ad Sacramentum sui Corporis, quod præstantius, & dignius est cæteris Sacramentis, præstantiori, ac particulari hac dispositione præviæ confessionis recipiendum accedere, quamvis existimarent, se perfectè contritos esse, & quamvis in rei veritate per contritionem essent in statu gratiæ. In aliis verò Sacramentis vivorum, quæ exigunt in subjecto statum gratiæ, ut licitè recipiantur, sufficit, quòd accedant contriti, quamvis fideles non confiteantur, ut tenet communior doctrina Theologorum.

277 Aliè respondet alii, & hæc est Doctorum, quos vidi, communis responsio, distinguendo minor. non præciperet, si contritio gratiam certò confert, & tunc contritio perfecta certa esset, concedo: si non esset, & solùm existimaretur talis, nego minorem, & distinguo minorem probationis: certissimè haberetur per contritionem veram, & perfectam, concedo: tantùm existimatam, nego minorem. Concilium itaque non negat, veram, & perfectam contritionem sufficere ad debitam Eucharistiæ sumptionem, sed vult, quòd non sufficiat existimata, ut talis. Quare non dixit: *quantumvis contritus sit,* sed dixit: *quantumvis sibi contritus videatur: & quantumcumque se contritos existiment.* Per quæ Concilium, ut præcaveat, & coerceat præsumptionem aliquorum, existimantium, & temerè fortè, se habere perfectam contritionem, quam reverà non habent, meritò suadet, & præcipit, ne quis ad Eucharistiam accedat, priusquam adhibuerit media, & remedia quibus securior, & certior sit, se non esse indignum participatione

lis

lis Sacramenti, quod quidem consequitur per veram absolutionem à peccatis. Unde cap. 7. inquit: *Quòd magis sanctitas, & divinitas Cælestis hujus Sacramenti vero Christiano comperta est, eò diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad percipiendum accedat.*

278 Quamvis autem hæc solutio, ac communis doctrina, vera sit, ac fundata satis, responsio prima aptior adhuc videtur mihi: nam existimo, quòd, estò quis supponeretur in tali casu certus de sua contritione, adhuc debebat confessionem præmittere ad celebrandum, & communicandum, ut adimpleret illud præceptum: *Probet autem &c.* quòd, ut supra dixi, est divinum. Quò stante dici debet, ad Eucharistiæ receptionem non sufficere statum gratiæ utcumque, sed habitus mediante peccatorum Sacramentali absolutione: & hoc totum tribui debet excellentiæ particulari talis Sacramenti, dispositionem hanc particularem ex voluntate Christi exposcentis. Ad Confirmationem nego minorem quoad omnes partes: quia ut Tridentinum docet: *Contritionis motus fuit quovis tempore necessarius ad impetrandam veniam peccatorum.* Unde Deus in utraque lege promisit gratiam verè contritis. Nec Sacramenta, & sacrificia fuerunt, nec sunt frustranea: nam Sacramenta vivorum augent gratiam, & Sacramenta mortuorum suppleant defectum contritionis perfectæ: Sacrificia autem antiquæ legis erant satisfactiones aliquæ pro peccatis, & signa verè Religionis. Ultimum solùm probat, paucissimos esse, qui perfectam contritionem eliciant: quod non est contra nostram assertionem; juxta quam semper verissimum est, quòd, qui perfectam contritionem haberet, sive in casu necessitatis, sive extra illum, obtineret veniam suorum peccatorum.

279 Arg. 2. Magdalena pœnitenti non fuerunt remissa peccata vir-

Tom. I.

tute contritionis, & dilectionis Dei, statim ac illos actus efformavit: ergo nec cæteris peccatoribus remittuntur præcisè per contritionem. Antecedens patet: Christus namque Lucæ 7. de illa dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quæ verba significant, Christum de præsentis ejus peccata dimittere ratione amoris præcedentis. Consequenter postea iterum illi dixit: *Vade in pace: remittuntur tibi peccata tua;* quæ peccatorum remissio supponebat jam in Magdalena amorem perfectissimum. Confirmatur: Tum ex conversione Pauli, in qua veram contritionem, & Dei dilectionem habuit, & tamen gratiam non recepit, nisi postea, dum Ananias dixit ei: *Dominus misit me, ut videas, & implearis Spiritu Sancto.* Tum ex historia SS. Genesii, & Emerentianæ, in qua referuntur baptizati, non Baptismo fluminis, seu per contritionem, sed Baptismo sanguinis, cui absdubio contritio præcessit. Tum; quia juxta Augustinum, contritio cum voto Baptismi non justificat, nisi in Baptismi vera receptione: nam ait: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, donec venerit ad Baptismum;* ergo. In his levibus sistit fundamentis particularis opinio Estii, viri aliunde docti.

280 Respondeo itaque negando antecedens, & intentam ejus probationem. Conversio itaque Magdalena fuit præstantissima, habuitque veræ, ac perfectæ dilectionis signa, & consequenter dubitari non debet, quòd dum Christus ei dixit: *Remittuntur ei peccata multa,* jam fuerat à peccatis mundata. Unde verba illa non significabant remissionem fieri, sed jam esse factam in instanti contritionis, & dilectionis: atque adeo fuerunt declarativa, aut confirmativa remissionis jam factæ. Hinc etiam interjecto aliquo tempore spatio dixit eidem Magdalena iterum:

Ggg 2

rum:

zum : *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ verba non significant iteratam peccatorum absolutionem, sed prioris confirmationem. Pari modo Marci 7. Mulieri jam sanatae à profluvio sanguinis, dixit : *fides tua te salvam fecit, vade in pace, & esto sana à plaga tua*. Ad 1. partem confirmationis dicendum est, quod si tunc Paulus veram habuit contritionem, justificatus fuit : & Ananiae verba intelligi debent de aliis pluribus donis Apostolicis, quæ tunc Paulus recepit per manus impositionem, sicut per impositionem manuum Apostolorum fideles recipiebant Spiritum Sanctum visibiliter. Ad 2. dico, solum fieri mentionem de Baptismo sanguinis, tamquam de sensibili nota sanctificationis, quamvis illi Martyres gratiam receperint ex vi contritionis, semel quod illam habuissent. Ad 3. negatur assumptum, quia Augustinus ibi non loquitur de perfecta contritione, sed contra aliquos, negligentes Baptismum recipere, eò quod existimarent, se jam verè conversos esse. Unde ante verba allata dicit, quod *Christus voluit baptizari, ne quis arrogans, eò quod habeat abundantiam gratiæ alicujus, dedignaretur baptizari Baptismo Domini*. Et postquam hæc dixit, verba argumenti addidit.

281 Conclusio II. *Ut contritio sit perfecta, ac peccatorum remissiva, necesse non est, quod sit amor, nec dolor, summus intensivè, sed sufficit, quod sit summus appetitivè*. Est idem, ac dicere, quod ut contritio extra Sacramentum justificet, non requiritur in illa aliqua intensio gradualis, sed sufficit, quod pertingat perfectionem ejus entitativam, & essentialem, quæ in eo consistit, quod peccatum detestetur super omnia mala, & Deum super omnia diligat, si non intensivè, saltem appetitivè. Ita communiter Theologi contra quosdam recentiores, exigentes tam perfec-

tionem intensivam, quàm extensivam charitatis, ut contritio sit vera, ac peccati remissiva. Ita videtur docuisse D. Thomas 3. par. q. 7. art. 4. ubi dicit : *Minima charitas plus diligit Deum, [appretiativè] quàm cupiditas millia auri, et argenti*. Hæc est etiam expressa sententia D. Bonaventuræ in 4. dist. 16. p. 1. art. 2. quæst. 1. Erga mentem Subt. Doct. hac in re, variant aliqui, ei tribuentes, jam nostram, jam oppositam opinionem, existimantes, ut Valencia asserit, Scotum sensisse, ad peccati remissionem Deum diligendum esse super omnia intensivè, & extensivè. In hoc etiam inclinatur Hiquæus, sed non gravi fundamento, ut videbitur.

282 Probatur ergo nostra Conclusio 1. Non est imponenda hominibus in ordine ad justificationem aliqua præcisa obligatio, quæ colligi non possit vel ex Scriptura, vel ex Conciliis, vel ex Patribus, vel ratione aliqua convincenti; sed ex nullo ex his capitibus colligitur necessitas intensiois in actu contritionis: ergo sufficit, quod sit formata quolibet gradu charitatis, ut sit peccati remissiva, dummodo substantialiter, & entitativè sit vera charitas. Major est certa, & minor per partes venit probanda. In primis talis obligatio non colligitur ex Scriptura, nec ex Conciliis; sed aliunde nec ex Patribus, nec ex Theologica ratione: ergo ex nullo capite. Prob. maj. quoad 1. partem: Nullus Scripturæ Textus determinat perfectionem gradualis, quæ rarissima est, & valde difficilis homini mortali: ergo, Prob. antec. Textus Scripturæ sunt: *Pœnitentiam agite &c. Convertimini ad me &c. Ego diligentes me diligo. Charitas operit multitudinem peccatorum &c.* Et alii similes adducti supra num. 274. cum remissione ad disput. 1. sed in nullo ex illis determinatur talis gradualis intensio, aut perfectio: ergo sufficit, quod vera charitas perficiat

COR-

contritionem, ut eam faciat justificantem, ante actualem Sacramenti receptionem. Nunc sic: sed id facit charitas, etiam in gradu remisso, in quo vera charitas est, & dicitur: ergo. Prob. illa major quoad 2. partem: Concilium Tridentinum sæpius citatum non requirit in contritione, quæ sit remissiva peccati, nisi quod *sit perfecta per charitatem*; sed essentialis veritas charitatis salvatur in uno, vel duobus gradibus: nam calor, ut unus, vel duo, tam verè est calor, quoad essentialiam, quàm calor, ut octo, ut negabit nemo: ergo.

283 Prob. 1. maj. quoad 3. partem, nempe, non constare talem intensioem ex Patribus, quia potius constat, sufficere in quocumque gradu ex Augustino 15. de Trinitate, dicente: *Dilectio Dei discernit inter filios Dei, & filios Diaboli. Et Chrysostomus: Absolvi vis? Ama dilectio Dei delet, & absolvit omnia delicta*. Nunc sic: sed amor Dei super omnia, etiam in gradu remisso, cum sit vera Dei supernaturalis dilectio propter suam infinitam bonitatem, excludit necessariò omnem affectum peccati, omnemque inordinationem voluntatis: ergo est cum peccato incompatibilis: ergo justificat hominem: ergo juxta Patres non est necessaria talis intensio gradualis actus contritionis, aut amoris Dei. Prob. denique maj. quoad 4. partem, videlicet, non colligi talem intensioem ex aliqua Theologica ratione: quin potius ratio suadet oppositum: Tum; *scintilla ignis tam est verus ignis, quàm ingens rogas: infans in instanti animationis est verus, & perfectus homo, quoad essentialiam, æquè, ac vir triginta annorum*: ergo & dilectio Dei super omnia in uno, vel duobus gradibus est vera Dei supernaturalis dilectio, & per consequens excludens peccatum. Tum: qui diligit Deum ex vera, & sincera charitate, diligit Deum super omnia, & propter

seipsum: & qui ex tali amore dolet, & odit peccatum, odit etiam illud super omnia extensivè, & appetitivè; sed nihil aliud requiritur ad perfectam contritionem justificantem: ergo. Tum: actus aliarum virtutum, quoad essentialiam, & speciem, consistunt in quolibet gradu, in quo earum propria objecta attingunt: ergo pariter de actu pœnitentiæ, qui est contritio,

284 Arg. 1. Scotus dist. 27. quæst. 2. docet, ad pœnitentiam, quæ disponit ad justificationem, requiri magnam intensioem: ergo juxta ipsum, contritio, quæ justificet, requirit intensivam perfectionem amoris. Prob. anteced. Nam de præcepto amoris dicit: *quod illud super omnia debet intelligi utroque modo; (nempe, intensivè, & extensivè,) sicut enim teneor diligere Deum, super omnia extensivè, ita etiam majori affectu, quàm omne aliud*: ergo. Respondeo negando anteced., & consequentis. Per illa verba nihil aliud intendit Scotus, quàm quod Deus firmitus, & plus cæteris ametur. Unde id intellexit per verba *intensivè, & extensivè*. Nec dicit, majori amore gradualis esse amandum, sed solum *majori affectu*, ad quem sufficit majoritas appetitiva, seu affectus magis exclusivus oppositi, ut ipse se explicat. Potest igitur amor Dei super omnia dici dupliciter; primò, si sit intensivè major, quàm ullus alius, quo creatura ametur, & hunc non exigit Scotus: secundò, si sit fortior, & efficacior ad placendum Deo, quàm amor placendi creaturæ, licet sit remissior, & hæc est majoritas, quæ ex præcepto dilectionis Dei exigitur ab Scoto. Recole dicta in notabilibus quæstionibus. Confirmatur tota hæc doctrina ex Seraph. Doct. ubi supra dicente: *Hoc est diligere Deum super omnia; quod pro nullo danno, vel voinmodo, velit Deum offendere: & hoc quidem habet quilibet perfecta contritio, quamvis actus sit gradualiter remissus*.

285

285 Arg. 2. ex Catechismo Romano num. 36. *Contritio non solum debet esse maxima, sed vehementissima*; sed contritio vehementissima est intensissima: nam doloris vehementia est ejus intensio: ergo. Confirmatur: Omnis dolor appetiatiue maximus est etiam maximus intensiue; sed contritio est dolor maximus appetiatiue: ergo & intensiue; vel si non intensiue, nec appetiatiue. Major patet; quia quod plus rem amissam estimamus, eo majori conatu de illius amissione dolemus: nam dolor de re amissa ex aestimatione, & amore bonitatis illius oritur. Respondeo distinguendo major. Debet esse vehementissima; prout vehementia opponitur inefficacis, tepiditati, negligentis, & ignavis, concedo: prout opponitur actu remisso, seu parvitati graduati, nego major. Ipse enim Catechismus expressé se explicat de vehementia, quæ omnem ignaviam, socordiam, & tepiditatem excludat. Unde per vehementissimam contritionem, nihil aliud intelligit, quàm efficacem, & actualem, excludentem ignavam, & inefficacem.

286 Ad Confirmationem nego major. Quamvis enim intensiva magnitudo doloris oriatur ut plurimum ex ejus appetiatiua magnitudine: id verò non est necessarium; quia intensiva magnitudo doloris oritur ex parte subjecti, & ex conatu, quo dolor intenditur ad alicujus mali detestationem: appetiatiua verò oritur ex parte objecti, quod odio habetur super omnia doloris objecta. Unde sæpius accidit, ut magis intensiue de aliqua re doleamus, de qua minus appetiatiue dolemus: nam sæpé Sancti intra se magis dolent de amissione liberorum, quàm de reatu peccatorum, ut Jacob, qui nolebat consolationem admittere super Josephi amissionem: & tamen illi non habebant majorem dolorem appetiatiue de liberorum amissione, quàm de peccatis suis. Est enim certissimum, quod mallet filios amisisse, quàm Deum graviter of-

fendisse. Etiam patet in amore: nam pater senex sepé filium, natu minimum, intensiue amat, & teneris, quàm primogenitum: hunc verò magis appetiatiue amat; quia primogenito majora vult, atque facit bona. Reliqua, quæ objici solent, per dicta in notabilibus possunt solvi.

287 Ex dictis sequitur 1. quòd dum dicitur: *Deus non confert suam gratiam, nisi facienti, quod est in se*, non debet intelligi, quòd, ut quis gratiam consequatur, ad id impendere debeat omnem suum conatum, ut plurimi ad res temporales impendunt illum: vix enim aliquis est mortalium, qui ita perfectè operetur, quodque utique esset optimum: sed sic est accipiendum: quòd ut quis gratiam sanctificantem obtineat à Deo per poenitentiam, ex parte sua adhibere debet omnia, quæ ad ejus præparationem, & elargitionem sunt necessaria. Sequitur 2. quòd sicut amor ille est appetiatiue maximus, quo diligimus aliquid, ut maximum omnium bonorum, super omnia diligendum; sic dolor ille est appetiatiue maximus, quo detestamur aliquid, ut maximum malum, & super omnia detestandum. Hinc est, quòd debeat esse talis dolor in contritione de peccato à nobis commisso: etenim nullum malum majus, ac deterius est peccato mortali, quod nos avertit à summo bono, seu ultimo fine. Unde ejus detestationem plus debemus estimare, quàm alterius cujuscumque mali evitacionem, aut assecutionem cujuscumque boni. Nunc pro questionis complemento, tria quærenda veniunt.

288 Quæres I. *An perfecta contritio necessariò debeat procedere ex gratia, & charitate habituali?* Respondeo negativè: quin potius gratiam præcedit, & ad eam disponit. Est contra aliquos, existimantes, quòd contritio sit, quasi sequela, seu effectus primæ gratiæ, quæ nos Deo gratos reddit. Est etiam con-

contra Lutherum, & alios Hæreticos, quatenus docent, gratiam infundi intuitu solius fidei, & non contritionis: Dixi, *quòd necessariò non debet procedere*: nam certissimum est, plures justos elicere actus perfectissimæ contritionis; quæ absdubio tunc procedit ex gratia habituali, quam habent, & quæ in illis est meritoria de condigno augmenti gratiæ.

289 Probatum efficaciter: Tum ex Tridentino Sess. 6. Can. 6. & 7. quod ponit poenitentiam, & initium dilectionis Dei, inter dispositiones ad gratiam justificationis, & addit: *hanc dispositionem sequitur justificatio*. Et ista docet, quòd motus contritionis fuit necessarius quovis tempore ad veniam peccatorum impetrandam: ergo ex Concilii mente, contritio, nãtè natura, præcedit infusionem gratiæ: habitualis, sicut causa effectum præcedit. Tum; quia ex sæpius dictis, Scriptura, & Patres ubique prærequirunt poenitentiam, seu contritionem ante gratiæ infusionem, & peccati remissionem: ergo hæc non necessariò præcedit, sed sequitur contritionem. Tum; quia juxta Theologos melioris nominis per contritionem perfectam illa intelligitur, quæ ad gratiam habitualem per se disponit; sed omnis dispositio præcedit formam, ad quam disponit: ergo.

290 Dices 1. Si non præcederet gratia, homo se ad gratiam præpararet ex puris naturalibus, & sine gratiæ auxilio: nam illa contritio, ut gratiam præcedens, esset purè naturalis; sed sequela absurda est, & Pelagianismum sapit: ergo. Confirmatur ex Scriptura, & Patribus, docentibus, ut videri est in prima Conclusionè, aliisque in locis Disput. 1. adductis, peccata non dimitti nisi per charitatem: ergo charitas præcedit in nobis peccatorum remissionem, & causas talis remissionis: ergo præcedere debet contritionem. Distinguo major. Sine auxilio gratiæ habitualis, & sanctificantis, concedo: gratia

actualis excitantis, & adjuvantis, nego majorem, ejus imbibitam probationem, & nego etiam minorem. Pelagianis docebant, hominem propriis, & naturalibus viribus, & sine gratiæ adjutorio se posse disponere ad justificationem, quod Ecclesia damnavit dignissimè, docens, ad veram poenitentiam, ad gratiam justificantem disponentem, prærequiri gratiam excitantem, & adjuvantem supernaturalem, à qua provenit, quòd ille actus poenitentis sit supernaturalis, nec aliter potest esse dispositio ad gratiam sanctificantem. Ad Confirmationem dico, quòd dum Scriptura, & Patres docent, peccata non remitti nisi per charitatem, intelligi possunt de charitate habituali, quæ est ipsamet gratia sanctificans, ut Scotista docent, vel cum ea necessariò annexa; vel de charitate actuali. Possunt etiam intelligi de charitate actuali formali, quæ virtualiter sit contritio, aut de charitate virtuti, quæ est ipsa perfecta contritio, ut dictum est sæpé sæpius. Remittuntur itaque peccata per charitatem habitualement in genere causæ formalis; quia gratia sic ab anima peccatum expellit at verò à charitate actuali, vel virtuali, seu à contritione expellitur, tamquam à causa dispositiva. De hac igitur loquuntur Patres, & hæc disponit ad illam, nempe, ad charitatem habitualement, seu gratiam justificantem.

291 Dices 2. Juxta Scotum dist. 14. quæst. 2. contritio est actus gratiæ formatus: ergo gratia est causa contritionis: ergo necessariò illam præcedit. Prob. ant. *Idem motus, qui prius fuerat attritio, in illo instanti fit contritio; quia in illo instanti fit concomitans gratiæ*: ergo. Respondeo, antiquos Theologos, omnem poenitentiam, quæ infusionem gratiæ præcedit, attritionem vocasse; illam verò, quæ jam est cum gratiæ infusione, appellasse contritionem: quem loquendi modum aliquando sequitur Scotus. Unde quandoque con-

considerat contritionem, ut disponit ad gratiam, & sub hoc conceptu præcedit illam: quandoque, ut contritio est actus jam sanctus, & gratia formatus, & sub hoc conceptu est posterior; quia sic est veluti effectus contritionis sub primo conceptu. Quare ait: *actus, qui est contritio, præcedit natura deletionem in eodem instanti temporis.* Sequitur ergo de Scoti mente, quod contritio potest considerari, ut dispositio ad gratiam, & ut jam formata per ipsam. Sub prima consideratione, & sub qua solet ab ipso attritio vocari, gratiam saltem natura præcedit, veluti quæ ad illam disponit: sub secunda consideratione est posterior gratia, & tunc dicitur ab illo contritio: nam sic consideratur, ut complexum, ex actu poenitentiae, & gratia habituali compactum. Ex quibus distingui potest antecedens: contritio, quatenus dispositio ad peccati remissionem, & sub hoc conceptu, nego: quatenus ex vi illius gratia infunditur, & sic ab ipsa informatur, atque est actus gratia sanctificante jam informatus, concedo. Ex hoc verò modo loquendi antiquorum, nihil adversus nos sequitur. Vide num. 296.

292 Quæres II. *Quomodo contritio peccatum remittat, & causet gratiam?* Respondeo I. *quod ut causa moralis, seu ut moralis dispositio, ex divina ordinatione, & miseratione.* Probat: Tum, ex Subt. Doct. dist. 14. quæst. 2. & dist. 20. dicentem: *Iste motus dicitur attritio (ante acceptam gratiam, in sensu num. anteced. exposito) & est dispositio, siue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis.* Docet etiam: *Poenitentiam disponere ad gratiam per modum meriti de congruo;* ergo. Tum; *Poenitentia, in tantum peccatum delet, in quantum Deus decrevit illud condonare per infusionem gratiæ omni homini debitè poenitenti;* ergo solus Deus est causa physica deletionis peccati, & in-

fusionis gratiæ: ergo Poenitentia confert ad hoc per modum conditionis, & motivi, cujus intuitu Deus sic operatur ex suo pacto, & divina ordinatione. Antecedens constat ex Trident. quod justificationis causas assignans, dicit: *Causa efficiens est misericors Deus, qui intuitu abluat, & sanctificat... unicam formalis causa est justitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua justos nos facit, nempe, gratia: ergo remissio peccati non causatur physice à poenitentia, sed moraliter dispositivè, quatenus Deum movet ad parcendum, & ad gratiam largiendum ex sua ordinatione, & pacto.* Tum: causa dispositiva moralis est illa, quæ ex voluntate alterius disponit subjectum ad aliquid ab eo recipiendum; sed talis est contritio respectu remissionis peccati: nam ex Dei pacto peccatorem disponit ad veniam, & gratiam obtinendam ergo. Prob. min. ex illis Scripturæ locis: *Quoties ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Et, convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Et, poenitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Mitto plures alias rationes, quæ in materia de merito, & gratia, tamquam in proprio loco, producantur à Theologis Scotistis.

293 Respondeo II. *talem remissionem peccati, & gratiæ infusionem à contritione fieri per modum meriti, non de condigno, sed de congruo.* Ita Scotus ibidem cum suis Discipulis, & est satis communis. Probat: Tum, quia ut dicitur in materia de justificatione, principium meriti non cadit sub merito; sed prima gratia justificans est principium meriti: ergo non potest mereri de condigno. Tum; quia dicimur justificari gratis per gratiam ipsius Dei; sed ita non esset, si mereretur de condigno: nam quæ dantur ex merito condigno, non dantur gratis, sed ex aliqua justitia: ergo. Tum ex Tridentino Ses. 6. c. 8. docentem gra-

gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Hoc probat ex Apostolo ad Rom. 6. *Si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia:* ergo. Tum denique; quia meritum de condigno est opus factum in statu gratiæ; sed contritio præcedens justificationem non fit in statu gratiæ, sed peccati: ergo non est meritoria gratiæ de condigno. Secunda pars, nempe, remissionem peccati, & gratiæ infusionem mereri de congruo, ex eo patet, quod contritio disponit ad remissionem peccati, & infusionem gratiæ: nam ex Scriptura, & ex sæpè dictis, verè contritis promittitur venia peccatorum; sed id non facit, ut meritum de condigno: ergo de congruo: nam habet rationem alicujus meriti, seu dispositionis.

294 Dices: Tum, contritio habet omnes conditiones meriti condigni: ergo si est meritum, est de condigno. Prob. anteced. Nam est actus virtutis, & bonus ex objecto: est supernaturalis ex auxilio gratiæ: est ex charitate in Deum, ut summè dilectum; sed istæ sunt conditiones ad meritum de condigno: ergo. Tum: majus est meritum contritionis, quàm attritionis; sed attritio meretur justificationem de congruo: ergo contritio de condigno. Prob. major. Virtus perfectior majus meritum habet; sed contritio longè perfectior est attritione: ergo. Tum denique: meritum illud de congruo nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in Patribus habet fundamentum, quin potius contrarium docent, dicentes: nos omnino gratis justificari: ergo sine fundamento asseritur à nobis.

295 Respondeo ad I. negando antecedens, & concessa minori probationis, nego consequentiam: Nam illæ conditiones non sufficiunt ad tale meritum, sed requiritur alia valde præcipua, nempe, status gratiæ

Tom. I.

sanctificantis, qui status deficit ante peccati remissionem. Ad 2. disting. minor. meretur de congruo, remotè, & mediante Sacramento, concedo: immediatè, proximè, & se sola, nego minor. Itaque in eo differunt, quod contritio per se, & immediatè gratiam meretur: non tamen attritio, nisi mediante, & operante Sacramento. Ad 3. nego rotundè antecedens: Nam ex Scriptura, ex Conciliis, & Patribus, ex sæpè dictis, constat abundè, quod Deus à peccatoribus poenitentiam exigit, ut parcat eis. Unde S. Augustinus agnoscit aliquale meritum in bonis operibus peccatorum: nam Tractat. 44. in Joann. ait: *Publicanus oculos in terram dejiciens, & peccus suum percuriens... ista confessio meruit justificationem.* Et de Egulone dicit: *Si pauperis ulcerati misertus fuisset, mereretur et ipse misericordiam.*

296 Ex dictis colliges I. nos locutos esse de contritione, justificationem præcedente: nam illa, quæ hujus gratiæ sequitur infusionem; vel quia perseverat post talem infusionem; vel quia in statu gratiæ efformatur, & contritio formata dicitur, certissimè est meritoria de condigno augmenti gratiæ. Colliges 2. pro intelligentia, & concordia Theologorum modernorum cum antiquis, qui distinguebant attritionem à contritione, non penes motiva earum, ut moderni, sed penes illam formam; ita ut poenitentia, ante obtentam gratiam, erat attritio, & post gratiam acceptam, erat contritio: quod idem actus poenitentis sub diverso respectu, & diversis instantibus habet rationem causæ, & effectus gratiæ sanctificantis; atque ita pariter est de hac gratia respectu contritionis. Contritio itaque in primo instanti, & prout Deum movet ad remittendum peccatum, & dandam gratiam, qua illud deletur, habet rationem causæ, & meriti de congruo, & gratia tunc est quasi effectus, seu fructus illius: ex illo verò instanti, quo gratia est

Hhh

in.

Infusa, & contritio est informata, habet rationem effectus illius primæ gratiæ; atque ut sic formata, est ulterioris gratiæ de condigno meritoria.

297 Quæres III. Qualis debeat esse dolor de peccatis ad dignam, & validam receptionem Sacramenti Pœnitentiæ? Idem est, ac quære: An dolor debeat esse sigillatim, & de quolibet peccato in particulari: An sufficiat, quod sit generalis, & confusè de omnibus, ex motivo supernaturali, omnibus peccatis communi? Sed ante resolutionem notandum est 1. quod pœnitens per contritionem omnia prorsus peccata detestari debet; adeo ut, si in aliquo peccato complaceret, ejus dolor omnino foret inutilis: nam ut inquit S. Jacobus: *Qui peccat in uno, factus est omnium reus.* Notandum est 2. quod si tempus desit recogitandi singula peccata mortalia, ob periculum mortis, tunc, consentientibus omnibus Theologis, sufficit ad perfectam contritionem, quod detestetur pœnitens omnia peccata universim, & cognita confusè: Ut si hunc actum sine ullo prævio conscientię examine efformaret: pœnitet me Deum offendisse propter illius summam bonitatem, & habeo firmum propositum non peccandi de cætero. Quod in tali casu dolor iste sufficeret, constat: aliàs homo ille non haberet sufficiens medium ad salutem, nec verum esset, quod in quacumque hora peccator ingemuerit, Deus exaudiet, & vita vivet. Unde difficultas solum superest, dum adest tempus, & opportunitas Sacerdotis, cui confiteri possit.

298 Notandum 3. quod habere dolorem de singulis peccatis, seu sigillatim, duobus modis fieri potest: primò, ita ut cuilibet peccato secundum numerum, vel speciem correspondeat dolor singularis, & sic tot sint actus detestationis, quot peccata commissa occurrunt memoriæ: secundò, ita ut, præmisso examine

conscientiæ, atque peccatis omnibus in memoriam revocatis, unico actu doleat de eis, eaque detestetur generatim. His prænotatis, Alensis cum Recentioribus non paucis, affirmat, ad perfectam contritionem, sive extra Sacramentum Pœnitentiæ, sive in illius susceptione, necessarium esse, quod pœnitens de singulis peccatis doleat sigillatim. Sententia opposita docetur à Subt. Doct. dist. 15. q. 1. & est communis, nempe in nostra Schola, sed etiam extra illam. Cum quibus:

299 Dico: *Ad perfectam contritionem necessarium non est, quod peccator de singulis peccatis doleat sigillatim.* Unde sufficit dolor generalis, & in confuso omnium peccatorum, proveniens ex motivo supernaturali, movente ad detestationem omnium peccatorum simul, nempe, quatenus sunt offensæ graves Dei. Resolutio intelligitur de dolore, tam intra, quam extra Sacramentum. Probatum efficaciter: Tum; nihil asserendum est in re tanti momenti, qualis est æterna salus hominis, quin fundamentum habeat in Scriptura, aut in Conciliis, aut in SS. Patribus; sed ex illis non constat, nec aliqua Ipsorum ratione suaderi potest, necessarium esse ad perfectam contritionem, quod quis doleat de omnibus peccatis omnino in particulari, ut intendunt Adversarii: ergo. Prob. minor. Concilium Tridentinum assignans materiam Pœnitentiæ, docet, omnia peccata confiteri debere, tam in numero, quam in specie, atque ita in particulari; sed in nullo capite exigit, nec docet, dolorem de quolibet peccato in particulari debere esse: nec ex Scriptura colligi potest talis necessitas, quia potius ex ipsa constat, quod in quocumque instanti peccator convertitur se ad Deum, in illo instanti exaudietur, hancque doctrinam edocet Catechismus de Pœnitentiâ num. 26. nec denique suaderi potest ex PP. quia potius ex Cœlestino Papa

Epist.

Epist. 2. ad Episcopos Gallie cap. 2. constat oppositum: ergo. Tum; quia perfecta contritio potest fieri in instanti: non enim ad illam requiritur diuturnitas temporis; sed nemo potest recogitare singula peccata in instanti, nec de eis dolere: ergo. Tum; quia hoc Sacramentum frequenter exponeretur periculo nullitatis, tam in ignorantibus, quos difficile est instruere in dolore de quolibet peccato in particulari, quam in peccatoribus pessimis, qui plurima peccata, & etiam specie diversa, habent; sed hoc durissimum est: ergo neutiquam asserendum. Tum denique, quia magni peccatores brevissimo tempore possunt de peccatis suis dolere, & veniam assequi, ut constat exemplo boni Latronis cum Domino crucifixi; sed non possunt sic de tot peccatis recordare: ergo.

300 Arg. 1. Recordatio de singulis peccatis, tanquam necessaria ad obtinendam veniam, constat ex Scriptura: nam Psalm. 76. dicitur: *Meditatus sum nocte cum corde meo, exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Isaiæ 28. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: quæ, & similia loca Sacra Tridentinum allegat, dum de contritione pertractat Sess. 14. cap. 4. sed talis consideratio nihil aliud est, quam revocatio in memoriam singulorum peccatorum: ergo dolor de illis in particulari necessarius est ad contritionem. Confirmatur: Talis debet esse cognitio peccati ad dolendum de illo, qualis est necessaria ad illud confitendum; contritio enim justificat, in quantum includit confessionem in voto; sed ad confessionem necessaria est cognitio peccatorum in particulari: ergo pariter. Respondeo, negando majorem. Sacra enim Scriptura ad nostram imitationem proponit, quod saluberrimum est, & viri Sancti fecerunt ad majorem pœnitentiam, & peccatorum suorum satisfactionem. At verò non præcipit, id idem, &*

Tom. I.

eodem modo nos facere debere. Patet in nostro casu: Nam Tridentinum citans illos, & alios Sacros textus, ad docendum, necessarium esse dolorem de peccatis commissis, quia sufficiat solum propositum non peccandi; numquam præcipit dolorem cujuslibet peccati in particulari: quod quidem non omisisset, si necessarium foret, sicut non omisit cap. 5. confessionem omnium mortalium in particulari necessariam esse. Ex quo ad Confirmationem nego majorem, & paritatem; quia ad talem peccatorum confessionem adest expressum præceptum: non verò ita est de dolore in sensu prætenso.

301 Arg. 2. Semper debet sequi opinio securâ in pertinentibus ad Sacramentorum valorem, relicta probabiliori tantum; sed omnino securum est, quod dolor sit de quolibet peccato in particulari: nam potest esse falsa contraria opinio, & tunc Sacramentum esset nullum: ergo Confirmatur: Tum; quia pœnitens per contritionem exercet actum justitiæ, per quem Deo pro peccatis satisfacit: ergo tot debent esse contritionis actus, quot sunt peccata. Tum; quia contritio est medicina, qua anima sanari debet à peccatorum vulnere: ergo totuplex adhiberi debet, quot sunt vulnera peccati. Respondeo negando majorem, si intenditur in illa, nostram opinionem non esse securam. Est enim opposita opinio securior, sed insimul est scrupulosa valde, & non multæ probabilitatis: nostra verò est securâ, & probabilissima: nam præter suam probabilitatem, est juxta Theologorum sensum communem, & Ecclesiæ praxim. Unde Tridentinum exigens confessionem peccatorum in particulari in numero, & specie: in nullo tamen capite exprimit, dolorem ita fieri debere de quolibet peccato in particulari: quod utique, si ita necessarium esset, eodem modo manifestasset: aliter Deus

suæ Ecclesiæ in necessariis non pro-

Hhh 2

vi-

vidisset. Ad r. confirmationis partem nego conseq. quia potest peccator in se punire, & peccata omnia sua vindicare: modo quo reus plurium homicidiorum dicitur, sufficientem poenam luere, dum pro eis expiandis damnatur ad mortem. Ad 2. dico, ad curationem morbi opus non esse medicina multiplici, dum unica sufficientissima est per se ad curationem. Sic evenit in contritione, cujus unicus actus sufficit ad sanitatem animæ restituendam, & ad omnia peccata diluenda.

QUESTIO III.

Quid sit Attritio? Et per quid à Contritione distinguatur?

302 **N**on semper, neque eadem significatione, nomen attritionis usurpatum invenimus: ab illo namque, teste P. Berthi, omnes antiquiores Theologi abstinerunt, ignotumque fuit Hugoni, Ricardo & S. Victore, Magistro Sententiarum, ceterisque ab illa enumeratis: atque audiri coepit in Scholis circa annum 1230. Primi omnium nomen attritionis invenisse dicuntur Guillelmus Parisiensis, Albertus magnus, & Alexander de Ales. Contritionis verò vocabulum quovis tempore fuit usitatissimum, Sacrarumque litterarum, Patrum, & frequentissimè insertum testimoniis Theologorum. Certissimum autem est apud omnes, quòd nomen attritio significat contritionem imperfectam: seu illam peccati detestationem, & dolorem, qui concipiatur ex aliquo motivo, quod non sit ipse Deus, quatenus est propter se diligendus, & à quo avertit mortale peccatum. Duplex motivum illius doloris assignatur à Tridentino Sess. 14. cap. 4. ubi postquam contritionem in genere distinguit in perfectam, quam contritionem appellat, & in imperfectam, quam attritionem nominat, subjicit: *Attritio dicitur, quoniam vel ex tur-*

pitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu communiter concipitur &c.

303 Ubi, ut vides, duplex assignatur motivum generale hujus attritionis, & turpitudine peccati, & gehennæ, ac poenarum metus, ad quæ quæcumque alia motiva revocantur: nam desiderium beatitudinis, & metus illius amittendæ comprehenditur sub gehennæ, & poenarum timore: nomine enim gehennæ non solum intelligitur poena sensus, sed etiam poena damni, seu carentia fruitionis Dei, quam peccator in æternum incurreret, nisi poeniteret, & veniam peccati obtineret: nam idem est timere carentiam alicujus boni, ac illud desiderare: & vice versa, idem est optare possessionem alicujus boni, ac timere illius jacturam, & partitionem. Quare timor ille de objecto perdendo importat dilectionem illius objecti, & vicissim, dilectio objecti importat timorem. Ex quo ortum habuit illud dictum vulgare: *tantus est dolor in amittendo, quantus fuit amor in possidendo.* Pariter quæcumque alia malitia, propter quam peccatum detestamur, sub turpitudine peccati comprehenditur; qualis est horrenda difformitas animæ, per peccatum vitiatæ, nota infamiae incurrenda, nedum apud homines, sed etiam coram Deo, & Beatis.

304 Ex quibus concipies, attritionem, & contritionem invicem convenire. 1. in eo, quòd utraque sit dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, ut definienda contritionem in genere docetur à Tridentino Sess. 14. cap. 4. Conveniunt 2. in eo, quòd utraque sit dolor peccati propter Deum offensum: nam attritio, quatenus est medium ad veniam obtinendam in Sacramento Poenitentiae, debet esse dolor de peccato cum aliquo respectu ad Deum, quin sufficiat dolor, quò non habeat tale motivum. Ratio est, quia

quia homo per attritionem debet converti ad Deum, ut ab eo obtineat veniam peccati virtute Sacramenti Poenitentiae: atque adeo, si solus sit dolor de peccato propter motivum naturale, aut humanum, ille actus non esset conversio ad Deum; quia non procederet ex amore, vel timore Dei, & qui ita non movetur, nec satisfacit Deo, nec honorat Deum, nec præfert Deum creaturæ. Unde in omni vera conversione requiritur, quòd detur aversio à peccato, & conversio ad Deum, sicut in peccato fuit aversio à Deo, & conversio ad creaturam. Quare, sicut conversio ad creaturam fuit propter aliquam perfectionem, aut bonitatem cognitam, aut apprehensam in creatura; ita conversio ad Deum debet esse propter aliquam ipsius perfectionem, ut propter potentiam puniendi, quam timemus, vel propter bonitatem, quam amamus, vel propter superioritatem, cui obedimus &c. Si ergo non movet aliqua Dei perfectio ad dolorem, non est poenitentia, quam Deus exigit, & qua homo in Deo cognoscat aliquid, ratione cujus Deus præferri debeat creaturæ. Conveniunt 3. quòd utraque, licet aliter, & aliter, habet annexam dilectionem Dei, tamquam summi boni, saltem virtualiter: nam qui reverà dolet, se peccasse, propter Deum offensum, necessariò habet amorem, saltem virtuales, ipsius Dei: in tantum enim dolet, se Deum offendisse, in quantum aliquomodo diligit, ut constat ex num. antec.

305 Sed quis non pauci, nec semel, finem hujus doloris confundunt cum motivo illius, maxime per se est notandum, commune esse contritioni, & attritioni, quòd utraque debeat respicere Deum, tamquam finem offensum: nam si dum se de peccatis dolet, non respiciat Deum offensum, tamquam finem doloris, sed vel infernam fugere, aut gloriam consequi: adeo ut, si nec in-

feras, nec gloria, nec gratiæ privatio esset, de peccatis non dolet: tunc usque dolor ille non esset vera attritio, nec actus bonus. Ratio est; quia in tali casu ille dolor non esset conversio peccatoris ad Deum, nec detestativus peccati, in quantum est offensa Dei; sed quatenus propter peccatum privatur bono gratiæ, aut gloriæ, aut quatenus mereatur poenam æternam. Quare talis actus magis esset conversio peccatoris ad suam utilitatem, seu ad se, quam conversio ad Deum. Ex quibus attritio sic potest defini: "Est, animi dolor, & detestatio de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero; Et cum spe, ac petitione veniæ ex motivo supernaturali, conceptus, vel ex metu gehennæ, vel ex turpitudine peccati, cum aliqua Dei dilectione, ad virtutem spei spectante." Explicatur hæc descriptio: Dicitur animi dolor, ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero; in quibus convenit cum perfecta contritione, quæ eosdem habet characteres. Dicitur cum spe, ac petitione veniæ: nam qui attrititur, ut debet, veniam à Deo obtinendam sperat, & illam exorat. Dicitur ex motivo supernaturali: nam qui dolet de peccatis ob motivum purè naturale, non haberet sufficientem dispositionem ad obtinendam veniam, & gratiam sanctificantem. Cætera adduntur, ut attritio distinguatur à contritione perfecta, quæ quidem pariter habet spem veniæ consequendæ, & concipitur ex motivo supernaturali: At verò ex tali motivo dumtaxat concipitur ex affectu charitatis, & dilectionis Dei propter se. Et hæc de prima questionis parte.

306 Ad secundam questionis partem deveniendo, constans est doctrina Theologorum, quòd attritio, & contritio, quæ in pluribus ex supra dictis conveniunt, in pluribus etiam distinguuntur. Differunt 1. quantum ad

ad virtutem, & effectum; quia contritio, ut inquit Tridentinum, quando est perfecta, hominem Deo reconciliat, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur: quod quidem non habet attritio, ut docet ipsa Concilium. Differunt 2. *ratione principii*; quia contritio elicitur à virtute pœnitentiæ, quatenus habet charitatem, aut dilectionem Dei, annexam, vel imperatur ab ea: at verò attritio provenit à virtute pœnitentiæ, prout habet annexam virtutem spei. Dolet ergo pœnitens de peccato ex timore beatitudinis amittendæ, aut ex metu gehennæ incurrendæ: quod quidem spectat ad virtutem spei, quæ cum habeat Deum, ut nobis bonum, & à nobis possidendum, pro objecto, tendit etiam in id, quod ab hac possessione remouet, qualis est turpitudine peccati, & periculum pœnæ æternæ incurrendæ. Differunt 3. *ratione motivi*; quia motiui contritionis perfectæ est summum bonum, super omnia diligendum: idèdque elici debet ex puro Dei amore, & ex affectu charitatis. Attritio verò elicitur ex dilectione Dei super omnia amandi, non propter se, sed propter nos: seu non quatenus est sibi ipsi bonus, sed quatenus est bonum nostrum, in cuius possessione consistit nostra æterna felicitas, & in amissione summa nostra miseria. Ex quo provenit, quod contritio oriatur ex amore amicitiae, qua Deus diligitur propter se: attritio verò ex amore concupiscentiæ, qua Deus diligitur ut bonum nostrum, seu propter nos.

307 Ex quibus apparet, quod isti duo actus, scilicet, contritio, & attritio christiana in eo convenientes, quod uterque est dolor, & detestatio de peccato commisso: Uterque includit, vel habet annexum propositum non peccandi amplius: Uterque est secundum Deum, hoc est, cum aliquo respectu ad Deum, ut finem, vel objectum: Uterque convertit ad Deum, quamvis sub diverso respec-

tu, & motivo, ut manet dictum superioribus: Uterque est supernaturalis: & uterque tendit ad remissionem peccati obtinendam per Sacramenti receptionem in re, vel in voto. Hoc, inquam, sic stante, differunt etiam in multis, & 1. *Ex principiis* suis: nam contritio procedit à virtute pœnitentiæ, & simul ex charitate elicitivè, aut imperativè: attritio verò ex pœnitentiæ, & spe veniæ, & timore pœnæ, vel odio, vel horrore infamiæ ob turpitudinem peccati. 2. *Ex effectibus*: nam contritio proximè disponit ad gratiam, etiam extra Sacramentum, actu susceptum: attritio verò non disponit proximè nisi in Sacramento. 3. *Ex motivis*: nam contritio movetur ex summo amore charitatis in Deum: Attritio verò ex amore concupiscentiæ, scilicet, ne pœnitens gloria privetur, & pœniæ inferni puniatur. Ex his igitur tot differentiis, disputant Theologi, in quibus vel in quibus stet essentialis differentia contritionis, & attritionis: Et supponitur à ferè omnibus illis, unam ab alia differri essentialiter. Ratio est, quia illi actus essentialiter differunt, qui habent motiva formalia essentialiter diversa: Nam juxta omnes, actus specificantur à motivis; sed attritio, & contritio habent motiva formalia essentialiter diversa: nam attritio concipitur ex motivo turpitudinis peccati, vel timoris pœnæ, & contritio ex motivo amoris Dei propter se; & super omnia, quæ quidem motiva sunt essentialiter diversa: ergo.

308 Si dicas: Si differrent essentialiter, numquam attritio posset fieri contritio; sed hoc est falsum, & contra plures Theologos, asserentes, attritionem posse fieri contritionem formaliter, & quod plus est, ita videtur docere Tridentinum, ex quo deductum est illud axioma Theologorum: *Sacramentum Pœnitentiæ de attritio facit contritum*: ergo non differunt essentialiter, sed conotativè, & accidentaliter. Minor, omisso

Ca.

Cajetano, & aliis ita sentientibus, suadetur ex Subt. Doct. dist. 14. dicente: *Si manet idem motus... qui prius fuit attritio, in illo instanti fit contritio*: ergo attritio, & contritio non videntur differri intrinsecè, & essentialiter. Respondet, plures Antiquos sic existimasse: in his verò temporibus omnes aliter loquuntur. Quod autem attinet ad Subt. Doct. dico, non fuisse de mente illius, attritionem, quoad essentialiam suam, & rationem specificam, fieri contritionem: Etenim hoc fieri non potest sine sui essentiali mutatione: sed tantum quoad effectum, & æquivalenter, quatenus per adventum gratiæ in Sacramento, attritio gratia informatur, & quantum ad hoc fit contritio. Hunc esse Scoti sensum constat ex dist. 16. quæst. 1. ubi dicit: *Absolutio non est utilis, nisi præcedat in confitente contritio, vel attritio... in confitente necessaria est contritio, vel attritio*: ergo Scotus satis indicat adesse aliquam intrinsecam differentiam inter illas, & quod ante Sacramentum, & gratiæ infusionem jam differant. Ad axioma Theologicum dico, attritionem non fieri contritionem formaliter in Sacramento, sed virtualiter, seu æquivalenter; eò quod æquivalet contritioni, quoad hominis justificationem in Sacramento: Unde sensus est, quod Sacramentum Pœnitentiæ de attritio facit contritum; quia juncta Sacramento, æquivalet contritioni.

309 Constat igitur, & satis aperte, quod essentialis differentia contritionis, & attritionis non petitur ex majori, vel minori intensione, vel duratione, ut dixerunt aliqui: nam contritio, ut sit perfecta, non requirit diuturnitatem, nec intensiorem gradualem: Sufficit quidem quilibet dolor, & instantaneus, etiam in gradu remisso, elicitus ex supernaturali charitatis motivo, ut sit vera contritio. Vide supra quæst. 2. Conc. 2. num. 281. Præterea: detes-

tatio peccati ex timore pœnæ potest esse longè diuturnior, & major, & numquam ex hoc fiet contritio. Et patet hoc: quia objectum attritionis efficacius movere potest voluntatem, quam objectum contritionis: nam homines efficacius moveri solent timore pœnæ, quam amore justitiæ. Nec ex naturalitate, & supernaturalitate, ut dixerunt alii: non enim potest attritio ad gratiam in Sacramento recipiendam disponere, quin sit supernaturalis, proveniens ex fide, spe, & auxilio gratiæ actualis. Utraque ergo debet esse supernaturalis, ut contra Pelagianos dictum manet. Nec ex defectu propositi non peccandi: constat utique, attritionem, ut talis sit, tale propositum necessariò, non minus, quam contritio, includere debere. Nec denique ex gratia informante: nam quod contritio perfecta extra Sacramentum causet gratiam, & attritio non causet, oritur ex divina voluntate, quæ propter illius excellentiam, & actus nobilitatem decrevit justificare habentem contritionem, & noluit ita se gerere cum habente solam attritionem, nisi simul cum Sacramento Pœnitentiæ. Sequitur igitur, quod non negamus, aliquomodo his capitibus differre; solum negamus, talem differentiam esse primariam, & essentialem, & concedimus, esse secundariam, & accidentalem.

310 Dicendum itaque restat, quod essentialis differentia contritionis ab attritione non ex alio capite petitur, quam ex parte motivorum illarum. Motivum enim contritionis est amor Dei super omnia, & propter se: attritionis verò timor pœnarum, vel turpitudinis peccati, cum respicientia ad Deum offensum, seu amor Dei propter nos. Unde nec differentia unius ab alia considerari debet ex defectu omnis amoris Dei in attritione, cum etiam in illa sit, aut includatur aliquis amor Dei, proveniens à virtute spei. Hic amor vocari solet *imperfectus, & initialis*. Et dici-

ci.

aitur imperfectus, non absolute, & in se, nam cum sit actus virtutis poenitentiae, in se est actus bonus, & virtuosus, sed respectivè, & comparativè ad contritionem, eo quod motivum istius perfectius est motivo illius. Dicitur initialis; quia ab ipso amore spei, & timore poenae aeternae promovetur, & provocamur ad amorem charitatis. Unde iste timor, & amor ex affectu spei conceptus, est veluti semen, primordium, & initium salutis, quando concipitur ex impulsu Spiritus Sancti. Quare inquit Tridentinum: Timor, & amor ille, donum Dei est, & Spiritus Sancti impulsus, non adhuc inhabitans, sed tantum movens, quo poenitens ad justitiam parat. Hec valde notentur pro dicendis in duabus quest. sequent.

QUAESTIO IV.

An attritio ex metu gehennae, aut peccati turpitudine, sit actus honestus, bonus, & utilis?

311 **H**æretici Lutherani tempore Concilii Tridentini autumabant, contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, non preparare ad gratiam, nec remittere peccata: sed potius facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, eamque contritionem dolorem esse coactum, & non liberum. Hic Hæreticorum error eisdem terminis propositus fuit Tridentinis Patribus. Hæretici, igitur, praesertim Lutherani, affirmabant, quod quidquid sine charitate agitur, peccatum est: quod charitas imperfecta, & conjuncta timori, impedimentum est ad introitum Regni Coelestis: quod ipsa charitas vitio timoris contaminatur: quod nulla contritio est bona, nisi concipiatur solo amore, qui omnem expellat timorem: Et si quis vellet sibi contritionem parare, re-

colitando annos in amaritudine animae suae, & ponderando peccatorum suorum multitudinem, ac foeditatem, necnon aeternae beatitudinis amissionem, & incursum aeternae damnationis, ille foret hypocrita, non poenitens. Adversus hæresim hanc Lutheranam omnes Catholici Doctores firmissimè propugnant, asserentes, timorem, qui charitatem prevenit, rectum, & saluberrimum esse: ab illo haberi initium poenitentiae: charitatem imperfectam, quae ipsum timorem non excludit, nullam ab illo maculam contrahere: contritionem in nobis parandam esse consideratione peccati, ponderatione iudicii, & poenarum discussione. Quae omnia sequente Conclusionem fiunt manifesta.

312 Sit Catholica Conclusio: Attritio ex metu gehennae, aut turpitudinis peccati, est actus bonus, & laudabilis, atque ad salutem utilis. Conclusio hæc est de fide, ac definita contra præfatos Hæreticos in Tridentino Sess. 6. Can. 8. his verbis: Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccatis abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit. Postea, definiendo dolorem conceptum ex metu gehennae, & poenarum, dicit Sess. 14. cap. 4. Si voluntatem peccandi excludat, cum spe ventis, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitans, sed tantum movens, quo poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. In quibus, ut vides, expressè proscribitur Lutheranicorum hæresis. Deinde:

313 Probatum conclusio ex Scriptura, pluribus servilem timorem commendante, Prover. 1. Timor Domini principium sapientiae. Quod oraculum explicant Sancti Patres de timore servili; quia hic est, qui sapientiam inchoat; non de filiali, qui

qui illam consummat, & perficit. Eccles. 1. Timor Domini expellit peccatum, videlicet, incharitativè, & dispositivè; quia ad expulsionem peccati, & ad justificationem disponit. Isaia. 26. Conceptimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis. Ubi Septuaginta legunt: A timore tuo Domine, conceptimus, & peperimus spiritum salutis, & poenitentiam salutaris. Hanc eandem veritatem unanimi consensu docent SS. Patres. August. Tract. 8. in Epist. 1. Joann. ait: Capiti aliquis credere diem iudicii: Si capiti credere, capiti & timere: timens non corrigit se, vigilat adversus hostes suos, id est peccata sua: inopit revolvit interioris &c. Et Tract. 9. inquit: Opus est, ut intret timor primo, per quem veniat charitas. Timor medicamentum est, charitas sanitas. Et in Psal. 127. expressè docet, hunc timorem servilem bonum, & utilem esse, dicens: Sed timet, ne mittatur in gehennam: & iste timor bonus est, utilis est. Et quidem, nisi bonus, & utilis esset, Christus non hortaretur ad illum, ut hortatur, dicens, Matth. 10. Timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam. Nec etiam SS. Patres tantopere laudarent timorem illum, sicut extollunt. Ambros. illum appellat Clavum animae fluctuantis. Clemens Alexandr. Fidei coadjutorem. Gregor. Magnus: Anchoram mentis, pondus timoris. Et sic de aliis omnibus Patribus.

314 Probatum etiam ratione Theologica: In attritione ex metu gehennae tria reperuntur, scilicet, intentio finis, hoc est, voluntas fugiendi, ac vitandi poenam: medium, quod est peccati detestatio: Et ordinatio hujus medi ad illum finem; sed quodlibet istorum bonum est, & honestum: ergo & attritio ex metu gehennae concepta honesta est, & bona. Major videtur indubia. Prob. minor. per suas partes. Et in primis, quod voluntas fugiendi poenam

sit bona, manifestè constat, cum poena illa inferni, quam fugere intendit, sit mala, & odio digna. Etiam per se constat, quod detestatio peccati sit bona. Denique, quod etiam sit bona ejus ordinatio ad vitandam poenam, constat ex eo, quod nullum est medium aptius ad poenam vitandam, quam vitare culpam. Si dicas, quod culpa est malum altioris ordinis, quam poena: atque adeo non rectè potest ordinari ad illam vitandam, falsa est sequela. Quamvis enim culpa sit malum altioris ordinis, quam poena, dummodo peccati detestatio ad fugam poenae præcisè ordinetur, tamquam ad finem proximum, quoniam peccator excludat ulteriorem ejus relationem ad Deum, non est mala, sed bona, talis ordinatio. Patet: nam ipse Deus ordinat interdum bonum excellentioris ordinis ad bonum ordinis inferioris, quando utrumque in suam gloriam cedit. Sic Christi Incarnationem, & Passionem ordinavit, tamquam ad finem proximum, ad nostram salutem, juxta illud Symboli: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de Caelis, & incarnatus est. Misas facimus alias non paucas rationes, honestatem attritionis suadentes.

315 Arg. 1. cum Lutheranis: Non est bonus, nec honestus, sed inhonestus, & malus, timor ille, qui peccandi voluntatem non excludit, sed dolor ex gehennae metu conceptus non excludit voluntatem peccandi: ergo. Prob. min. Ille dolor non excludit voluntatem peccandi, qui implicite, & virtualiter illam retinet; sed dolor ille de peccatis ex gehennae metu virtualiter retinet voluntatem, & affectum peccandi: ergo. Minor docetur à S. Augustino Serm. 15. in Psal. num. 118. Et patet; quia talis dolor includit hunc affectum: peccata non detestarer, si nulla poena imposita esset eis. Hic autem dolor malus, ac vituperabilis

lis est. Confirmatur: Si timor servilis sit bonus, etiam bonus erit mundanus timor; sed hic non est bonus, quinimo facit homines malos: ergo cum talis timor sit servilis, non potest esse bonus. Urgetur, quod ex metu fit, non potest fieri ex charitate, nec cum illa est compatibile: ait enim Joannes Epist. 1. cap. 2. *Timor non est in charitate; hęc foras mittit timorem; sed quod opponitur charitati, seu est incompatibile cum illa, non est bonum: ergo nec poenitentia ex illo timore elicitur.*

316 Pro intelligentia solutionis, huic argumento prestande, & aliis pluribus, tam in hac, quam in sequenti difficultate, recolendum est, timorem sumi pro passione orta ex apprehensione mali imminentis, & vitatu difficilis: vel pro actu odii, vel fuge talis mali: vel etiam pro habitu ad tales actus inclinante. Hinc Theologi timorem dividunt in *filialem*, *servilem*, & *mundanum*, seu *carnelem*. Timor *filialis* dicitur ille, quo quis abstinere a peccato, ut est offensa Dei summe boni, amabilis, & amati. Talis est, quem non poenarum timor, nec premiorum cupiditas, sed amoris generat magnitudo, quo filius indulgentissimum Patrem timet offendere. *Servilis* est, quo quis abstinere, vel detestatur peccatum propter poenas inferni, quibus puniretur. Et dicitur *servilis*; quia servi communiter abstinere a malo, & Dominis servius, propter poenas, quas timent. Timor *mundanus* ille est, quo quis abstinere a peccato propter res, seu poenas temporales, ut propter infamiam, aut supplicia temporalia, propter privationem honorum, & honorum, quibus inter homines punitur. Rursus, timor *servilis*, alius dicitur *nude servilis*, & sine servilitate, & est ille, quo sincerè detestatur, & odit peccatum, ac vitatur in se, ex consideratione damnationis, qua punitur a Deo, per illud offenso. Alius

serviliter servilis, & est ille, qui sic pendet a servilitate, ut non faciat detestari, & odire peccatum, sed poenas illius: Ita ut, peccatum placeret, & homo vellet peccare, nisi poena immineret. Hunc timorem vocat D. August. *mundanum*, & *serviliter servilem*, quem nemo approbat, & de quo ait: *Vixit in eo peccandi voluntas, que tunc apparuit in opere, quando speratur impunitas*. Solent etiam Theologi aliam speciem timoris assignare, qui dicitur *initialis*, & dicitur sic: quia respicit non solas poenas peccati, sed etiam eius injustitiam, & facit, ut homo peccatum detestetur, tam propter offensam Dei, quam propter poenas, quibus a Deo punitur. Unde dicitur *initialis*; quia ex parte venit ex quodam initio dilectionis Dei, quem hic incipimus amare. Habetque aliquid de *servili*, quia respicit poenas, & aliquid de *filiali*, quia respicit injustitiam peccati erga Deum, quem offendit. Ex quo habetur, quod propter utramque illam rationem a peccato abstinemus, & de præteritis dolemus. His prænotatis.

317 Respondeo negando min. & min. probat. Ad hujus probat. dico, Augustinum loqui de timore *mundano*, & *serviliter servili*, de quo numero antecedenti. Talis enim dolor, nec est supernaturalis, nec ex impulsu Spiritus Sancti procedit, nec disponere potest ad justificationem. De timore autem supernaturali, de quo loquimur, jam diximus cum Augustino, bonum esse, & honestum, & quod plus est cum Tridentino, anathematizante dicentes, *hunc non esse donum Dei, impulsu Spiritus Sancti: non esse verum, & utilem dolorem, nec preparare ad gratiam* &c. Excludere ergo debet iste timor ex gehennæ metu conceptus voluntatem peccandi omnino: aliter ut pluries diximus, non esset poenitentia, nec attritio, de qua loquitur Tridentinum, & nos cam id

30. Unde Alexander VIII. hanc damnavit propositionem: *Attritio, que gehennæ, & poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis*. Et Augustinus Serm. 24. de temp. dicit: *Cum timetur poena, quam minatur, dicitur amari præmium, quod polletur, & sic per timorem poenæ bona vita retinetur*. Quid igitur utilius, quam timor, quo habitus peccati deperditur, & bonæ vitæ, seu habitus justitiæ contrahitur? Ex quibus ad Confirmationem negatur major, cujus falsitas ex dictis fit manifesta. Ad Confirmationem distinguo major. Quod fit ex metu, seu timore mundano, carnali, & serviliter servili, concedo: ex simplici poenarum timore supernaturali, nego majorem, & consequentiam. Hic enim timor non opponitur charitati, sed potius ad illam disponit, & cum illa conjungitur pluries, ut dum quis in gratia existens actum hujus doloris efformaret. Unde cedit quidem charitati: non verò ex contrarietate, aut oppositione, sed sicut imperfectum cedit perfecto, seu perfectiori, qualis est charitas.

318 Arg. 2. Qui odit peccatum propter poenas, plus timet malum poenæ, quam malum culpæ; sed talis dolor est malus, & vituperabilis, utpote contra rationem naturalem, dictantem, magis dolendum esse de malo majori, quam de minori. Ergo illa attritio perversa esset. Nunc sic: Sed qui solum ex metu gehennæ dolet de peccatis suis, magis dolet de poena, quam de culpa: nam dolet de culpa propter poenas, & ex vulgari axiomate: *propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ergo. Confirmatur 1. Si non esset poena, talis homo vellet peccare: ergo attritio non odit peccatum, sed solam poenam: ergo talis attritio est mala. Probat. antecedens ex D. August. dicente, *quod si fur fururi de-*

sinat, ex eo solum quod videatur fururi, & puniatur, furus est conscius: ergo a simili, qui desinit peccare ex solo gehennæ metu, peccati est conscius, & consequenter talis homo vellet peccare, seu peccatum. Confirmatur 2. Talis attritio de se non detestatur omnia peccata; quia cum magis odiat poenas, quam peccata, sic homo dispositus est peccare, ut peccare vellet, vel a peccatis non recederet, si posset vitare poenas: igitur talis attritio est viciosa.

319 Respondeo negando major. & minor. probationis, & distinguo probat. imbibitam: Dolet de culpa propter poenam, ut motivum immediatum, concedo: ut finem principalem, & ultimum, nego. In hoc enim sensu axioma non valet, sicut nec valet in aliis pluribus, & præsertim in moralibus: alias non liceret Deum orare pro sanitate corporali, aut aliis temporalibus bonis; quia hæc censerentur spiritualibus, & supernaturalibus, quales sunt actus religionis &c. præferri. Finis itaque ultimus, & principalis per hæc attritionem intentus, est Deus per poenitentiam placandus, ne puniat nos. Si dicas, quod sic attritus non cogitat de alio fine, præter effugium poenarum: ergo hoc est finis ejus principatis, & ultimus. Respondeo: Non cogitat actu, formaliter, & explicitè, transeat: virtualiter, implicitè, & quasi habitu, nego. Quomodo enim speraret per illum dolorem vitare poenas, nisi speraret, placare Deum, & ei reconciliari, atque ita vitare damnationem? Ad Confirmationem distinguo antecedens: Si sit timor serviliter servilis, & cum intentione peccandi, concedo: si sine tali servilitate, neque intentione, sed nudè propter poenas, modo jam dicto, nego antecedens. Nec valet Augustini exemplum; quia supponit, quod talis fur habeat intentionem furandi, & quod solum retineatur ex metu, & timore externæ

executionis poenae. Qui autem detestatur peccatum propter poenas inferni, non amplius retinet voluntatem peccandi; quia motivum illud ad omnia peccata se extendit, omni peccato adversatur, si non formaliter, saltem virtualiter, atque ita est dolor de omnibus peccatis. Attritus enim ex fide novit, se non posse Deum latere, nec poenas vitare: nam scit, Deum respicere tam ad cor, quam ad manum hominis, & punire, tam furta, quam voluntatem furandi. Per hanc doctrinam negatur utrumque antecedens secundae Confirmationis. Imò illa dispositio implicat in terminis, nisi homo omnia peccata detestetur: Si enim respicit damnationem necessariò connexam cum peccato, quomodo illam vitare poterit, quin omne detestetur peccatum? Omnia hæc majorem accipient lucem ex dicendis quæst. seq.

QUÆSTIO V.

An attritio ex metu gehennæ, aut ex peccati turpitudine concepta, sit sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ?

320 **C**elebris valde, atque famosa est his temporibus controversia præsens, nempe, qualis debeat esse illa attritio, quæ ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponit. Nec in præsentî disputamus adversus veteres Theologos, qui universaliter dixerunt, dispositionem necessariam, ad Sacramenta mortuorum recipienda fructuosè, debere esse perfectam contritionem. Nec audiendi sunt alii Doctores, qui dixerunt, ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri ad minus attritionem, existimatam contritionem. Ista enim opiniones satis infregimus Tract. de Sacram. in Gen. Disput. 3. quæst. 1. in fine num. 208. & extensius Tract. de Bapt. dum de

dispositione in adulto necessaria ad debitam Baptismi receptionem, sermonem instituimus. Solum igitur controversia præsens viget plausibiliter, & præsertim post Sacrosanctum Concilium Tridentinum, inter Theologos modernos, quamvis Gonetus asserat, quod post Tridentinum Theologi unanimi ferè consensu docent, attritionem ex metu gehennæ ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere. Non enim ita est: nam sunt plurimi Theologi, quos Pater Berti Tom. 4. de Theologicis disciplinis citat, & quos ipse insequitur: & etiam sunt aliqui, qui ipsi Concilio interfuerunt, & qui à Benedicto XIV. in sua Synodo Diocesana, Lib. 7. cap. 13. fol. 318. commemorantur, qui omnes unanimiter propugnant necessitatem initialis ad Sacramentum Pœnitentiæ. Alii verò ex ipsis Theologis, qui adfuerunt cum Patribus Concilii, ut Vega, Melchor Canus, dimicantur pro sufficientia attritionis merè servilis, seu sine tali amore initiali. His secutus fuit noster Frassen, extreme defendens, attritionem ex solo metu poenarum, atque ex amore concupiscentiæ, seu spei affectu conceptam, dummodo sit supernaturalis, excludatque omnem voluntatem peccandi, esse sufficientem dispositionem ad fructuosè recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ; quin illè amor initialis, à contraria parte prætextus, ad Sacramenti gratiam sit necessarius.

321 Hanc opinionem, quæ utique est communior, plures non solum absque ulla dubitatione asseruerunt, sed contrariam, requirentem in poenitente aliquem charitatis amorem, saltem initialem, afficere censura non dubitarunt, eam dictantes improbabilem, periculosam, mentî Tridentinæ contrariam, atque virtualiter, & implicite ab eodem Concilio præscriptam. Verum cavendum est omni no ab ullis censuris inter partes

tes adversas, ut præcipit jure, & merito Alexander VII. prohibens anno 1667. sub poenæ excommunicationis latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ reservatæ, cunctis, & singulis fidelibus, ut si deinceps de materia attritionis scribant, prædicent, disputent, aut edoceant; ne audeant aliquis censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem alicujus dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, [quæ excludat voluntatem peccandi] quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dicte dilectionis necessitatem; donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hoc in re definitum. Super quod Apostolicum decretum, ait Benedictus XIV. in sua Synodo sic: *Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis, aut in instructione Sacerdotum, aliquid decernant, aut de attritionis merè servilis ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientia, aut de ambris saltem initialis necessitate. Adhuc quippe sub Judice Iis est: Adhuc impune pro una, & altera sententia, dimicatur. Obediendi igitur libentissimè Apostolico decreto, cum versetur in quæstione ab Ecclesia non definita hætenus, solum annotare monemur, opinionem, quam immediate insequemur, communiorem vocari à Pontifice hodie inter Scholasticos. Cum his*

322 Sit Conclusio: *Attritio ex timore poenæ, à Deo infligendæ, vel ex turpitudinis peccati consideratione concepta, est dispositio sufficiens ad gratiam consequendam in Sacramento Pœnitentiæ. Est idem ac dicere, quod talis timor conceptus ex amore concupiscentiæ, seu affectu spei, sine ullo motivo amoris Dei, explicito, & formali veræ charitatis, sufficit in Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem. Conclusio videtur satis expressa in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. de Pœnit. ubi duplicem distinguens contritionem, unam per-*

fectam, quæ procedit ex charitate, & aliam imperfectam, quæ dicitur attritio, efficaciam, & virtutem utriusque explicat in hunc modum: "Doret præterea [Sancta Synodus] et si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, prius quam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsu, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Quibus in verbis Concilium expressè assignat duplex discrimen inter attritionem, & contritionem. Unum, quod attritio tendat in peccatum ex motivo minus nobili, quam contritio, nempe, ex turpitudine peccati, aut metu gehennæ: non verò ex consideratione Dei summè dilecti. Alterum, quod contritio charitate perfecta sufficiat per se extra Sacramentum ad obtinendam remissionem peccati, dummodo annexum habeat votum illud suscipiendi. At verò attritio disponit quidem ad illam remissionem impetrandam per Sacramentum; non tamen sufficit ad peccati remissionem sine Sacramento re ipsa suscepto. Igitur ex Concilii mente, non requiritur talis amor initialis, & cog-

sequenter attritio prædicta sufficit.

323 Respondent primò Adversarii, Concilium non loqui ibi de dispositione ultima, & sufficiente cum Sacramento ad justificationem, sed tantùm de dispositione remota, & omnino adhuc cum Sacramento insufficiente. Sed quis non videt, hoc esse oculos claudere meridiana luce? Contra primò: Concilium aperte docet ibi, attritionem ex gehennæ metu, dummodò voluntatem excludat peccandi, disponere ad justificationis gratiam in hoc Sacramento obtinendam, eodemmet modo, quo contritio disponit ad eam, priusquam Sacramentum in re suscipiatur; sed contritio proximè, ultimò, & sufficienter disponit ad gratiam justificationis obtinendam extra Sacramentum, & reconciliat Deo, antequam Sacerdotis absolutio suscipiatur: ergo, juxta Concilii mentem, attritio in Sacramento simili modo disponit ad justificationem, nempe, ultimò, proximè, & sufficienter. Contra 2. Juxta Tridentinum, attritio aliter disponit ad justificationem in Sacramento, & aliter extra Sacramentum; sed extra Sacramentum insufficienter tantùm, & remotè disponit ad justificationem, ut quando aliquis ab illa ascendit ad perfectam contritionem: nam ut supra cum Augustino diximus: *Timor præparat charitati*: ergo ex mente Tridentini in Sacramento proximè, & sufficienter disponit.

324 Contra 3. Dum Concilium dicit, attritionem disponere ad justificationem in Sacramento, si de dispositione proxima, & sufficienti ad justificationem, non loqueretur, quidquid hac in re docet, videretur ludus verborum: Nam juxta ipsum, etiam independentè à Sacramento, & extra illud, talis attritio est actus utilis, & bonus, & remotè, non proximè disponit ad gratiam; nam inquit: *Quamvis sine Sacramento ad justificationem perducere per se nequeat; tamen viam*

ad justitiam parat, scilicet, remotè, & insufficienter, donec Sacramentum accedat: ergo dum addit, quòd *disponit* in Sacramento, aperte loquitur de dispositione proxima, & sufficienti, quam non habet ante Sacramentum; aliàs, non plus faceret in Sacramento, & cum illo, quàm si se sola, & sine Sacramento. Ad quid ergo Patres Concilii assignant differentiam attritionis extra, et intra Sacramentum Pœnitentiæ consideratæ? Certe frustranea foret. Denique: Concilium ibi maximè damnat errorem Lutheri, dicentis: non solùm metum gehennæ, per quem ad misericordiam Dei confugimus, dolendo de peccatis, peccatum esse, ac peccatores peiores facere, sed etiam, & insimul docentis, eum esse omnino insufficientem præparationem ad percipiendam absolutionem, & Communionem: ergo Concilium ut erroneum declarat utrumque.

325 Per hanc doctrinam refutatur alia Adversariorum responsio, dicentium, quòd dum Concilium scribit, attritionem disponere in Sacramento ad gratiam Dei impetrandam, solùm damnat Hæreticos, negantes, dolorem attritionis esse utilem, & dicentes, hominem facere hypocritam, & magis peccatorem: Non autem velle dirimere controversiam Theologorum Scholasticorum circa sufficientiam attritionis cum Sacramento Pœnitentiæ. Absit utique, quòd dicamus, Concilium hanc controversiam inter Catholicos dirimisse, ne ullo modo contraveniamus decreto Alexandri VII. supra num. 321. adducti. Sed dicimus, Concilium valde nostræ opinioni suffragare. Et patet: nam Concilium nedum ostendit, dolorem attritionis bonum esse, & utilem, nec facere hominem magis peccatorem, sed etiam significat discretè, ac distinctè, quòd quamvis per se, & absque Sacramento, hominem perducere nequeat ad justificationem; in Sacramento tamen ad impetrandam gratiam illum disponit: ergo

ergo sentia, attritionem habere in Sacramento illam vim, quam absque Sacramento non haberet. Ergo satis aperte nostram sententiam tuetur, & illam vindicat à calumniis Hæreticorum. Probatur: Nam postquam Concilium dixit, attritionem esse actum bonum, atque ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento Pœnitentiæ disponere, sic concludit: *Quamobrem falsè quidam calumniantur Catholicos: Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absque motu suscipientium gratiam conferre; quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.*

326 Hunc sic: Sed Hæretici occasione sumptur calumniandi Scriptores Catholicos ex eo solùm, quòd temerè existimarunt, attritionem, quæ ex metu poenarum concipitur, non esse actum bonum, sed malum, atque facere hominem magis peccatorem, atque hypocritam reddere; ergo Concilium docet, attritionem conceptam ex metu gehennæ disponere ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Et certè, si ultra attritionem requireretur contritio ad gratiam obtinendam in hoc Sacramento, non erat, cur Concilium probaret, attritionem esse actum bonum, ut inde inferret, Sacramentum Pœnitentiæ gratiam non conferre sine bono suscipientis motu: nam si hoc Sacramentum non potest conferre gratiam sine contritione, sufficiebat ad illud inferendum, quòd contritio esset actus bonus. Confirmatur: Nam si Hæretici non disputabant nisi de bonitate hujus attritionis, quam dicebant facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, sufficiebat ad intentum Concilii probare, ut probat exemplo Ministorum, quòd attritio ex timore non facit hominem hypocritam, nec magis peccatorem, sed esset donum Dei. Ergo cum addit ultiores effectus, & conditiones ejus, vult docere etiam fideles efficaciam illius in ordine ad Sacramentum. Un-

de ex terminis patet, Concilium voluisse ibi tradere exactiorem, & pleniorè hujus Sacramenti efficaciam, & naturam; sed hoc ita non præstaret, nisi doceret de omnibus necessariis ad ejus effectum: ergo docet ibi, quæ ex parte pœnitentis sufficiant ad justificationem, quæ est effectus hujus Sacramenti.

327 Respondent 2. Adversarii, Concilium non dixisse, hanc attritionem disponere ad gratiam in Sacramento, sed cum Sacramento, ut ita significaret, mediatè, & remotè disponere ad gratiam, quatenus disponit pœnitentem ad recipiendum Sacramentum, in quo ex Dei gratia excitatur contritio, ex quibus immediatè sequatur justificatio. Sed contra: nam distinctio hæc, *in Sacramento, & cum Sacramento*, vana est prorsus, extraque Concilii mentem. Tum; quia dum hæc particulam *in Sacramento* opponit huic *sine Sacramento*, idem significat, ac separatim à Sacramento: ergo dum ait, attritionem non perducere ad justificationem sine Sacramento, consequens est, quòd, dum etiam dicit, eam disponere ad gratiam *in Sacramento*, idem significat, ac si diceret *cum Sacramento*. Tum; quia si Concilium putaret, per Sacramentum excitari contritionem, qua mediante, & non aliter, gratia confertur, debuisset hoc docere Hæreticos, ut rejiceret illam calumniam Scriptoris Catholicis, ab ipsis impostam: siquidem isti, nec adhuc illi negant, aut negarunt, contritionem esse bonum motum: ergo talis responsio aperte est contra Concilii sensum.

328 Respondent 3. Concilium, dum ait, attritionem disponere ad justificationem in Sacramento, non loquitur de illa, quæ est ex metu poenarum, sed de illa, quæ est ex amore Dei super omnia, quamvis imperfecto: & quæ est essentialiter contritio, sed imperfecta; & hanc vocat Concilium contritionem imperfectam, dum di-

vidit contritionem in perfectam, & imperfectam. Quid autem sit hic amor imperfectus, qui temporibus his amor *inchoatus*, & *initialis* à suis assertoribus vocatur? hoc opus, hic labor. Quilibet hunc *initialem* amorem, aut contritionem imperfectam, suo modo explicare intentat, ac multa verba, & tempus consumit. Ego fateor ingenue, plures, quos legi, capere non potuisse: eo quod ex una parte nolle videantur aperte fateri, amorem illum *initialem* esse veram contritionem, ne incurrant in aliquorum veterum Theologorum opinionem, asserentium, ad omnium Sacramentorum, etiam mortuorum, qualia sunt Baptismus, & Pœnitentia, fructuosam receptionem, necessariam esse contritionem perfectam, seu Dei dilectionem super omnia. Non enim per amorem *initialem* intelligere volunt hanc contritionem. Ex alia parte, pondere rationum nostrarum pressi, illum amorem, velis, nolis, contritionem non solum *inchoatam*, & *initialem*, sed verè *actualem*, & *essentialem* formaliter esse, quamvis variis de causis, aut motivis, ab ipsis excogitatis, contritionem imperfectam esse intentent.

329 Inter tot modos dicendi hac in re, aptiorem reputo, quem Benedictus XIV, sua in Synodo tradit, & hoc modo explicat prætersam imperfectam contritionem de suorum Authorum mente. Postquam igitur explicat contritionem perfectam, ita inquit: Alia est contritio supernaturalis, & efficax, omnem excludens voluntatem peccandi, quæ nihilominus aliis nominibus dicitur imperfecta. Primò potest contritio esse imperfecta, imperfectione *merè negativa*; quia etsi concipiatur ex eodem motivo charitatis, seu amoris Dei super omnia, ex quo concipitur contritio perfecta, ad istius tamen extensionis gradum non pertingit, sed est debilis, tenuis, & remissa. Secundò dicitur imperfecta, quia pec-

cata detestatur propter Deum dilectum, non tamen amore amicitie, sed concupiscentiæ, hoc est, dilectum, non quatenus est in se summè bonus, sed quatenus est bonus nobis, seu quatenus est nostra felicitas, beatitudo, & ultimus finis. Tertio, & plenè, nomen contritionis imperfectæ intelligitur dolor de peccatis, unice conceptus, atque elicitus propter eorum turpitudinem, aut solum metum pœnarum, & gehennæ, absque ulla Dei dilectione. Verùm hæc eadem contritio imperfecta potest ita moveri ex timore gehennæ, ut simul conjungatur cum aliquo Dei amore *initiali*, quatenus, scilicet, voluntatis, quæ peccata odit propter supplicia, simul fertur quodammodo in Deum, ad objectum diligibile, eumque incipit amare, quamvis nondum amet amore perfecto charitatis. Difficile tamen est explicare hunc amorem *initialem*, nisi dicamus, eum esse verum actum amoris; sed debilem, tenuissimum, atque in minimo gradu. Hucusque Benedictus XIV.

330 Nunc advertendum est, quòd dicit Pontifex, nempe, *difficile tamen est explicare hunc amorem initialem*. Et bene dicit: nam ejus Assertores valde variant, & fortè non se intelligunt in talis amoris *initialis* specifica, & individuali assignatione. Communior tamen illorum dicendi modus est, quòd iste amor, etsi concipiatur ex eodem motivo charitatis, ex quo concipitur perfecta contritio, non est talis; quia non pertingit eundem gradum intensiōnis, sed est debilis, remissus, & tenuis, atque ideo vocatur *amor initialis*, qui, *juncta* ipsos, est dispositio necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ita in substantia Morinus, Concina, Berti, & alii plurimi moderni ab ipso citati. Hæc verò acceptio attritionis, ac illius interpretationis aperte repugnat Concilio, & ab ejus mente aliena est prorsus. Deinde, se ipsam destruit: nam,

Nis explanationibus non obstantibus, talis attritio necessariò transit in contritionem perfectam, ut ostendemus: atque adeo, facilius esset eis, clarè, & aperte asserere, ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri necessariò perfectam contritionem, quam talem *initialem* amorem, quem sequuntur perfectam contritionem appellare. Quare, incipiendo impugnationem illius ab oppositione, quam dicit contra mente Concilii.

331 Contra 1. Concilium de illa met attritione, quam asserit, disponere ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento Pœnitentiæ, docet, quòd concipitur vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex metu pœnarum, & gehennæ: ergo non loquitur de attritione, quæ oritur ex amore Dei imperfecto, & inchoato, sed tantum de illa, quæ est ex metu pœnarum. Tum, & efficacissimè: De illa attritione loquitur Tridentinum, de qua ibidem statim ait, non facere hominem hypocritam, sicut docuerat Lutherus; sed attritio, quam Lutherus docuerat, facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, non erat illa, quæ ex charitate imperfecta, & inchoata procedit, sed ea tantum, quæ ex solo metu pœnarum concipitur, ut ex ejus scriptis est manifestum; ergo de hac attritione dumtaxat loquitur loco citato Concilium. Tum: Concilium ibi ait, attritionem illam, quæ ad obtinendam justificationem disponit in Sacramento Pœnitentiæ, esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsam, non adhuc quidem inhabitantis, sed animam moventis; sed attritio ex amore Dei super omnia, licet imperfecta, debilis, & remissa, est impulsus Spiritus Sancti, jam per gratiam in animam inhabitantis: nam charitas quantumvis debilis, & remissa, nunquam est sine gratia: ergo Concilium nullo modo loquitur de attritione ab Adversariis tam proclamata.

332 Contra 2. & ostenditur in Tom. I.

simul, talem inventam attritionem seipsam destruere, eo quòd non attritio, quamvis talis ab Adversariis vocetur, sed in se, & essentialiter sit vera, & perfecta contritio. De attritione eadem, de qua est controversia præsens, subdit Concilium statim: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponit*; sed nulla est contritio elicitata ex charitate, sive ex amore Dei super omnia, quantumvis tenui, imperfecto, & remisso, qui non possit perducere peccatorem ad justificationem, etiam extra Sacramentum, cum sit essentialiter ultima dispositio ad gratiam; ergo Concilium non loquitur de illa attritione, sed præcisè de illa, quæ elicitur ex metu gehennæ. Prob. minori ex dictis supra quæst. 2. Conclus. 2. num. 281. ubi cum D. Thoma, D. Bonaventura, Subt. Doct. & communi sensu Theologorum stabilitum est, quòd, ut contritio extra Sacramentum justificet, non requiritur in illa aliqua gradualis intensio, sed sufficit, quòd pertingat ejus perfectionem entitativam, & essentialem; quæ quidem salvatur in uno, vel duobus gradibus, ut ibi demonstratur, præsertim num. 283. Vide ibi, ne repetamus eadem. Nunc quæro ab Adversariis: Ille amor *initialis*, seu inchoatus, vel est essentialiter contritio, pertingens aliquem gradum ipsius nobilissimæ speciæ, vel non? Est utique, dicetis: aliàs totum vestrum fundamentum destrueretis: nam dicitis, talem amorem elici debere ex summa Dei bonitate, & diligibilitate. Nunc sic: ergo est essentialiter perfecta contritio, quamvis sit in gradu remisso. Patet consequens; quia ignis in uno, vel duobus tantum gradibus, tam essentialiter, & entitativè est ignis, quam in quatuor, aut in pluribus. Unde, ut commune axioma docet: *magis, & mi-*

Kkk nus

pus non variant speciem. Ergo ejusdem speciei essentialis sunt contritio, ut unum, vel duo, quam ut tres, vel quatuor &c. Ergo cum contritio, seu dilectio Dei super omnia, ex ratione talis, & in quocumque sit, proximè disponat ad justificationem, necessariò hoc est dicendum de illo amore initiali. Ergo necessariò justificat hominem, priusquam in re suscipiat Sacramentum Poenitentiae. Si concedis, ut meo videri, debes, sequuntur inconvenientia, quae manifestabuntur in sequenti probatione Conclusionis. Aequivocantur igitur Adversarii in illa voce contritionis *perfectae*, & *imperfectae*, non distinguentes inter imperfectiorem entitativam, & essentialem, & imperfectiorem *gradualiter*, & *accidentaliter*. Est utique amor ille initialis, & in gradu remisso contritio imperfecta gradualiter, & accidentaliter, comparatus cum amore intensiori: essentialiter verò, & entitativè est contritio, & amor, tam perfectus, quam amor intensus. Et pariter habet aequaliter eandem essentialem efficaciam, & virtutem.

334 Probatur secundò Conclusio ex natura, & institutione hujus Sacramenti: Poenitentiae Sacramentum, utpote mortuorum, ad primam gratiam causandam est institutum; sed Sacramentum ad hoc institutum non exigit subjectum per contritionem dispositum: ergo attritio est sufficiens dispositio ad Poenitentiae Sacramentum. Major constat ex Conciliis, & Patribus, assignantibus duo Sacramenta mortuorum; nempe *regenerativum*, quod est Baptismus; & *separativum*, quod est Poenitentia. Probatur minor: Sacramentum institutum ad primam gratiam causandam, aliquando debet causare eam; sed si esset necessaria contritio ex parte subjecti, numquam illam causaret: ergo. Minor constat; quia semper illam praesupponeret causatam ex vi ipsius contritionis, quae, ut supra quest. 2. Conclus. 1. num. 273.

demonstravimus, est ultima, & infallibilis dispositio ad gratiam, etiam extra Sacramentum obtinendam. Sequitur ergo, quòd Sacramentum ad primam gratiam causandam institutum, non exigit subjectum per contritionem dispositum. Deinde, ex contraria opinione sequitur, Baptismus in adultis numquam remittere originale peccatum; nam per contritionem necessariam, seu initialem amorem jam necessariò esset remissum. Patet hoc; quia talis amor requiritur, juxta Adversarios, ut praevia dispositio ad Sacramentum.

335 Probatur 3. Hoc Sacramentum institutum est ut medicina ad peccatum tollendum; sed medicina non supponit morbum sublatum, sed tollit illum; ergo poenitentia non supponit peccatum sublatum per contritionem, sed illud tollit. Major est omnium SS. Patrum, & Doctorum, cum S. Thoma 3. part. quest. 80. art. 4. Quare prorsus naturam Sacramenti Poenitentiae ignorant, qui dicunt, contritionem esse dispositionem necessariam, ut per absolutionem operetur in nobis remissionem peccatorum; nam idem asserunt, ac qui diceret, medicinam aliquam institutam fuisse ab aliquo Medico peritò, & prudente ad aliquod genus morbi tollendum, quòd numquam ipsa tolleretur, sed semper, & necessariò sublatum esse praesupponeret. Hoc autem non est planum absurdum, ridiculum, & sapientia Christi Sacramentorum Auctoris prorsus indignum. Sic utique videtur, Coguntur etiam asserere, Sacerdotem absolventem à peccatis, ea non remittere, sed illa jam esse remissa solum declarare. Hoc autem prorsus erroneum est, ut demonstravimus supra Disput. 2. quest. 6. per totam à n. 226. Vide illam.

336 Confirmatur 1. Juxta axioma Theologorum, Sacramentum Poenitentiae ex attrito facit contritum, hoc est, attritio simul cum hoc Sacramento equivaleret perfectae contri-

tio-

tionem, ut diximus num. 308. Sed si subjectum exigeret dispositum per contritionem, numquam de attrito contritum faceret, sed tale supponeret semper: ergo ad Sacramentum Poenitentiae non requiritur contritio, sed sufficit sola attritio, quae Sacerdotali absolutione adjuncta, aequivaleret contritioni, & tam benè, ac efficaciter, quam contritio confert gratiam, & remissionem peccati. Confirmatur 2. ex Subtr. Doct. dist. 16. quest. 1. qui, loquendo de dispositione necessaria ad hujus Sacramenti receptionem, dicit: *Sufficit enim quòd aliqua displicentia, licet informis* [hæc est attritio, de qua nos loquimur] *praecedat, & tunc ille cupax est absolutionis Sacramentalis; & per illam fit contritio*, id est, aequivaleret contritioni, juxta sæpè dicta de Scoti mente, & modo tunc loquendi de attritione. Ex quibus apertè constat, non rectè dixisse Morinum, laudatum à Benedicto XIV. loco cit. initio quaestionis num. 320. quòd, quamvis ante Tridentinum Theologi communiter docuerint, satis esse contritionem imperfectam, ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae obtinendam, quam tuncupabant *attritionem*: Tamen nomine *attritionis* numquam intellexerunt dolorem de peccatis, alunde excitatum, quam ex motivo charitatis, seu omnino sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolenti Dei. Evidens enim est, D. Thomam, Scotum, innumerosque illorum Discipulos floruisse ante Tridentinum, qui omnes *attritionem* intellexerunt, sicut postea intellexit illam Concilium; quia meminerint de necessitate talis amoris benevolenti, & initialis, ut simul cum Sacramento hominem justificet.

337 Si respondeant huic nostrae probativæ rationi, ut respondent, insistendo in sua solutione, & distinguendo duplicem contritionem, unam perfectam, ad quam necessariò re-

Tom. I.

quiritur charitas actualis perfecta, & quae vim habet per se excludendi peccatum: aliam imperfectam, ad quam non requiritur necessariò charitas actualis perfecta, sed sufficit imperfecta, & inchoata, & quae se sola non habet vim excludendi peccatum, benè verò simul cum Sacramento. Si in hoc, inquam, insistant; insistimus & nos, convellendo talem doctrinam, & solutionem. Tum; quia hujus duplicis contritionis distinctio fundamentum non habet in Scriptura, aut Patribus, aut Conciliis: quia potius repugnat Tridentino, docenti, contritionem perfectam procedere à charitate; imperfectam verò oriri, aut ex metu gehennae, aut ex peccati turpitudinis consideratione; ergo juxta Tridentinum, nulla contritio imperfecta datur, proveniens ex charitate. Tum; quia tali distinctione non possunt se expedire ab inconvenientibus adductis, nec salvare, quòd Sacramentum Poenitentiae ex sua natura, & institutione habeat primam gratiam causare, & hominem de attrito contritum reddere. Si enim subjectum exigat dispositum per contritionem aliquam, & charitatem inchoatam, numquam remittit peccata, sed illa per talem contritionem, & charitatem imperfectam semper supponit remissa. Quaecumque enim charitas, quantumvis parva, & remissa, excludit omne mortale peccatum, atque est incompatibilis cum illo, ut ostendimus num. 332. & 33. & configitur satis apertè ex D. Thoma cit. 3. part. quest. 70. art. 4. dicente: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressionem mandatorum legis: Minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas milliauri, & argenti*. Tum denique; quia de ratione essentiali charitatis est, quòd sit inclinatio in Deum, tamquam in finem ultimum: ergo nulla potest dari charitas, quantumvis parva, & remissa, quae non inclinet,

Kkk 2

&

Convertat hominem in Deum, tamquam in finem ultimum: ergo nec quæ non excludat omne mortale peccatum, per quod homo avertitur à Deo, ut à fine ultimo. Patet: Aliter idem homo esset conversus, & simul aversus à Deo, ut fine ultimo, quod est impicatorium.

338 Adduci solent plura alia Concilia, eandem Tridentini doctrinam de attritione ad Sacramentum Poenitentiae sufficienter edocentia; quæ apud Authores videnda relinquimus, eo quod satis comprobata maneat nostra resolutio. Solum non omittam omnino mentem exponere Catechismi Tridentini, jussu Pii V. concinnati, in quo §. 2. de Poenitentia, assignantur conditiones contritionis requisitæ ad effectum hujus Sacramenti, quin mentionem ullam faciat de motivo veræ charitatis. Postea consequenter Pastoribus suggerit hæc motiva fidelibus prædicanda esse, ut in peccatum summum odium fidelium concitetur. Primum, summa illius feditas, Sturpitudine. Secundum, quia gravissima damna, & calamitates nobis affert: nam Dei benevolentiam, à quo summa bona accepimus, longèque majora expectare, & consequi licebat, à nobis alienat, & summorum dolorum cruciatibus perpetuo afficiendos sempiternæ mortis nos addicit. Et quid, quæro, hic habes, nisi motiva puræ attritionis? Sed hæc non ita proponeret Pastoribus, si poenitentiam, aut dolorem, hinc conceptum, putaret insufficientem cum Sacramento: ergo talis amor initialis non est ad hoc Sacramentum simpliciter necessarius. Nunc omissis argumentis pluribus, quæ ex Scriptura, ex Tridentino, & Patribus, ab Adversariis objiciuntur, principaliora solum proponemus, & illis resolutionem præstabimus.

Solvuntur Objectiones.

339 Objic. 1. ex Sacr. Script. Ut peccator veniam ob-

tineat, debet converti perfecte, ex toto corde, & sibi cor novum facere; sed hoc non facit sine amore Dei ex vera charitate, quæ non est in attritione, ut à nobis sumitur ergo hæc non sufficit ad peccati remissionem, etiam in Sacramento. Major constat ex innumeris Sacra Textibus. Deuter. 4. Cum quaesieris Dominum, invenies eum, si in toto corde quaesieris. Ezech. 18. Convertimini ad me in toto corde vestro... facite vobis cor novum, & spiritum novum &c. Sic de aliis pluribus. Prob. minor. Attritio ex solo timore poenæ non convertit ad Deum, sed potius fugit eum, & justitiam ejus: non quaerit Deum, propter ipsum, sed ut vitet poenas pro peccato suo: non exuit cor vetus, sed retinet, & cum vetere Adam quasi vult se abscondere, habetque cor servile, non filiale: ergo. Confirmatur 1. Poenitentia, qua Deus est placandus, debet placere Deo; sed illi placere non potest sine charitate, quæ est in contritione: ergo nec potest illum placare. Minor constat ex 1. ad Corinth. Si linguis Angelorum loquar, & charitatem non habeam, factus sum, velut aes sonans &c. Et, qui non diligit me, manet in morte, nempe peccati. Confirmatur 2. Qui dolet de peccato propter poenas, aut peccati foeditatem, seipsum quaerit, potius quam Deum: nam quaerit exemptionem à poenis, aut ab infamia peccati. Ergo non convertitur ad Deum.

340 Respondeo disting. maj. Debet converti perfecte, id est, integre, ita ut, nullus affectus peccati remaneat in eo, sed illud sincerè odiat, & detestetur, concedo: ita ut illud detestetur ex perfectissimis motivis, & intensissimis actibus, subdisting. extra poenitentiae Sacramentum, & in quod tantum sensu Scriptura loquitur, concedo: in Sacramento Poenitentiae simul, nego majorem. Scriptura enim, vel intelligitur de conversione illa ad Deum, quæ pro-

omni statu necessaria fuit ad justificationem, & sic necessaria est perfecta contritio, ut pluries diximus: vel non exigit, nisi perfectionem illam, qua ex omni hominis affectu, peccatum expellatur, & sincerè Deus quaeratur placandus, quod omne præstat christiana attritio, ut manifestum est quaest. 3. per totam, & num. 302. Ad primam Confirmationem distingo majorem: Debet illi placere in ordine ad gratiam per Sacramentum obtinendam, conc. placere, quasi ille actus debeat esse dispositio impediata ad illam, nego majorem. Loquitur enim Scriptura de necessitate charitatis in actibus nostris, ut sint meritorii, seu dispositiones proximæ ad justificationem, præteritæ à Sacramento Poenitentiae non verò de actibus, qui ex Christi voluntate ad hoc Sacramentum præparant, & pro quo fructuosè recipiendæ, sufficit tollere obicem gratiæ, quam Sacramentum ex opere operato confert ex Christi meritis, quæ applicantur nobis. Ad secundam Confirmationem distingo, antecedens seipsum quaerit, & exemptionem à poenis, immediatè, & explicitè, concedo: unice implicitè, & ultimè, nego antecedens. In attritione, ut diximus præcit, quaest. 3. homo, saltem implicitè, & virtualiter, respicit peccatum, ut offensam Dei, ejus vindictam timet: atque peccatum, ut Dei offensivum detestatur, ut poenam vitet, Deum sibi reconciliet, & jus ad beatitudinem recuperet. Et patet: nam Beatitudinis amor causat damnationis odium, ac ejus causarum; & certum debet esse, omne odium ex amore venire. Et quis dubitet, quòd, dum attritus vult Sacramentum gratiæ reconciliatricis recipere, hoc ipso vult reconciliari?

341 Objic. 2. Concil. Tridentinum, loquens de dispositionibus necessariis ad justificationem sess. 6. cap. 6. expressè declarat, hominem disponi ad justiciam, nedum per ac-

tus fidei, timoris, & spei, sed etiam dilectionis, ex qua nascitur odium peccati, per propositum novæ Vitæ, ac observationis divinatorum mandatorum. Sic disertis verbis inquit: In spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & desestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. Ex hoc Concilii testimonio, putant Adversarii, manifestè constare, ad justificationem, quæ fit per poenitentiam, necessariò requiri charitatem inchoatam, & imperfectam. Arguunt sic: Concilium ad justificationem, quæ per Baptismum fit, requirit dilectionem inchoatam, ut claret ex illis verbis: illumque, tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt; sed non minor dispositio requiritur ad justificationem, quæ fit per poenitentiam: ergo. Hæc verò, quibus Adversarii existimant, valde nos urgere, à nobis videntur faciliter solvi.

342 Respondeo igitur 1. quòd locus iste Tridentini perpendatur attentè, manifestum erit, ibi esse sermonem de justificatione, quæ extra Sacramentum fit, & per solum votum, & desiderium Baptismi. Ad hanc justificationem concedimus requiri actum contritionis, & dilectionis, sicut & ad illam, quæ fit per votum poenitentiae, quando hoc Sacramentum in re, & defacto suscipi non potest. Nequaquam itaque Concilii testimonium militat contra nostram sententiam: siquidem hæc solum defendit, & affirmat, ad justificationem, quæ fit in actuali receptione Sacramenti Baptismi, & Poenitentiae, sufficere attritionem de peccatis ex motivo aliquo supernaturali, & juxta sæpè dicta à nobis. Quòd

Quod autem hæc interpretatio legitima sit, & ad Concilii mentem, patet ex illis verbis: *Dum proponunt suscipere Baptismum &c.* Ex quibus liquet, ibi non loqui Concilium de justificatione, quæ fiat in actuali susceptione Baptismi, sed solum de illa, quæ fit per votum, & desiderium illius: Ut accideret, si quis Baptismum suscipere non valens, ad justificationem se disponit per actus fidei, timoris, spei, dilectionis, ac per votum, & desiderium ipsius Baptismi. Unde, concessa minori sumpta negatur conseq.

343 Respondeo 2. Concilium intelligendum esse de amore illo initiali, quem supra quæst. 3. n. 310. diximus ad virtutem spei pertinere. Amor hic initialis appellatur; quia, ut plurimum, nostra justificatio initialis sumit ab illo, quatenus ab isto ducimur ad illum perfectum amorem, qui ad virtutem charitatis pertinet. Unde, dilectio illa, de qua ibi Concilium loquitur est, qua peccator incipit diligere Deum, *tamquam fontem omnis justitiæ*, id est, qua diligitur Deus, ut ipse est fons nostræ justitiæ, seu justificationis, quam expectamus, uti promissam ab ipso per Christum. Quare significat ibi, eum esse diligendum, ut nobis est bonus, & ut bona nobis largitur. Et dicitur *omnis justitiæ*; quia est fons, nedum justificationis, sed & omnium dispositionum supernaturalium ad justificationem: nullus est enim, qui aliter, quam per Dei gratiam valeat justificari. Per hanc doctrinam potest responderi ad alia plura loca Tridentini, agglomerata ab Adversariis. Concilium namque pluries dicit, contritionem necessariam esse ad justificationem, quod verissimum est. At verò, eodem modo est verum, Concilium intelligere ibi contritionem genericè sumptam. Et est dicere, quod alterutra species ejus absolute requiratur, aut imperfecta, quæ dicitur attritio, aut perfecta, quæ strictè, & simpliciter

sumpta, dicitur contritio. Hæc requiritur utique ad justificationem extra Sacramentum: in Sacramento autem sufficit illa, quæ dicitur attritio, ut constat manifestè ex ipso Concilio.

344 Arg. 3. ex SS. PP. Augustinus pluribi videtur docere, eum inanis poenitere, qui dumtaxat à peccatis abstinet ex metu poenæ, & supplicii. Item Tract. 9. in Epist. Joan. dicit, quod qui cessant à peccatis ex metu poenæ, similes sunt mulieri adulteræ, quæ tantum ab adulterio cessat metu sui mariti, ne deprehendatur ab eo, & severe puniatur, semper verò retinet adulterandi animum. Ergo ex mente Augustini, attritio, quæ est timor ex metu gehennæ, non removet voluntatem peccandi: ergo nec est sufficiens cum Sacramento ad obtinendam peccatorum remissionem. Denique Serm. 7. de temp. docet, neminem sine Dei amore posse justificari, sic dicens: *Poenitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* Sic similiter alii PP.

345 Respondeo faciliter ex dictis quæst. 4. anteced. per totam, in qua demonstratum manet, timorem ex metu gehennæ esse bonum, & ex Spiritus Sancti impulsu, dum elicitur ex auxilio gratiæ, & peccandi voluntatem expellit, contra Lutheranos, & alios Hæreticos, quod expressè declarat Tridentinum, & ab ipso Augustino docetur. Loquitur enim S. Pater illis in locis de metu serviliter servili, qui in fuga poenarum ultimè sistit; atque id eo non excludit voluntatem peccandi: non verò loquitur de nostro timore, qui in ipsa fuga poenarum quaerit Deum placere, & illi reconciliari; quod quidem fieri non potest, si retineat minimum affectum peccati. Vide ista in præcit. quæst. 3. Ad ultima Augustini verba respondeo sic: nemo potest justificari sine Dei dilectione, implicita, vel explicita, actuali, aut habituali, con-

comitante, aut subsequente, concedo: Sine actuali, explicita, prævia, aut antecedente, nego. Non igitur fieri potest justificatio sine amore Dei, & charitate habituali, quæ est ipsa gratia sanctificans, aut cum ea essentialiter connexa: at verò absolute non requiritur, quod actualis, & formalis amor Dei ipsam præcedat justificationem, dum peccator eam per Sacramentum obtinet. Ad hoc enim sufficit amor Dei habitualis, seu charitas, quæ est forma hujusmodi justificationis, & per quam peccator fit amicus Dei, & gratus ipsi. Unde certum est, charitatem requiri concomitanter ad justificationem; quia licet, dum peccator justificatur in Sacramento, non supponatur necessario diligens Deum super omnia: ex vi tamen Sacramenti cum prædicta attritione, constituitur talis, non actu, sed habitu; quia, nimirum, in ejus susceptione amor, seu habitualis charitas infunditur. Et si PP. loquantur de justificatione extra Sacramentum, certissimum est, quod amor Dei ad ipsam est necessarius. Eodem modo intelligendi sunt Doct. Seraph. & Subtil. qui contra nos adduci solent loquuntur, ut plurimum, de attritione charitate formata, seu informata gratia, per Sacramentum accepta. Cætera argumenta huc spectantia, quæst. antecedenti, & aliqua etiam in præcedente, invenies soluta.

346 Concludenda est igitur hæc controversia salubri monitione, qua Benedictus XIV. illam in sua Synodo concludit, nempe, quod quævis hæcenus de hac quæstione nihil à Sede Apostolica sit decisum, sed cuique data sit libertas eligendi, & docendi eam, quam maluerit, ex præfatis opinionibus: non ideo Episcopi prohibentur monere Confessarios, ut poenitentes hortentur, & excitent ad votum, & perfectam contritionem. Id aliquid faciendum sunt præcipui Auctores utriusque o-

pinionis. Et quod magis est, ita fieri præcipit Rituale Romanum tit. 18. injungens Confessario, ut audita poenitentis Sacramentali confessione, ejusque peccatis diligenter expensis, *opportunas correctiones*, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibeat, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conetur.

QUÆSTIO VI.

Plura colligens ex præcedentibus assertionibus.

347 Colliges 1. falsam esse opinionem aliquorum, qui existimant, requiri ad hoc Sacramentum attritionem, quæ existimetur contritio. Ratio est: tum quia nullus tenetur accedere ad Sacramentum cum majori dispositione, quam defactò requiritur, ut patet in aliis Sacramentis; sed sola attritio re ipsa requiritur ad Sacramentum Poenitentiae, ut abunde est ostensum: ergo non est necessaria attritio existimata contritio, sed sufficit attritio cognita, & existimata attritio. Tum quia si ad hoc Sacramentum necessaria esset attritio existimata contritio, illud non esset Sacramentum mortuorum; quia nunquam diceret homini, sibi conscio peccati mortalis, ad illud accedere, sed semper requireretur, quod existimaret, se esse vivum per gratiam sanctificantem. Tum; quia si talis doctrina esset vera, esset præceptum de tali contritione existimata; sed tale præceptum nullibi habetur, nec in Scriptura, nec in Conciliis, neque in Patribus, neque in Traditione, neque in ipsa Sacramenti institutione, est aliquid, ex quo colligatur, quin potius appositum: ergo. Patet hoc ultimum: Cum enim hoc Sacramentum ad conferendam primam gratiam sit institutum, & propterea Sacramentum mortuorum appelletur, non est

est verisimile, Christum nos obligare voluisse, ut ad illud accederemus cum existimata contritione.

348 Colliges 2. falsam esse sententiam aliquorum, qui asseruerunt, attritionem sufficere quidem ad Sacramenti valorem: non tamen ita ut ex ea immediatè sequatur justificatio, sed quia poenitens vi Sacramenti ex actu imperfecto attritionis infallibiliter transit ad actum perfectum contritionis, ut ad proximam dispositionem ad gratiam. Ratio est: Tum; quia Tridentinum non dicit, attritionem esse sufficientem ad obtinendam contritionem, sed ad gratiam impetrandam in Sacramento Poenitentiae disponere, quod, ut supra ostendimus, intelligendum est de proxima dispositione: aliter non bene compararet attritionem in Sacramento cum contritione extra Sacramentum. Tum; quia Concilium loquitur de impetratione infallibili gratiae, qualis est illa, quae habetur per Sacramentum; sed non omnis, qui cum attritione ad Sacramentum accedit, elicit infallibiliter actum contritionis: constat enim experientia, plures ad Sacramentum accedentes cum sola attritione, post absolutionem à peccatis, majorem dolorem de illis non sentire, quam ante absolutionem: ergo.

349 Colliges 3. Attritionem debere extendi ad omnia prorsus peccata mortalia. Ratio est; quia unum mortale non potest remitti sine alio: ergo cum attritio sit necessaria ad remissionem peccati mortalis, etiam est necessarium, quod attritio requisita ad hoc Sacramentum, tendat in omnia mortalia. Unde poenitens, qui se disponit ad veniam impetrandam in hoc Sacramento, debet omnia mortalia, saltem generatim, & virtualiter detestari, eorumque omnem affectum abjicere. An autem etiam se debeat extendere ad omnia venialia, quae poenitens confitetur, non conveniunt Theologi in unum: nam sunt plures, qui affirmant, & plu-

res, qui negant. Sententia negativa est communior, & sic fundatur: Tum; necesse non est, poenitentem dolere de eis peccatis, de quibus necessarium non est confiteri; sed ad veniam obtinendam in Sacramento Poenitentiae necesse non est confiteri peccata venialia, ut Tridentinum docet Sess. 14. cap. 5. & nos diximus Disput. 2. quæst. 2. ergo. Tum; unum veniale remitti potest sine alio, ut fatentur omnes: ergo non est necesse, quod de singulis formet attritionem, sed sufficit, quod doleat de aliquibus, ut ille dolor sit materia necessaria ad conficiendum Sacramentum.

350 Qui verò affirmant, fundantur sic: Qui non dolet de omnibus venialibus à se confessis, proponit pro materia Sacramenti Poenitentiae aliquid, quod reverà non potest esse talis: nam proponeret aliqua venialia, de quibus non doleret: ergo proponeret pro materia, quod defectu doloris non potest esse talis: ergo nec illud Sacramentum valeret, nec consequenter veniam peccatorum confessorum impetraret. Deinde: qui non atteritur de omnibus venialibus, quae manifestat in confessione, facit falsam formam absolutionis: ergo gravissimè peccaret, sic detrahendo, & impediendo legitimum effectum Sacramenti. Ad hæc Theologi negantes respondent, falsum esse antecedens. Ille enim, qui manifestat in confessione aliqua venialia, de quibus non dolet, non proponit illa pro materia Sacramenti Poenitentiae, sed solum illa exponit simul cum eis, de quibus dolet: Et hoc sic facit, vel ut inde majorem humiliationem, & confusionem habeat, vel ut evidentioris suae conscientiae notitiam suo Confessori exhibeat, modo quo proponere solet propensionem naturalem, occasiones peccandi, tentationes occurrentes, & similia, quae non sunt peccata, & quae laudabiliter Sacerdoti in confessione manifestantur, jam ad hu-

iliationem, jam ad spirituale solatium, & jam ad consilium habendum. Ad 2. negant etiam antecedens: quia sensus formae absolutionis est: *Absolvo te à peccatis tuis*, id est, ab iis, quae cum dolore, debitione proposito confessus es. Non itaque falsa esset talis forma. Est verò consultum, poenitentem dolorem extendere ad detestationem omnium peccatorum, quibus recordatur, ut melius, & efficacius se disponat ad effectum Sacramenti percipiendum.

351 Colliges 4. Necessarium esse, quod dolor de peccatis præcedat sacramentalem absolutionem. Et patet; quia cum illa absolutio sacramentalis feratur per modum judicialis sententiae, hæc necessario supponit accusationem rei: Accusatio autem, cum sit voluntaria, habere debet poenitentis dolorem, tamquam prævia dispositionem. Unde Sacerdos non potest poenitentem absolvere, quin prius peccata per confessionem declaraverit, & de eis doluerit. Et quamvis sufficiat, quod talis dolor per aliquod instans absolutionem præcedat, saluberrimum est, ut confessionem antecedit: nam qui de suis peccatis antecederet ad confessionem atteritur, longè distinctius, accuratius, ac etiam majori cum animi devotione, ac præparatione peccata declarat ad absolutionem sacramentalem.

352 Colliges 5. Præceptum confessionis in Evangelica lege præcepto contritionis successisse; non quidem illud abrogando, sed in se ipsum commutando: ita ut, præceptum contritionis non obliget, quamdiu præceptum confessionis servari potest. Patet ex Tridentino supra n. 322. citato, ubi dicitur, quod contritio, quae charitate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam Poenitentiae Sacramentum actu suscipiatur, omni tempore fuit necessaria ad veniam peccatorum impetrandam: Attritio verò, quae per se

Tom. I.

nequit perducere peccatorem ad justificationem, eum disponit ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento Poenitentiae. Ex quibus verbis non obscure deducitur, contritionem perfectam, quae etiam sine actuali Sacramenti receptione peccatorem justificat, ante Sacramenti Poenitentiae institutionem omnino fuisse necessariam; atque in nova lege ei successisse attritionem, quae, quod antea præstabat contritio, præstat cum Sacramento Poenitentiae.

353 Colliges 6. contra plures, possibile non esse Sacramentum Poenitentiae validum, & informe: Hoc est, hoc Sacramentum esse validum, & non causare gratiam, seu suum effectum. Nec est paritas de aliis Sacramentis, quae valida esse possunt, & gratiam non causare, ex defectu dispositionis; quia in illis talis dispositio non est pars essentialis: atque ideo, stante materia, & forma, quae sunt partes essentielles, necessario Sacramentum verificari debet. In Sacramento verò Poenitentiae dolor non solum est dispositio ad illud, sed etiam essentialis pars illius, utpote materia proxima ejus. Quare vel est dolor supernaturalis in poenitente, vel non est? Si non accedit cum tali dolore ad Sacramentum, hoc esset invalidum, & nullum: Si adest talis dolor, necessario recipit hujus Sacramenti fructum; quia illud recipit cum debita dispositione ad se justificandum per gratiam collatam à Sacramento.

354 Si dicas: potest dari casus, in quo adsit sufficiens dolor ad hujus Sacramenti valorem, quin sit sufficiens, ut Sacramentum gratiam causet in poenitente: ergo tunc esset validum, & informe. Antecedens patet in illo, qui duplex commisset peccatum, contra castitatem unum, & contra religionem aliud: Tunc, si invincibiliter non recordaretur peccati sacrilegii, & se doleret de peccato contra castitatem, cujus unice meminit, propter ejus

LII

pe-

pecificam deformitatem, atque hoc peccatum, de quo tantum dolet, confiteretur, Sacramentum Poenitentiae esset validum; sed tunc gratiam non causaret: nam talis dolor, ut supponitur, non se extendit ad peccatum oblitum. Et hoc sine illius dolore remitti non potest: ergo nec tunc potest gratia infundi: ergo evaderet Sacramentum validum, & informe. Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico, quod dolor necessarius ad Sacramentum Poenitentiae est dolor, saltem implicitus, de omnibus peccatis; quia debet esse dolor cum Deo reconciliativus. Unde debet esse dolor de peccato, in quantum Dei offensivus, ut saepe diximus, & praesertim supra n. 297. & si ita est, proinde se implicitè extendit ad peccatum oblitum, cum quo peccatum, cuius meminit, & quod confitetur, convenit in esse Dei offensivum, & in excludendo à Regno Coelorum. Quare si ita non efformatur dolor, non est, qui requiritur ad hujus Sacramenti valorem; quia si non concipitur, ut offensa Dei, possibilis non est dolor supernaturalis, & reconciliativus peccatoris cum Deo. Quapropter, si iste dolor deficiat, etiam Sacramentum Poenitentiae deficiet; quia hoc hominem cum Deo reconciliat. Numquam igitur verificari potest Sacramentum Poenitentiae validum, & informe. Sed de hoc fusius dixi Tract. de Sacramentis.

355 Colliges denique: Tum, falsam esse sententiam aliquorum Casuistarum, qui dixerunt, sufficere posse ad hoc Sacramentum volunta-

tem confitendi, & recipiendi absolutionem, absque dolore formali, dummodo poenitens nullum habeat actum, quo formaliter, vel virtualiter adheret peccato. Ratio falsitatis est; quia voluntas confitendi, & recipiendi absolutionem, praesumpta, non est vera attritio, sed ad effectum hujus Sacramenti requiritur attritio vera: nam sicut aqua est materia Baptismi, attritio est materia hujus Sacramenti: ergo sicut ad valorem Baptismi requiritur vera aqua, pariter ad valorem, & effectum Poenitentiae requiritur attritio vera. Ex quo sequitur evidenter, non sufficere attritionem existimatam, & apparentem. Tum colliges: ad hoc Sacramentum necessariam esse attritionem supernaturalem, quae revera sit talis, quin sufficiat attritio naturalis, quae existimetur supernaturalis. Patet prima pars ex Trident. Sess. 13. cap. 4. dicente, attritionem, quae disponit peccatorem ad gratiam in hoc Sacramento impetrandam, esse donum Dei, & impetrium Spiritus Sancti: quae utique non conveniunt attritioni naturali. Secunda pars etiam patet: quia cum attritio supernaturalis necessaria sit ad effectum hujus Sacramenti, hinc est, quod quamvis quis existimet, se habere attritionem supernaturalem, si revera illam non habet, non est dispositus sufficienter. Unde tunc poneret obicem ad gratiam negativam, quia caret dispositione necessaria, quamvis excusaretur ab obice positivo, propter invincibilem ignorantiam.

ARTI

ARTICULUS II.

DE CONFessione SACRAMENTALI.

Actu principali poenitentis explicato in praecedente Articulo, qualis actus est contritio, ad alios actus, & partes ejus properamus, & recto ordine sequitur confessio, quae pars est nobilissima, ac essentialis, Sacramenti Poenitentiae constitutionem ingrediens.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit Sacramentalis confessio? Et à quo instituta est?

356 **T**riplex in Scriptura Sacra distinguitur genus confessionis, cujus nomen proprie significat alicujus rei, vel secretæ, vel incognitæ privatam, aut publicam, spontaneam, aut coactam manifestationem. Alia enim est *confessio laudis*, qua agnosimus divina beneficia, & perfectiones, & inde laudamus, & benedicimus Deum, & hæc spectat ad Religionem. Sic Psalm. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Alia est *confessio fidei*, seu *professionis*, & est illa, qua Religionem declaramus, seu nostram fidem. Unde Martyres dicuntur fidei Confessores, juxta illud Matthæi 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego coram Patre meo.* Alia est *purè poenitentialis*, quæ etiam dicitur *accusatrix*, quia peccata nostra accusamus, vel *internæ*, & coram Deo, vel *externæ*, & coram hominibus. Rursus hæc confessio alia est *purè poenitentialis*, & est illa, qua peccator ex motivo humiliationis, & poenitentiae peccata sua declarat coram hominibus quibuscumque. Alia est *judicialis*, seu non *Sacramentalis*, illa, nempe, quæ reus sua declarat delicta coram iudice. Alia *Sacramentalis*, quæ fit coram Ministro idoneo hujus Sacramenti, ad obtinendam absolutionem, Tom. I.

& peccatorum remissionem. Hæc confessio interdum pro tota poenitentia usurpatur, ut optime declarat Tertullianus Lib. de Poenitentia cap. 9. In hoc sensu apud Græcos vocatur *Homologests*, quæ vox apud Latinos usurpata est pro universa Poenitentiae actione, non autem pro sola delicti accusatione. De sola igitur Sacramentali accusatione hic loquimur, cujus virtutem, & dignitatem, universi Patres valde extollunt, & proclamant. Ex illorumque dictis aperte constat, quanti hæc Sacramentalis accusatio peccatorum sit facienda, quamque ab omnibus Christianis sit estimanda. Quare, mirum esse non debet, quod Hæretici, semper inimici veritatis, & æternæ proximorum salutis, hanc salutarem confessionem modis omnibus exagitant, & impugnant. Ut autem contra illos procedamus:

357 Sit I. Conclusio: *Datur confessio Sacramentalis.* Hæc veritas Catholica non negatur absolutè ab Hæreticis, licet non conveniant nobiscum in ejus necessitate, nec in institutione, nec quod sit Sacramentalis. Probatur primò Conclusio ex Tridentina dicente: *Oportere à poenitentibus omnia peccata mortalia in confessione recenseri.* Et supra dixerat: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe, contritio, confessio, & satisfactio.* Et Concilium Constantiense Sess. 8. damnat hunc Articulum 7. Wiclephi: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua.* Et Sess. 15.

Lil 2

dam-

damnatur liber ejusdem Hæretici, & Joannis Hus, in quo legitur hæc propositio: *Grave est, & formidabile, Presbyterum audire confessionem populi modo, quo Latini utuntur.* Probatur 2. ex Patribus, qui omnes talis confessionis dignitatem, & excellentiam plurimum extollunt, & commendant. Tertullianus dicit: *Tantum relevat confessio delictorum, quantum exagerat dissimulatio.* Et Origenes ex illo textu *Dixi, pronuntiabo iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei,* infert sic: *Vide, quia pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur. Si revelaverimus peccata nostra, non solum Deo [ut Hæretici volunt] sed & tibi, qui possunt mereri vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra.* Et sic uno ore de aliis Patribus. Probatur 3. ex Subt. Doct. dist. 15. quest. 6. dicente: *Sacerdos non absolvit eum, nisi prius reus fuerit sibi accusatus in foro illo.* Et in Reportatis dist. 17. *Necessarium est, confiteri peccata sua Sacerdoti, jurisdictionem habenti, per quam recuperabis gratiam.* Denique, hæc fuit consensus Theologorum omnium, & ab omni tempore praxis universalis Catholicorum.

358 Sit II. Conclusio: *Confessio Sacramentalis est accusatio peccatorum personalium ipsius poenitentis post Baptismum, vel in ipsius receptione commissorum, facta coram Sacerdote, jurisdictionem habente, sub spe veniæ.* Est in re communis, & coincidit omnino cum ista, quæ ab aliis datur: *Est declaratio sensibilis peccatorum, facta legitimo Sacramento Poenitentiae Ministro, ex intentione obtinendi absolutionem.* Dicitur *Declaratio sensibilis peccatorum*, quod ponitur loco generis; quia per id convenit cum aliis confessionibus, tam internis, quam externis. Dicitur *facta legitimo Ministro &c.* per quod differt ab aliis, quæ fiunt coram aliis, & ob alios fines. Constat ex de-

stitutione, poenitentem in confessione debere se accusare, non excusare; & pariter, debere accusare sua peccata, non aliena: Quod quidem Confessarii advertant diligenter, ac ita moneant, ac doceant fideles.

359 Sit III. Conclusio: *Confessio Sacramentalis instituta fuit à Christo Domino: eo proinde est de jure divino.* Est de fide contra Hæreticos Wiclephistas, Calvinistas, & Lutheranos, qui negarunt, institutionem hanc probari ex Sacris Scripturis; sed ex Pontificum decretis emanasse, ac in Ecclesia inveciam esse. Hanc veritatem Catholicam docuit Scotus in Reportatis d. 17. cum hac expressione: *Dico igitur, quod de jure divino positivo, immediate à Christo instituta, tenetur quis ad confessionem.* Prob. itaque 1. ex Concilio Trident. Sess. 14. cap. 5. *Universa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino intergram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam esse.* Et si quis negaverit, confessionem sacramentalem, vel institutam, vel necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secretum confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica semper ab initio observavit, & observat, alienum ab institutione, & mandato Christi, & mandatum esse humanum anathema sit. Id ipsum diu docuerant Concilia Tyronense III. Cabilonense I. Can. 39. circa annum 513. Moguntinum Can. 26. anno 349. Lateranense sub Innocentio III. Quibus secuti fuerunt Constantiensis, Florentinum, & demum Tridentinum, in quibus hæc Catholica veritas definitur. Ex quibus Conciliis, tam veteribus, quam novis, & in tam diversis temporibus, & locis, ac totius Ecclesie unanimi consensu, patet, confessionem antiquissimam esse, nec aliunde, quam à Christo Domino suam originem habere.

berè. Hæc est etiam SS. Patrum perpetua traditio, quos recensere esset longum, & apud Frasson videri possunt.

360 Probatur 2. ex Subt. Doct. dist. 16. ubi egregie improbat sententiam Glossatoris in dist. 5. de Poenitentia proponenti varias opiniones de institutione confessionis, ac dicentis, eam fuisse institutam à quadam universalis Ecclesie traditione potius, quam ex novi, vel veteris Testamenti autoritate. Sic inquit Scotus: *Salva gratia sua, irrationaliter loquitur Glossator, & prosequitur sic: Si hæc institutio esset ab hominibus, aut ex traditione Ecclesie, ut voluit Glossator, assignandus esset aliquis Canon, per quem facta fuisset: Nam sicut turpe esset Theologo dicere, aliquid esse in Biblia, si nesciret, ubi illud inveniretur: ita & Canonista dicenti, aliquid esse ex universali traditione, & non invenire in Canone &c.* Nunc sic: sed hoc nullibi reperitur; nam dum Hæretici dicunt, Concilium Lateranense confessionem instituisse, in hoc turpiter errant; quia Lateranense non instituit, sed institutam proponit confessionem, solamque illam, saltem semel in anno, præcipit, sic dicens: *Omnia peccata sua solus confiteatur, saltem semel in anno: ergo.* Confirmat Scotus: Si Glossatoris sententia vera esset, videretur, quod Papa non teneretur confiteri; quia par in parem non habet potestatem; sed tenetur: ergo.

361 Argues: Si confessio instituta fuisset à Christo, & non ab Ecclesia, ejus usus non penderet ab illa; sed hic ab Ecclesia pendet: ergo. Prob. minor: Ecclesia modo præcepit, modo prohibuit usum confessionis: nam, ut scribunt aliqui veteres, antequam prodirent Novatiani, nulli erant in tota Ecclesia Confessarii ad audiendas confessiones: ergo. Vide factum Nestarii, qui confessionem abrogavit, Disp. 2. quest. 1. num. 158. Confirmatur: Obligatio

hujus confessionis non erat ante Concilium Lateranense: siquidem ante illud nullibi legitur: ergo ab Ecclesia fuit instituta, non à Christo.

362 Respondeo negando minorem, & antecedens probationis. Ille Poenitentarius, qui amotus fuit ab officio, & de quo veteres Auctores loquuntur, non erat deputatus Sacramentali confessione audiendæ, sed publicæ. Et quia ex talibus confessionibus, quibus peccata secreta publicabantur, scandala gravia veniebant: ideo Nestarius Episcopus talem Poenitentiarum amovit, atque tales confessiones prohibuit in sua Constantinopolitana Diocesi: non autem secretas confessiones, quæ nullum scandalum pariunt, & nullo modo publicari possunt. Vide supra numer. 158. Ad Confirmationem distinguo antecedens: non erit quoad tempus determinatum confitendi: concedo: quoad institutionem, & usum, nego antecedens. In Lateranense imposita est obligatio confitendi, saltem semel in anno: Et quod antea plures ob indevotionem, & negligentiam non frequentabant hoc Sacramentum, ut constat ex Tridentino. Sic inquit: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiteantur; quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexeris: sed ut, præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus impletur.* Vide alia plura hæc spectantia Disp. 2. quest. 1. per totam à num. 149. Ubi etiam determinatur tempus, in quo hoc Sacramentum fuit à Christo institutum. Alia non pauca attinentia ad difficultatem hanc, quest. sequent. patebunt.

QUÆSTIO II.

Quomodo necessaria sit confessio peccatorum?

363 **D**uplex communiter distinguitur necessitas in ordine ad Sacramentorum administrationem, & receptionem: Alia *medii*; alia *præcepti*. Illa Sacramenta dicuntur necessaria *necessitate mediis*, sine quibus salus æterna obtineri non potest. Sic Baptismus est omnibus hominibus necessarius omnino in re, vel in voto: sicut & Sacramentum Poenitentiae homini adulto, in peccatum mortale lapsa post Baptismum, ut tam Tract. de Sacramentis, quam in hoc pluries diximus. Necessaria *ex præcepto* dicuntur, quæ præscribuntur ex Dei peculiari ordinatione. Hæc autem necessitas iterum est duplex: alia orta ex institutione, & præcepto Christi Domini, & hæc vocatur de *jure Divino*; altera ex Ecclesiae ordinatione, & præcepto, & vocatur de *jure Ecclesiastico*. Et notandum cum Subt. Doct. in 4. dist. 17. quod *jus Divinum* positivum fundatur maximè in divinis præceptis, quæ exarantur in Scriptura, tam veteris, quam novi Testamenti. Tales erant cæremoniæ legales, ex Dei præcepto servandæ in veteri Lege: & talia sunt Sacramenta novi Testamenti, à Christo instituta, & per Apostolos ad nos propagata, & à Christianis recipienda: *Jus Ecclesiasticum* illud est, quod fundatur maximè in Conciliorum, & Sum. Pontificum decretis, universa Ecclesia illa recipiente, & probante. Ecclesia enim multa instituit propter honestiorem observantiam in moribus, & propter majorem reverentiam in Sacramentis dispensandis, & suscipiendis, quæ omnia sunt juris positivi Ecclesiastici.

364 Præterea alia sunt, & dicuntur de *jure naturali*, & sunt, vel prima principia practica, quæ per

se, & ex terminis sunt nota cuilibet intellectui, terminos apprehendenti; vel conclusiones immediatè ex eis illatæ, aut demonstratæ; aut saltem illis conformes, licet ex eis non inferantur evidenter. Ita Doct. loco cit. Hinc triplex exurgit obligatio ad aliquid faciendum, nempe, vel ex *jure naturæ*, vel ex *jure Divino*, vel ex *jure Ecclesiastico*. Erga præsentem difficultatem aliqui antiqui dixerunt, confessionem Sacramentalem esse de jure naturæ. Hæretici proterviant non esse de jure Divino, sed solum humanum inventum. Et sunt alii, qui assertiverint, tantum esse necessariam ex præcepto Ecclesiae, non obstante, quod catholicè fateantur, à Christo Domino quoad substantiam institutam fuisse. Quod omne per sequentes Conclusiones resolvendum venit.

365 Conclusio I. *Confessio Sacramentalis non est de necessitate juris naturæ, sed juris divini positivi*. Est communis quoad primam partem, & quoad secundam est de fide. Probatum prima pars ex Subt. Doct. dist. 17. num. 5. ubi ait: *Dico, quod non tenetur quis præcepto legis naturæ ad confessionem peccati, de qua quaritur; quia tunc obligatio hæc fuisset pro statu, vel tempore cujuscumque legis, quod falsum est; quia nec erat in statu innocentiae, nec in statu legis Mosaycæ*, Prob. 1. Jus naturæ idem est apud omnes Nationes: sed non est talis obligatio confessionis: ergo non est de jure naturæ. Major docetur à D. Isidoro Lib. 5. Orig. cap. 4. dicente: *Jus naturale idem est apud omnes, & est commune Nationum omnium, et quod non aliqua constitutione, sed institutum naturæ, ubique habetur*. Et Cicero Lib. 2. de Invent. inquit: *Naturale jus est, quod non opinio genuit, sed innata quædam vis inseruit*. Probatum 3. Talis debet esse confessio, ac ejus obligatio, qualis est potestas absolvendi peccatum confessum: Ambæ enim

ex

ex eodem jure oriri debent; sed potestas absolvendi non est de jure naturæ: aliàs esset omnibus hominibus communis, sed ex jure Divino positivo, & per auctoritatem concessam à Christo Domino, ut constat manifestè ex q. 1. Disp. 2. à num. 143. ergo obligatio confitendi non est de jure Divino.

366 Probat. secunda pars, quæ est principalior, & contra Hæreticos, nempe, quod confessio peccatorum mortalium præcepta est jure Divino. I. Ex Concilio Trident. Sess. 24. Can. 7. sic definiente: *Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure Divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta: anathema sit*. Hanc colligit veritatem cap. 5. ex institutione hujus Sacramenti, ita dicens: *Ex institutione Sacramenti Poenitentiae jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, etiam institutam esse integram peccatorum confessionem à Deo, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere*. Et postea damnat eos, qui dicunt, institutionem confessionis ortam esse à Concilio Lateranensi, dicens: *Næque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure Divino necessarium, & institutum esse, intellexerat: sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, sub orationibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenitur, impletur*. Hæc Concilii verba, adeo sunt clara, ut per ea obrudi debeant Hæreticorum ora, Eandem Catholicam veritatem docuerant antea alia antiquissima Concilia, & unanimiter SS. PP. Hieronim. in Matth. 16. August. Lib. 90. Homil. Homil. 49. c. 3. S. Leo Epist. 49. Basil. & ceteri PP.

367 Prob. 2. De fide est, Christum instituisse Apostolos, & eorum successores, ad remittenda, vel se-

tinenda peccata: ergo pariter de fide est, voluisse, peccatores, qui velent, peccata sibi remitti, ad eos recurrere, eis aperiendo peccata remittenda. Dicit Calvinus, veram esse hanc consequentiam, si verum esset, quod Sacerdotes illam habeant potestatem. Verum, nisi Calvinus velit ad lucem cecutire, non potest de illo dubitare, suppositis illis Christi verbis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* De quo pertractatum est exprophesso supra Disput. 2. quæst. 6. per totam à n. 227. Prob. ergo consequentia: Qui officium aliquod instituit, & jurisdictionem confert, etiam instituit inferiores, & omnia necessaria ad usum talis officii; sed per illam potestatem instituit Apostolos judices super peccatores, ut eorum peccata dimittant, vel retineant: Et illi exercere non possunt tale officium, nisi isti teneantur ad illos recurrere, & illis peccata remittenda aperire per confessionem: ergo hæc obligatio provenit ex illa divina institutione. Probatum denique ex Scoto, qui 4. dist. 16. subtiliter, & egregiè, refutat, & improbat sententiam Glossatoris, Joannis Teutonici, sicut & Gratiani, qui existimant, confessionem introductam esse jure humano, quod ait Doctor, *turpe, & irrationale* est asserere. Et per easdem rationes, & præcipuè ex Conciliis, ex Patribus, & ex perpetua, & constanti Ecclesiae traditione, impugnandi sunt Hæretici, blasphemæ, confessionem institutam fuisse ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi, quorum falsitas apertè constat ex num. ant.

Solvuntur Argumenta plura breviter.

368 **A**rguunt 1. adversus primam partem Conclusionis: Præcepta communia legibus antiquæ, & novæ sunt de jure naturæ, sed præceptum confessionis est utri-

utrique legi commune: ergo. Prob. minor 1. Adam, Cain, & Job arguantur; quia confessi non sunt peccatum suum: ergo tenebantur ad confessionem faciendam. Nunc sic: sed nulli alteri juri, ac legi subiciebantur, quam juri legis naturae: ergo hæc obligat ad confessionem. Antecedens constat; quia de Adamo expendens Glossa illud Genes. 1. *Adam ubi es?* ait: *Vox est increpantis, & confessionem inquirentis.* Similiter Cain damnatur, eo quod interroganti Deo: *Ubi est Abel frater tuus?* Impudenter respondit: *Nescio &c.* Et Job cap. 13. ait: *Si abscondi, ut homo, peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam:* ergo. Idem constat ex Levit. 16. ubi Deo jubente, Aaron, & filii ejus tenentur confiteri peccata filiorum Israël. Et idem constat ex aliis locis Sacris. Prob. eadem minor 2. Propositio illata ex principiis practicis, per se notis, & naturalibus, est de lege naturali; sed talis est hæc propositio: *Homo tenetur confiteri peccata sua alteri:* ergo. Prob. minor. Propositio hæc: *Homo tenetur confiteri peccata sua alteri,* infertur ex his principiis per se notis: *Homo reus judicandus est per alium, non per seipsum;* quia nullus esse debet iudex in causa propria; sed non potest judicari per alium, nisi confiteatur, aut accusetur apud ipsum ergo.

369 Respondeo distinguendo major. Communia utrique legi eodem modo, concedo: diverso modo, nego major. Sic intellecta minori, nego consequentiam. Licet enim peccati confessio aliqua ratione esset præcepta in lege Moysi, non eodem modo, ac in Evangelica Lege. Non enim, inquit Scotus, in veteri lege fiebat ista confessio, de qua loquimur, sed fiebat de peccatis occultis tantum Deo: Et de quibusdam defectibus publicis fiebat confessio, ob quam unusquisque offerebat sacrificium: & talis confessio erat is-

ta, aut hujusmodi: *injuste egimus, peccavimus.* Hæc publica confessio regulariter fiebat a Sacerdote. Unde illæ confessiones non erant *Sacramentales*, sed solum erant peccati declarationes private, quæ fiebant, vel coram Deo, ad veniam impetrandam, vel coram legitimo iudice, ad iudicium formandum de aliquo crimine. Quare illi tenebantur, non ad confessionem sacramentalem faciendam homini, sicut confessio Evangelicæ Legis, sed regulariter erat ad profitendum peccata sua coram Deo, cum animidolore, & contritione. Ideo enim peccavit Adam, quia non debuit occultasse peccatum suum Deo, ut iudex, interroganti. Pariter peccavit Cain, nolens confiteri peccatum suum Deo interroganti, & quam confessionem Deus querebat ab eis. Non ergo illæ confessiones erant sacramentales, ut sunt nostræ. Ex quo sequitur, quod obligatio confitendi Deo, seu profitendi de peccatis, est naturalis, non vero confessio Legis Evangelicæ. Præterquamquod: illa propositio: *Præcepta communia legi novæ, & antiquæ sunt de jure naturæ* non est necessariò vera: nam in utraque possunt præcipi plura per distinctas leges positivas. Ad 2. minor. probationem distinguo minor. Alteri, qui sit Deus, vel homo, concedo: qui præcisè sit homo talis, vel talis, nego minor. sic reliqua intelligenda sunt. Itaque illud principium intelligi potest de Deo, vel de homine non de homine solo. Quis namque sit iste alius, non est notum per rationem naturalem. Imò id proprium est soli Deo, qui solus per se est retributor meritorum, & punitor peccatorum. Etiam poterat negari, quod inferatur necessariò confessio ex illo principio; quia non eget confessione externa Deus, qui scrutatur renes, & corda: Et omnia sunt aperta, & manifesta oculis ejus.

370 Arguunt 2. Hæretici: In Evangelica Lege nullum legitur præ-

ceptum, obligans ad confessionem: ergo talis confessio non est obligatoria jure Divino: ergo est de jure pure humano. Prob. anteced. Tum; quia Deus Ezech. 8. promittit, *quod quoties peccator ingemuerit, vita vivet:* ergo solum requirit contritionem, seu gemitum cordis ad remittenda peccata: Nam prosequitur, *quod si ingemuerit, iniquitatem ejus non recordabitur amplius:* ergo non exigit confessionem factam hominibus. Tum; quia Christus non exigebat confessionem istam accusatoriam, quando a peccatis absolvebat, seu illa remittebat; ut constat exemplo Magdalene, Paralytici, & Cananæ; sed Sacerdotes novæ Legis non debent aliter peccata remittere, quam Christus remisit: nam sunt Ministri Christi, & non absolvunt, nisi ministerialiter: ergo necesse non est, quod poenitentes sua peccata manifestent Sacerdotibus, ut ab eis absolvantur. Unde, ait Calvinus, sufficit, quod generatim se peccatores profiteantur, ut veniam obtineant per illorum ministerium. Tum; Legis Evangelicæ observantia suavior, ac levior est, quam Mosaycæ, juxta illud Matth. 18. *Jugum meum suave est, & onus meum leve;* sed in veteri lege non tenebantur Judæi ad talem peccatorum confessionem: ergo nec tenentur Christiani: aliter hæc lex durior esset, quod dici non debet.

371 Respondeo negando antecedens: Ad probationem distinguo antecedens. Veniam promittit peccatori ingemiscenti, & adimplenti præcepta, quæ Deus statuit servanda pro quolibet lege, concedo: non adimplenti, nego anteced. In lege etenim veteri servandæ erant quædam cærimonie legales, & oblationes faciendæ, ut quis veniam consequeretur aliquorum peccatorum: & sic pariter in nova oportet, ut quis remissionem peccatorum obtineat, quod recurrat ad receptionem Sacramentorum, quæ ad hoc ordinata sunt.

Tom. I.

Nec gemitus, & lacrymæ quidpiam prodesse possunt poenitenti, nisi illa Sacramenta suscipiat, vel in re, vel in voto; quia si ita non est, non debite ingemiscitur. Ad secundam probationem nego min. quia Christus nec erat ligatus Sacramentis, cum haberet independentem, & plenariam auctoritatem; nec indigebat manifestatione, & confessione peccatorum, ut illa videret, & cognosceret: Sacerdos vero illa indiget, ut sciat, tamquam iudex, quænam debeat remittere, aut retinere, & quæ remedia debeat adhibere. Hoc autem facere non potest, nisi poenitens ipse peccata, maxime occulta, manifestet illi per confessionem: ergo ad hoc necessaria est confessio. Ad tertiam probationem dico, quod in nova lege utilitas confessionis large compensat ejus duritiam; quia per illam homo cum attritione certissime omnium peccatorum veniam obtinet, quam in veteri lege non obtinebat, nisi per perfectam contritionem, quæ satis difficilis est, & forte pauci ad illam perveniebant in illa lege. Deinde non tam uberior gratia conferebatur, ac nunc confertur per Sacramentum, cum aliis multis bonis, quæ reportat ex hoc labore, ut sunt consilia salutaria, consolationes internæ, & externæ. Unde ait Trident. Sess. 14. cap. 5. *Confessionis difficultatem, & onus, allevat, & emollit utilitas magna ex hujus Sacramenti receptione.*

372 Arguunt 3. Plures SS. Patres videntur docere, in nova lege peccata remitti posse sine confessione facta Sacerdoti: ergo non obligat Divino jure. Prob. antecedens r. ex D. Ambrosio Lib. 10. in Luc. c. 22. ubi de D. Petro dicit: *Petrus doluit, & flevit; quia erravit ut homo: non invenio, quid dixerit, invenio, quod flevit... lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri.* D. Augustinus Lib. 10. Confessionum cap. 3. inquit: *Quid mirum est cum hominibus, ut audiant*

Mmm

con-

confessiones meas, quasi sanaturi sint languores meos? curiosum genus hominum ad cognoscendum vitam alienam, dissidiosum ad corrigendam suam. Idem dicit S. Prosper, Beda, & alii: ergo juxta SS. Patres, confessio non est necessaria hominibus jure Divino. Sed ad hæc omnia, & similia, quibus Hæretici vim faciunt, facilimè respondemus.

373 Negatur itaque consequentia. Ex facto Petri nihil inferitur contra nos; quia tunc hoc Sacramentum non erat institutum, ut bene notat Scotus. Unde nemo pro tunc tenebatur ad confessionem Sacramentalem. Similiter responderi potest de infidelitate Discipulorum in Passione Christi. Verba itaque D. Ambrosii bene confirmant, quod confessio non erat de lege naturæ, nec Mosayca. Præterea: Cum Christus Dominus haberet supremam potestatem remittendi peccata, potuit Petro poenitenti, & Discipulis delictum condonare absque ulla confessione, & ulteriori satisfactione. Ad S. August. dico, non loqui de confessione Sacramentali, sed de confessione satisfactoria, & publica, tunc temporis instituta, ut fideles per hujusmodi poenitentiae exemplum ad vitæ emendationem, & spem veniæ traherentur. Talis est confessio illa publica, quam ipsemet Augustinus de omnibus suæ vitæ delictis exaravit trêdecim libris confessionum. Idem dicitur ad D. Prosperum, Bedam, & alios, qui, ut ex eorum scriptis patet, loquuntur de confessionibus satisfactoriis, & publicis.

374 Arguunt 4. Tum: diu dubitatum est in Ecclesia, an confessio esset de jure Divino, an non? ergo non semper compertum fuit in Ecclesia, confessionem oris, & Sacramentalem jure Divino fuisse ad salutem necessariam. Antecedens constat ex Gratiano, collectore Canonum dist. 1. de Poenitent. ubi dicit: *Sunt qui dicunt, quemlibet sine confessione facta Ecclesie Dei, Sacer-*

dotali judicio, veniam criminis posse mereri.... Utraque enim sententia habet sapientes, & religiosos viros. Tum: Necessitas talis confessionis non fuit semper comperta in Ecclesia Græca: ergo apud Græcos hæc confessio non putabatur de jure Divino. Antecedens constat ex Theodoro, Cantuariensi Archiepiscopo, citato à Gratiano, qui ita scribit: *Quidam soli Deo peccata confiteri debite dicunt, ut Græci: quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere Ecclesia Sc.* Tum denique: Ipsi proceres Theologiae Scholasticæ docent, hanc confessionem esse tantum de humano jure: nam Hugo Victor. dicit: Christum hominibus non præcepisse, peccata sua confiteri. Magister sententiarum in hoc est dubius, & pro utraque sententia rationes affert. Alensis dicit, quod Dominus non instituit confessionem, ut erat exercenda ab ipsis poenitentibus. Id ipsum D. Bonaventura videtur docere, dicens: *Confessionis institutionem hominibus reservatam esse: ergo præceptum confessionis, & ejus institutio non est de jure Divino, sed humano.*

375 Respondeo ad 1. negando consequentiam: Nam quamvis Gratianus fuisset in hoc errore, sicut & Glossator, id non præjudicat veritati Catholicæ nostræ. Conclusionis, nec favere potest Hæreticis. Unde Gregorius XIII. in Bulla emendationis decreti apertè significat, Gratianum, & alios Auctores juris Canonici in aliquos errores incidisse: Venia tamen donandos esse, eo quod ipsorum ætate res illa nondum erat apertè definita, sicut innotuit post definitionem Conciliorum Lateranensis, Florentini, & Tridentini, quibus illi erant antiquiores: nam Gratianus scripsit decretum circa annum 1150. Alii liberare intendunt illum ab hoc errore, dicentes, Gratianum non impugnare directè, & expressè nisi confessionem publicam,

non

non particularem. Ad 2. disting. antecedens: In Ecclesia Græca, & apud Græcos Schismaticos, transeat: Apud Græcos fideles, nego antecedens, & consequ. Nihil enim ad rem facit, quod aliqui Græci in illo fuerint errore; quia hoc non præjudicat veritati. Præterquamquod eruditissimi Græci dicunt, confessionem inter suos semper locum habuisse. Unus est Nicolaus Cabasilas in explicatione Liturgiæ cap. 29. docens apertè, confessionem Sacramentalem homini peccatori necessariam esse, dicens: *Nec potest homo solvi à peccatis, nisi confessio præcesserit.* Et Jeremias, Patriarcha Constantinopolitanus in censura confessionis Augustanæ Lutheranos severe arguit, quod negarent confessionis necessitatem. Non ergo error hic fidelibus Græcis tribui debet.

376 Ad ultimum distingo antecedens: Docent, hanc confessionem esse de jure humano, quoad promulgationem, & modum confitendi, concedo: quoad illius institutionem, & potestativè, nego antecedens, & consequentiam. Auctores illi non negant, Christum formaliter, & potestativè instituisse Sacramentum istud, sicut & cæterorum omnium est Auctor, contra Hæreticos. Unde docuerunt, non omnium Sacramentorum materiam fuisse à Christo Domino in specie, & in particulari determinatam: sed aliquas determinatas, aut institutas fuisse in genere, & insinuat Apostolis, ut ipsi determinarent in specie, & in particulari, ut diximus Tract. de Sacramentis Disput. 2. quæst. 2. & Tractat. de Ordine Disput. 1. quæst. 3. Conc. 2. Hanc doctrinam applicarunt prædicti, & alii Doctores confessioni Sacramentali, aut modo illius faciendæ. Unde ait Alensis: *Fuit confessio à Domino instituta, & ab Apostolis auctoritate illius tradita: à Domino in clavis collatione instituta, & ab Apostolo Jacobo promulgata.* Idem dicendum est de S.

Tom. I.

Bonaventura. Ergo censent, Confessionem quoad formale, & essentialè esse de jure Divino, quod sufficit ad nostrum intentum. Ut solvas aliud argumentum ex facto Nectarii, qui dicitur, confessionem abrogasse in sua Ecclesia ad plura scandala inter fideles vitanda, vide supra Disp. 2. q. 1. n. 158.

377 Arguunt 5. Calvinistæ: Deus non jubet impossibilia; sed confessio omnium peccatorum est impossibilis: ergo à Deo non est instituta. Prob. minor. Calvinus: Peccata nostra innumera sunt, & non solum memoriam fugiunt, sed & intellectum: ergo impossibilis est eorum omnium integra confessio. Prob. anteced. ex Psalm. 19. ubi testatur David, se non posse sua peccata sigillatim recensere, dicens: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine: Et iterum, Ps. 38. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Confirmat. Illa saltem enumerativa confessio, & conscientie scrutatio nimium turbat pacem animæ, fiduciam in Deum minuit, & mentem vexat: ergo est onus importabile, alienum à suavitate Legis Evangelicæ, & Divinæ bonitatis.

378 Respondeo neg. minorem, & disting. anteced. probationis: Peccata leviora innumerabilia sunt, transeat: Graviora, neg. anteced. & consequ. Nam cum ista fiant majori cum deliberatione, & in materia gravi, ac conscientiam stimulent, non ita fugiunt memoriam, nec mentem. Et instatur Calvinus: Tam possibilis est confessio specialis peccatorum apud Sacerdotem, seu non est magis impossibilis, quam apud Deum; sed ipse Calvinus docet, fieri posse, & debere, accusationem omnium peccatorum coram Deo: ergo si hæc non est impossibilis, nec illa erit. Deinde, Calvinus falsum supponit: Nam supponit, exigi confessionem integram ultra possibilitatem moralem; quod falsum est, & suo loco

Mmm 2

pa-

patebit: Confirmatio tam falsa est, quam illius Auctor. Itaque, qui in examine conscientiae diligentiam moraliter possibilem adhibuit, & omnia, quae illi occurrunt, sincerè aperire intendit, acquirit, nonurbationem, sed potius magnam animae tranquillitatem, Deo ipso, qui corda novit, favente, & inspirante. Pro aliis objectionibus Calvini vide supra Disputat. 1. quæst. 8. num. 19.

379 Conclusio II. *Sacramentalis confessio in re, vel in voto, necessaria est necessitate medii ad remissionem mortalium, commissorum post Baptismum.* Dixi: *in re, vel in voto*: nam si aliquod impedimentum obstaret confessioni, & hæc esset moraliter impossibilis, sufficeret voluntas formalis, aut virtualis confitendi, quamprimum potuerit, & illud votum inclusam in vera contritione sufficit ad justificationem. Dixi etiam: *ad remissionem mortalium*: nam venialia non sunt de materia necessaria hujus Sacramenti, & aliis mediis possunt remitti, ut dictum est Disput. 2. quæst. 2. conc. 2. Dixi denique: *Commissorum post Baptismum*: Tum; quia aliter non pertinet eorum remissio, nisi ad Baptismum. Tum; quia Ecclesia non utitur potestate clavium, nisi in sibi subditos, & homines subditi Ecclesiae non fiunt ante Baptismum. Conclusio, quæ est communis, docetur à Subt. Doct. dist. 16. quæst. 1. ubi dicit: *Simpliciter necessaria est confessio, ut pars Sacramenti... Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae, lapsis post Baptismum, ad salutem necessarium.*

380 Prob. 1. ex Trident. Sess. 14. can. 5. *Universa semper intellexit Ecclesia, institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis, jure Divino necessarium esse.* Et superior dixerat, justificationem non adscribi contritioni perfectæ sine voto Sacramenti, quod in ea includitur.

ergo censet Concilium, peccata remitti non posse sine confessione Sacramentali in re, vel in voto. Probat. 2. Tum; quia Christus frustra dedisset Petro, & Successoribus potestatem remittendi, & retinendi peccata, & claves Regni Cælorum, si peccatores possent ingredi illud Regnum, sine confessione illorum; sed hoc possent, si istud Sacramentum necessarium non esset absolute, simpliciter, & necessitate medii: ergo. Tum ex PP. Fabianus Papa Epist. 2. de Poenit. ait: *Peccatores in batarum dilabi, nisi eis Sacerdotali auctoritate subventum fuerit.* Et D. Hieron. *Si erubescit, ægrotus vulnera confiteri medico, quod ignorat, medicina non curat.* Et August. ait: *Si pretendimus remissionem peccatorum, & ingressum Cæli sine Ecclesiae clavibus, frustramur Evangelium Christi: promittimus nobis, quod ille negavit: similia habent Tertullianus, Lactantius, & alii PP.*

381 Argues, tum: ex Evangelio non constat illa necessitas: ergo non est stabilienda. Prob. anteced. Si constaret, maximè ex illis verbis *Quorum remisistis &c.* sed hoc non probat illam: ergo. Prob. min. Ille textus intelligitur, tam de venialibus, quam de mortalibus; sed ad remissionem venialium non est sic necessaria confessio: ergo nec mortalium: ergo. Tum: sola Decalogi præcepta sunt de necessitate medii ad salutem: Christus enim aliud non exigit, ut dixit illi Juveni: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: ergo alia præcepta non sunt sic ad salutem necessaria. Tum; qui linguam nesciunt, aut muti, aut qui Confessarium non habent, non possunt confiteri; sed isti non damnantur, modo contriti sint: ergo confessio non est necessaria necessitate medii ad salutem.

382 Respond. ad 1. negand. anteced. & minor. & major. probationis. Textus enim ille per se intelligitur de mortalibus; quia mortalibus

bus solis clauditur nobis Regnum Cælorum, & sola hæc regulariter à Ministris hujus Sacramenti retineri possunt: per accidens verò intelligitur de venialibus, pro quibus necessaria non est confessio. Ad 2. nego anteced. Sunt enim alia mandata in lege positiva, præter illa antiqua Decalogi, inter quæ adest præceptum confessionis. Ut autem Decalogi præcepta servantur, ut oportet, necessarium est, quod impleantur alia imposta à superiore. Præterea, indubium debet esse, quod ista confessio necessaria est maximè pro transgressoribus mandatorum Decalogi. Ad 3. dico 1. quod talibus necessaria est confessio, saltem in voto, quod nobis sufficit. Dico 2. quod etiam illi homines ligantur aliquomodo præcepto huic, ut videbitur infra.

QUÆSTIO III.

An Ecclesia præcipere possit, ac præceperit peccatorum confessionem?

383 Concilium Trident. Sess. 21. cap. 2. declarat, Ecclesiam habere potestatem præcipiendi, & determinandi ea omnia, quæ spectant ad Sacramentorum administrationem, & susceptionem, sic dicens: *Declarat S. Synodus, hanc potestatem perpetuam in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipiendum utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Supposito itaque, quod confessio præcepta est jure Divino, quaeritur: *An ex hypothese, quod ita præcepta non esset, potuerit Ecclesia illam legitime præcipere, & defacto præceperit, ac tempus, quo factum sit, determinaverit?* Circa illius resolutionem non consentiunt Theologi, qui in tres sen-

tentias sunt divisi. Prima sententia est Durandi, docentis, confessionem omnium peccatorum, etiam internorum, ab Ecclesia præcipi non posse. Unde, aut non est præceptum annuæ confessionis, purè Ecclesiasticum, aut nullum esse præceptum, sed tantum consilium. Secunda sententia docet, Ecclesiam non potuisse determinare tempus confessionis faciendæ, nisi jam divino jure præceptum esset. Quare præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis tantum est determinatio, seu applicatio divini præcepti servandi, hoc aut illo determinato tempore. Ita Soto, & Canus. Tertia sententia, quæ verior, ac communior est, asserit præceptum annuæ confessionis non esse solam divini juris declarationem, aut determinationem, sed Ecclesiasticum præceptum verum, & reale, ad cujus observantiam omnes tenentur fideles.

384 Sed ut distinctè procedamus, est advertendum, quod est dupliciter obligatio adimplendi aliquod præceptum: una *immediata, & per se* alia *mediata, & per accidens*. Illa est, quæ oritur ex vi talis præcepti, & omni alio secluso præcepto, tam divino, quam humano. Sic est præceptum de agenda poenitentia à peccatore, maximè dum mortis periculum imminet. *Mediata, & per accidens*, est illa, quæ non præcipitur ratione sui ipsius, sed solum ex præcepto alterius rei faciendæ, quæ debite non fieret, nisi aliud præmitteretur, tamquam prævia dispositio. Sic Poenitentia dicitur præcepta, quoties ab homine, qui peccato mortali inquinatur, fuerit sumenda. Ecclesiam posse sic indirectè saltem, & ratione alterius præcepti servandi, præcipere actus, etiam purè internos, est communis sensus Theologorum, & docetur à Scotto in 3. dist. 27. ubi agens de obligatione charitatis, ait: *Actum illius posse præcipi ab Ecclesia, quantum ille est eliciendus, ut festa re-*

ligiosè serventur, & eo tempore debitus Deo exhibeatur cultus. Est igitur nunc difficultas triplex sub titulo quæstionis propositæ, nempe: An Ecclesia directè, & per se præcipere possit confessionem? De quibus peccatis fieri debeat talis confessio? Et qui ad hoc præceptum servandum teneantur?

385 Conclusio I. *Ecclesia præcipere potest, ac defacto per se præcipit; confessionem faciendam singulis annis.* Utraque Conclusionis pars expressa est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ubi sic statuitur: „ Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & iunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum; nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin, & vivens, ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens, christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis prædicetur, ne quisquam ignorantia cæcitate velamen excusationis assumat. “ In his Concilli verbis duo determinantur expressè. 1. Quòd facienda sit confessio. 2. Quòd facienda sit saltem semel in anno. Utrumque autem ab Ecclesia præcipitur, ut constat tam ex verbis hujus decreti, quàm ex gravi pœna, quæ infligitur transgressoribus ibidem.

386 Respondet Durandus, illam Ecclesiæ severam poenam perstringere eos, non qui omiserint faciendam confessionem, sed qui neglexerint suscipiendam Eucharistiàm tempore Paschatis. Sed contra: Tum; quia vocabulum *alioquin*, quod est comminatorium poenæ, ex æquo designat, & refertur, tam ad confes-

sionem, quàm ad communionem. Tum; quia Durandus militat contra seipsum: nam in 4. dist. 17. quæst. 8. circa medium quæst. subdit: Ecclesiam per auctoritatem Christi posse præcipere confessionem; sed hoc dicere nihil aliud est, quàm reverè fateri, Ecclesiam posse directè præcipere confessionem per auctoritatem, quam habet: nam Ecclesia à Christo habet totam suam auctoritatem, ac omnia, quæ præcipit circa administrationem, & susceptionem Sacramentorum, præcipit auctoritate Christi: ergo solutio nulla est. Tum; quia si præceptum confessionis faciendæ non esset distinctum à præcepto Eucharistiæ suscipiendæ, sequeretur, non esse quinque præcepta Ecclesiæ distincta, quod quidem est contra communem fidelium sententiam. Tum denique; quia Trident. explicans Sess. 14. Can. 8. præceptum Lateranensis erga confessionem semel in anno faciendam, nullam mentionem facit in illo Canonæ communionis Paschatis. Ex quo colligitur, Concilium significare, quòd confessio in Lateranensi præcipiatur, non tantùm per accidens, & medietate, nempe, ratione communionis, sed etiam per se, & immediatè: Ita quòd teneantur ad confessionem, etiam illi, qui aliunde excusarentur à præcepto communionis. Unde consequenter, qui annuam confessionem, & communionem in Paschate omitteret, duplo peccato peccaret.

387 Arg. Nulla lex potest præcipere actum, cujus transgressorem punire justè non potest; sed nulla lex humana potest justè punire illum, qui non confitetur peccatum occultum, & sibi soli notum: ergo de his peccatis confitendis non est præceptum Ecclesiasticum. Probin. Non potest punire illum, cuius non potest esse nota præcepti transgressio; sed Ecclesia non potest noscere certò, an peccator omnia sua occulta peccata, sive interna,

si.

sive externa, confiteatur: erg. Respondeo neg. minor. Potest enim Ecclesia legitime præcipere communionem faciendam, ut etiam Durandus fatetur, quamvis interdum punire non possit illius præcepti violatorem: ut si quis Eucharistiàm reciperet, ore tantùm, & illam non trajiceret in sthomacum. Et quidem, quòd Ecclesia præcipiat sepè ea, de quibus non potest facile judicare, ac cognoscere in foro externo, ac proinde nec punire transgressores, apparet ex præcepto horarum Canonicarum, recitandarum à Clericis diebus singulis, necnon auditionis Missæ diebus festivis: qui actus, & alii similes, aliquam certam requirunt intentionem internam, quæ satis agertè non manifestatur per externum opus. Sequitur ergo, quòd Ecclesia meritò præcepit, ac determinavit certum tempus, in quo adimpleri debeat præceptum illud Divinum, ut Sess. 14. docet Tridentin. supra laudatum, cui consonat Subtil. Doct. dist. 17. num. 14.

388 Si quæras: *Utrum Ecclesia præcipere potuisset confessionem, si Christus illam non præcepisset, sed eam liberam, & pro arbitrio cujuslibet reliquisset?* Respondeo negativè. Est dicere, quòd Ecclesia non potuisset præcipere illam, qualis defacto est præcepta, nempe, de omnibus peccatis mortalibus, etiam occultis. Ratio est; quia Ecclesia non potest præcipere rem tantæ difficultatis, nisi aliunde haberet, unde alleviaret ejus difficultatem, ut habet Sacramentum Poenitentia, quemadmodum docet Tridentinum, num. 371. adductum; sed Ecclesia non habet ex se conferre gratiam, nec peccatorum remissionem, ac hominis interiorem renovationem, uti habet absolutio Sacramentalis: ergo non habet unde alleviare possit talem difficultatem. Unde, si non obstante efficacità hujus Sacramenti, quod Deo hominem reconciliat, & ex quo, cum devotione percepto, consequitur pax

conscientia, ac serenitas, cum vehementi spiritus consolatione: Si inquam, hoc non obstante, multi ex Catholicis sunt, qui præ nimia verecundia divinum præceptum confessionis non implent, quod Ecclesia, semel in anno implendum, declaravit: quanto magis detererentur à tali præcepto implendo, si inde certò speranda non esset peccatorum remissio? Dicendum est ergo, quòd sicut Ecclesia præcipere non potest alicui, ut profiteatur statum religiosum, quem Christus liberum esse voluit, propter annexam difficultatem ipsi statui, non obstante, quòd aliunde habeat varias utilitates: ita, nec propter ejusmodi difficultatem potuisset Ecclesia præscribere hominibus obligationem confitendi peccata, si Christus, instituendo Sacramentum Poenitentia, ac designando, saltem implicitè, confessionem, illius usum reliquisset, penes poenitentium arbitrium, & libertatem. Hanc rationem approbat, & illustrat Scotus dist. 17. num. 9.

389 Dices: Illius est præscribere tempus faciendi aliquid, cujus est præcipere substantiam actus: nam tempus præcipitur accessorie ad actum, tamquam circumstantia ipsius; sed per nos, Ecclesia potest præscribere, & præscripsit, tempus confessionis faciendæ: ergo etiam illius usum præscribere posset, quamvis Christus illam non præcepisset. Dist. maj. quando substantia, & exercitium actus, non superat communiter humanam fragilitatem, concedo; quando superat, neg. major. & sic reliqua intellige. Itaque, circumstantia temporis confessionis faciendæ communiter non superat humanam fragilitatem: Substantia verò actus valde superat. Est enim confessio omnium mortalium pluribus tam difficilis, ut eam horreant, tamquam mortem, & malleat ferè mori, quàm quædam peccata confiteri, quin ulla arte, ac timore proposito inferni, possint ad confessionem induci, quodque constat.

tat ex pluribus confessionibus, quæ sunt sacrilegæ. Quare non potest rem, adeo difficilem, præcipere potestas humana, nisi sit maxima, ac ferè extrema necessitas. Sequitur ergo, quòd in casu, quo liberum esset à præcepto divino Sacramentum confessionis, Ecclesia eam præcipere non posset.

390 Conclusio II. *Omnes, & soli baptizati, postquam pervenerint ad annos discretionis, tenentur ad præceptum confessionis peccatorum mortalium: non verò venialium.* Loquimur de præcepto Ecclesiastico: nam de divino, respectu infidelium postea erit sermo. Prima Conclusionis pars est communis, & constat expressè ex verbis Concilii Lateranensis, Conclusionem antecedenti laudatis: & Tridentini quæst. anteced. num. 380. adductis. In illis enim decernitur, quòd omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur, semel saltem in anno; sed illæ voces etiam complectuntur omnes pueros fideles baptizatos, usus rationis compotes, peccati mortalis reos, & sibi conscios: ergo omnes adulti baptizati, etiam pueri, statim ac ad annos discretionis pervenerint, tenentur ad annuam confessionem ex præcepto Ecclesiæ. Minor constat: Nam qui ad annos discretionis pervenerunt, possunt discernere bonum, & malum, pudefieri de mendacio, vel alio simili peccato: possunt laudare pietatem, & agnoscere alias virtutes. Justum est igitur, quòd de peccatis suis confiteantur. Et advertendum cum Scotto dist. 17. quòd per adultum non intelligitur fidelis tantæ, vel tantæ ætatis; sed quòd habeat ætatem ad cognoscendum justum, vel injustum contra legem Dei. Ex quo nullum adultum excipit Doctor à lege Ecclesiastica annuæ confessionis. Et meritò; quia ubi lex ipsa non distinguit, nec nos distinguere debemus; sed illa lex Lateranensis obligans omnes

fideles universali statuto, non excipit pueros, nec ab aliis fidelibus distinguit illos: ergo tenentur ad hoc annuale præceptum implendum. Ex dictis sequitur, quòd infantes, & perpetuò amentes, aut pro tempore, quæ carent usu rationis, non tenentur ad confessionem: non enim sunt capaces actuum, qui sunt essentiæles confessioni, non discernunt peccata, nec sunt capaces meriti, nec demeriti.

391 Arg. Tum: in Lateranensi statuto equalitèr præcipitur confessio, ac communicatio; sed communicatio pueros non obligat statim, ac pervenerint ad discretionis annos: ergo nec confessio. Tum; ab opposito: Infantes debent baptizari: ergo & confiteri: non enim sunt magis capaces actuum Baptismi, nempe, fidei, intentionis &c. quàm confessionis.

392 Respondeo, non deesse Auctores, qui affirmant, idem esse tempus discretionis ad confessionem, & communionem: ita ut quilibet puer, cum ad annos discretionis venit, & obligatus est lege confessionis, obligatus etiam sit Eucharistiam recipere, nisi tempus prorogetur à confessorio expressè. Et ratio est; quia omnibus fidelibus equalitèr imponitur præceptum annuæ confessionis, & Paschalis communionis. Potest etiam responderi, sufficientem colligi diversitatem ex ipsis Concilii verbis: nam communicatio præcipitur cum hac limitatione: *Nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Hæc autem causa rationabilis prudenter æstimatur esse, quamdiu plene nondum agnoscit hujus Sacramenti dignitatem, & excellentiam, ut ad illud accedat cum debita reverentia. Ad 2. neg. consequent. Disparitas venit ex voluntate Christi, instituentis Baptismum pro infantibus, & etiam pro amentibus: ita ut ad eos baptizandos sufficiat fides, & consens-

sus Paratum, aut Ministrorum. Non ita est de confessione, ut per se est notum. Deinde: In illo Infantes se habent, mere passivè, in ista poenitentia se habet activè: Illi peccaverunt voluntate aliena, iste propria: Est ergo clara disparitas.

393 Sed quo anno, interrogat, incipit hæc obligatio annuæ confessionis? & adsit in pueris sufficiens usus rationis? Respondeo; non posse à nobis certò determinari, quo anno incipiat determinatè: nam, ut innuit Scotus num. 18. in multis ante ætatem consuetam, v. g. ante annum septimum, malitia supplet ætatem: & non tantum in malis, ut communiter dicitur; sed etiam in bonis, juxta illud in legenda S. Agnetis; *Fides non computatur in annis.* Unde, nec Concilium Lateranense ullum certum ætatis annum determinavit, sed absolutè dixit: *Postquam ad annos discretionis pervenerint, relinquens discretioni, & judicio Pastorum, ac Confessoriorum, ut decernant, ac determinent istud.* Plerumque enim fit, quòd aliqui anno septimo suæ ætatis maturiores sint ingenio, & de rebus fidei melius, ac perfectius informati, quàm alii anno duodecimo. Quare Catechismus Romanus cap. 17. appositè ait: *Neque tamen ea ætas aliquo annorum numero definita est, sed illud universè statuendum videtur, ab eo tempore confessionem puero indictam esse, cum inter bonum, & malum, discernendæ vim habet, in ejusque mentem dolus cadere potest &c.*

394 Secunda Conclusionis pars, scilicet, fideles non teneri ad confessionem annuam venialium, est probabilior, & videtur doceri à Subt. Doct. dist. 17. num. 25. ubi ait: *Videtur, quòd nullus tenetur ad confessionem venialium... quia peccatum veniale stat cum perfecta charitate, quæ est navis salvans.* Igitur ex menti Scoti, qui peccata venialia dumtaxat haberet, non tenetur ad annuam confessionem, ex præcepto Ec-

Tom. I.

clesiæ. Idem docet S. Thomas in hac dist. quæst. 3. art. 1. quæstioncula 3. ad 3. Deinde probatur: In Lateranensi Concilio præscribitur gravissima poena eis, qui tale præceptum non implent, nempe, ejectio ab Ecclesia, & privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, ut dictum est supra Conclus. r. num. 385. sed non videtur rationi consentaneum, poenam adeo gravem infligere ei, qui peccata venialia recusaret confiteri: ergo tale præceptum non adest. Confirmatur: Præceptum Ecclesiasticum de annuæ confessione est determinativum præcepti divini; sed divinum præceptum non obligat, nisi ad confitendum mortalia: ergo nec Ecclesiasticum. Minor docetur à Trident. Sess. 14. cap. 5. dicente: *Venialia, quibus de gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, & utiliter in confessione debentur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis excipiari possunt.* Deinde: Hoc Sacramentum institutum est ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, ut ait Trident. sed qui non habent peccata mortalia, non indigent reconciliatione, nec talia peccata sunt materia necessaria confessionis Sacramentalis: ergo. An verò possit Ecclesia præcipere venialium confessionem? Responsionem affirmativam invenies Disput. 2. quæst. 2. ad ultimum illius, ubi hoc quæritur, num. 175.

395 Arg. Tum: finis Sacramentalis confessionis annuæ est, ut quis accedat ad Eucharistiam majori cum reverentia, & ut Pastor suas cognoscat oves, ut loquitur Lateranense; sed venialium confessio ad utrumque valde confert: nam ex illorum notitia Pastor statum conscientiæ subditi intelligere potest, ut salutaria monita ad vitanda mortalia, ei præset; & similiter immunitas à venialibus maximè confert ad dignam Eucharistiæ receptionem: ergo etiam

Nun

ve.

venialia confiteri debent. Tum: Peccatum veniale est materia confessionis: ergo sufficit ad obligationem confitendi. Tum: si habens solum venialia non teneretur ad confessionem, posset ab illa eximi. pro toto tempore vitæ; sed hoc videtur non posse dici: ergo.

396 Respondeo, majorem veram esse ex congruitate, non ex necessitate. Ut enim Pastor ovis sibi commissæ statum, & conscientiam percipiat, satis est, quod in tali casu poenitens se Sacerdoti ostendat, & dicat, se non habere conscientiam alicujus mortalis ream. Sed cognoscet, poenitentem solum venialia commisisse? Nonne, quia ipse ita dicit? Utique. Nec aliam certitudinem posset habere de propriis venialibus, si de eis confiteretur, quam modò habet de ejus innocentia per testimonium illius. Unde in Extrav. de Offic. Ordinarii cap. significavit, dicitur: *Confitenti poenitentialiter in omnibus credendum est; quia non est verisimile, quod quis sit immemor sue salutis.* Eodem ergo modo debet credere venienti, & dicenti, non habeo conscientiam peccati mortalis. Hæc Doct. Subt. fere ad litteram. Ad 2. disting. anteced. est materia sufficiens, & voluntaria, concedo necessaria, nego anteced. & consequent. Hoc Sacramentum est reconciliativum hominis cum Deo, & ut ait Trident. secunda tabula post naufragium. Cum autem veniale non dissolvat amicitiam cum Deo, nec sit animæ naufragium; tali tabula, nec reconciliatione eget homo, qui non habet mortale peccatum. Ad 3. nego minorem, ex suppositione, quod in totius vitæ decursu non peccaret: hoc autem est valde difficile, & id eo pauci erunt, qui excusentur à confessione.

Aliquæ solvuntur difficultates, ex proximè dictis exortæ.

397 **D**ifficultas I. *An Infideles teneantur ad præceptum divinum confessionis faciendæ? Idem est, ac quærere; An jure divino teneantur ad confessionem suorum peccatorum, sicut tenentur ad Baptismum? Quod non teneantur Infideles præcepto Ecclesiastico, est notum; quia Ecclesia nullam habet auctoritatem in nondum baptizatos, ut docet Apostolus 1. ad Corint. cap. 5. *Quid mihi est de his, qui foris sunt, judicare? Ad difficultatem propositam, affirmat Hiquæus, cum aliis existimantibus, Infideles teneri ad hoc divinum præceptum, sicut ad Eucharistiam, & Baptismum tenentur. Verum sententia docens, non teneri præcepto divino, nec ad Eucharistiam suscipiendam, nec Poenitentiae Sacramentum, videtur verior, & communior. Ratio est; quia præceptum divinum confessionis solum obligat baptizatos, qui mortaliter peccaverunt. Unde Trident. docet, hoc Sacramentum institutum esse ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos. Docet etiam, quod Christus instituit *Sacerdotes judices, ad quos omnia mortalia deferuntur.* Nunc sic sed Infideles non sunt lapsi post Baptismum, cum non susceperint illud, nec possunt per Sacramentalem Poenitentiam reconciliari cum Deo sine Baptismo suscepto; quia hic est janua aliorum Sacramentorum, nec Sacerdotes sunt Infidelium judices, cum illi sint extra potestatem Ecclesiæ: ergo non tenentur jure divino ad Confessionem Sacramentalem.**

398 Dices I. Jus divinum extenditur etiam ad Infideles; sed per nos obligatio ad confessionem in se est de jure divino, licet annua confessio sit de Ecclesiastico: ergo quamvis Infideles non teneantur ad annualem confessionem, tenentur ad se aliquando in vita confiteri. II. Qui

tenetur ad totam legem, tenetur ad singulas ejus partes; sed Infidelis quilibet tenetur ad totam divinam legem: ergo & ad hanc partem. III. Infidelitas non eximit ab obligatione Baptismi suscipiendi: nam præceptum illud: *Nisi quis renatus fuerit* &c. omnes omnino homines comprehendit: obligantur etiam Infideles ad Eucharistiam; quia hoc præceptum intimatum fuit non baptizatis, nempe Judæis, quibus Christus dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c. Ergo & obligantur ad confessionem, quæ ad Eucharistiam disponit: Patet consequens: alias emolumentum traherent ex infidelitate, nempe, hanc exceptionem, quod absurdum est valde; quia nulli sua iniquitas prodesse debet. Confirmatur ex Scoti dist. 17. n. 29. ubi ait: *Si confessio esset tantum præcepta jure Ecclesiastico, non videretur, quod Infideliter tenerentur ad præceptum de confessione; quia ex Apostolo: Quid mihi est de his, qui foris sunt? Sed juxta Scotum, confessio est de jure divino: ergo obligat non baptizatos.*

399 Respondeo ad 1. disting. minor. Est de jure divino respectu hominum, qui capaces sunt hujus Sacramenti, concedo: qui sunt incapaces, neg. minor. & consequ. Infideles enim non sunt capaces Sacramenti Poenitentiae, quod institutum est pro remittendis peccatis, post Baptismum commissis. Cum enim Infideles sint extra Ecclesiam, incapaces sunt hujus Ecclesiæ Sacramenti. Ad 2. disting. maj. Tenetur ad singulas partes, quantum est capax, concedo: simpliciter, & absolute, seu quarum non est capax, nego major. ob datam rationem: alias etiam tenerentur infantes, & amentes; quia isti subsunt divino juri. Ad 3. concedo, quod obligantur ad Baptismum Infideles, nego eandem obligationem de Eucharistia suscipiendæ: Omnis enim homo, post sufficientem Evangelii prædicationem, de-

Tom. I.

bet Baptismum suscipere, si consequi velit æternam salutem: nam ex Christi voluntate, & institutione, Baptismus est necessarius ad illam consequendam necessitate mediæ. Non ita est de receptione Eucharistiæ, ut dictum manet in suis Tractatibus respectivè. Nec ex infidelitate sequeretur aliquod emolumentum Infidelibus: quin potius beneficio hujus Sacramenti privantur: nec illa obligatio censenda est onerosa, sed valde salutaria, propter sæpè dicta. Unde maxima est poena illa incapacitas, & privatio, donec susceperint fidem per Baptismum.

400 Ad Confirmationem neg. consequentiam. Scotus itaque sic argumentatur, non ex sua mente, & sententia, sed ad hominem contra illos Canonistas, qui putant, hoc præceptum non esse de jure divino, sed tantum de Ecclesiastico: & volunt aliunde, divina præcepta omnes omnino obligare. Deinde: Hæc obligatio potest esse mediata, id est, mediante obligatione ad Baptismum, quo suscepto, jam tenerentur immediate ad confessionem mortalem, post Baptismum commissorum. Hoc verò contra nos non militat; quia solum loquimur de obligatione immediata. Fortè in hoc sensu Ricardus, Sylvester, Hiquæus in Commentario ad dist. 17. Doct. tenent, Infideles jure divino teneri ad confessionem Sacramentalem. Præterea: adhuc supposita obligatione ad Baptismum, possunt Infideles non obligari ad confessionem, ut eveniret, si post Baptismum non peccarent mortaliter.

401 Difficultas II. *An qui praevidet, non posse intra annum confiteri, teneatur ad confessionem dum sic praevidet? Casus est: Petrus praevidet, se non posse confiteri per undecim menses unius anni; quia navigaturus est, aut peregrinaturus in remotam Regionem, ubi non habebit copiam Confessoris. Quæritur ergo: An ex tunc teneatur confiteri, antequam incipiat navigationem, aut*

Nana

pe-

peregrinationem? Respondeo affirmative. Probatur: Præceptum de confessione faciendâ præscriptum est pro toto anno, & pro qualibet parte illius, ut omnes communiter concedunt: ergo in qualibet parte anni potest impleri: ergo qui non potest in aliis anni partibus illud implere, tenetur hic, & tunc ei satisfacere. Prob. consequent. paritate illius, qui die festo non potest audire Missam hora undecima: hic enim tenetur illud tempus anticipare, eo quod totum tempus ante meridiem præscriptum est pro illius præcepti adimplitione. Confirmatur: Nemo debet se exponere periculo peccati, & transgressionis alicujus præcepti; sed ille se exponeret, si operaretur aliter: nam ex tunc fieret voluntaria, saltem in causa, ommissio præcepti: ergo.

402 Dices: Qui prævidet, se impediendum à jejunio die Sabbati, non tenetur illud tempus anticipare, jejunando die Veneris: pariter, qui prævidet, non posse audire sacrum die festo, non tenetur audire die antecedenti, & similiter de obligatione recitandi Horas Canonicas, cujus recitatio unius diei pro alio non debet anticipari: ergo pari ratione, qui prævidet, se impediendum ab impletione præcepti confessionis faciendæ per reliquum spatium anni, non tenetur illud tempus anticipare.

403 Respondeo neg. parit. Ratio disparitatis est clara: nam obligatio recitandi, audiendi Missam, aut jejunandi, non incipit ante diem illum præfixum, quo satisfaciendum sit præceptum; & idèo quantumvis tempus illud præveniret, tali obligationi minime satisfaceret. Non autem ita est de obligatione confitendi; quis cum hæc annua sit, à primo die anni incipit, & usque ad ultimum diem perseverat. Unde, illa obligatio non debet impleri illo primo die, sed mihi est liberum, si ita velim, primo die ei satisfacere: ac

proinde, dum prævidet, me aliis diebus illud debitum non posse exolvere, teneor ipso primo die, quo jurat, illud implere. Quare discrimen inter præceptum confessionis faciendæ singulis annis, & præceptam recitandi Horas Canonicas, jejunandi, audiendi Sacrum diebus festis, & Eucharistiæ suscipiendæ tempore Paschatis, in hoc consistit, quod in his præceptis præscribitur tempus executionis illorum, tanquam illius diei, & temporis tributum: idèo que cum ipso die expirat obligatio. At vero, præceptum confessionis per totum annum obligat, & in qualibet die illius anni adimpleri potest, & debet, si aliud tempus non adsit. Hinc ortum est illud, quasi prologium, scilicet, quod hoc præceptum non est ad diem futendum, si aut sunt illa alia, sed ad diem non differendam.

404 Difficultas III. Unde sit in-
advandus annus, intra quem viget hoc
Confessionis Ecclesiasticum præceptum? Pures sunt modi dicendi in hoc particulari. Alii illum annum dicunt, posse computari ab uno Paschate ad aliud sequens: alii ab una quadragesima in aliam sequentem: Alii à die, quo facta est confessio ultima ad eundem diem anni sequentis: alii à prima die Januarii, usque ad ultimam Decembris. Hæc ultima anni computatio communior est, ait Frassen, & securior. Ratio illius est; quia quando Ecclesia præcipit annuam confessionem, debet accipi annus secundum communem supputationem, quæ est à prima die Januarii usque ad ultimum Decembris. Addit verb, & rectè, quod quocumque ex aliis modis assignatis impletur præceptum annuæ confessionis, præscriptum à Lateranensi. Hoc non obstante, quamvis sic sufficienter præceptum hoc adimpleatur, quia non determinat tempus, congruenter, & communius adimpleatur in Quadragesima, ante, vel in ipsa Pascha, & dum quilibet Christianus ex

præcepto Ecclesie communicat. Ita Scotus citatus: quod approbat Tridentinum Sess. 14. cap. 4. dicens: *Item in universa Ecclesia cum ingenti animarum fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo tempore Quadragesima: quem morem hæc S. Synodus maximè approbat.*

405 Difficultas IV. An qui omisit Confessionem intra annum, penitenti teneatur statim initio anni sequentis? Affirmativa responsio videtur probabilior. Ratio est; quia quando tempus non præscribitur, ut terminus, quo expirat præceptum, sed tantum ultra quod differri non debeat ejus executio, adhuc illo tempore elapso, obligat illud præceptum; sed in constitutione Lateranensi non positus tempus anni, ut terminus, quo expiret præceptum, sed ultra quod differri non debeat præcepti confessionis adimpletio: Nam illa verba: *Ut saltem semel in anno confiteatur*, equipollent his, *ne ultra annum confiteri differat*: ergo. Major constat ex eo, quod, quando præfigitur certum tempus alicui debitori ad solvendum debitum, eo tempore transacto, debitor ille semper manet obligatus ad illud debitum solvendum: non enim tempus fuit illi præfixum, ut in eo expiraret debitum, sed ne ultra illud differretur debiti solutio. Hac non obstante ratione, oppositum rationabilius videtur mihi, nempe, ad id non teneri, si per hoc intelligatur, quod teneatur bis in illo anno confiteri; una propter præceptum anni præteriti, alia propter præceptum novum anni sequentis; quod quidem videtur sequi. Ratio est; quia, qui omisit jejunium unius vigiliæ, non satisfacit in rigore, & ex vi præcepti, jejunando alia die: ergo pariter. Dixi, *ex vi præcepti*: nam optimè faciet, si per unam, vel plures confessiones compenset omissionem, in quantum poterit, sicut bene ageret, si propter fractionem jejunii alia die jejunaret. Hinc quis

tur, per confessionem invalidam non adimpleri hoc præceptum; quia hæc non est confessio vera, à Christo instituta, & ab Ecclesia præcepta. Sequitur etiam, quod si quis tantum haberet venialia, de quibus confessus est in anno, si postea mortaliter peccet, tenetur vi hujus præcepti confiteri iterum intra eundem annum. Ratio est; quia confessio venialium non cadit sub præceptum, ut diximus; ergo hoc ipso, quod intra annum mortalia habeat, ex hoc præcepto tenetur confiteri illa. Modo quo, qui per annum abstineret à mortali, non teneretur confiteri, quia non habet materiam necessariam confessionis.

406 Difficultas V. An muti teneantur per signa confiteri? Respondeo affirmative. Probatur: Tum, si quid eos eximeret ab hac obligatione, maximè, quia non possunt loqui, & peccata verbis exprimere; sed hoc eos non eximit: ergo. Probius minor. Possunt exprimere ea aliis signis: sicut expriment alios suos conceptus, & desideria: ob quod, nuntibus possunt contrahere Matrimonium: ergo & exprimere peccata. Tum: Muti non dispensantur à Legge Evangelica, & possunt mortaliter peccare, ac teneantur ad alia præcepta, & Sacramenta: ergo & ad istud: nam de isto, & de aliis, eadem est ratio. Tum denique ex praxi Ecclesiæ, quæ eos admittit ad confessionem, & absolutionem: ergo eos censet capaces hujus Sacramenti: ergo ipsi ad illud tenentur. Unde in Concilio Arausicano I. dicitur: *Si poenitens obmutescit, & nuntibus confiteatur, absolvendus est.*

407 Arg. I. Confessio debet esse vocalis, æquè, ac absolutio: Nam in Florentino dicitur *oris confessio*; sed in mutis non potest esse vocalis: ergo non tenentur ad confessionem. Præcaveretur solutio: ut fiat valide per signa illa confessio, deberent intelligi talia signa à Sacerdote, & ab ipso mutis; sed neutrum dici potest: ergo.

ergo Prob. minor. Ipse mutus deberet doceri, hæc signa, per quæ se explicare posset, esse de singulis peccatis; & similiter Sacerdos debet scire, quid singula significant; sed neutrum est moraliter possibile, & maxime si poenitens mutus simul sit surdus: ergo. 2. Qui non habet copiam Sacerdotis, excusatur ab hac obligatione: ergo à fortiori mutus; quia in isto est major difficultas, & quasi physica impossibilitas. Præterea: muti, & surdi, non possunt doceri obligationem præcepti, nec alias condiciones essentielles confessionis Sacramentalis: ergo nec ad illam obligari, quia in illis impossibilis est debita impletio præcepti.

408 Respondeo ad 1. distinguendo major. Debet esse vocalis regulariter, & quoad potest fieri, concedo: absolute, & semper, ita ut nec valida, nec necessaria sit, quando non potest fieri vocaliter, bene verò aliter; neg. major. Ad id, per quod præcavetur solutio, nego utramque minor. Confessio itaque in casu non posset fieri vocaliter, seu non esset formaliter confessio oris: at verò per aliqua signa, sufficienter significativa, esset talis æquivalenter. Nec dici potest, talia signa non posse exprimere: nam experientia docet, nullum esse mutum, qui per aliqua signa aliquomodo non explicet sua desideria, ac cogitationes. Non enim sunt magis indisciplinabiles, quam animalia bruta; & ista non sunt omnino indisciplinabilia. Ad 2. nego consequentiam, si intelligatur absolute, & per se; & concedo, si esset æqualis ratio, & impossibilitas, quæ cogitari non potest, nisi metaphysicè. Cum enim deest Sacerdos, qui sciret, quid mutus, & signa muti, significant, tunc utique excusaretur à confessione; quia perinde esset, ac si nullus Sacerdos esset præsens. Nec est verum, quod muti doceri non possunt obligationem præcepti: possunt enim quamoptime per exempla aliorum, & per

aliqua signa, sicut & de aliis pluribus rebus.

409 Difficultas VI. *An ignorans idioma teneatur confiteri per interpretem?* Casus est, si poenitens non callet idioma Sacerdotis, nec Sacerdos idioma poenitentis, & adest tertius, qui callet linguam utriusque. Respondeo, id aliquando licere: non verò tenetur quis ad talem confessionem. Per hanc distinctionem, quoad licitum, & quoad obligationem, conciliari possunt aliquomodo Doctores, quorum aliqui absolute negant, & aliqui absolute affirmant, confessionem fieri debere in tali casu per interpretem. Utraque resolutionis pars constat ex Trident. Sess. 14. cap. 5. dicente: *Cæterum, quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis... in sui humiliationem, delicta sua confiteri possit, non est tamen hoc divina decreto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præcipitur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Ex quibus constat, non esse prohibitam confessionem per interpretem, & aliquando licere propter humiliationem, aut aliam christianam virtutem: non verò ad illam aliquem teneri divino, aut humano jure. Hæc est sententia communior inter Scotistas, & alios, cum Subt. Doct. dist. 17. n. 31. ubi non approbans opinionem dicentium, illum confiteri debere per interpretem, dicit: "Forum istud ex natura sua est secretissimum: ergo non tenetur aliquis ad istud forum, aliquomodo publicum. Sed licet interpret velit celare, & tenetur, sicut Sacerdos: tamen, si velit malignari, ipse, & Sacerdos, possunt esse testes contra accusatum: & ita ex natura hujus actionis, hæc accusatio potest venire in publicum, & ita non est poenitentialis. Ex verbis, tam Tridenti quam Scoti, formatur hæc ratio: Confessio Sacramentalis est in-

ti-

titutione divina debet esse secreta: nam Christus, qui fraternam correctionem jubet fieri privatim inter te, & ipsum solum, noluit præcipere confessionem publicam de peccatis occultis: ergo qui non potest secretò confiteri, non tenetur ad confessionem. Nunc sic: sed confessio per interpretem ex natura sua non est secreta: ergo homo non tenetur ad eam. Prob. minor. subs. Hæc confessio posset publicari: nam, ut Scotus inquit, interpret, & Sacerdos, si velint malignari, possent esse duo testes contra confitentem: Et in ore duorum, vel trium, stat omne verbum: ergo.

410 *Ang. Confessio coram solo Sacerdote est secreta: ergo, & coram interprete.* Prob. consequentiam. Ideò est secreta coram Sacerdote; quia hic tenetur jura dividere, & naturali non revelare; sed ita est de interprete: ergo tam secreta est per interpretem, quam coram solo Sacerdote. Explicatur hæc ratio: Ideò non esset secreta per interpretem, quia timeretur publicatio confessionis; sed hæc non est timenda: ergo debet fieri. Prob. min. Non debet timeri de fidelitate interpretis, magis quam Sacerdotis, quia tenetur ad secretum eodem jure; sed non timetur de fidelitate Sacerdotis: ergo. Confirmatur: Si eximeretur peccator ab hac obligatione, esset propter detrimentum fidei; sed ista ratio non semper valet: ergo. Prob. min. Qui habet peccata reservata, quæ confiteri non vult superiori, tenetur ab eo petere licentiam absolvendi ab alio Confessario; sed tunc peccata deberet revelare pluribus: ergo illa ratio non valet.

411 Respondeo negand. consequentiam, & disting. ejus probationem: Ideò tantum, nego: Ideò, & alia specialissima ratione, concedo major. Hæc ratio est; quia Sacerdos solus, quando ex sacrilega perfidia vellet confessio revelare, dicta ejus solius nullam faceret fidem, sicut duo facer-

ent, & hæc est ratio claræ disparitatis. Ad explicationem nego minor. & disting. minor. probationis: De fidelitate Sacerdotis solius, & seorsim, concedo: Simul cum interprete, neg. minor. Ratio est jam data, nempe, quia Sacerdos solus, & seorsim, nullam facit fidem, sicut faceret cum interprete, & ambo simul possent confessio publicare ex malignitate. Ad Confirmationem, quam Adversarii putant convincentem, omitto majorem, & nego minorem, ac minor. probationis. Præcipua ratio, quare talem obligationem non habet, est; quia Christus noluit illam illi imponere, nec imposuit, ut patet ex ratione probativa nostræ assertionis.

412 Præterea, argumentum est falsum, & non valet. 1. Quia ille potest confiteri soli superiori, qui tenetur eum audire. 2. Quia cum plura reservari soleant eidem superiori, poterit in confuso licentiam petere pro reservato, illud non specificando; & ita superior sciet, illum habere aliquod reservatum, sed nesciet speciem illius. 3. Quia qui commisit reservata, & non vult ea confiteri superiori, videtur hac ratione renuntiasse suam exemptionem. 4. Potest obtinere ab ipso Confessario inferiore, ut ipse petat licentiam absolvendi, non declarando, ut debet, personam poenitentis. Hæc autem omnia rationem argumenti invalidant, quin obstat, quod poenitens pro humilitate, vel pro salutis securitate, possit non uti hac libertate, adhibendo interpretem. Potest itaque sic confiteri, & deberet facere saltem in periculo mortis, & æternæ salutis: nam quamvis contritio vera sufficeret, de illa certò præsumere non deberet.



QUÆST.

QUÆSTIO IV.

In quibus aliis casibus obliget præceptum, tam divinum, quam Ecclesiasticum, confessionis?

413 **P**ræceptum confessionis absolute, & indeterminate esse divinum, & Ecclesiam aliquod tempus præcepisse, ultra quod non debeat differri, nempe, semel in anno, jam superioribus quæst. diximus: quin obstet, quin potius est valde laudabile, quod aliis temporibus, & sæpius fieri possit. Sed quia multæ sunt occasiones, in quibus obligare poterit divinum præceptum ex natura rei, præcisive ab annuali confessione, dubitari potest: an dentur casus, in quibus poenitens taneatur ex jure divino confiteri? Nempe: an in periculo mortis, vel damnationis? An statim, ac mortaliter peccavit? An dum aliquod Sacramentum sit recepturus, aut ministraturus? Et quidem id ipsum quod dicitur de præcepto divino, intelligendum est etiam de Ecclesiastico: nam Ecclesia præcipit, præceptum divinum, tempore quo obligat, adimpleri. His præmissis:

414 **Conclusio I.** *Quilibet Christianus tenetur præcepto divino confiteri, quando imminet periculum damnationis, & mortis, si peccata mortalia habet: non autem, per se loquendo, statim ac peccavit mortaliter.* Est communis, & docetur à Subt. Doct. dist. cit. in qua, & clarius in Reportatis, specificat casus, in quibus hoc divinum præceptum urget, ut in infirmitate mortali; quando quis aggreditur actus arduos, in quibus sit verisimile, quod mors immineat; in bello mortali, vel naufragio, & hujusmodi. Prob. prima pars: Præceptum divinum confessionis pro aliquando obligat, ut est evidens; sed nullum tempus aptius potest assignari, quam instante mor-

te ex morbo, vel alio periculo imminente: ergo. Prob. minor. Omnis homo ex charitate naturali, ac divina, debet esse sollicitus de sua eterna salute, & tenetur providere animæ suæ, contra periculum imminens damnationis, ut esset, si conscius peccati mortalis moriatur impenitens, & sine confessione; sed nunquam magis, quam in illis casibus imminet periculum damnationis: ergo. Confirmatur: Tum ex praxi Ecclesie, quæ sollicita est in talibus casibus, ut moribundos inducat ad hoc Sacramentum, & alia suscipienda. Tum ex dictis de necessitate contritionis; sed eadem est obligatio contritionis, & confitendi; quia contritio in Evangelica lege includit votum confitendi, ut Tridentinum, sæpius adductum, docet: ergo.

415 **Probatur secunda pars i. ex** Scoto cit. qui magis inclinatur in sententiam asserentium, Christiano sufficere, quod post peccatum habeat votum confitendi tempore Paschatis: ergo non obligat statim, ac peccatum commisit. Prob. 2. Si esset talis obligatio, deberet exprimi semper in confessione tempus, in quo talia mortalia commissa sunt; sed hoc est contra Ecclesie praxim, ac Theologorum mentem: ergo. Major constat: nam quoties adfuit commoditas confitendi, & non est confessus, toties mortaliter peccaret contra hanc obligationem: & si illud non exprimeret, confessio non esset integra. Confirmatur: Si peccator statim post mortale deberet confiteri, Ecclesia tempus ad semel in anno non providere determinasset, ut Scotus contra aliquos arguit: quinimo hoc præceptum potius, quam reformatio, videretur relaxatio, quod dicere est absurdum: ergo non constat de tali præcepto: ergo gratis asseritur. Ex quo colliges, obligationem confessionis non urgere tempore gravis tentationis: Tum; quia aliàs Ecclesia non debuisset coarctare obligationem ad semel in anno, sed ad

tempus, quo tentationes occurrunt, extendisset. Tum; quia ex Ecclesie praxi, nec poenitentes confiteri solent, nec interrogari de omissione confessionis in casibus tentationis, quæ tunc esset grave peccatum contra talem obligationem. Tum; quia plurimi sæpissime, & quasi continue, deberent confiteri, cum veniantur tentationibus, quasi continue.

416 **Arg. adversus primam partem:** Non est potior ratio pro periculo mortis, quam pro alio quovis tempore; sed non est in aliis temporibus: ergo nec in isto. Prob. major. Tum; ratio talis obligationis in illis casibus est reconciliatio cum Deo; sed hæc militat pro quovis tempore, & consequi etiam potest per contritionem: ergo. Tum: Deus nullum determinat tempus: ergo gratis illud ad tales casus determinamus. Respondeo negand. major. & dist. major. probationis: Est reconciliatio absolute, & præcisive; nego: in ea circumstantia speciali, conc. major. & sub hac distinctione neg. min. Hæc enim obligatio præcipue venit; quia in illis periculis urget singulariter necessitas reconciliationis, quæ aliter non potest obtineri. Et quamvis obtineatur per contritionem, cum contritio contineat votum confitendi, debet tunc hoc votum adimpleri: Ad 2. major. probationem distinguo antecedens: Non determinavit explicitè, concedo: implicitè, nego anteced. Itaque, hoc ipso, quod Deus pro aliquando præcepit confessionem, satis patet, quod eam præceperit in illis casibus, in quibus imminet proximum damnationis periculum, si non confiteatur, & per absolutionem Sacramentalem peccata certo remittantur.

417 **Arg. 2. contra secundam partem Conclus.** In Scriptura dicitur: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas:* ergo sine dilatione debemus confiteri post peccatum: nam si sine confessione non est bona conversio.

Tom. I.

Confirmatur: Jus divinum præcipit confiteri: ergo in aliquo tempore. Sed non potest post peccatum assignari aliud tempus, quam prima opportunitas: ergo tunc urget præceptum. Respondeo, neg. consequenti. Conversio enim per contritionem, quæ includit votum confitendi suo tempore est, quæ in illis textibus intelligitur, & hæc sufficit conversio post peccata. Ad Confirmationem neg. anteced. Nam periculum mortis est tempus satis determinatum: quo periculo non imminente, sufficit, quod confessio fiat tempore ab Ecclesia determinato. Vide alia plura argumenta Disput. 1. quæst. 6. quæ inquirunt: *Quando obligat præceptum de poenitentia agenda?* Et Conclus. 1. num. 90. *prohibetur:* præceptum poenitentiae non obligat statim post peccatum commissum. Ubi, & in sequenti Conclus. plura argumenta infruuntur, & plures occasiones, in quibus obligat, expenduntur, præcipue n. 97. & 98.

418 **Conclusio II.** *Habens peccatum mortale debet confiteri, quando tenetur Eucharistiam recipere: non vero quando aliud Sacramentum ministrat, aut recipit.* Conclusio quæ ad primam partem est certissima, & probatur 1. ex Trident. Sess. 11. dicente: *Ne tantum Sacramentum indignè, atque idè in mortem sumatur, statuit, ac declarat ipsa S. Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessarè præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis dixerit contrarium, eo ipso excommunicatus existat.* Id ipsum docuerat Scotus dist. cit. dicens, quod peccator debet confiteri, quoties exercet aliquos actus, quibus debetur reverentia specialis, ut quando vult communicare; quia habita opportunitate Confessoris, nullus debet sine confessione communicare. Ex quibus aperte constat, quod nullus peccator, quantumvis sit contritus, & per

Ooo

con-

contra castitatem, committit sacrilegium: si est uxoratus, erit adulterium &c. Quid respicit actum, non in se, sed in aliqua qualitate superaddita ejus entitati; vel in quantitate materiae, circa quam peccatur, ut si res sacra furetur, vel si sit in quantitate tam notabili, quod illud peccatum aliqua censura sit prohibitum, aut reservatum. Ubi designat locum, in quo peccatum committitur. At verò aliquando non est circumstantia, sed ratio peccati constitutiva; & hoc evenit, quando opus non est prohibitum, nisi ratione loci. Sic copula conjugalis in Ecclesia, quae non, nisi ratione loci, esset peccaminosa. Quando autem actio est in se mala, ut homicidium, vel fornicatio, tunc evadit sacrilegium ex illa loci sacri circumstantia.

423 Quibus auxiliis significat instrumentum, seu media, quibus utitur ad peccandum, ut ferrum, vel sclopetum, aut venenum in homicidio. At verò hæc necessariò aperienda non sunt in confessione, nisi specialiter prohibita sint, vel speciem peccati mutant: ut si quis re sacra utatur ad peccandum, vel inducat criminis adjuutores, & socios, vel si utatur ope Dæmonis, per invocationem, aut pactum tacitum, vel expressum. In his enim esset novum peccatum; ideòque necessariò confitendum. Cur, seu propter quid, denotat finem, propter quem peccator operatur. Si enim finis extrinsecus est malus graviter, addit peccato novam, & distinctam malitiam in specie; ut si quis furetur ad luxuriandum. Evenire etiam potest, quod actio, quæ de se, & ex objecto esset bona, ex circumstantia inficiatur, & reddatur mala: ut si quis pauperi feminae det eleemosinam, ut eam seducat, & trahat ad turpia. Ex quo sequitur, quod si malitia finis est ejusdem speciei cum ipso peccati actu, moraliter non facit nisi unum peccatum. Quomodo

significat modum, quo peccatum committitur: ut si femina corrumpatur violenter, aut fraudulenter; minus, aut promissis: si ex contemptu præcepti, aut superioris, actus debitus omittatur, aut præceptum violetur. Quando denotat tempus, aut peccati durationem. Sed in hoc attendendum est, si hæc circumstantia addat malitiam gravem, & distinctam actui illi; ut si quis se inebriavit in die jejunii; si hora indebita celebravit; nam juxta plures, circumstantiæ istæ mutant actus speciem. Similiter, si in die festo aliquid malum, aut quid prohibitum, fecit: nam, dicitur, circumstantia festi festi addit malitiam operibus malis. Hoc in sensu videtur locutum esse D. August. quando dixit: *Melius faceret Judæus in agro suo aliquid in Sabbato, quam in teatro dissidiosus existeret: & feminae Judæorum melius lanam facerent, quam in neomeniis impudicè saltarent.* His breviter animadvertis:

424 Conclusio I. Confessio regulariter debet esse secreta, seu auricularis; at verò valida potest esse confessio publica ex parte penitentis. Conclusio quoad omnia docetur à Trident. Sess. 14. cap. 5. ubi dicit: Quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem; etsi Christus non vetuerit, quia aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae edificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præcipitur.... Unde cum à Sanctissimis, & antiquissimis Patribus, magno unanimi consensu, secreta confessio Sacramentalis, quæ ab initio Ecclesiae Sancta usa fuit, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata: manifestè refellitur inanis illorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Pa-

Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, & cetera ob reverentiam. Ergo confessio regulariter, & per se, debet esse secreta, sed per accidens, & ex humilitate poenitentis, publica esset valida. Ex verbis enim Concilii liquet. Confessionem secretam non sumptisse originem ex publica, ut aliqui hallucinati sunt: sed potius vice versa, ex confessione secreta processit publica. Viguit enim olim consuetudo confessionis publicæ, sed prius fiebat secretè: nam qui publicè volebat confiteri, adibat privatim Confessorem suum, cui secretò manifestabat peccata, ut ipse judicaret, de quibus agenda esset poenitentia publicè, vel secretò, & juxta consilium poenitentis sequebatur.

425 Et quia apud nonnullos invaluerat consuetudo peccata confitendi tantum publicè, ex quo non pauca mala secuta sunt, illam, uti contrariam Apostolicæ Doctrinæ, summovendam statuit S. Leo Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ directa. Liquet 2. Confessionem secretam Sacramentalem à Christo Domino fuisse institutam, (quamvis non præceptam) & à fidelibus ab initio Ecclesiae usitatam: quod quidem ex Trid. constat expressè, & colligere licet ex perpetua, & constanti Ecclesiae praxi, ac traditione: nam, ut S. August. lib. 7. de Bapt. contra Donatistas cap. 23. inquit: *Multa sunt, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta hæc creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Unde etiam ab initio universa Ecclesia secreta confessione usa fuerit, & modo utatur etiam; consequens est legitimum, id à Christo Domino per Apostolos ad nos usque fuisse transmissum. Eandem doctrinam docuerunt SS. PP. quos peccatus est Subt. Doct. dist. 17. dicens: *Forum istum ex natura sua est secretissimum: ergo non tenetur aliquis ad istud forum, ut aliquomodo sit publicum.* Cum hoc verò optimè stat,

quod peccata publicè possint confiteri, & meritorie, ut Trident. dicit, & suadetur sic: Christus non vetuit peccata nostra publicè confiteri: ergo talis confessio valida esset. Prob. conseq. Quod Christus non vetuit, sed permisit, instituendo Sacramentum, non invalidat illud; sed permisit, saltem tacite, publicam confessionem; ergo. Min. constat, tam ex verbis Concilii, quàm ex praxi Ecclesiae, quæ in aliquibus casibus admittit tales confessiones: ut dum fiunt per interpretes, sive in infirmis tempore pestis, quæ non patitur, ut ad illos accedant Confessarii, sive in bello, cum morientes non possunt separari à sociis, ut seorsim possint audiri.

426 Arg. 1. adversus primam partem Conclusionis. Nullibi legitur in Scriptura, Christum præcepisse poenitentibus, confiteri secretò: ergo non instituit talem confitendi modum. Confirmatur: Publica peccatorum confessio Sacramentalis, & valida est, ut diximus cum Trident. ergo Christus nec instituit, nec ordinavit, ut secretò fieret confessio peccatorum. Omissio antecedenti, nego consequentiam. Consuetudo enim confessionis secretæ, numquam interrupta ab Ecclesiae primordiis ad hæc nostra tempora, & quæ, nec à Conciliis, nec à Pontificibus originem duxit, ut Trident. cit. docet, & confirmatur regulà illa D. August. tradita supra num. antecedenti, sufficiens est indicium, non alium habere auctorem, quàm ipsum Christum. Cum itaque manifestatio peccatorum ex se habeat annexam plurimam verecundiam, ac difficultatem, dubium non est, quod Christus voluerit, illam fieri modo minus poenali, & laborioso, qualis est secretus. Et verisimile est, eum modum docuisse, cum suscitatus à mortuis per dies 40. apparuit Discipulis, loquens de Regno Dei, nempe, de his, quæ spectant ad Ecclesiae regimen, & hominum salutem; inter quæ remissio pec-

peccatorum per confessionem, & absolutionem Sacramentalem præcipuum locum tenet. Ad Confirmationem nego consequentiam. Duplíciter potest aliquid præscribi á superiore: vel determinatè, & in particulari, ut quando non solùm præscribitur res agenda, sed etiam modus, quo peragi debet: vel ita ut non determinet in particulari modum exequendi legem á se impositam, sed relinquit liberum inferiori, ut eligat unum, aut alterum modum, quem prudenter estimaverit magis expedire suæ privatæ utilitati, vel publicæ Ecclesiæ. Primo modo Ecclesiæ præscripsit, nedum ut baptizaret, sed ut baptizaret invocatione SS. Trinitatis. Secundo modo ordinavit, confessionem secretò fieri: non tamen prohibuit, ne quis confiteretur publicè, si id conduceret ad majorem Ecclesiæ edificationem, aut propriam utilitatem, juxta prudens judicium sui sapientis directoris.

427 Arg. 2. adversus secundam partem: Tum: institutio confessionis fuit cum institutione ipsius Sacramenti Poenitentiae; sed hoc Sacramentum per modum iudicii institutum non est, nisi de tribunali secretò: ergo & confessio: ergo si publicè fiat, valida non erit, utpote contra suam institutionem. Minor constat, tam ex Tridentino dicente, quòd confessio publica non consultè præcipitur ulla lege humana; quàm ex Scoto, dicente: *Forum istud ex natura sua esse secretissimum*: ergo juxta ipsum, nec peccata debent publicari, nec illud iudicium debet exerceri publicè: nam quæ publicantur, pertinent ad forum publicum. Tum: nemo, præter Deum, dispensare potest in jure naturæ, quale est conservatio propriæ famæ; sed Deus non dispensat, ut quis per publicam confessionem peccata sua secreta manifestet, atque ita se infamet: ergo confiteri publicè non licet. Patet minor; nam si Christus non præcepit confessionem publicam talium peccato-

rum, reliquit quoad hoc jus naturale integrum. Hoc autem jure tenetur quis suam famam tueri, quæ certè læderetur per illam confessionem.

428 Respondeo distinguendo minor. Institutum non est præcepto positivo, nisi &c. nego: præcepto permissivo, concedo minor. & nego consequentiam. Christus enim ex sua bonitate non præcepit confessionem publicam in hoc Sacramento, ut potuit: quin potius illam secretam instituit: at verò simul permisit eam devotioni fidelium, qui spontè velent sic humiliari, & defectò constat permisit ex ipsius Ecclesiæ. Non ergo præcipitur lege divina, & minus humana, sed permittitur publica confessio. Ad verba Scoti dico, ex natura sua esse forum secretum, in quantum non adest præceptum obligans, ut peccata publicentur: At verò ex libera devotione poenitentia permittitur, ut illa possit publicare, cedendo tunc, ut potest, suo jure. Per hoc respondetur ad secundum, quòd quidem probat nimis: nam multi ex sic arguentibus tenent, licere confiteri per interpretem in casu necessitatis, licet ex tali confessione lædatur fama confitentis: & ipsi, & alii permittunt tales confessiones in casibus in Conclusione expressis. Datur itaque in Ecclesia duplex forum, unum secretissimum, in quo idem est accusator, & reus; & aliud publicum, in quo, Ecclesia habet potestatem corrigendi delicta publica, scilicet, per excommunicationem, censuras &c. In 1. remittitur peccatum, quoad reatum poenæ æternæ, & sic pertinet ad forum secretum, sive sit secretè, sive publicè confessum: quoad poenas vero temporales, & externas pertinet ad forum externum. Ita Scotus dist. 19.

429 Conclusio II. *Confessio Sacramentalis debet esse de omnibus peccatis mortalibus, non tantum in genere, sed etiam in numero, &*

spe-

spece. Unde, ut confessio sit valida, debet esse formaliter integra. Conclusio est de fide, definita à Tridentina Sess. 14. cap. 5. ubi ait: "Institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem... Ex his colligitur, oportere à poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint. Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua reticent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Et infra: Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae, ad remissionem peccatorum, jure divino necessarium non esse, omnia, & singula, quorum memoria cum diligenti præmeditatione habetur, & circumstantias, quæ speciem mutant: anathema sit." Idem colligitur ex Concil. Lateranensi, & Florentino, fuitque semper constans doctrina SS. PP. ac Theologorum omnium.

430 Prob. ex ipso Trident. 1. Sacerdos in hoc Sacramento, non solum habet rationem iudicis, sed etiam medici; sed medicus non potest præscribere prudenter, ac sapienter remedium conveniens morbis, nisi omnes hos morbos noverit, atque omnem infirmi egritudinem perspectam habuerit: ergo nec Sacerdos potest salutarem poenitentiam præscribere poenitenti, nisi iste omnia sua peccata manifestet, & Sacerdos illa cognoscat distinctè: ergo omnia omnino peccata, quoad numerum, & speciem aperiri debent in confessione: ergo confessio debet esse integra formaliter. Prob. 2. Præceptum confessionis ex institutione Christi subrogatum est pro præcepto contritionis; sed contritio necessariò debet fieri de omnibus peccatis: non enim deleri potest unum peccatum, quin omnia deleantur, nec contritio delet peccatum, nisi omnia detententur: ergo nec confessio, nec ab-

olutio potest ea delese, nisi omnia illa subjiciantur clavibus Ecclesiæ.

431 Arg. Tum: ex Christi institutione, sufficit, ut omnia peccata remittenda manifestentur Ministris idoneis; sed hoc potest fieri per plures confessiones, non integras, pluribus Ministris: ergo confessio non integra formaliter valida esset. Probo minor. Quilibet Sacerdos habens potestatem illam, potest remittere peccata, sibi confessa; nec aliud infertur videtur ex illis verbis: *Quorum remiseritis &c.* ergo. Tum posset quis confiteri mortalia uni, & venialia alteri; sed tunc valeret absolutio à singulis: ergo ita est de mortalibus per dimidiatas confessiones. Tum: integritas illa est impossibilis: nam plures, ut rustici, & feminae, non possunt recordari, vel distinguere omnia mortalia: ergo non obligat talis integritas. Denique qui habet mortalia reservata, & non reservata, potest confiteri priora superiori, & posteriora Sacerdoti inferiori: ergo confessio non integra potest aliquando valere.

432 Respondeo negand. minor. & major. probationis. Potestas igitur illa data est Sacerdoti; ut possit peccatorem absolvere, illum sanctificare, & Deo reconciliare. Hoc autem facere non potest, quamdiu restat in eo aliquid mortale, cujus conscientiam habet: aliàs, simul esset in gratia, & in peccato, Dei amicus & inimicus, quòd est impicatorium. Hinc neuter Sacerdos remitteret aliquid peccatum. Ad 2. neg. minor. & paritatem. Confessio omnium mortalium esset substantialiter integra, haberetque totam suam materiam necessariam, quamvis in illa tacerentur venialia, quæ sunt materia omnino libera, & voluntaria. Ad 3. dist. antecedens: Integritas materialis transeat: formalis, neg. anteced. & consequentiam. Hæc itaque integritas solùm exigit, ut illa dicantur mortalia, quæ post exactum examen cons-

conscientiæ, occurrunt memoriæ. Unde, qui mortalia non discernunt, sufficit, quod dicant omnia, qualia occurrunt. Ad ultimum nego antecedens, ex dicendis infra n. 447.

433. Conclusio III. *Ad valorem confessionis necessaria non est integritas materialis.* Est omnium Theologorum. Prob. 1. ex Tridentino, ubi supra, dicente: *Dum omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, Christi fideles confiteri student, proculdubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Constat enim nihil aliud in Ecclesia à poenitentibus exigi, quàm, ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras, exploraverit, ea peccata, quibus se Deum suum offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in aniversum in eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* Ergo nec Concilium, nec Ecclesia exigit materialem integritatem confessionis. Prob. 2. Deus non præcipit impossibile, nec Christus pro medio necessario ad salutem instituit, quod interdum sit impossibile; sed interdum accidit, quod confessio materialiter integra omnium peccatorum impossibilis sit physicè, & moraliter: ergo ab ea excusat impotentia physica, & moralis, & consequenter &c. Quod autem *physica* integritas aliquando sit physicè impossibilis, patet: Tum ex parte poenitentis, ut si, dum confitetur, subito obmutesceret; vel si ita mortis periculo præoccuparetur, ut non posset aliquid peccatum in specie declarare, sed tantum signa contritionis in ordine ad absolutiorem manifestare. Quibus in casibus conveniunt omnes, illum debere absolvi. Tum ex parte Confessarii, ut si plures occurrant absolvendi, quos pro angustia temporis non potest sigillatim audire; ut cum imminet naufragium, incendium, bellum, &c. quibus in casibus impossibilis est physicè integritas materialis confes-

sionis. Unde tunc poterunt omnes alta voce unum peccatum confiteri; aut dicere, *se peccasse in Deum, & poenitere*: atque ita poterit Sacerdos illos absolvere sub una forma, dicens: *Ego vos absolvo &c.* Constat etiam, plures occurrere casus, in quibus est moraliter impossibilis integritas materialis confessionis, quos Auctores Casuistæ communiter referunt, & in quibus, omnibus consentientibus, dimidianda est confessio; eo quod tunc non censetur vigere præceptum confitendi omnia prorsus peccata, quæ memoriæ occurrunt.

434. *Primus casus* esset, quando ex confessione talis peccati, sequeretur grave damnum poenitenti, ut mors corporalis, aut periculum alterius mali æquivalentis; aut illius infamatio, jactura bonorum temporalium, aut similia gravissima mala illi sequerentur. *Secundus* esset, si tempore pestis Confessarius prudenter, ac probabiliter timeat pestiferam infectionem, si diu cum poenitente peste infecto perseveret. In his enim, & similibus casibus, poterit poenitens aliquid, vel aliqua peccata confiteri, & absolvi. *Tertius* esset, si poenitens prudenter timeret, Confessarium hoc, aut illud peccatum, revelaturum esse alteri. Cavendum tamen valde est poenitenti, ne talia de Confessario suspicetur sine gravissimo fundamento; uti esset, si sciret, eum aliquando confessionem revelasse: aliàs, hæc suspicatio, gravissimè peccaret. Ex quibus colliges, confessionem non debere esse integram physicè, & materialiter, sed sufficere integritatem formalem, aut moralem, semper ac verificetur, aut occurrat poenitenti, aut Sacerdoti impotentia physica, aut moralis.

435. Est verò maximè advertendum, quod ut poenitens possit legitime eximi in eis casibus ab integritate confessionis, tria ad minus debent concurrere. 1. Quod sit necessitas confessionis faciendæ, vel ex

præcepto diviño, ut si urgeat periculum mortis: vel ex præcepto Ecclesiastico annualis confessionis. Unde non potest quis legitime confessionem dimidiare, si velit confiteri causa devotionis; quia tunc, vel debet se à confitendo abstinere, vel confiteri integrè. 2. Quod non sit facilis recursus ad alium Confessarium, cui possit fieri integræ confessio, absque metu eorum periculorum, & damnorum: nam si aliter fieret, peccaret. 3. Quod hæc incommoda sint gravia, & confessioni extraordinaria: siquidem ut aliquid peccatum omittat quis in confessione, non sufficit, quod Confessarius, qui eum habebat pro valde pio, & casto, auditis peccatis, habiturus sit illum pro peccatore gravissimo, aut quod graviter sit reprehensurus, & pudore affecturus. Hæc enim non sunt extraordinaria confessioni, sed illius onera, & quasi proprietates, ad obtinendam peccatorum remissionem. Et colliges, non licere dimidiare confessionem ob magnum concursum in die indulgentiæ, aut Jubilei, ut ita non priventur multi à illius gratiæ, aut spiritualis boni consecutione: nam hanc sententiam, quam aliqui docuerunt, damnavit Innocentius XI. in propositione 59. quæ dicebat: *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v.g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.* Ratio damnationis, inter alias, est; quia privatio Indulgentiæ non est detrimentum grave, comparativè ad præceptum integritatis confessionis.

436. Quæres: *An liceat dimidiare confessionem, quando poenitens non potest aliter peccatum manifestare, quàm revelando personam complicitis, seu cum qua peccavit?* Sententiam affirmativam docuerunt Navarrus in Man. cap. 7. Villalobus Tractat. 9. de Poenit. alique plures Doctores, & Casuistæ, tam ex nostris, quàm ex

alienis, nec spernendum est illorum fundamentum, sed advertendum, omnes illos in eo convenire, quod poenitens, si Confessarium possit habere, qui non veniat in notitiam complicitis, cum hoc, & non cum alio confiteri debet: aliàs mortaliter peccaret. Sententia negativa communior est, & colligitur ex Subt. Doct. dist. 21. quæst. 2. num. 16. quem sequuntur famosiores discipuli. Eamdem sententiam negativam docet Ang. Doct. in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. Doct. Seraph. in 4. dist. 21. quæst. 3. num. 54. S. Bernardus in formula honestæ vitæ, dicens: *De nullo prorsus sistere loquaris, quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Cum his:

437. Dico: *Tunc casus non licet confessionem dimidiare: sed poenitenti licet revelare in confessione personam complicitis, si obligatio confitendi urget.* Intelligitur, dummodo nullum aliud grave damnum, nec spirituale, nec temporale sequatur compliciti, quàm illius notitia per confessionem. Prob. 1. Licitè potest quis jure suo uti, & quærere propriam utilitatem animæ, & corporis, etsi inde indirectè, & per accidens sequatur incommodum proximi; sed poenitens jus habet ad faciendam integram confessionem, ut consulat suæ saluti spirituali: ergo potest illud peccatum manifestare, ex cujus manifestatione sequitur declaratio personæ complicitis. Maj. constat: nam licitum est ad propriæ vitæ defensionem, aliquid facere, ex quo mors alterius sequatur indirectè. Prob. 2. Licitè possum aperire alienum crimen alicui personæ, quando hoc necessarium est, ut me jubet in re magni momenti; quia non teneor cum meo notabili damno alienam famam omnino servare illasam: ergo multo magis potero id aperire in confessione, quando hoc est necessarium, ne teneor peccatum iterum confiteri.

fitendi, & possim à Confessario monita salutaria excipere, quibus caveam periculum relabendi in idem peccatum. Confirmatur 1. Poenitens tenetur ad omnia peccata mortalia integrè confitendum, quoties id est licitum, & ex alio majori præcepto ab ejus impletione non excusatur: ergo si licitè possit revelare personam complicitis, quando integritas confessionis id exigit, eò quòd aliter non potest manifestare suum peccatum, ad id tenetur divino præcepto. Per hoc occurritur doctrinæ aliquorum, dicentium, licitum esse poenitenti: non verò ad id obligari. Confirmatur 2. Si poenitens in casu conclusionis non teneretur manifestare in confessione personam complicitis, sequeretur, conjugatos, notos Confessario, non obligari ad confitenda peccata, quæ in usu, vel abusu matrimoniali aliquando committere solent: atque ita illa peccata non posse à Confessario judicari, & retineri: sed hoc videtur absurdum, cum vergat in præjudicium salutis spiritualis conjugatorum, & etiam in administrationem relaxatam hujus Sacramenti: ergo.

438 Arg. Poenitens non potest declarare in Confessione personam complicitis, quin apud Confessarium illam infamet; sed non potest infamare proximum suum apud Confessarium propter integritatem suæ confessionis: ergo nec illius peccatum revelare. Major est certa. Prob. minor. Quando concurrunt duo præcepta, unum juris naturalis, & aliud juris divini positivi, & utrumque simul servari non potest, magis servandum est præceptum juris naturalis, quam juris positivi; sed integritas confessionis est tantum juris positivi, & prohibitio infamationis proximi juris naturalis: ergo magis tenetur poenitens ad proximum non infamandum, quam ad confessionem integram faciendam. Major. constat: nam si vigeat præceptum positivum confessionis faciendæ, & simul occur-

rat præceptum naturale tuendæ vitæ proximi, magis teneor ad vitam proximi tuendam, quam ad confessionem faciendam. Hoc argumentum est præcipuum, ac non leve adversantium fundamentum.

439 Respondeo negando minor. Ad ejus probationem dico, quòd in eo casu non viget præceptum juris naturalis de non infamando proximum, propter præceptum, & utilitatem confessionis integram. Non quia hoc præceptum positivum deroget per se illi naturali præcepto; sed quia immutat circumstantias, quæ in isto præcepto naturali includuntur, & sub quibus tantum obligat naturale præceptum. Præceptum enim naturale conservandi famam proximi non est generale, & absolutum, pro quocumque tempore, ac loco, & quibuscumque circumstantiis occurrentibus; sed tantum, quando non occurrit in contrarium causa rationabilis, ut constat ex aliis præceptis juris naturalis. Patet hoc: nam præceptum naturale: *non occides*, non obligat simpliciter, & absolute, sed cum hac limitatione: *Insontem, & justum non occides*. Exod. 23. Unde licet occidere autoritate publica malefactores, & autoritate privata injustum invasorem vitæ. Tum: Præceptum naturale est defendendi Rempublicam: & tamen, si id nequeo facere absque revelatione sigilli Sacramentalis, cujus observatio est quodammodo juris positivi, nulla est obligatio. Ratio est; quia tunc solum teneor Rempublicam defendere, quando possum sine majori incommodo, quam sit illud commodum, quod Respublica accipiet ex mea defensione: incommodum autem, quod oriretur ex revelatione sigilli, longè majus est, quam quodcumque incommodum Reipublicæ. Hæc doctrina confirmari potest aliis pluribus exemplis. Dico ergo, quòd jus naturale, prohibens revelationem complicitis, intelligitur, nisi adsit causa rationalis, qualis est integritas confessionis, cujus bonum

log.

longè præstat infamatione complicitis apud solum Confessarium, quæ secretissima esset. Non igitur hæc infamia excusat ab integritate materiali confessionis: & præsertim, cum ipsemet periculo perdendæ se exposuit, cum tale peccatum commisit cum poenitente. Quare præceptum de integritate confessionis non infert hic aliquid contra naturæ jus, sed si maxime consentaneum est: sicut Judex in foro externo non agit contra jus naturæ, dum reum cogit, ut declaret complices, & præcipit testi, ut manifestet accusati crimen.

440 Advertendum verò est: quòd qui revelat in confessione peccatum complicitis, sine ulla necessitate, vel utilitate, peccat contra justitiam, & tenetur ad restituendam famam, quæ ex tali indiscreta confessione adempta esset apud Confessarium. Eadem enim est ratio infamationis in confessione, ac extra illam, quando confessio id per se non exigit; sed infamatio extra confessionem, quæ fit sine necessitate, & utilitate, injusta est, & per se obligat ad restitutionem famæ, eo modo convenientiori, quo fieri potest ergo idem dici debet de infamatione facta in confessione. Advertendum est 2. quòd si quis oppositam sententiam sequatur, debet confiteri illud peccatum, in quantum possit confiteri, sine complicitis manifestatione. Unde, si fuit incestum, dicere debet, se mulierem copulasse, tacendo speciem incesti, de quo sequeretur manifestatio complicitis. Et ratio est, quia debet facere confessionem integram, in quantum possibile sit.

441 Conclusio IV. Circumstantiæ notabiliter aggravantes explicari debent in confessione. In hac conclusione non conveniunt Auctores: nam oppositum defendunt plurimi, & quidem graves, inter quos numeratur Seraph. Doct. & ex nostris plurimum cum Ponceo. Erga mentem Subt. Doct. variant Scotistæ: quidam enim in partem negativam trahere intendunt.

Tom. I.

& quidam hac in re faciunt problematicam. Fundantur in eo, quòd dist. 17. num. 20. dicit, nempe: *Multa sunt circumstantiæ, ex quibus peccatum est aliquomodo gravius, & hoc vel ex parte objecti, vel ex parte personæ peccantis, de quibus non est ita certum, quòd oporteat illas confiteri: tamen tutum, & utile est, hoc fieri*. Hæc Doct. Ex quibus, salva pace cum Scotistis contrariis, inferre non licet, Scotum, nec in partem negativam inclinasse, nec problematicum esse: quin potius oppositum videtur inferri. Loquitur enim Scotus de circumstantiis mutantibus speciem, quas dicit, necessario confitendas esse. Consequenter loquitur de aggravantibus, de quibus dicit: *Non est ita certum, quòd oporteat eas confiteri*. Hoc autem verissimum est; quia quoad circumstantias mutantem speciem, indubium est, ac de fide: at verò quoad circumstantias aggravantes, dubium est, & probabile. Et certè, quòd est dubium, & probabile, non est ita certum, ac quòd est indubium, & de fide. Hoc stante, dicit, *tutum, & utile esse, tales circumstantias confiteri*. Ergo satis apertè inclinatur Scotus in hanc partem: non igitur in contrariam adduci debet, nec pro illa citari.

442 Probatur ergo Conclusio ratione unica, & potissima, ex Tridentino desumpta: Juxta Tridentinam, ideo peccata in specie, ac sigillatim, confitenda sunt; quia Sacerdotes non possent servare æquitatem in injungendis poenis, si dumtaxat in genere, & non potius in specie, ac numero peccata cognoscant: ait enim: *quod si de illis [circumstantiis speciem mutantibus] peccata ipsa, neque à poenitentibus integrè exponantur, neque à Judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censeantur, & poenam quam oportet, pro illis poenitentibus imponere*. Nunc sic: sed istæ Concilii rationes æqualiter probant necessitatem

Ppp 2

tem

tē confitendi circumstantias notabiliter aggravantes: ergo juxta mentem Concilii, confiteri debent, sicut debent mutantes speciem. Min. constat: nam est per se notum, majorem poenam injungendam esse ei, qui unico actu eripuit multa millia aureorum, quam qui tribus furtis distinctis abstulit tres aureos tantum. Nec obstat, quod circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem, non constituent formaliter distincta peccata, ut respondent Adversarii: nam sufficit, quod ea constituent virtualiter, seu æquivalenter, additque novam malitiam, quamvis intra eandem speciem: ergo non sufficienter peccata mortalia explicantur quoad numerum, nisi circumstantiæ tales explicentur. Anteced. constat: etenim unum peccatum, ex aliqua circumstantia notabiliter grave, æquivaleret moraliter multis numero distinctis. Prob. hoc exemplis: Si circumstantia aggravans non haberet novam malitiam, sequeretur non gravius peccare, qui incestum commisit in primo gradu, quam qui illum committeret in quarto. 2. Quod qui amputasset alicui aures, nares, & brachia, atque oculos ei effodisset, dummodo ipsum non occidisset, satisfaceret præcepto confessionis, dicendo, se aliquem vulnerasse graviter. 3. Qui explodendo tormentum bellicum, plures homines voluntarie occidisset, delictum suum explicaret sufficienter, dicendo, se esse reum homicidii; sed absurdum, aut parum tutum videtur dicere, talem confessionem bonam, ac sinceram esse, ut oportet: ergo certum est, quod propter illam circumstantiam aggravantem æquivaleret moraliter pluribus peccatis numero distinctis intra illam speciem: ergo necessarii debent confiteri. Et quomodo, si aliter fieret, Confessarius rectum iudicium efformaret, ut applicet poenitentiam remedia, & satisfactionem, seu poenam correspondentem? Unde Catechismus Tridentini tit. de Poen-

nitent. cap. 62. dicit: *Quod non solum peccata gravia explicare oportet Verum etiam, quæ unumquodque peccatum circumstant, & gravitatem valde augent, vel minuunt.*

443 Arg. Quod non constat ex præcepto Divino, vel Ecclesiastico, ad valorem confessionis Sacramentalis non est necessarium; sed non constat ex ullo tali præcepto necessitas confitendi tales circumstantias, nec inferri licet talis obligatio: ergo non est asserendum; quia hæc onerosa sunt, & sine fundamento gravi ampliari non debent. Prob. min. Nihil constat de præcepto Divino; sed aliunde nec de Ecclesiastico: quin potius contrarium inferitur ex Trident. ergo. Prob. min. Trident. expressè præcipit confiteri circumstantias mutantes speciem, nihil præcipiens de speciem non mutantibus, sed eas relinquendo arbitrio poenitentium; sed credibile non est, quod hanc partem tacuisset, si eam necessariam putasset; sicut non tacuit omnia alia, quæ putavit necessaria esse: ergo. Et confirmatur: Si necessarium esset confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, eadem ratione asserenda essent in confessione circumstantiæ notabiliter minuentes gravitatem peccati; sed hoc videtur contra rationem confessionis, quæ debet esse accusatio, & non excusatio: ergo. Denique: quia si esset talis obligatio, ingereret nimiam conscientie anxietatem, essentque, maxime timorati, simplices, & indocti, semper dubii de validitate suæ confessionis. Quis enim facile cognoscet, quanta intensio, ac duratio actus requiratur, ut peccatum censatur notabiliter gravare intra eandem speciem: ergo ad vedandos plures scrupulos, melius est dicere, non esse obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes.

444 Hoc fundamentum est Achilles Adversariorum. Respondeo igitur, Concilium noluisse expressè designare hanc questionem controversam in.

inter Doctores, sicut fecit in aliis materiis, relinquendo aliquas Theologorum sententias in sua probabilitate, ut videri est Tract. de Sacramento. Disp. 2. quæst. 2. in fine, ubi excitatur dubium num. 124. At verò implicitè non obscure docet partem affirmativam locis supra laudatis. Ex quo potest negari minor, quia divino præcepto tenemur exprimere in confessione omne id, quod est necessarium ad perfectam administrationem, & susceptionem Sacramenti Poenitentiae. Ad hoc autem necessaria est declaratio hujusmodi circumstantiarum: nam cum hoc Sacramentum per modum iudicii à Christo sit institutum, consequens est, quod quicquid requiritur, ut Sacerdos rectè possit iudicare de gravitate criminum, & debitam poenam præscribere confitentibus, cadat sub præcepto divino. Igitur cum explicatio circumstantiarum, intra eandem speciem notabiliter aggravantium, necessaria sit, ut Confessarius rectum efformet iudicium de gravitate peccatorum: ideò dici debet, subdivinò præcepto cadere confessionem illarum circumstantiarum. Ad Confirmationem neg. minor. Sicut enim parvus numerus peccatorum est explicandus, ut rectum feratur iudicium de poenitentia: sic etiam asserenda est circumstantia notabiliter minuens gravitatem peccati, ut si quis peccavit ex ignorantia, vel ex vehementi tentatione, vel ex metu imminentis periculi mortis; quia hæc valde conferunt ad hoc, ut Sacerdos rectum de crimine formet iudicium. Sic constat ex Catechismo Romano dicente: *Explicare oportet, quæ unumquodque peccatum circumstant, & gravitatem valde augent, vel minuunt.* Et quamvis confessio potius sit accusatio, quam excusatio; tamen hæc accusatio talis debet esse, ut ex ea Sacerdos agnoscere possit delicti gravitatem, & juxta illam, debitam, & non excedentem, satisfactionem præscribere. Ad hoc qui-

dem explicatio circumstantiæ notabiliter minuents peccati gravitatem, maxime conducit; atque adeò hæc nullo modo reputanda est excusatio peccati.

445 Ad ultimum nego assumptum; quia facile est satis, cognoscere circumstantiam valde aggravantem, vel ex magnitudine, & multitudine; vel ex intensione, & duratione actus peccaminosi, per exactam suæ conscientie disquisitionem, quam apponere debet. Nec volumus hanc obligationem imponere, nisi *citra perturbationem conscientie, & animi anxietatem*: nam si circumstantia valde non aggravat, vel si anxietas exurgit in conscientia, nempe, *notabiliter aggravet, neque*. Tunc probabiliter videtur, non esse obligationem illam confitendi. Verum quidem est, quod verè Deum timens has anxietates, & dubia semper in confessione exponet.

446 Et notandum 1. omnes in eo convenire, has circumstantias, si non per se, per accidens saltem, debere confiteri, v. g. *ratione censurae, vel reservationis annexæ*. 2. Non debere confiteri circumstantias impertinentes, ut si furavit, quod erat aurum, & argentum: si peccavit cum muliere, quæ vocatur Lucia, aut Polonia, & ejusmodi alia. 3. Quod in nostra sententia, qui ordinatus est in Sacris, & homicidium commisit, debet Ordinem explicare, in confessione; quia est circumstantia aggravans peccatum *notabiliter*. Pariter: Qui accessum habuit cum persona votum castitatis habente, explicare debet, si votum erat simplex, aut solemne; quia votum solemne est circumstantia aggravans notabiliter, atque ita de similibus aliis. Denique, quod tutius, & consultius est, illas manifestare Confessario; quia sic confessio fit integrior, clarior, & perfectior, omnesque scrupuli, & anxietates conscientie sedantur.

Duplex proponitur, ac resolvitur, dubium.

447 **D**ubitabis 1. *An qui habet casus reservados, occurrente necessitate, Sacerdoti, non habenti facultatem absolvendi a reservatis, possit sola peccata non reservata confiteri?* Pars affirmativa tribuitur Alensi cum aliquibus aliis Theologis. Respondeo verò negativè. Est dicere, quòd, qui confitetur Sacerdoti, qui à reservatis non potest absolvere, tenetur etiam peccata reservata confiteri. Unde non licet tunc confessionem dimidiare, sed debet fieri integra materialiter. Est probabilior opinio, & in præxi omnino sequenda. Probat: Tum; quia ut Sacerdos directè absolvat in tali casu à non reservatis, & indirectè à reservatis, necessarium est, quòd talia peccata cognoscat, & de eis iudicium efformet: nam eorum manifestatio plurimum inservit ad cognoscendum, an poenitens dignus, aut indignus sit absolutione. Tum: quia poenitens, quando potest sine gravi damno, ut dictum manet, debet facere confessionem integram materialiter: hæc enim integritas obligat per se, & solum per accidens, & in aliquibus casibus, qualis non est iste, sufficit integritas formalis: ergo quamvis à reservato non absolveretur tunc, nisi indirectè, debet confiteri; quia pertinet ad debitam integritatem materialem confessionis.

448 Dices: Nemo tenetur ad confessionem sacramentalem, quæ non fiat apud legitimum iudicem, qui possit solvere, & ligare; sed Sacerdos ordinarius, respectu peccatorum reservatorum, non est legitimus iudex: ergo confessio ei facta nec potest esse sacramentalis, nec ad illa peccata confitenda teneretur poenitens. Maj. patet; quia peccatum reservatum non est de jurisdictione illius Confessoris; atque adeo non po-

test esse illius iudex. Confirmatur: Nemo tenetur eadem peccata bis confiteri: aliàs nimis grave esset onus confessionis; sed in nostro casu teneretur poenitens peccata reservata bis confiteri: nam postquam illa confessus esset Sacerdoti non habenti potestatem absolvendi, nisi indirectè, teneretur confiteri iterum habenti potestatem absolvendi directè ab illis: ergo non debet ea confiteri Sacerdoti, potestatem directè absolvendi ab eis non habenti.

449 Respondeo distinguenda major. Nemo tenetur *per se*, concedo *per accidens*, nempe, ratione conducentis, ut iudex iudicet, quod est de sua jurisdictione, neg. major. & minor. sub eadem distinctione. Quamvis enim Sacerdos ille non sit legitimus iudex reservatorum directè, & per se; ita ut, si poenitens dumtaxat confiteretur peccata reservata, posset de eis sacramentaliter iudicare: tamen saltem indirectè est illorum iudex, quatenus sunt conjuncta cum aliis, de quibus, & de statu poenitentis potest iudicare. Unde confessio peccati reservati necessaria est in nostro casu ratione præcepti integritatis materialis confessionis. Per hoc patet ad confirmationem. Quamvis enim *per se* non adsit obligatio confitendi bis idem peccatum: *per accidens* verò, virtute duorum præceptorum concurrentium, talis obligatio adest. Unde in prima confessione tenetur confiteri reservatum, propter præceptum de integritate materiali: & in secunda propter præceptum subjiciendi peccata mortalia clavibus Ecclesie, cujus potestate remittatur directè. Nec illud onus iteranda confessionis est tanti momenti, ut propter illud integritas confessionis debeat violari: maxime cum poenitens sibi hoc onus debeat imputare, cum sua sponte hanc contraxerit obligationem.

450 **D**ubium 2. *An possit absolvi moribundus, qui nullum peccatum potest confiteri?* Quadrupliciter po-

test

test moribundus considerari vel quatenus, præsentem Sacerdotem, dat quædam signa doloris, quibus ostendit se peccasse, & subito privatus facultate loquendi, non potest ullum peccatum confiteri in particulari: vel quatenus, Sacerdote absente, signa dedit poenitentiae, & confessionem postulavit: at verò ante Sacerdotis adventum usum rationis perdidit, ipsoque adveniente, nullum signum poenitentiae advertit, sed tantum à præsentibus scit, quòd confessionem petierit: vel qui nec signis, nec verbis petiit confessionem, nec sensibilibus ostendit dolorem de peccatis: constat verò, quòd vixit catholicè: vel denique, nullum præstat signum sensibile Sacerdoti doloris de peccatis, neque constat catholicè vixisse. In resolutione hujus dubii, præsertim in tertia, & quarta acceptione, plurimum variant Doctores.

451 Dico 1. in duplici primo casu absolvi potest, & debet absolutè, moribundus. Est communior. Probat, tam in primo, quàm in secundo casu, 1. ex Rituali Rom. ubi dicitur: *Si inter confitendum, vel etiam, antequam incipiat confiteri, vox, & loquela, egro deficiat, nutibus, & signis, conetur Sacerdos, quoad fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere, quibus, utcumque, vel in genere, vel in specie, cognitis: vel etiam, si confitendi desiderium, vel per se, vel per alias ostenderit, absolvendus est.* Idem dicitur in Concilio Carthagin. IV. & in Arausic. I. dicentibus: *Subito obmutescens baptizari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat Sacerdos, aut presentis in suo nutu.* Et idem, eisdem ferè verbis, decrevit S. Leo; igitur absolvi debet absolutè moribundus, juxta Ecclesie præscriptum, in duobus prædictis casibus.

452 Constat etiam ratione: Tum; quia probabile non videtur, Deum

voluisse, tales fideles moribundos, qui sine culpa sic præveniuntur, privari beneficio tanti Sacramenti, & eis præcludi viam salutis: ergo noluit illos obligare tam strictè ad integritatem confessionis, ut cum illis signis valere non possit absolutio sacramentalis: ergo hæc non deneganda, sed conferenda est illis. Tum: ad absolutionem validam sufficit aliqua confessio, qualis est possibilis, cum debito dolore de peccatis; sed in illis casibus utrumque adest: nam qui Confessarium petiit, antequam in phrenesim incideret, cum signis poenitentiae, utrumque habuit: et equum confessus est eo ipso, se peccasse, & voluit dicere peccata, de quibus dolet: ergo debet absol-

453 Arg. Tum: sine materia Sacramenti Poenitentiae, non datur Sacramentum; sed confessio omnium peccatorum in specie, & numero, est materia proxima hujus Sacramenti, & quæ in illis casibus deesset: ergo. Tum: sacramentalis absolutio terminari debet ad aliquid remittendum; sed in tali confessione nihil remittendum apparet: ergo illa absolutio non erit sacramentalis. Prob. minor. Si illa absolutio remitteret illius hominis peccata, hæc amplius non essent confitenda: nam peccata remissa non sunt materia necessaria confessionis; sed adhuc sunt confitenda, si convalescat: ergo. Tum: materia Sacramenti debet esse præsens Ministro, ut de illa iudicet, ut Trident. docet; sed in casu assentiæ Sacerdotis, confessio illa non est illi præsens, quando advenit: ergo. Si dicatur, testes deponere, petiisse confessionem, huic obstat Decretum Clement. VIII. in quo docetur, non licere confiteri per litteras, vel Nuntios.

454 Respondeo ad 1. negand. minor. quoad secundam partem. Non itaque requiritur ad valorem confessionis, quòd peccata absolutè, simpliciter, & materialiter exprima-

tur;

tar; nam si impossibilitas adest, sufficit confessio generalis, qua homo, quantum potest, confiteatur se peccatorem. Unde tunc casus, nihil explicitè remittendum appareret: bene verò indirectè, & implicitè; eò quòd homo ille manifestaret habere peccata, quorum remissionem petit, vel per vocem, vel per signa, manifestantia dolorem. Nec oppositum convincit, quòd teneatur explicitè illa peccata confiteri, si convaluerit; quia tunc viget præceptum subijciendi clavibus Ecclesiæ explicitè, cum potuerit, omnia peccata in numero, & specie, & hoc requiritur ex institutione hujus Sacramenti, si possibile fuerit. *Per. quod patet ad 2.* Ad 3. dico, quòd debet esse præsens Sacerdoti, non physicè, si hæc præsentia non est possibilis: sed sufficit præsentia moralis, quæ in illis casibus esset, & cujus sufficientia constat ex divina institutione, quæ non vult, quantum est ex se, ullas animas perire. Nec Tridentinum aliud docet, nisi de confessione regulari; & quando integrè, physicè, & materialiter fieri potest: non verò, quando est impossibilis. Decretum Clementis non venit ad rem; quia per illud prohibetur absolvere absentem, se per litteras, vel per Nuntios confidentem: hic verò absolveretur præsens. Deinde, ut insignes Theologi testantur, apud Mastrium, ipse Papa interrogatus respondit Armacano, *non fuisse suum intentum prohibere, quòd absolutio impendatur incidenti in eo casu.* Et Congregatio Inquisitorum Generalium, teste Aversa, declaravit 2. Decembris an. 1621. in tali casu observandum esse Rom. Rituale: nec id opponi Decreto Clementis.

455 Dico II. *Absolvi debet moribundus sub conditione in 3. & 4. casu ex assignatis.* Hi sunt, quando moribundus subito apoplexia, vel alio accidenti, destituitur sensibus, quin confessionem petierit, nec ali- quod signum doloris sensibile Sa-

cerdoti ostendit: constat verò catholicè vixisse: Et quando, nec signa doloris præstat, nec de sua vita constat; quia est homo ignotus. Dixi *signum sensibile Sacerdoti*; quia certissimè existimo, necessarium esse ad hujus Sacramenti valorem aliquid signum ex se à parte rei sensibile; quamvis propter infirmi impedimentum sit adeo leve, quod non percipiatur sensibiliter à Sacerdote. Resolutio quoad primam partem est communissima, quam gravissimi Theologi defendunt, & quam favet Benedictus XIV. in Synodo Lib. 7. cap. 15. num. 10. & sequentibus, ubi dicit, hanc præmiam opinionem prævaluisse jam inter Theologos modernos, etiam inter probabilioristas severiores, quorum plurimos ibi citat. Si verò non constat de ejus christiana vita, non omnes prædicti Auctores affirmant: est verò opinio piissima, & mihi omnino sequenda.

456 Probatum itaque: Tum; ex Sacerdotali Rom. in quo legitur: *Infirmus, qui ammisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat, quamvis non petierit Sacramenta, debet præsupponi contritus, & Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato*; sed eque probantur in casu, quo non constat de ejus vita honesta, & christiana: ergo idem est dicendum in utroque casu, nempe, quòd absolvi debet conditionatè, sic: *si apponis veram materiam, ego te absolvo &c.* Minor docetur à D. August. loquente de Catechumeno, respectu collationis Baptismi, si subito sensibus destituatur, etiamsi non vixerit cum bono exemplo: Et concludit, idem dicendum de Poenitentia, quod de Baptismo. Tum; quia si adesset tempus, illi ministraretur extrema-Unctio: ergo à fortiori non est ei deneganda absolutio, quæ magis necessaria est. Tum; quia prudenter debet Sacerdos præsumere, illum hominem nolle in æternum se perdere, sed velle salvari, ad cuius consecutionem non desunt ipsi in tali

tali extrema necessitate auxilia divini gratiæ, ut eliciat verum dolorem de peccatis, quem ostendere non potest: potest verò intelligere quid loquantur assistentes, & ex negatione absolutionis, vel ex dubio expresso illum absolvendi, maximam pati suæ animæ afflictionem, ut nihil de se ipso quidam vir prudens enarravit. Et Marchantius hoc de se ipso testatur in pari casu, ex quo inductus fuit ad hanc opinionem tenendam, & ad ejus præxim suadendam: & idem narrat de alio Sacerdote, cui contigerat hoc idem. Igitur in utroque casu absolvi debet sub conditione.

457 Fundamenta Adversariorum sunt. 1. Rituale Rom. prohibet absolvi eos, qui nulla dant signa doloris de peccatis. 2. Quia Concilia requirunt sensibilem confessionem, aut signa illius, ut valeat absolutio. 3. Quia Sacramenta non debent facile exponi periculo nullitatis; sed in casu sic exponeretur Sacramentum Poenitentiae: nam sine signis certis nescitur dispositio sufficiens morientis: ergo. Denique: quia non debet introduci nova praxis in usu Sacramentorum; sed hæc opinio illam inducit in usu hujus Sacramenti, & contrariam antiquæ: ergo.

458 Respondeo faciliter ad 1. Qui nulla dant signa doloris cum possunt, & nolunt dare ex irreligione, indispositione, vel obstinatione, concedo: ex omnimoda impotentia, nego: nam de istis non loquitur Rituale, ut ex dictis claret. Ad 2. Requiritur ordinariè, & quando est possibile, concedo: per accidens, in casibus extraordinariis, & impossibilitatis, nego; quia Concilia non loquantur de his casibus raris, sed de Sacramentis secundum se, & regulariter. Ad 3. neg. minor. quia si absolutio detur *sub conditione*, ut in illis casibus debet, nullo modo exponitur Sacramentum: imò per hæc cautelam æterna salus infirmi consulitur, ut est debitum. Ex quibus re-

Tom. I.

gari debet, hoc esse contra Ecclesiæ præxim: quin potius valde conformè materiali ipsius pietati, ut constat ex nostra probatione.

459 Ex hucusque dictis colliges 1. quòd quoties confessio, & absolutio est invalida, toties utraque est repetenda. Ratio est; quia veram confessionem tenemur præcepto Divino, & Ecclesiastico. Confessio autem invalida, nec est vera confessio, nec per illam satisfit præcepto, sed potius adest novum peccatum, & ex parte nostra nova confitendi obligatio. Colliges 2. quòd quando iteratur confessio invalida, debent confiteri omnia peccata præcedentis confessionis, & commissæ deinceps: nisi fortè Sacerdos recorderet priorum peccatorum. Ratio est; quia peccata non remittuntur in hoc Sacramento, nisi prout debite Ecclesiæ clavibus subijciuntur, ut sæpè diximus cum Trident. Sess. 14. cap. 5. sed illa priora peccata remissa non fuerunt, propter confessionis nullitatem: ergo ut remittantur, de novo debent confiteri. Dixi, *nisi Sacerdos recorderet peccatorum, quæ audierat in priore confessione*: nam si recordatur sufficienter, sufficit, si dicat poenitens: *Accuso me de iisdem peccatis, quæ dixeram tibi in præcedente confessione, & addo hoc, aut illud peccatum, quod postea commisi &c.* Potest etiam nullitas confessionis venire ex parte Ministri, qui formam debitam non adhibuit, vel quia noluit, vel quia non potuit absolvere. Sed undequaque invalida sit, semper debent repeti peccata priora cum novis, ut Minister validam præstet absolutionem, & quæ valida esse non potest, nisi audità integra confessione.



Q99

AR.

ARTICULUS III.

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

Satisfactio est vox equivoca, significans interdum omnem illam actionem, qua quis satisfacit, quantum debet, sive solvendo debitum, sive respondendo spectationi audientium, sive reddendo rationem sufficientem eorum, de quibus rogatur, & sic de aliis similibus. Hic verò unicé sumitur pro satisfactione, & compensatione, ratione culpæ Deo illatæ, & ratione poenæ pro tali injuria debitæ. Necnon subjungemus aliqua de satisfactione publica, quæ fiebat olim, in ordine ad resartendam injuriam, per peccatum scandali Ecclesiæ illatam.

QUÆSTIO I.

An, quæ, & quænam pars Sacramenti hujus sit satisfactio Sacramentalis?

460 **A**n te resolutionem, suppono 1. ex dictis Disput. 1. quæst. 8. num. 119. quod post peccatum remissum quoad culpam, & reatum poenæ æternæ, remanet poena temporalis, pro qua, vel in Purgatorio, vel in hac vita satisfaciendum est. Hæc autem satisfactio, vel est *Sacramentalis*; quia in Sacramento imponitur, & taxatur à Sacerdote: vel *extra-Sacramentalis*; quia independentè à Sacramento poenitens spontè eam sibi sumit, & Deo offert in expiationem poenarum, quas meretur pro peccatis. Utramque satisfactionem improbant Lutherani, & Calvinistæ, asserentes, eam non solum esse inutilem, sed etiam injuriosam Christo, quasi ipse non satisfecerit superabundanter pro nobis: addentes, ex nulla Scriptura colligi posse: atque adeo talem satisfactionem humanum commentum, dicunt, esse. Contra hos errores procedimus in hac quæstione. Suppono 2. Hanc satisfactionem fieri debere per actus bonos, & honestos; quia ex Trident. Sess. 14. cap. 8. debent respicere Deum, & pro-

cedere ex influxu gratiæ, & fidei in Christum, ex cujus meritis valorem sumunt. Ita inquit: *Neque verò, ita nostra est hæc satisfactio, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae.* His suppositis.

481 **C**onclusio I. *Dantur, & necessaria sunt, in homine opera bona, & satisfactoria pro suis peccatis, ex meritis Christi.* Est de fide contra Hæreticos, constatque ex innumeris Scripturæ testimoniis; quæ talia opera meritoria, & satisfactoria pro peccatis suadent. Daniël. cap. 4. dicitur Nabuchodonosori: *Peccata tua eleemosinis redime, & iniquitates tuas misericordis pauperum.* Joannes prædicabat Judæis: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Et Act. 26. Apostoli annuntiabant Gentibus, & Judæis, ut poenitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes. Mittimus alia plura utriusque Testamenti oracula, in quibus exhibentur opera satisfactoria, & afflictiva. Eandem veritatem doqueunt uniformiter omnes SS. PP. & mirificè probatur ab Scoto dist. 15. q. 1. Probatur ex Conciliis: nam in Florentino, ubi satisfactio ponitur inter partes hujus Sacramenti, dicitur: *Tertius actus est satisfactio pro peccatis... quæ quidem sit præcipue per ora-*

orationem, jejunium, & eleemosinam. Et Trident. dicit: *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri, poenæ ab eo infligis, & patienter toleratis: vel à Sacerdote injunctis... atque adeo, optimam poenitentiam esse tantum novam vitam: anathema sit.*

462 Hanc Catholicam veritatem probat Trident. atque suadet non solum necessitatem, sed etiam utilitatem satisfactionis pluribus rationibus. 1. Quia à peccato revocat. 2. Quia Dominum nobis iratum placat, & conciliat. 3. Quia meritum Passionis Christi Domini nobis comparat, efficitque nos conformes Christo patienti. 4. Quia cum Christo, ac per ipsum oblata Deo Patri talia opera ipsius in nos trahit, ac provocat misericordiam. 5. Quia non est tantum ad custodiam novæ vitæ, & medicamentum infirmitatis, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Sic ex Trid. quod concludit: *Quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam poenitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis ritum, & usum tollant.* Eadem demonstratur veritas ex perpetua Ecclesiæ praxi, ut constat ex Testulliano *lib. de Poenitent.* cap. 9. Ex Origine Homil. 15. in Levit. ubi opera afflictiva appellat *prebitum*, quo peccata redimuntur. Similiter docent Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & plures alii, qui quovis sæculo floruerunt.

463 **A**rgumenta, seu cabillationes Calvinistarum proposita, ac soluta, invenies supra Disp. 1. quæst. 8. sub hoc titulo: *An, culpa per poenitentiam remissa, adhuc maneat reatus poenæ temporalis? Et quomodo hic reatus solvi possit?* Ubi n. 120. resolvitur, tamquam de fide, quod, dimisso mortali quoad reatum culpæ, remanet sæpè in poenitente reatus poenæ temporalis. Et num. 126. resolvitur, quod ille reatus poenæ solvi, & satisfieri potest per satisfactionem

Tom. I.

&c. Nec hic restat aliud dicendum, quin tempus consummatur, & eadem in substantia repetantur, adversus Calvinistas, & Lutheranos.

464 **C**onclusio II. *Satisfactio Sacramentalis est operatio laboriosa, & poenalis, voluntariè accepta, & tolerata, ad puniendum peccatum, & compensandam offensam Dei, ex Sacerdotis impositione.* Ita fere ad litteram Scotus cit. dist. 15. quæst. 1. Descriptio hæc satisfactionis Sacramentalis omnino cum ista, quam Summæ Morales tradunt, coincidit: *Est compensatio poenæ temporalis, debitæ pro injuria Deo illata, consistens in operibus poenitentibus, à Confessario impositis.* Est communis sensus Theologorum, qui per Sacramentalem satisfactionem talia opera intelligunt. Explicatur definitio. Dicitur *operatio laboriosa, & poenalis*; quia de ratione poenitentiae est tenere poenam pro peccatis, in quo differt à restitutione, quæ est pura redditio rei ablata. Dicitur *voluntariè accepta, & tolerata*; quia illam, si prudens est, acceptare, & tolerare debet, utpote in sui utilitatem. Dicitur *ad puniendum peccatum*; quia hic est finis satisfactionis. Denique, ex *Sacerdotis impositione*, ut significetur, poenalitatem, quas quis ex propria electione sibi assumit, non esse satisfactionem Sacramentalem, sed solum talem esse, quæ imponitur à Confessore. Quare, quæ à Confessario imponitur, suum effectum causat *ex opere operato*; quæ verò à poenitente exigitur sua sponte, effectum causat *ex opere operantis.*

465 **C**onclusio III. *Quamvis opera satisfactionis Sacramentalis regulariter sint, & debeant esse poenalia, & externa: tamen omne opus meritorium, non poenale, & internum, potest verè esse satisfactorium.* Est communis in utraque Schola Angelica, & Subtili. Ita expressè Scotus; quamvis aliqui ipsi tribuant,

Qqq 2

do-

docuisse oppositum. Certè igitur equivocantur: nam quamvis dicat, quòd ordinariè satisfactio consistat in aliquo actu pœnali, ut est certissimum, prosequitur: *potest per aliquem actum bonum, non pœnalem, satisfieri; quia benè potest Deus acceptare actum magnum charitatis pro punitione debita culpæ &c.* Probatur quoad primam partem: Tum ex Trident. Sess. 6. cap. 14. ubi definit, Deo satisfieri quoad pœnam temporalem, *pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, aut sponte susceptis: ut jejuniis, orationibus, eleemosinis, vel aliis etiam pietatis operibus &c.* Probat. 2. ex illis Scripturæ oraculis: *Convertimini in jejuniis, fletu, planctu.* Et de pœnitentia Ninivitarum dicitur: *Prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis.* Et sic de pluribus aliis. Idem constat ex PP. pro quibus sufficiat D. Gregor. Hom. 20. in Evang. dicens: *Iustum est, ut peccator tantò majora inferat sibi lamenta per pœnitentiam, quantò majora intulit damna per culpam.* Denique ex Ecclesiæ praxi, quæ tales pœnas pœnitentibus solet imponere, nempe, jejunia, orationes, eleemosinas, cilicia, & similes carnis mortificationes, quæ opera laboriosa, & externa Sancti omnes suo exemplo, & tolerantia valde commendarunt.

466 Secunda Conclusionis pars, nempe, quòd omne opus bonum, tam internum, quàm externum, quamvis non sit pœnale, potest esse satisfactorium pro pœnis temporalibus peccatorum, constat ex Scoto, num. antecedenti laudato. Prob. 1. ex Tridentino dicente, quòd hæc satisfactio fieri potest, *non solùm jejuniis, orationibus, & eleemosinis &c.* sed omnia pietatis opera non sunt pœnalia: non enim orationes, & eleemosinæ per se dici debent pœnalia, & laboriosa, sed naturæ rationali valde consentanea: ergo cùm Concilia, Patres, & Theologi enumerent hæc opera inter satisfactoria,

dici debet esse talia. Prob. secundò ratione: Per actus virtutis fidei, spei, & charitatis potest homo mereri gloriam, & consequenter delere æternam pœnam: ergo à fortiori per eosdem potest mereri remissionem pœnæ temporalis, & pro illa satisfacere. Prob. consequentiam: Actus, quibus meremur deletionem culpæ, pœnæ æternæ, & gloriam, plus debent Deo placere, quàm displicent peccata: ergo illi actus debent esse magis satisfactorii, & pro temporalibus pœnis acceptabiliores.

467 Fundamenta contra primam Conclusionis partem sunt sequentia. 1. Actus satisfactorius debet esse liber, & meritorius; sed actus externi nec sunt liberi; nam libertas non est in potentiis externis: nec meritorii, nisi denominativè, & extrinsecè; quia meritum solùm est in actu interno: ergo actus externi non sunt satisfactorii. 2. Opera ut pœnalia non habent bonitatem, per quam placeant Deo: ergo ut pœnalia non satisfaciunt. Ad 1. disting. maj. debet esse liber elicitive, aut imperativè, concedo: Tantùm elicitive, nego major. & in hoc sensu ejus probationem, & consequentiam. Actus enim illi liberè moventur per libertatem voluntatis moventis, & imperantis: & hoc sufficit, ut liberi dicantur: aliàs furtum, vel homicidium in se non essent peccatum, quod dicere est absurdum. Unde licet opera externa non sint in se libera, nisi ab imperio interno voluntatis, sunt verè in se bona, honesta, & satisfactoria; sicut homicidium, furtum, & similes actus externi sunt in se, & verè peccata. Quare ergo orationes, jejunia, & similia non erunt meritoria? Ad 2. disting. anteced. non habent bonitatem, præcisivè ab intentione satisfaciendi, & puniendi peccata per illa, transeat: ex illa intentione, & fine, nego anteced. Sub his itaque respectibus habent bonitatem justitiæ, & pœnitentiæ, & obedientiæ, & reli-

reliquarum virtutum, in quarum materia fiunt, & quæ opponuntur illis peccatis, quæ punire intendimus. Hoc autem laudabile est, & à Deo acceptabile.

468 Contra secundam partem fundamenta sunt. 1. Opera satisfactoria æquivalere debent rebus, pro quibus satisfit; sed satisfit pro pœnis, quibus sola opera pœnalia æquivalere valent: ergo hæc sola possunt esse satisfactoria. Minor patet; quia satisfactio est actus pœnitentiæ, quæ pœnalis est: *nam est pœnæ tenentia.* 2. Pœnitentia consistit in operibus laboriosis, & pœnalibus, ut in jejuniis, in vigiliis, in fletu, & planctu: ergo & satisfactio, quæ est pars pœnitentiæ. Respondeo faciliter ad 1. disting. major. æquivalere in morali estimatione, & Dei acceptione, concedo: materialiter, & in physica entitate, nego major. In morali estimatione, & divina acceptione negari nequit, quòd pietatis opera, & præsertim ex puro Dei amore elicit, satisfaciunt non minus, sed aliquoties plus, quàm opera laboriosa. Ad minoris ostensionem dico, quòd satisfactio est actus pœnitentiæ, vel elicitus, vel imperatus: & sufficit, quòd opera virtutum à pœnitentia imperentur, & Deo in satisfactionem pro pœnis offerantur. Ad 2. disting. antecedens: consistit in operibus pœnalibus regulariter, & alia opera non excludendo, concedo: absolute, & excludendo alia pia opera à ratione satisfactionis, nego. Verum est, ut diximus, quòd ordinariè, & regulariter, pœnitentia fit in operibus pœnalibus: at verò plurimum proficit, si fiat in aliis internis, oblati, ad satisfaciendum Deo, qui corda hominum intuetur.

469 Conclusio IV. *Satisfactio hæc etiam fieri potest per voluntariam nostram tolerantiam in afflictionibus, & pœnis, quas patimur, Deo permittente, vel eas infligente.* Est communior, & docetur à Subt. Doctore

cit. dicente: *Satisfactionem esse, vel operationem, vel passionem, seu pœnam voluntariam, toleratam in ordine prædicto, id est, ad placandam divinam offensam.* Et dist. 21. quest. 1. dicit: *Ipsa mors, voluntariè accepta, sufficiens est pro pœna cujuscumque venialis, & forte pro magna parte pœnæ, debitæ pro mortalibus dimissis.... Nec obstat, quòd est pœna necessaria: quia aliquis potest voluntariè acceptare necessariam: ergo patientia, & acceptatio voluntaria laborum, & afflictionum potest esse pro peccatis satisfactio.* Prob. 1. & convincenter ex Trident. Sess. 14. cap. 9. docente: *Tantam esse divinæ misericordiæ largitatem, ut non solùm pœnis à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio, pro mensura delicti impositis: sed etiam quòd maximum est amoris argumentum, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis; satisfacere valeamus.* Hoc idem definit Can. 13. Ex quibus clarissimè apparet veritatem nostræ Conclusionis.

470 Prob. 2. Tum; quia talis afflictionum acceptatio, & patientia ex motivo, & fine satisfaciendi est verum opus virtutis obedientiæ, conformitatis, humilitatis, imò & amoris in Deum: ergo est verè acceptabilis à Deo in remissionem pœnæ: ergo tam satisfactoria est, quàm quilibet actus alterius virtutis. Confirmatur: Pœnæ istæ non sunt magis necessariæ, quàm pœnæ Purgatorii; sed per istas satisfit ibi temporalibus pœnis, eò quòd acceptantur juxta voluntatem Dei: ergo pariter satisfactoria est acceptatio pœnarum, quas Deus immittit, vel permittit. Tum: voluntas Dei regulariter talis est, ut tales pœnas in nostram purificationem, & emendationem permittat: ergo vult, quòd eas libenter acceptemus, & per patientiam, & tolerantiam illi placeamus. Antecedens constat, tam ex Tridentino cit. quàm ex Scriptura, quæ docet, Deum

sepe infligere, aut permittere tales poenas ex amore: nam Prov. 3. dicitur: *Quem diligit Dominus corripit, & castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Super qua D. Hieron. *Scitote, ideò Deum ad praesens reddidisse supplicia, ne in aeternum puniret.* Ergo ex Dei intentione, haec mala nobis eveniunt, ut per eorum tolerantiam purificemur, & pro peccatis satisfaciamus, & ab illis retrahamur.

471 Arg. 1. Actus satisfactorius est voluntaria redditio debiti; sed talis non est haec tolerantia; quia talia mala pendent à voluntate Dei, & ab aliis causis illorum: ergo non est satisfactoria. 2. Illae poenae sunt iusta supplicia, immissa in peccatorum vindictam: ergo non sunt materia satisfactionis; quia jam debentur alio titulo. Respondeo negando min. quia voluntaria illa acceptatio est actus humilitatis, obedientiae, & patientiae, per quam reparantur rebelliones peccati. Unde, quamvis proveniant ab illis causis, liberum est homini illas humiliter acceptare, & patienter tolerare. Ad 2. permissio antecedenti, quod non semper est verum, ut patet in Tobia, & Job, neg. consequentiam: nam per voluntariam acceptationem suppliciorum placemus etiam Deo, & meremur apud illum. Modo quo, filius acceptans amanter flagellationem Patris castigantis, placet, & placat illi, atque apud illum meretur gratiam ampliolem. Haec autem satisfactio non est debita alio titulo, sed patienti libera est omnino.

472 Conclusio V. *Satisfactio in voto est pars essentialis huius Sacramenti, & satisfactio in re est pars integralis.* Conclusio constat ex dictis supra Disput. 1. quaest. 7. num. 239. ubi statuimus, Sacramentum Poenitentiae intrinsecè, & essentialiter constitui ex absolutione, & tribus actibus poenitentis. Sic constat ex Florentino, & Tridentino docentibus, materiam, aut quasi mate-

riam Sacramenti Poenitentiae esse tres actus poenitentis, qui sunt *cor-dis contritio, oris confessio, & operis satisfactio.* Ex quo prima pars sic suadetur: Illud est essentialè Sacramento Poenitentiae, sine quo non reciperetur validè; sed sine satisfactione, saltem in voto, non reciperetur validè: ergo. Prob. maior. Sine materia propria nullum Sacramentum potest validè recipi; sed satisfactio est materia Sacramenti Poenitentiae, simul cum confessione, & contritione: ergo sicut confessione, & contritione deficientibus, non valet Sacramentum, ita esset, si deficeret satisfactio. Prob. quoad secundam partem: Id non est Sacramentum essentialiter existit; sed Sacramentum Poenitentiae jam essentialiter existit, antequam existat satisfactio in re, & ut est imposita à Sacerdote: haec enim per se, & regulariter adimpletur post absolutionem sacramentalem: ergo. Unde restat, quod sit pars integralis; quia sine illa hoc Sacramentum, quoad effectum, non haberet suam integritatem. Non enim haberet plenam peccatorum remissionem, sed remanerent adhuc irremissa, quoad poenam temporalem correspondentem.

473 Arg. 1. De essentia Sacramenti non est, nisi quod institutum est à Christo, ut pars illius; sed satisfactio non fuit instituta, ut pars huius Sacramenti; etenim nullibi constat de illa; nec ab initio Ecclesiae haec satisfactio exigebatur, nisi ad summum ex tempore Concil. Lateranensis, & Florent. ergo satisfactio non est pars essentialis huius Sacramenti. 2. Partes Sacramenti debent esse sensibiles; sed satisfactio in voto non est sensibilis: nam est actus purè internus: ergo non est pars Sacramenti huius. Denique: Si poenitens satisfactionem non impleat, adhuc Sacramentum valet: & pariter Sacramentum existit, ante exist-

tentiam satisfactionis: ergo.

474 Ad 1. neg. minor. & disting. probationem: Non constat formaliter, & explicitè, concedo: implicitè, & virtualiter, nego. Cùm Christus Apostolis, & Ecclesiae potestatem dedit ligandi, & solvendi, hoc ipso potestatem dedit imponendi satisfactionem, & huic vinculo subicit poenitentes, volentes frui beneficio huius potestatis. Quod autem haec satisfactio semper necessaria fuerit, ab initio Ecclesiae constat, quamvis ita definita non fuerit, sicut in praedictis Conciliis; eò quod Hæretici occasionem non dederant definiendi, impugnando hanc satisfactionem. Ad 2. disting. major. sensibiles, vel per se, & formaliter, vel per aliud, concedo: per se, & formaliter tantum, nego major. & minor. in eodem sensu. Votum, seu propositum satisfaciendi, sicut & contritio, licet sint actus interni, fiunt tamen sensibiles Sacerdoti per alios actus externos poenitentis, & maxime, quando acceptat, & promittit satisfacere. De hoc plura dicta manent, loquendo de dolore. Ad ultimum dico, Sacramentum quoad essentiam valere, si satisfactio est in voto, dum absolvitur poenitens: non verò aliter. Ad integritatem autem effectus Sacramenti requiritur satisfactio in re; quia, hac non posita, Sacramentum non esset integrum; eò quod deficeret remissio poenae, & poenitens remaneret debitor satisfactionis. Debet ergo poenitens habere voluntatem satisfaciendi ad valorem huius Sacramenti.

475 Conclusio VI. *Satisfactio Sacramentalis regulariter, & convenientius, debet imponi à Sacerdote ante absolutionem: aliquando tamen post absolutionem potest imponi.* Dixi: *Satisfactio Sacramentalis*: nam in poenis satisfactoriis, non Sacramentalibus, sed cuilibet arbitrariis, potest quisque eas sibi sumere: Sacramentales verò imponi, & taxari debent à solo Sacerdote, à quo unice

pendent. Prob. prima pars: In hoc Sacramento totum, quod fit, est in forma iudicii; sed in iudiciis ad solum iudicem spectat poenas taxare, & imponere: ergo. Prob. secunda pars, ex praxi Ecclesiae: nam Sacerdos regulariter poenitentiam imponit ante absolutionem. Et quod ita fieri melius sit, patet: nam poenitens magis paratus est ad obediendum, antequam absolutionem consequatur, faciliusque poenas salutes sibi impositas acceptat, ne sibi absolutio negetur; ut reverà negari deberet, si absque gravi ratione non acceptaret. Quamvis igitur haec sit Ecclesiae praxis, improbatum non est ab illa satisfactionem imponere post absolutionem: nam in Clementina Dudum dicitur: *Sacerdos confessiones audiat, poenitentias imponat, & absolvat.* Postea dicit: *Archiepiscopus, dum visitat, potest confessiones suffraganeorum subditorum audire, & absolvere confitentes, ac ipsas poenitentias injungere salutes.* Ubi in primis verbis, impositio poenitentiae absolutioni praemittitur, & in secundis postponitur.

476 Pro solutione aliquarum objectionum adverte 1. quod si Sacerdos omitteret poenitentiam imponere, & poenitens aliquam eligeret, & sumeret intuitu Sacramenti, ut satisfaceret pro peccatis: tunc illa satisfactio non esset Sacramentalis; quia haec necessariò debet esse à iudice, & Ministro Sacramenti. Unde illa bona opera, quae faceret, essent quidem satisfactoria; non Sacramentaliter, & ex opere operato, sed ex opere operantis tantum. Adverte 2. quod licet in iudiciis humanis non absolvatur reus, nisi post satisfactionem, non ita discurrendum est in hoc iudicio Sacramentali. Ratio est; quia in illis satisfactio habet rationem restitutionis, sine qua reus non debet absolvi: in isto verò potius respicitur ad dispositionem internam, seu ad satisfactionem in voto, quam ad externam. Unde illa posita, ad-

est,

est, quod sufficit ad valorem Sacramenti. Denique, semel quod poenitens habeat votum satisfaciendi, Sacramentum validum est. Si autem post datam absolutionem, poenitens sine causa, ex malitia, vel ex inobedientia, poenitentiam non acceptaret, hoc ipso peccaret.

477 Quæres: *An poenitens satisfacere possit per opera aliunde præcepta?* Respondeo affirmativè. Hæc sententia communior est apud recentiores Theologos, docentes, satisfactionem præscribi posse in operibus aliunde præceptis, & obligatoribus. Est verò contra plures Scotistas, inter quos Faventinus dist. 29. Disp. 35. defensantes, satisfactionem non posse per opera aliunde præcepta, ex eo quòd, ut perfecta sit, ex aliis indebitis fieri debeat. Unde necessariò fieri debet per opera supererogationis. Alii cum Silvestro affirmant, posse satisfieri per opera præcepta humano jurè: non verò divino, aut naturæ.

478 Prob. nostra resolutio ex Trident. Sess. 6. cap. 10. docentè: *Per observationem mandatorum Dei, & Ecclesie, in ipsa justitia per Christum accepta, crescunt, atque magis justificantur &c.* Ergo pari ratione censeri debet, fideles satisfecisse pro poena temporali, & maximè si opera sint præcepta. Confirmatur: Patientia in malis, quæ patimur vel à creaturis, vel à Deo, est de præcepto naturali, & divino; sed per illam meremur, & satisfacimus, ut constat ex Conclus. IV. ergo & per opera præcepta. Prob. major. Tenemur Deum, & Christum confiteri coram Tyrantis, etiam cum periculò mortis, & tamen hac obligatione stante, per talem confessionem, & mortem meremur coronam martyrii. Et Eccles. 2. dicitur: *In dolore sustine, in humilitate patientiam habe.* Et cap. 4. *Eleemosinam pauperis non defraudes. Date eleemosinam &c.* Ubi præcipitur patientia, & eleemosina, quæ aliquando est de jure naturæ.

Sed nemo dicet, hos actus, seu hanc patientiam, & eleemosinam, sic necessariam, non esse meritoriam, si adsint aliæ conditiones debitæ: ergo. Tum: præceptum nihil tollit de bonitate objectiva, & formali operum ergo nec de ratione meriti eorum, aut satisfactionis, si fiant ea intentione. Antecedens patet; quia Ecclesia præcipit jejunia, orationes, & eleemosinas in peccatorum remissionem, & satisfactionem: ergo si rectè fiant, præceptum nihil tollit de illorum valore.

479 Ex quibus sequitur, Confessarium posse imponere poenitentiam, quòd jejuret in die Quadragesimæ, in qua ex præcepto Ecclesie tenetur jejunare: quòd Missam audiat in die festo: advertendo poenitenti, se illud opus imponere pro poenitentia peccatorum, & cum hac intentione debere adimplere illud. In hoc enim casu, opus hoc præceptum, *virtute olavium*, elevatur ad effectum satisfaciendi *ex opere operato*. Et si poenitens illa die non audiret Sacram, committeret duplex peccatum, specie distinctum, unum contra Ecclesie præceptum, & contra præceptum obedientie Confessarii aliud, quod utpote oppositum duplici præcepto, & juri, debet explicare in confessione. Sequitur etiam, quòd in poenitente requiritur intentio satisfaciendi poenis debitæ per illa opera: nam actiones nostræ non induunt honestatem formalem virtutum, nisi fiant ex illarum fine, & motivo. Hæc autem intentio debet esse saltem virtualis, ut habeat rationem meriti, & satisfactionis. Advertere tamen debet Sacerdos, quòd licet, absolutè loquendo, vera sit nostra resolutio, regulariter tamen, & in praxi, quoad fieri potest, imponenda sunt opera supererogationis, seu libera, & aliis indebita; quia sic melius servatur regula justitiæ, & equitas. Expediit verò, ut monet Scotus, quòd in aliquo casu Sacerdos talia opera, jam præcepta, imponat, sive, ut majori

si cum applicatione, & devotione fiant; sive ut infirmitati, debilitati, aut paupertati poenitentium consulat.

480 Arg. Tum ex Scoto, discepte, quòd satisfactio est redditio *æquivalentis, & aliis indebitis*; sed opera præcepta non sunt aliis indebita, sed potius debita, ut supponitur; ergo non sunt satisfactoria pro hoc Sacramento. Tum à paritate: Si quis Ecclesie debeat unum Calicem ex voto, & alterum ex legatione, aut testamento, non satisfaciet dando Ecclesie unicum Calicem: nam quòd ex voto donat, non solvit; & quòd solvit ex vi testamenti, non donat. Similiter, si quis debeat Petro viginti numos ratione mutui, & insuper furatus fuerit ab eo alios viginti, non satisfaciet, dando ei semel viginti numos: ergo nec quis satisfaciet Deo per unicum jejunium, quando tenetur jejunare ob duplex præceptum, & motivum.

481 Respondeo ad 1. disting. major. & aliis indebitis, eodem motivo, & bonitate, & seclusa acceptatione creditoris, nempe, Dei, concedo: Sub diverso motivo, & bonitate, & ex acceptatione creditoris, neg. major. & consequentiam. Illud itaque jejunium ratione præcepti est materia, & opus obedientiæ: Et ratione impositionis in confessione, est opus satisfactorium pro peccatis. Unde qui jejunat ex utroque motivo, dat eidem operi duplicem bonitatem: & hæc posterior bonitas non est aliis debita. Quare, quamvis sit duplex debitum, & unica solutio materialis illius: at verò formaliter, & æquivalenter est duplex, habetque duplicem valorem, seu bonitatem formalem: eo quòd in his casibus idem opus materiale fit ex duplici motivo duplicis virtutis. Ad 2. neg. consequentiam, & paritatem. Nam materia justitiæ commutativa consistit in omnimoda æqualitate solutionis cum debitæ, quæ salvari non potest in solutione unica, quando debet

Tom. I.

ta illa sunt plura, & diversa. Non ita est in debitis prævenientibus ex voto, poenitentia injuncta, & similibus, in quibus, magis, quam res ipsa, attenditur mens, & intentio Legislatoris. Cum autem Legislatoris intentio tendere possit in idem opus faciendum ex diverso motivo, sequitur, quòd si Confessarius præscribat pro poenitentia jejunium, ad quòd in illa die poenitens teneatur ex voto, & ex Ecclesie præcepto; tunc poenitens ille eodem jejunio satisfaciet, & voto, & legi Ecclesie, & injunctæ sibi poenitentia jejunando propter hunc finem.

QUÆSTIO II.

An Sacerdos teneatur poenitentiam imponere? & poenitens teneatur illam acceptare, ac implere?

482 **H**æc duplex difficultas, ob connexionem unius cum alia, unica quæstione venit resolvenda. Quæritur ergo in primis: *An Sacerdos, quoties hoc Sacramentum ministrat, sic debeat poenitentibus imponere poenam, ut si omittat, peccet, quæ invalidè absolvas?* Quæritur deinde: *An liberum sit poenitenti, poenam illam non acceptare, ita ut, non acceptando, absolutus sit invalidè, aut absolutio sit nulla, & poenitens peccet?* Controversia quoad hanc partem reputatur celebris inter Doctores, tam veteres, quam recentiores: Gabriël, Sylvester, Medina, Navarrus, & alii plures negant, poenitentem de rigore, & simpliciter teneri acceptare poenitentiam, quam Confessarius vult imponere illi. Quare, si dicat, se displicentiam habere de peccatis, & firmum propositum non peccandi, debet à Confessario absolvi, & Cajetanus addit, quòd etiamsi poenitens poenitentiam acceptet, non tenetur postea eam implere. Pro hac sententia citatur noster Subt. Doct. 4. dist. 15. quæst.

Rrr

r. ubi ait : Posse poenitentem non acceptare satisfactionem sibi impositam, si dicat velle in Purgatorio solvere poenam. Neque per hoc dicens esset Ecclesiae inobediens, sed esset absolvendus : monendus tamen, quod tota illa poena erit in Purgatorio solvenda. In hoc sensu tuentur eam Scotistae plures, ut Faber, Aretinus, Poncius, & alii passim, existimantes, hanc esse Doctoris mentem. Sed quo fundamento, postea videbitur. Per oppositum Magister, Alensis, D. Thomas, D. Bonaventura, Ricardus, & communiter ceteri Theologi affirmant, poenitentem teneri simpliciter acceptare justam poenitentiam a Confessario impositam, & alioquin absolvendum non esse : & consequenter teneri, per se loquendo, postea illam adimplere. Ut nostrum declaremur intentum.

483 Conclusio I. Sacerdos regulariter tenetur poenam aliquam imponere poenitenti, nisi adsit impossibilitas ex parte istius. Dixi regulariter : nam si Sacerdos prudenter existimaret, poenas praecedentes ad totalem satisfactionem sufficere, non tenebitur novas imponere. Sed quia raro, aut numquam, hoc eveniet, ideo regulariter aliquas imponere tenetur, ne ejus culpa in aliquo deficiat Sacramentum. Ita videtur sensisse Scotum dist. 16. quaest. 1. dicentem : "Satisfactio debet sequi Sacramentum Poenitentiae ad hoc, ut habeat efficaciam, & hoc in re, vel in voto, nisi Judex posset perpendere, alias poenas praecedentes sufficere ad talis poenae solutionem. Sententia enim Sacerdotis sic absolvit, quod tamen ligat : absolvit quidem a debito poenae aeternae, sed ligat ad solutionem poenae temporalis, nisi sit sufficienter jam soluta &c." Dixi : Nisi adsit impossibilitas ex parte poenitentis, ut si infirmus sit incapax illius operis, propter suam indispositionem, vel sensuum amissionem : tunc enim frus-

tra imponeretur ; imò sine confessione formali esset absolvendus, ut manet dictum.

484 Prob. 1. Conclusio ex Trident. cit. dicente : *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia distaverit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutare, & convenientes satisfactiones injungere.* Ubi non dicit Concilium : *possunt*, quasi hoc sit in eorum arbitrio ; sed *debent*, quod significat obligationem, & praecipuum. Prob. 2. Si impositio satisfactionis penderet ab arbitrio Ministri, non adeo sollicita esset Ecclesia, ut in hoc servaretur proportio poenitentiae cum peccatis confessis, neque, ut infirmi monerentur de ejus obligatione, & adimplerent, si convalescerent ; sed Ecclesia sic expressè decernit : ergo. Major. patet : nam si esset liberum imponere, vel non imponere, ita esset imponere levissimas poenitentias pro quibuscumque peccatis ; nec Ecclesia curaret, an imponantur graves, aut leves, seu pro criminum qualitate. 3. Si haec impositio tantum esset per modum consilii, haec impositio, & illius executio nec essent Sacramentales, nec ad Sacramentum dignè recipiendum pertinerent ; sed hoc falsissimum est : ergo. Prob. minor. Executio satisfactionis non potest esse pars Sacramenti, magis quam ejus impositio, aut intentio imponentis ; sed ex intentione imponentis non esset necessaria est praecipuum, juxta adversarios, sed tantum de consilio : ergo nec esset necessaria ad Sacramentum. Explicatur : Si impositio poenitentiae non esset nisi de consilio, votum ejus non esset de necessitate Sacramenti ; sed hoc est contra doctrinam Florent. & Trident. ex saepius dictis : ergo. Major constat : nam si satisfactio in re necessaria non esset aliqua necessitate, saltem praecipui, frustra exigetur a Concilio propositum satisfaciendum, ut pars materiae Sacramenti Poenitentiae.

485 Objicies 1. Si impositio poenitentiae omitteretur ex inadvertentia Sacerdotis, Sacramentum esset validum, & illi nulla irreverentia irrogaretur : ergo talis impositio non est necessaria, sed voluntaria Sacerdoti, & arbitraria : nam quod nec invalidat, nec injuriam facit Sacramento, liberè ponitur. 2. Si confessio sit tantum de venialibus, necessaria non esset poenitentiae impositio, sicut nec tunc necessaria esset confessio : ergo aliquando saltem potest satisfactio imponi per modum consilii, & non per modum praecipui. Confirmatur : Confessarius potest imponere disjunctivè pro poenitentia jejunium, aut elemosinam, ad arbitrium, & electionem poenitentis ; sed tunc neutrum esset de praecipuo : ergo satisfactio non est de necessitate praecipui in Sacerdote, absolutè loquendo.

486 Respondeo faciliter, neg. consequentiam, & ejus probationem. Omittens itaque voluntariè notabilem partem Sacramenti, illi abs dubio injuriam facit. Nec est ad rem, quod tunc Sacramentum esset validum ; quia hoc non tollit, quod esset illicitum : multa enim facta valent, quae non licent. Est itaque liberum Sacerdoti hanc, vel illam imponere, prout prudentia dicitur ; at verò, ut servetur ordo judicii, semper debet aliqua poena imponi. Ad 2. neg. minor. Nam licet venialia absolutè non sint materia necessaria confessionis, hoc ipso, quod fiat confessio de illis, & subjiciantur clavibus Ecclesiae, debetur satisfactio aliqua. Ad Confirmationem disting. minor. Neutrum disjunctivè, concedo : copulativè, nego minorem. Est dicere, quod poenitens tenetur unum de illis duobus eligere, & implere. Unde, si utramque omitteret, peccaret contra praecipuum Sacerdotis, cui obedire debet.

487. Conclusio II. Poenitens tenetur acceptare, & implere satisfactionem a Sacerdote impositam, nisi im-

potentia impediatur : aliter mortaliter peccaret, & absolvendus non esset. Prob. 1. Si poenitens non teneretur admittere, & implere poenitentiam, frustra doceret Trident. debere Sacerdotes, quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutare, & convenientes satisfactiones injungere &c. sed hoc dicendum non est : ergo. Assumptum patet : nam si liberum esset poenitentibus eas acceptare, & velle in Purgatorio pro peccatis satisfacere ; ita esset Confessariis eas imponere, & sic negotium hoc taxandi justas poenas, quod gravissimum est Confessariis, levissimum eis fieret, remittendo poenitentes ad satisfaciendum in Purgatorio. Et quis non videt, hoc esse impudens fore ? Certè, qui absolutè nollet subijci quoad illas poenas Sacerdotis iudicio, non ostenderet se habere cor contritum, & humiliatum ; sed potius exaltatum, & durum : consequenterque ad beneficium absolutionis non esset dispositus. Confirmatur : Juxta Concilia, & Patres, poenitentiae, quae a Sacerdote imponantur, eo tendunt, ut poenitens retrahatur a peccatis, & quibus levetur a morbis animae ex peccato conceptis, ac tollantur occasiones peccandi : nam Concilium inquit : Poenae illae, magno per se a peccato revocant, et quasi freno coercent ; caustioresque, & vigilantes in futurum poenitentes efficiunt. Nunc sic : sed si poenitens nollet acceptare satisfactiones ullas, si possibile sint moraliter, esset nolle media illa, quibus tanta bona consequeretur : ergo cum hoc sit absurdissimum, talis poenitens verè non esset dispositus ad Sacramentum, nec dignè, nec validè recipiendum, & consequenter non esset absolvendus.

488 Altera Conclusionis pars, nempe, poenitentem teneri acceptare satisfactionem, nisi impotentia impediatur, patet, quod Deus non obligat ad impossibilia : & de facto

sie fit in praxi, ut dictum est de constituto in articulo mortis, & aliis infirmis, qui satisfactionem acceptant cum conditione adimplendi, si potuerint. Idem est dicendum, si adsit aliqua urgens, aut rationabilis causa; quia tunc potest poenitens non acceptare satisfactionem sibi impositam, petendo Confessario, ut aliam sibi imponat. Sic Doct. Subtil. dist. 15. quest. 1. & est communis inter Doctores, concedentes, quod ex rationabili causa, vel propter impotentiam physicam, aut moralem, vel fragilitatem poenitentis, potest Confessarius poenitentiam graviores permutare in leviores; aut si poenitens prudenter petit, aliam distinetam, et ipsi magis accommodatam, assignare. Ratio est; quia juxta Tridentinum satisfactiones debent esse convenientes statui, et conditioni poenitentium, ita ut nihil in illis Confessarius exigat à poenitente, nisi juxta regulas prudentiæ. Hac enim de causa Doctores consulunt Confessarios, ne nimis rigidos, ultra quam satis est, poenitentibus se exhibeant, illis molestas nimis poenitentias imponentes, eo prætextu, quod ita conscientiam suam exonerare velint: non curantes, an poenitens eas adimplere possit. Hoc enim alienum esset à charitate, et repugnans fini hujus Sacramenti.

489 Arg. 1. Etsi poenitens recusaret omnem poenam acceptare, adhuc agnosceret in Sacerdote veram potestatem ligandi: nam tunc Sacerdos ligaret eum ad satisfaciendum in Purgatorio: ergo Sacramento nihil derogaret, et consequenter posset absolvi. Confirmatur 1. Satisfactio imponitur ad redimendas poenas Purgatorii: ergo liberum est, tam Sacerdoti, quam poenitenti, nolle eas redimere in hac vita, sed velle satisfacere Deo in alia; quia sic nulli fit injuria. 2. Tribunal, et judicium Sacramentale est voluntarium: ergo potest sumi pro remissione solius culpe, ac poenæ eternæ, et non pro

satisfactione poenæ temporalis. Deinde: reus potest appellare à judice inferiori ad superiorem: ergo poenitens potest non acceptare poenas taxatas à Sacerdote, et per viam appellationis, ad Deum, ut ad supremum judicem, recurrere.

490 Respondeo, neg. anteced. et probat. Potestas enim ligandi, ex divina institutione, respicit statum hujus vitæ; non alterius, ad quem non attingit Sacerdotis jurisdictio. Deinde poenæ Purgatorii non sunt propriè satisfactoriæ, sed potiùs satisfationes. Unde cum satisfactio sit quædam pars Sacramenti, ut dictum manet, liberum non est nec poenitentij, nec Sacerdoti eam detruncare. Nec satisfactio unice, et totaliter imponitur ad poenas redimendas, sed etiam propter alia motiva in ratione probativa Conclusionis insinuat. Per quod ad 1. Confirmationem. Ad 2. nego consequentiam. Semel enim quod quis velit hoc Sacramento uti, non licet ei illud truncare, nec injuriare: quod utrumque faceret, recusando poenas impositas pro satisfactione, et remedio, ut se abstinere à peccatis: et se non subiceret potestati ligandi: nam poenæ alterius vitæ non sunt de jurisdictione Sacerdotis. Per hanc doctrinam occurritur Adversariorum solutioni. Ad ultimum nego consequentiam, et suppositum probationis illius; quia in hoc Sacramento Tribunal Ecclesiæ est supremum: et quicquid absoluitur in illo, aut ligatur, solutum, et ligatum est in Coelo. Præterea, reus non potest iudicium dimidiare. Unde si acceptat solutionem, debet acceptare ligamentum: nec potest ab uno sine alio appellare.

491 Arg. 2. Subt. Doct. dist. 15. quest. 1. dicit: *Si poenitens omnino nullam poenitentiam vult recipere à Sacerdote impositam: dicit tamen, se habere displicentiam (dolorem) de peccato, et firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, et non respiciendus, ne incidat in desperationem*

nem &c. Hoc idem repetit in Reportatis, & aliis in locis: ergo juxta Scotum, potest poenitens nullam poenitentiam admittere, impositam à Confessario, volens satisfacere in Purgatorio, de cujus obligatione, ait Doctor, poenitens est monendus. Hoc est fundamentum Scotistarum nobis adversantium, & dicentium, liberum esse poenitenti admittere satisfactionem impositam, vel illam relinquere solvendam in alia vita.

492 Respondeo, Scotum non loqui regulariter, sed in aliquo casu extraordinario, in quo nimis difficile esset poenitenti satisfactionem impositam adimplere, aut acceptare: non verò quod ex contumacia Ecclesiæ claves velit contemnere. Non igitur negat Doctor, potestatem esse in Sacerdote injungendi poenitentiam: sed dicit, consultius esse in eo casu non uti sua potestate, aut durum, & difficilem se gerere, sed condescendere fragilitati poenitentis, intimando obligationem solvendi in hac, vel alia vita, & lucrando illam animam, ne in desperationem cadat. Casum format Hiquès in Commentario in illis scrupulosis, qui in se sentiunt maximas conscientie turbationes, & anxietates excitari in quibuscumque operibus obligationis, quibus repetitis sæpius, nec quiescunt, neque existimant se satisfacisse omnino. Hic casus non semel occurrere solet in melancholicis, qui laqueos innectunt sibi ipsis, & in omnibus putant, se peccare, & poenitentias, etiam leves, & toties à se repetitas, numquam rectè persolvere. In hoc casu, aut alio simili, inquit Doctor, consultius esse ipsis jugum alleviare, quantum fieri potest, & nullam injungere poenitentiam, vel omnino citra obligationem esse dicat, ne desperatus recedat. Unde semper supponit casum particularem, in quo ob difficultatem specialem satisfaciendi, imminet periculum desperationis: quod quidem ex una parte oriretur, si illi negaretur absolu-

tio; & ex alia, quia superare nequit difficultatem, quam pateretur ex illa tentatione, quod nequit poenitentiam cum obligatione acceptare.

493 Sententia hæc sic explicata probabilis est, & valde pia. Tum; quia Confessarius tenetur sequi regulam prudentiæ, quæ ex fine, & institutione hujus Sacramenti desumitur; sed finis est poenitentis salus, & reconciliatio cum Deo, ad quam non est medium proportionatum satisfactio, quæ habet annexum periculum proximum peccandi, ob maximas conscientie poenitentis turbationes, & anxietates: ergo in hoc casu nec Confessarius obligatur imponere satisfactionem, juxta regulam prudentiæ, nec poenitens impositam tenetur acceptare. Tum; quia licet Deus, dederit Sacerdotibus potestatem ligandi, hæc potestas quoad satisfactionem limitatur ad facultatem poenitentis, ut Trident. cit. docet, & ideo nec Ecclesia imponit satisfactionem, nec Confessarius in articulo mortis; quia deest facultas eam adimplendi: remittuntque peccata à Deo per condignam poenam puniendam in alia vita. Nunc sic; sed in casu proposito non est facultas ex parte poenitentis satisfaciendi in hac vita, propter dicta impedimenta: ergo si poenitens non satisfaciat, nec finis Sacramenti tunc violatur, nec divina justitia; quia manet ei præscripta poena temporalis à Deo infligenda in hac, vel alia vita. Sic mentem Subt. Doct. explicat, & probat Mastrius cum Hiquès, in quo sensu, & non in alio, etiam, & nos convenire possumus.

QUÆSTIO III.

An valeat satisfactio facta extra statum gratiæ?

494 **D**ifficultas est: An satisfactio Sacramentalis imitari debeat in statu gratiæ, ut valeat pro remissione poenæ temporalis?

his? An hunc sortiatur effectum, etiamsi impleatur in statu peccati mortalis? Exempli gratia: imponitur Petro jejunium duorum dierum: Si post primum diem peccet mortaliter, & jejuset secundo die ex illa intentione, quæritur: *An hoc secundum jejunium valeat, aut debeat illud repetere, postquam amissam gratiam recuperavit?* Aliqui adeo strictè in hoc procedunt, ut asseruerint, poenitentem tunc non satisfacere præcepto Confessoris: atque adeo, si non repetat, dum ponitur in statu gratiæ, peccare mortaliter. Communis tamen sententia Theologorum oppositum tenet. Constat enim ex communi sensu, & praxi; quia nec Confessarius obligare intendit poenitentem, ut in statu gratiæ adimpleat satisfactionem, ita ut, non faciendo sic, teneatur eam denuò adimplere, dum redierit ad statum gratiæ: nec poenitentes putant, se peccare, adimplendo poenitentiam extra statum gratiæ, ut non rarò contingit. Solum igitur remanet difficultas: *An satisfactio adimpleta in mortali, valeat ad remissionem temporaliæ poenæ, remanentis post absolutionem?* erga quam numerantur tres sententiæ. 1. negat, satisfactionem in statu peccati impletam, talem sortiri effectum, non solum pro tunc in statu peccati, sed nec postea, amoto obice peccati, & statu gratiæ succedente. Pro hac citatur D. Thomas, Ricardus, Valencia, & alii quamplures. 2. Sententia censet, in statu peccati satisfactionem non habere suum effectum remissionis poenæ: habituram verò postea, homine in gratiam redeunte. Ita Cajetanus, Sotus, Lugus, & plurimi alii. 3. Sententia docet, talem satisfactionem tunc statim effectum remittendi habere, non obstante peccato mortali, postea superveniente. Hæc est Subt. Doct. 4. dist. 15. quæst. 1. quem secuti sunt Gabriel, Marsilius, Navarrus, & alii fere innumeri Theologi. Cum quibus:

495 Sit Conclusio: *Satisfactio Sacramentalis, licet impleta sit in statu peccati mortalis, non solum valet quoad remissionem poenæ: sed etiam hunc suum effectum statim habet.* Prob. 1. ex Subt. Doct. citat. dicente: *Et si satisfactionem impleat in obaritate, melius est; quia non tantum solvit poenam, sed meretur: sed si adimpleat eam extra charitatem, solvit quidem poenam, sed non meretur gratiam.* Et postea inquit: *Opinio contraria est nimis dura, & nimis arctat misericordiam Dei, quæ superexaltat judicium &c.* Ex quibus probatur, destruendo fundamentum Adversariorum: Ideò non valeret satisfactio in statu peccati mortalis impleta; quia non procederet à persona Deo grata, & amica; sed hoc non est necessarium, ut aliquod debitum verè solvatur: ergo cum satisfactio Sacramentalis sit solutio poenæ temporaliæ debitæ, valebit, etsi satisfaciens non sit in statu gratiæ, Prob. minor. Tum; in civilibus, ut quis solvat debitum, non debet esse gratus, vel amicus creditoris: sufficit utique, ut pecuniam debitam reddat illi: ergo ita est in poenitente, quoad satisfactionem, quæ est solutio debiti. Tum: præcepta Ecclesiæ obligant ad illorum adimpletionem; sed impleri possunt in statu peccati mortalis: ergo & istud præceptum satisfactionis Sacramentalis. Minor constat evidenter in Clerico, recitante in peccato Officium Divinum: in audiente Sacrum in die festo; in jejunante in die Cinerum; qui omnes, etsi sint in peccato, satisfaciunt Ecclesiæ præcepto: ergo pariter poenitens satisfaceret præcepto Confessorii de jejunio. Prob. 2. præsertim contra asserentes, quòd si in statu peccati impleret satisfactionem, peccaret: nam id videtur moraliter impossibile in praxi Ecclesiæ: Confessarii imponere solent quibusdam poenitentibus poenitentias longiores, ut jejunia per plures dies, aut alia opera per annum, aut per menses: er-

gò si poenitens primo die peccaret, illa opera numquam haberent finem, sed iteranda essent, quoties poenitens de novo mortaliter peccaret, ante impletam satisfactionem. Et quis non videt, quòd fideles, ob tam gravia onera, retraherentur à Sacramento Poenitentiae? 3. Jejunium in illo casu esset opus bonum: ergo & acceptabile ad satisfaciendum. Antecedens patet; quia esset actus virtutis obedientiæ. Ex quibus sequitur, quòd ex tunc satisfactio debet habere suum effectum: nam si valet in eo statu, nulla est ratio suadens oppositum.

496 Arg. 1. Satisfactio Sacramentalis non valet coram Deo, nisi ipsi placeat; sed non placet Deo facta in statu peccati: ergo non valeret. Prob. major. Sine charitate nulla opera placent, nec valent coram Deo; sed cum statu peccati mortalis non est compatibilis charitas, seu status gratiæ: ergo. Major constat ex 1. Corinth. *Si charitatem non habuerit, nihil mihi prodest.* Eccles. 34. *Dona impiorum non probat Altissimus.* Et sic de pluribus aliis Sacris locis. 2. Ex Trident. Sess. 14. cap. 8. dicente, quòd bona opera nostra non habent valorem, nisi ex meritis Christi, *in quo vivimus, meremur, & satisfacimus, facientes dignos fructus poenitentiae;* sed habens mortale peccatum non vivit in Christo, sed mortuus est in eo, & ab eo separatus: ergo nec satisfacit in eo, nec valet satisfactio. 3. Satisfactio Sacramentalis est pars Sacramenti; sed istud conferre debet gratiam, ve ejus augmentum: ergo satisfactio augere debet gratiam. Sed nisi fiat in gratia, tale augmentum præstare non potest: ergo nisi in gratia fiat, non valet. Denique: reatus poenæ non potest separari à reatu culpæ: & prius debet hic remitti, quam ille; sed habens mortale est in reatu culpæ, ac poenæ æternæ, & satisfactio tantum est pro poena temporali: ergo non valet in statu peccati mortalis.

497 Ad 1. disting. minor. Non placet ad meritum gratiæ, aut gloriæ, concedo: ad puram satisfactionem poenæ, neg. minor. Alia est enim satisfactio puræ solutionis, & alia satisfactio placationis, & reconciliationis: hæc debet procedere à persona amica, & Deo grata, ac in statu gratiæ constituta: illa verò ex objecto Deo placere debet; licet non placeat ex conditione solventis. Unde hæc satisfactio solum requirit executionem operis præcepti; quamvis illa necessariò requirat statum gratiæ. Per hanc doctrinam disting. major. probationis: Sine charitate nulla opera valent, nec placent Deo, in ordine ad meritum, concedo: in ordine ad satisfactionem, & solutionem debitorum, neg. maj. De hoc valore hio tantum agimus, & non de valore ad meritum: Et per hoc patet ad textus allatos. Ad 2. disting. minor. Non vivit in Christo per vitam sanctitatis formalis, concedo: per vitam inchoatam gratiæ excitatis, nego minorem, & consequentiam. Concilium de hac vita loquitur ibi, non de vita gratiæ habitualis: aliæ opera, quæ justificationem præcedunt, ut fides, spes, attritio, confessio, nihil valerent coram Deo, quod dicere est absurdum. Ad 3. disting. major. Satisfactio, prout in voto, & intentione poenitentis adimplendi illam est pars Sacramenti, concedo: prout in executione, neg. major. nisi intelligatur de parte integrali. Itaque satisfactio in voto, ut diximus pluries, est pars materialis Sacramenti Poenitentiae, quæ cum aliis partibus intrinsicis gratiam præstat, aut augmentum gratiæ. At verò prout in executione, non est pars intrinseca, sed est effectus, & sequela Sacramenti: alioquin non valeret Sacramentum, ante executionem satisfactionis, aut si ante executionem peccaret mortaliter; quia sine sua parte intrinseca Sacramentum non valet. Ad 4. utego major. & maximè de poena peccati, jam remissi, quòd

ad culpam, de quo loquimur: nam poena illa, pro qua satisfactio hæc fit, est temporalis. Nec est verum, non posse remitti aliquid, de satisfactione per opera bona, & poenitentias, quæ justificationem præcedunt: nam quæ dispositiones ad Sacramentum sunt majores, eò plus gratiæ operantur, & exolvendæ restant minores poenæ temporales.

498 Ex quibus colliges 1. quòd licet indulgentiæ non valeant habenti peccatum mortale, non ita discurrendum est de satisfactione: nam thesauri meritorum Christi non aperiuntur à suo Vicario, nisi pro contritis, confessis, & justificatis, ut patet ex Bullis Pontificiis. Colliges 2. longè tutius, consultius, ac utilius esse, satisfactiones compleri in statu gratiæ: quia tunc illa opera non essent purè satisfactoria, sicut quæ fiunt in peccato, sed essent etiam meritoria, & gratiora Deo.

499 Quæres 1. An poenitens possit propria auctoritate poenitentiam sacramentalem, sibi impositam, in aliam commutare? Respondeo negativè. Est communis. Prob. Tum; quia quodcumque Sacerdos ligaverit super terram, erit ligatum & in Cælis apud Deum per Sacerdotem, non potest solvi, aut mutari à peccatore: ergo hic non potest mutare poenam, sibi impositam à Sacerdote. Tum; subditus, nec in melius, potest mutare præceptum, nec sententiam superioris; sed poenitens per Sacramentum fit subditus Confessarii: ergo propria auctoritate non potest mutare opus præceptum pro satisfactione sacramentali. Major: constat: nam si Papa præcipit jejunium pro indulgentia lucranda, nequit subditus, sine ejusdem licentia, elemosinam facere, aut aliud opus altioris virtutis. Idem est de reo post sententiam judicis. Nec obest, quòd qui fecit votum, possit opus illud mutare in melius: nam cum votum totaliter pendeat à vovente, nihil

prohibet, ut opus promissum in melius mutet. At verò poenitentia sacramentalis unice pendet à Sacramento, & Ministro Christi, Nec in hac materia admitti potest interpretatio ulla; sed requiritur exacta, & præcisa obedientia in poenitentiae executione: nam si mutetur ab alio, quàm à Ministro Sacramenti, jam non erit satisfactio sacramentalis.

500 Quæres 2. An unus possit pro alio satisfacere? Respondeo negativè de satisfactione sacramentali. Est communis. Prob. Tum; quia tres actus poenitentiae sunt partes hujus Sacramenti: ergo poni debent ab ipso per se, & non per alium, ut sint sacramentales. Tum; satisfactio sacramentalis instituta est, ut medicina, & remedium peccati; sed remedium, & medicina recipi debet in eo subjecto, in quo est morbus: non enim infirmitas unius sanatur per remedium alteri applicatum: ergo satisfactio ab ipso poenitente, & non ab alio, adimplenda est necessariò. Dixi satisfactio sacramentalis: nam loquendo de satisfactione non sacramentali, seu absoluta, per quam confetur homo aliquam compensationem tribuere Deo, pro poena temporalis debita peccatis remissis, bene potest unus pro alio satisfacere. Ita Theologi communiter: & constat ex Trident. Sess. 25. cap. 1. ubi docet, animas in Purgatorio detentas multum juvari suffragiis, orationibus, aliisque bonis operibus fidelium vivorum, in charitate existentium. Constat etiam ex articulo Fidei, quæ credimus Communionem Sanctorum. Hunc enim articulum semper intellexit Ecclesia hoc sensu, nempe, ut bona opera existentium in gratia, & charitate communia sint omnibus, & invicem præstent mutuam commodum, & utilitatem, etiam per modum satisfactionis pro poenis in Purgatorio debitis.

501 Quæres 3. An unus Confessarius possit, ex rationabili causa, commutare poenitentiam, vel à se, vel ab

ab alio, in confessione impositam? Omnes Theologi fatentur, quòd si poenitentia imposita ab uno Sacerdote, non fuerit rationabilis, & cum discretionè, poterit alius Sacerdos æqualis poenitentiam illam moderari, vel commutare. Ratio est; quia Sacerdos ex vi clavium non habet potestatem imponendi irrationabiles poenitentias, & fuit Sacramenti improprietate. Unde in eo casu, aliqui dicunt, quòd non solum Confessarius, verum etiam quilibet alius homo doctus, per viam consilii, poenitentiam illam inconsideratè, & errante clave [sic loquuntur Theologi] moderari potest. Et supponitur, nullum Sacerdotem, sive inferiorem, sive æqualem, sive superiorem, posse omnino tollere poenitentiam, ab alio injunctam. Ratio est; quia Sacramentum Poenitentiae ex divino jure, & Christi institutione debet esse integrum; sed si aliquis Sacerdos poenitentiam ab alio impositam omnino tolleret, Sacramentum integrum non esset; quia tunc careret satisfactione, quæ est pars ejus, integralis: ergo. Est igitur solum controversia: an quando poenitentia proportionatur, tam peccatis, quàm facultati poenitentis, possit ex rationabili causa ab alio Confessario mutari? In resolutione variant non parum Theologi. Soto, Nugno, Ledesma, & alij alii negant. Silvester, Suarez, & communiter Thomistæ, & Scotistæ affirmant. Sed Navarrus, Valencia, & alii addunt, id fieri posse, etiam extra confessionem, & non auditis peccatis, pro quibus poenitentia injuncta fuit. Uterius Navarrus cum aliquibus sentit, Sacerdotem inferiorem mutare posse poenitentiam à superiore impositam, propter peccata reservata. Pro resolutione difficultatis:

502 Dico: Confessarius mutare potest poenitentiam, vel à se, vel ab alio impositam, ex rationabili causa. Causa rationabilis esset, si prior esset, valde difficilis, aut quia alia

erit salutarior, & utilior ad finem emendationis. Prob. de eodem Confessario; quia sic nulla injuria fit Sacramento, sed magis providetur ejus integritati, & efficaciar, dum satisfactio mutatur in opus melius, vel facilius, vel utilius ad finem ejus: ergo, Antec. patet: nam si opus melius sit, majorem gratiam conferet. Si facilius, integritas ejus erit securior; si utilius, poenitens illud exequetur majori cum fervore. Prob. de alio Confessario: nam iste, etiam primo æqualis, non habet minorem potestatem in hoc Tribunali, quàm primus; sed primus poterat mutare poenam à se impositam, ex causa rationabili: ergo & secundus. Min. ex Ecclesiae praxi constat: nam quando poenitens Confessario exponit difficultatem implendi poenitentiam ab eo sibi taxatam, potest, & debet eam commutare, prout ratio dicataverit. Prob. maj. peccator potest Sacerdoti, alteri à primo, peccata sua, jam confessa, confiteri: ergo iste potest de illis judicare, poenitentem solvere, & ligare æquè ac primus: ergo pro illis imponere potest congruam satisfactionem, prout prudentia suggererit, & poterit poenitens eam amplecti.

503 Ex his sequitur 1. contra Navarrum, aliosque Auctores, Confessarium non posse mutare poenitentiam, ab alio impositam, nisi in confessione, & auditis peccatis; pro quibus imposita fuit. Tum; quia commutatio illa poenitentiae est actus judicialis, qui, incognita causa, non potest exerceri. Tum; quia potestas commutandi illam poenitentiam, & imponendi aliam, procedit à virtute clavium, quæ potestas non exercetur nisi in ipso Tribunali confessionis. Sequitur 2. contra eodem Auctores, Sacerdotem inferiorem non posse mutare poenitentiam à superiore impositam, propter peccata reservata. Patet: Tum; quia eadem est potestas imponendi, & commutandi poenitentiam, & utraque pro-

cedit ab eadem virtute clavium; sed Sacerdos inferior non potest imponere poenitentiam pro peccatis reservatis, cum ab illis absolvere non possit: ergo nec poenitentiam illam commutare. Tum: ut possit Sacerdos commutare poenitentiam pro aliquibus peccatis impositam, debet de illis posse ferre iudicium, seu sententiam; quia commutatio illa poenitentiae est actus judicialis; sed Sacerdos inferior non potest ferre iudicium de peccatis superiori reservatis: ergo.

504 Si dicas 1. unus Confessarius non potest revocare sententiam alterius sibi aequalis in foro interiori: modo quo in foro exteriori unus iudex, nisi sit superior, potest mutare sententiam alterius: nam juxta commune dictum, *par in parem non habet imperium*: ergo Confessarius non potest commutare poenitentiam, impositam sibi ab alio aequali. Respondeo, quod Confessarius secundus non exercet in eo casu jurisdictionem ullam supra primum, sed supra poenitentem, in cujus gratiam Sacramentum hoc institutum est. Unde propriè non revocat alterius sententiam, sed profert suam supra poenitentem, & materiam sibi appositam, de qua, visis circumstantiis, iudicat secundum propriam prudentiam. Nec est eadem ratio de iudice fori exterioris: Tum; quia tale forum non est institutum in favorem rei, sicut Sacramentum poenitentiae. Tum; quia in foro exteriori esset propriè revocatio primæ sententiae, quod inter aequales iudices non valet: non ita est in hoc foro interiori propter dicta immediatè.

505 Si dicas 2. per absolutionem superioris sublatam fuisse reservationem; qua sublata, illa peccata eodem modo se habent, ac si reservata non fuissent: ergo Sacerdos inferior potest ferre iudicium de illis, sicut de non reservatis. Contra: quia licet poenitens absolutus

fuerit à superiore à reservatis, non propterea Sacerdos inferior eodem modo se habet in ordine ad reservata, & non reservata. In reservata habet facultatem tantum per accidens, & ex suppositione prioris iudicii: at verò in non reservata habet jurisdictionem per se. Unde poenitentiam pro non reservatis commutare potest, sed non pro reservatis: nam sicut in materiam præcedentis iudicii, in quo reservatio sublata est, jurisdictionem non habet, sic nec in sententiam, & impositionem poenitentiae, factam à superiore: nam in huiusmodi poenitentis impositis à Prælato pro reservatis, involvitur tacitum præceptum, ne possint ab aliis commutari, nisi gravi urgente necessitate, & recursus ad superiorem non sit facilis.

Brevis notitia de satisfactione publica Canonica.

506 Satisfactio, apud Theologos, alia est *Sacramentalis*, de qua hucusque locuti sumus: alia *Canonica*, de qua hic aliqua dicemus. Hæc itaque ab Ecclesia præscribitur, & in Conciliis, vel Canonibus Poenitentialibus, pro gravioribus delictis statuatur. Rursus hæc duplex est, *privata*, seu quæ in particulari fit à poenitente: Et *publica*, quæ exercetur in conspectu fidelium, seu in conspectu Ecclesiae. Poenitentia hæc publica duplex erat: Una, quæ fiebat ante Baptismum ab adultis, ut se ad illum suscipiendum disponerent. Et quod adultus sine aliqua publica poenitentia ad Baptismum non admitteretur, colligitur ex Actor. 2. ubi S. Petrus inquit: *Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*: Et testantur uniformiter omnes Patres, præsertim Tertullianus lib. de Poenit. August. Homil. 27. cap. 1. Hoc ipsum docet Trident. Sess. 6. cap. 6. Ubi inter cæteras dis-

po-

positiones ad justificationem obtinendam, maxime per Baptismum, annumerat poenitentiam, cum dicit: *Moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*. Hic autem sermonem non instituit de poenitentia, & satisfactione publica, quæ ante Baptismi susceptionem fiebat, sed de ea dumtaxat, quæ post Baptismum susceptum fieri solebat à fidelibus, qui in grandia peccata lapsi fuerant.

507 Hæc itaque poenitentia publica fuit triplex. Alia erat *imperata* ab Ecclesia: alia *voluntariè à poenitentibus petita*, & eis regularitè concessa: Alia *solemnis*, & ea erat, quam poenitens perpetuò observandam suscipiebat, & ad vitæ austerioris institutum se obstringebat, vel in Monasterio, vel sub cura, & disciplina Monachorum. Unde ille status non tantum habebat aliqua officia poenitentiae publicæ, sive imperatæ, sive concessæ, sed etiam inducebat in poenitente immobilitatem, & perseverantiam in illo statu: Et in hoc differebat ab aliis prædictis poenitentis publicis, quæ tantum erant via, & præparatio ad obtinendam reconciliationem; qua obtenta, obligatio ulterius agenda poenitentiae cessabat. De hac solemnè poenitentia præclarum exemplum profert Concilium Toletanum XII. cap. 1. in persona Vitæ, Regis Hispania, qui jure regio se abdicavit, & perpetuam poenitentiam institutum suscepit. Poenitentiae *imperatæ*, seu ab Ecclesia præceptæ, & insimul poenitentis voluntariè petite, suppetunt plurima exempla in Historia Ecclesiastica, constatque tam ex decretis Conciliorum, quam ex antiquissimis Canonibus, & Ritualibus Poenitentialibus, in quibus decernuntur, & præscribuntur poenitentiae subeundæ à poenitentibus, pro certis quibusdam criminibus. Crimina ista non erant *publica*, sed *privata*.

Tom. I.

publica: nam ut colligitur ex variis Canonibus, poenitentia publica pro solis peccatis publicis fuit præscripta. Unde publici peccatores de crimine convicti, si poenitentiam publicam agere volebant spontè, non solum cogebantur ad eam per gravem Ecclesiae sententiam excommunicationis; sed si Censuris Ecclesiasticis non obedirent, cogebantur auctoritate Principum, & virtute brahii sæcularis, cujus auxilium implorabant Episcopi, ut constat ex Concilio Moguntino Can. 28. aliisque pluribus antiquis Conciliis.

508 Et quamquam Ecclesia semper eadem, ac invariata perseveret: nihilominus non eadem semper fuit illius disciplina exterior circa poenitentes: aliquando enim indulgentius egit cum peccatoribus, aliquando autem acerbius. Quare varia circa disciplinam poenitentiae publicæ agenda distinguenda sunt tempora. 1. Ab Apostolis usque ad exortam Montani, & Novatiani hæresim, in quo tempore Ecclesia indulgentius se gessit cum peccatoribus, quam à tempore prædictorum Hæreticorum. Ratio autem, cur prioribus temporibus Ecclesia cum poenitentibus mitius ageret, petenda est ex vehementia contritionis, qua afficiebantur filii Ecclesiae in ejus primordiis, cum in aliquod peccatum lapsi fuissent. Semper enim Ecclesia constituit, ac ratum habuit, pro contritionis vehementia poenas minuendas esse. Cum verò sequenti tempore, jam refrigerante charitate, minus intensa esset contritio, hinc durius oportuit agi cum poenitentibus, ac profunde longiori, atque graviore satisfactione erat opus. Quare exorta, & propagata Novati hæresi, in quatuor gradus, seu classes distributus fuit poenitentiae labor, Primus dicebatur *stetis*; secundus *eruditia*; tertius *substratio*; & quartus *subsistentia*. Duorum primorum, quæ dicebatur etiam locus *lamentantium*, erat extra portam Oratorii, seu lock, in quo, orationis causa, aut

Sss 2

sa-

sacri audiendi, convenire solebant fideles: sicque poenitentes illi, quibus prohibitus erat ingressus Ecclesiae, rogabant fideles ingredienti, ut pro se orationes funderent. In tertio gradu erant *substrati*, sic appellati; quia auditis scripturis, & Missa Catechumenorum, se prosternebant ad Presbyterorum pedes, ut manus impositionem acciperent. Hi nunquam stabant, sed semper orabant genuflexi in parte templi sinistra, nudis pedibus, crine demisso, & facie squalida, ut ex Can. 19. Synodi Laodicenae colligitur. Quartus gradus dicitur *consistentiae*, in quo, purgatis poenitentibus per opera laboriosa, concedebatur illis impositio manus Episcopi, & Cleri: nec amplius eiciebantur extra Ecclesiam, sed in ea stabant, concedebaturque illis Missae fidelium interesse, & omnibus, quae ad Sacrificium pertinent: ita tamen, ut nec oblationem facerent, nec eis communionem accipere liceret.

509 Et si interrogas: *Utrum quatuor illi gradus poenitentiae necessarij essent decurrendi, priusquam peccatores consequerentur gratiam reconciliationis, & absolutionis?* Respondeo, id necessarium non fuisse: nam interdum accidit, ut peccatores à gradu flentium ad ultimum pervenirent absque aliorum mediatione, ut colligitur ex Can. 12. Concilii Niceni. Imò non semper poenitentes inchoabant poenitentiam à primo gradu, sed pro variis circumstantiis, & animi contritione, ac dolore, nunc ab uno, nunc ab alio, etiam ultimo, laborem ordiebantur. Sic colligitur ex S. Gregorio Neocæsariensi Cap. 11. ubi sic habet: *Qui in campo aliquid invenerint, vel in suis aedibus à barbaris relictum, si accusati quidem convicti fuerint, sint similes cum eis, qui substernuntur, [id est, constituentur in tertio gradu poenitentiae] si autem seipsos denunciaverint, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur, id est, constituentur*

in quarto gradu. Similiter aliquando Poligami constituti in secundo poenitentiae gradu, absque tertio, perveniebant ad quartum, ut significat S. Basilius. Nec poenitentia hæc publica de criminibus gravioribus semel acta, quamvis iterarentur, fuit denuò ab Ecclesia præscripta; sed tantum illa iterata crimina puniebantur de cætero poenitentia privata. Sic interpretatur Alensis 4. parte quæst. 14. artic. 2. plures Patrum auctoritates, atque ita constanter docuerunt veteres Theologi.

510 Peccata igitur hæc, propter quæ poenitentia prædicta fiebat, in tres classes diviserunt SS. Patres, ac veteres Ecclesiae Doctores: atque unicuique classi peculiarem assignarunt normam, & legem castigationis, & remedii. Prima classis erat gravissimorum criminum, quæ capitalia, & simpliciter mortalia dicebantur, inter quæ tria potissimum crimina recensebantur, nempe, *Idolatria, Mæchia*, seu adulterium, & *Homicidium*, unà cum eorum manifestis speciebus. Dicebantur etiam interdum Canonica, propter censuras eis à Canonibus præscriptas. Secunda classis erat eorum criminum, quæ mortalia quidem censebantur, sed leviora erant præcedentibus. Tertia classis erat peccatorum levium, quæ sæpius à Patribus quotidiana appellatur: quamquam etiam interdum quotidiana aliqua fuerint verè mortalia, ut colligitur ex D. Augustino lib. 83. quæst. 26. ubi omnia ignorantiae, & fragilitatis peccata, venialia, & quotidiana appellat. Cum igitur aliqua peccata fragilitatis, & ignorantiae per se mortalia sint, constans est, quòd dicebantur venialia, non quatenus veniale distinguitur à mortali, sed quatenus peccator facilius veniam impetrabat de eis; nec ita severè poenitentiam agere debebat pro eis, sicut pro eluendis peccatis primæ, & secundæ classis.

511 Primum genus peccatorum castigabatur poenitentia publica, jux-

ta poenas à Canonibus præscriptas. Secundum genus peccatorum curabatur antiquitus eodem modo, quo nunc curari solent, nempe, Sacramentali confessione, & absolutione, ac privata satisfactione: quamquam interdum etiam contingeret, quòd aliqua ex illis peccatis castigarentur poena Canonica, sed non humili, luctuosaque poenitentia. Tertium peccatorum genus, quæ non erant verè mortalia, non curabantur aliquo onere præscripto ab Ecclesia, sed vel orationum recitatione, vel eleemosinæ largitione, vel pectoris percussione, aut aliquo ex illis remediis, quibus, ut pluries diximus, peccata venialia possunt expiari. Omnia hæc luculentissimè docet Augustinus lib. de fide, & bonis operibus, Cap. penult. Ex quibus docet expressè S. Pacianus, tria tantum peccatorum mortaliu genera per publicam, seu luctuosam, & humilem poenitentiam fuisse emendata, scilicet, *Idolatriam, Homicidium, & Mæchiam.*

Non quia Pacianus senserit, quòd solis his tribus peccatis charitas Dei perditur: sed quia tunc ea sola poenitentiae publicæ poena emendabantur. Reliqui autem peccatores abstinere se quidem ab Ecclesia, donec aliis remediis, Sacramentoque Poenitentiae purgarentur. Unde se ipsos excommunicabant: non verò ita de *Idolatria, Homicidio, & Adulterio* criminibus convicti; qui quidem ab Ecclesia excommunicati, non restituebantur communioni, nisi reconciliarentur per publicam poenitentiam, & satisfactionem. Ex dictis constat, & confirmatur auctoritate Augustini Homil. 50. cap. 4. duplicem fuisse distinctam Excommunicationem, quæ quis removebatur à participatione *Eucharistiae*, videlicet, *spontaneam, & coactam*, seu ab *Antistitibus* Ecclesiae imperatam. Si alia p̄tra, & verè erudita, in hac materia desideres, consule Frassen. Tract. de Poenit. in Appendice de satisfactione, seu poenitentia publica.

DISPUTATIO IV. DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

Sæpe sæpius dixi, Sacramentum hoc conferri per formam iudicii. Unde, sicut in legitimo iudice plures requiruntur conditiones, sic etiam plures sunt necessariae in Ministro hujus Sacramenti, de quibus pertractabimus in hac Disput.

QUÆSTIO I.

Quis, & qualis debeat esse Minister Sacramenti Poenitentiae?

512 **I**nter cæteros Wiclephi errores unus fuit, quòd Sacerdos non sit Minister necessarius

Sacramenti Poenitentiae, quem errorem secutus est Lutherus; & alii ex recentioribus Hæreticis, asserentes, etiam laicos baptizatos, spectato Divino jure, esse Ministros idoneos Sacramenti Poenitentiae. Trident. Sess. 14. cap. 6. hanc damnat doctrinam, sic statuens: *Circa Ministrum hujus Sacramenti declarat S. Synodus, falsas*

sas esse, & a virtute Evangelii poenitentis alienas, doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines, praeter Episcopos, & Sacerdotes, clavium ministerium perniciosè extendunt &c. Quidam etiam Catholici, secuti Magistrum Sententiar. in 4. dist. 17. concesserunt quidem, solum Sacerdotem per se, & regulariter esse Ministrum hujus Sacramenti: putarunt tamen, in casu necessitatis, absente Sacerdote, peccatorem teneri Laico confiteri. Dixerunt itaque, refert D. Bonaventura dist. 17. dub. 1. quòd quinque modis habetur potestas absolvendi, scilicet, *authoritate*, & sic est Dei: *excellencia*, & sic est Christi, ut hominis: *potestate*, sive *authoritate commissa*, & sic est Sacerdotis: *merito vitae*, & sic est justitiae, & sancti: & virtute unitatis *Ecclesiasticae*, & sic est cujuslibet viri fidelis.

513 Eandem sententiam videtur insinuasse D. Thomas dist. 17. quæst. 3. Art. 3. quæstioncula 2. dicens, quòd sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Poenitentia. Baptismus autem, qui est Sacramentum necessitatis, habet duplicem Ministrum: Unum, cui ex officio baptizare incumbit, id est, Sacerdotem: alium, cui ratione necessitatis dispensatio Baptismi committitur. Ita etiam Minister Poenitentiae, cui confessio faciendae ex officio est, est Sacerdos: sed in necessitate, etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit. Et in respons. ad 1. docet, in hujusmodi confessione inesse rationem Sacramenti, & ea, quae ad Sacramenti essentiam pertinent, licet non omnia: quae vero desunt, defectum, scilicet, Sacerdotis, a summo Sacerdote suppleri. Quando necessitas imminet, debet facere poenitens, quod ex parte sua est, scilicet, conteri, & confiteri, cui potest. Et postea: nihilominus confessio Laico ex desiderio Sacerdotis facta, Sacramentalis est quod

dammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum. Verum istae sententiae, & similes aliquorum SS. PP. auctoritates, non debent significare, confessionem illam, a poenitente factam, & absolutionem a Laicis datam, esse Sacramentalem: Omnes namque Ecclesiae Doctores omnino, & constanter docent, clavium potestatem ad solos Episcopos, & Presbyteros pertinere, ut aperte definit Trident. verbis supra laudatis. Quare illa confessio potest quidem esse salutaria propter contritionem, & annexam verecundiam, ac humilitatem: non vero est necessaria, nec Sacramentalis; ut egregie explicat Doct. Subt. dist. 17. quæst. 27. ubi inquit: *Talis confessio potest esse materia verecundiae, quae est una poena debita peccato: & in hoc confiteps solvit aliquam poenam, quam solveret, si confiteretur Sacerdoti... sed quia laicus nullam habet sententiam auctoritatem in isto foro; sequitur, quòd nullum præceptum est de accusando se laico &c.*

514 Nunc suppono 1. ex sæpe dictis, hoc Sacramentum judiciale esse, & per modum iudicii ministrari; ita ut absolutio, & ligatio, quae ibi fiunt, habeant rationem sententiae, & Confessor se gerat, ut iudex, erga reum subditum. In iudice autem requiritur jurisdictio in eos, quos solvit, aut ligat. Suppono 2. nomine *clavium Regni Caelestis* intelligi spiritualem potestatem, quam Ecclesia habet ad aperiendum, & claudendum Coelum hominibus sicut in temporalibus, inquit Seraph. Doct. dist. 18. Art. 1. Clavis est instrumentum, quo ponitur, aut removetur impedimentum aditus ad aliquem locum. Unde potestas absolvendi a peccatis vocatur Clavis, eo quòd, qui tali potestate fruitur, habet clavem, per quam ponit, vel tollit obicem intrandi in Coelum. Haec potestas alia est *ordinaria*; quae propria est alicui officio, ut Episcopo, Parocho, Provinciali &c. Ali-

de-

delegata, quae competit ex delegatione, vel commissione habentis ordinariam. Minister itaque *ordinarius* ille est, qui ex officio suo, & sine privilegio, vel delegatione potest confessiones audire, ut Papa in tota Ecclesia, Episcopus in tota sua Dioecesi, & Parochus curatus in sua Parochia. Minister *delegatus* ille est, qui ex officio suo non habet facultatem absolvendi, sed illam accipit ab habente potestatem delegandi. Deinde alia dicitur *potestas Ordinis*, quae consistit in ipso characteri Sacerdotali, per quem confertur homini potestas proxima, & expedita in *Corpus Christi physicum*, seu ad consecrandum, & etiam in *Corpus Christi mysticum*, seu ad Fideles solvendo, aut ligando: hæc autem potestas tunc non confertur, nisi remotè, aut quasi in actu primo, ut dicitur quæst. seq. Alia dicitur *potestas jurisdictionis*, qua quis deputatur superior, & iudex aliorum cum facultate iudicandi illos. Rursus hæc potestas *clavis alia est summa, & principalis*, quæ soli Deo, ut summo Domino, competit: alia *præcellentia*, quæ competit Christo soli; quia in omnia habet universalitatem potestatis: alia *Ministerialis*, quæ competit hominibus, Episcopis, & Presbyteris: Et hæc propriè dicitur *Clavis Ecclesiae*; quia a Christo est Ecclesiae tradita, ut filiis suis possit aperire Coelum, dimittendo peccata, vel claudere peccatoribus, retinendo illa. His scitis.

515 Conclusio I. *Solus Sacerdos Evangelicæ Legis est idoneus Minister Sacramenti Poenitentiae*. Est de fide determinata in Concil. Florent. dicente: *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris*. Idem definit Trident. initio hujus quæstionis adductum. Hæc veritas constat

1. ex unanimi, & perpetuo totius Ecclesiae usu, & consensu, quem mirificè expendit Scotus num. anteced. laudatus. Constat 2. ex unanimi auctoritate SS. PP. hanc potestatem absolvendi solis Sacerdotibus concessam esse, docentium. Ambrosius lib. de Poenit. loquens de hac potestate, dicit: *Ius hoc solis est præmissum Sacerdotibus*. Hieron. super illud Matthæi: *tibi dabo claves Regni Cælorum*, inquit: *Habent judicariam potestatem alii Apostoli, habet & omnis Ecclesia in Episcopis, & Presbyteris: sed idem Petrus eam specialiter accepit; ut omnes intelligant, quòd quicumque a veritate fidei, & societate Ecclesiae separatur, nec a peccatis solvi, nec Coelum potest ingredi*. Et sic de cæteris Ecclesiae Patribus, & Doctoribus.

516 Arg. 1. Jacobus Cap. 5. monet fidelibus, ut mutuò sua peccata confiteantur, dicens: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*. Urgetur: Eodem sensu dixit Christus Apostolis: *Quorum remiseritis &c.* ac dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes &c.* sed per hæc posteriora verba non restrinxit ministerium baptizandi ad solos Sacerdotes: ergo nec per illa priora ad solos Sacerdotes restrinxit potestatem absolvendi, seu ministerium confessionis: ergo sicut in casu necessitatis potest quilibet Laicus baptizare, ita & absolvere, ac peccata remittere. Patet: nam Sacramentum hoc non est minus necessarium, quàm Baptismus. Ante solutionem adverti debet, triplici modo posse esse confessionem. Una est *satisfactoria*, & quæ fit fratri offenso ad pacem, & veniam impetrandam ab eo. Alia est *consultoria*, quæ fit ad capiendum consilium ad salutem necessarium. Tertia est *Sacramentalis*, quæ fit ad obfinendam veniam per absolutionem: Prima quidem confessio fieri potest cuilibet proximo offenso: Secunda ve-

rò

ro homini justo, & erudito; praesertim Pastoribus, ac viris Religiosis, quorum officium est privatim, & publicè Evangelica doctrina illustrare fideles, & consolari salutari exhortatione. Tertia denique dumtaxat fieri potest Sacerdotibus Ecclesiae, quibus solis concessa est potestas absolventi.

517 Ex quibus dico, quod S. Jacobus per vocem *alterutrum* non intendit, ut peccata sua confiteatur quis quibuscumque, & indifferenter, sed tantum habentibus in Ecclesia ministerium absolventi, ut sunt Sacerdotes. Patet ex eo, quod prius fecerat sermonem de Sacerdotibus, fideles monendo, ut si quis eorum infirmatur, inducat Ecclesiae Praesbyteros, qui orent super eum, & unguant oleo. Ex quo statim colligitur *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*. In his igitur satis clarè significat, peccata confitenda esse apud eos, quos jam dixerat esse advocandos, ut orent super infirmum, & unguant eum. Et ne quis existimaret, peccata mortalia, quae infirmus haberet, per istam Sacerdotum orationem, & unctionem deleri, subjungit: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Hoc est, explicat Hugo Victorinus lib. de Sacram. *Inter vos homines, qui peccata habent, confiteantur his, qui peccata dimittendi potestatem habent*. Ad urgentiam negotii major, & concessa minor, nego consequentia. Ex praxi enim, & doctrina Ecclesiae, quae depositaria est, & interpretes fidelis mentis, & voluntatis Christi Domini, constat, & patet, quando loquatur ad omnes fideles, & quando ad solos Apostolos, & Sacerdotes. Constat igitur, quod ad solos Sacerdotes dixerit: *Quorum remisistis &c.* Et ad omnes fideles in casu extremae necessitatis: *Baptizantes eos &c.* Cujus ratio satis manifesta est Tract. de Baptismo. Deinde disparitas est manifesta: alius, sicut non tantum viri, sed etiam mulieres, & obstetrices possunt bapti-

zare in casu necessitatis, ita etiam possent audire confessiones, quod absurdissimum est apud omnes, & quod nec ipsi Haeretici admittent.

518 Arg. 2. D. Cyprianus lib. 3. Epistolar. dicit: *Si quis infirmitate oppressus, non posset expectare Sacerdotis adventum, reconcilietur per Diaconum, facta prius exomologesi*, id est, confessione. Idem videntur affirmare plures Ecclesiae Patres. Sed respondeo, nec Cyprianum, nec alios, loqui de absolutione Sacramentali, sed de ea, qua poenitentes publicè recipiebantur in communionem Ecclesiae, ut possent cum aliis communicare, & Divinis interesse. Unde illa confessio Sacramentalis non erat, sed tantum Canonica, per quam publicè confitebantur peccatores illa peccata, & Diaconus, qui tunc temporis, absente Sacerdote, vel ex ejus commissione, Eucharistiam ministrabat, videbat, & judicabat, utrum poenitens esset verè contritus, & dispositus ad illam recipiendam.

519 Conclusio II. *Nullus est casus extremae necessitatis, in quo, nec Diaconus, nec Laicus, absolvere possit: & consequenter, in quo poenitens teneatur illis Sacramentaliter confiteri*. Est de fide, & determinata in Florentino, & Tridentino, ut demonstratum est num. 515. quia necessarium sit aliquod aliud superaddere. Solum est advertendum, quod supra jam est animadvertum. Quamvis enim inveniuntur Doctores, & quidem plures, & graves, qui videntur oppositum tenere: inter quos Albertus Mag. in 4. dist. 17. art. 58. dicens: *Valet confessio facta Laico, ubi articulus necessitatis, non contemptus Religionis, excludit proprium vel alienum Sacerdotem*: Et Cardinalis Ostiens. lib. 5. tit. de Poenit. cap. 14. inquit: *Sicut ait Augustinus, tanta est vis confessionis, quod si imminet necessitatis articulus... Et deest Sacerdos; in tali articulo potest Laico, vel etiam mulieri, con-*

ferri. His itaque, & similibus, quae de confessione Sacramentali intellectis, praesertim post praecitata Concilia, nullam, nec levissimam probabilitatem possunt habere, quidquid in alio tempore, in quo expressè definitum non fuerat adhuc, fuerit: His, inquam, respondendum est, illam non esse confessionem Sacramentalem, sed tantum posse esse materiam verècundiae, & salutarem, propter humilitatem &c. Et quod ita sit, constat ex ipso Cardinali Ostiensi, qui sic prosequitur: *Quod dictum est de Laico, vel muliere, intelligas quoad ostendendam fidem Sacramentalem, Unde si moriatur, salvatur: Debitum tamen Sacramentum deficit; quia nullus potest verè absolvere, ut verum sit Sacramentum Poenitentiae, nisi Sacerdos sit: ideoque si à periculo evadat, debet iterum Sacerdoti confiteri*. En solutionem claram, & antiquorum Doctorum intelligentiam,

QUÆSTIO II.

An omnis Sacerdos sit legitimus Minister hujus Sacramenti?

520 **Q**uærimus: An omnis Sacerdos recipiat in sua ordinatione potestatem clavium, seu absolventi à peccatis; sicut accipit potestatem consecrandi: ita ut absque alia facultate, & jurisdictione possit confessiones fidelium audire, & eos à peccatis absolvere; sicut ex eadem consecratione potest Corpus Christi conficere, & Eucharistiam fidelibus ministrare. Quidam Theologi docuerunt cum Armacano lib. 11. cap. 4. Potestatem jurisdictionis in hoc Sacramento non distinguere à potestate Ordinis. Unde dicunt, utramque omnino completam accipit simul Sacerdos in ordinatione: atque adeo quemlibet posse validè absolvere, licet illicitè, propter Ecclesiae prohibitionem. Nonnulli cum Navarro in Summa cap. 4. &

Tom. I.

27. censent, Sacerdotes accipere in sua ordinatione, seu characterè Sacerdotali jurisdictionem absolventi: non tamen validè absolvere possunt, propter Ecclesiae prohibitionem. Hęc sententia cum præcedente coincident: nam si quis Sacerdos divino jure, & vi suæ ordinationis potestatem habeat sufficientem, ut actus possit absolvi ab omnibus peccatis, Ecclesia non potest efficere, aut prohibere, quod poenitentem debitè dispositum absolvat validè: modo quo nulla sua prohibitionem efficere potest, ut Episcopus aliquem ordinet, aut confirmet invalidè. Hęc utraque sententia repugnat Tridentino cap. 7. decernenti: " Delictorum reservatio, nem consonam esse divinæ auctoritati, & non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habet.... Extra quem articulum [mortis] Sacerdotes, cum nihil possunt in casibus reservatis, id unum poenitentes persuadere nituntur, ut ad superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant. His verbis Concilium aperte docet, non solum illicitè, sed etiam invalidè aliquos Sacerdotes absolvere à peccatis reservatis. Ergo falsum est, Sacerdotes omnes completam habere jurisdictionem virtute suæ ordinationis, & characteris Sacerdotalis.

521 Alii cum D. Antonino part. 3. tit. 17. cap. 4. docent, Sacerdotes recipere quidem in sua ordinatione potestatem jurisdictionis; quæ verò ad actum non potest reduci propter defectum materiam. Ut enim aliquis Judex exercent actum jurisdictionis, non est satis, quod Judex institutus à Principe, sed ultra necessarium est, quod subditos habeat, & locum determinatum, ubi talem jurisdictionem exercent. Unde, ut Sacerdotes possint aliquem poenitentem validè absolvere, necessarium est, quod Ecclesia ipsis aliquos subditos assignet: quia Christus hoc Sacramentum ita iastituit, ut nullus sine

Ttt

au.

authoritate, & determinatione Ecclesiae posset in alterum sententiam ferre. Hæc sententia est valde fundata. Medina, Soto, Suarez, & alii alii docent, potestatem Ordinis, quam solam accipit Sacerdos in sua ordinatione, distinctam esse à potestate jurisdictionis, quam postea accipit à Prælati Ecclesiae: quæ, sicut conceditur liberè, sic etiam liberè potest suspendi, & revocari. Hanc sententiam sic probant: Trident. & Florent. hanc jurisdictionem distinguunt in ordinariam, & delegatam; sed hoc falsum esset, si potestas jurisdictionis eadem esset cum potestate Ordinis: Nemo enim dicit, potestatem Ordinis delegari posse: ergo censent Concilia, potestatem jurisdictionis distinctam esse omnino à potestate Ordinis. Deinde: *Omnis jurisdictio est essentialiter superioritas, intrinsicè dicens respectum ad subditos, in quibus illam exercere possit; sed Sacerdos nullos acquirit subditos virtute suæ ordinationis: ergo, nec illius virtute obtinet jurisdictionem.* His scitis:

522 Conclusio I. *Non omnis Sacerdos est Minister Sacramenti Poenitentiae; sed illa tantum, cui ad id concessa est jurisdictio.* Est omnium Theologorum, quam expressè docuit Scotus dist. 17. quæst. 1. Probat, tum ex Florentino, dicente: *Ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem, habentem auctoritatem ordinariam, vel delegatam absolvendi.* Cum autem Concilium ea hic explicet, quæ ad Sacramenti essentiam requiruntur divino jure, significat jure divino requiri hanc potestatem, & jurisdictionem. Idem docet Trident. Sess. 14. cap. 5. ubi ait; *absolutionem à peccatis esse actum judicarium ex Christi institutione: ad actum autem judicarium requiritur jurisdictio.* Unde ait: *Quoniam natura judicii exposcit, ut sententia dumtaxat in subditos feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse hæc S. Sy-*

nodus confirmat: nullus momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam, tam non habet jurisdictionem. Et cap. *Si Episcopus* statuitur, nulla consuetudine posse induci, sive præscribi, ut quis sine licentia superioris possit sibi Confessarium eligere; quia contra jus divinum nulla consuetudo, aut præscriptio prævalere potest: ergo juxta Concilium, hæc necessitas jurisdictionis ex ipsa natura, & institutione Sacramenti consequitur. Patet hoc: nam si proveniret ex jure humano tantum, quod quilibet Sacerdos non posset quemlibet absolvere, contra illud jus præscribi posset; quia secundum sententiam Theologorum, potest præscribi contra omne jus humanum. Sequitur ergo evidenter, quod Sacerdos non valet hoc Sacramentum ministrare ex vi solius ordinationis, & quod requiritur specialis potestas jurisdictionis.

523 Conclusio II. *In casu necessitatis, seu in periculo mortis quilibet Sacerdos est idoneus Minister hujus Sacramenti, si non adest habens legitimam jurisdictionem.* Conclusio constat ex Trident. cap. 7. dicente: *In Ecclesia Dei semper fuit custoditum, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes à quibusvis peccatis, & Censuris absolvere possunt.* Ergo Ecclesia omnibus Sacerdotibus dat jurisdictionem in omnes fideles, constitutos in articulo mortis, & similibus casibus necessitatis. Periculum mortis est, quando non certò, sed valde probabiliter, mors timetur, ut in longa navigatione, in gravi morbo, aut instante prælio: *articulum vero mortis dicitur, quando mors instat certò, & de proximo.* In utroque autem casu, nempe, tam in articulo, quam in periculo mortis, ait Mastrius, & nos cum ipso, intelligitur conclusio: nam prudentia, & pietas

tas S. Matris Ecclesiae non dicat, semper instans ultimum expectandum esse, quando agitur de animæ salute. Unde Concilium *per articulum mortis* illum statum intelligit in quo mors expectatur, aut timetur rationabiliter, & prudenter. Et advertendum, quod in prædictis casibus, deficiente Confessario idoneo, illa facultas censetur data *Sacerdoti excommunicato, vel suspenso, vel hæretico, vel degradato*, ut tenet ipse Mastrius.

524 Diximus: *si non adest, vel si desit Sacerdos habens legitimam jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam: quod sic potest probari: mens Ecclesiae non est dare talem jurisdictionem omni Sacerdoti, nisi pro casibus necessitatis, in quibus animarum salus periclitatur, aut periclitari potest; sed quando adsunt alii Sacerdotes jurisdictionem habentes, non est ulla necessitas, nec ex parte poenitentis, nec ex parte Ministri: ergo tunc non est mens Ecclesiae dare illi Sacerdoti jurisdictionem.* Maj. ex Concilio constat: nam motivum Ecclesiae tollendi tunc omnem reservationem, & conferendi Sacerdoti absolutam facultatem absolvendi, est: *ne hac ratione aliquis pereat*; ergo supponit casum necessitatis, seu periculum salutis æternæ.

525 Arg. 1. Tridentinum Sess. 14. cap. 6. decernit, potestatem remittendi peccata concedi cuilibet Sacerdoti in sua ordinatione: nam sic dicit: *Sacerdotes ministerium istud exercent per virtutem Spiritus Sancti, in ordinatione collatam, tamquam Christi Ministros: ergo ex vi ordinationis habet Sacerdos omnia requisita ad hoc Sacramentum ministrandum: ergo illa potestas à potestate Ordinis non est distincta.* Nunc sic: sed quilibet Sacerdos potest exercere potestatem Ordinis validè, independentè à qualibet Ecclesiae prohibitione: ergo pari ratione exercere potest jurisdictionem, & auctor-

Tom. I.

ritatem absolvendi. *Confirmatur: Tum; quia Concilium dicit, Sacerdotes habere eandem auctoritatem, quæ concessa fuit Apostolis, illis verbis: Quorum remiseritis peccata, &c. sed Apostoli virtute horum verborum poterant absolvere quemlibet: ergo idem possunt facere Sacerdotes.* Tum: ex nostra sententia videtur sequi, Sacerdotes ab Ecclesia recipere potestatem absolvendi; sed hoc dici non debet: aliàs dicendum esset: *ego te absolvo auctoritate Ecclesiae: ergo.*

526 Respondeo, neg. utramque consequ. Quamvis enim potestas remittendi peccata conferatur secundum substantiam, & virtutem cuilibet Sacerdoti in ordinatione: tamen non confertur exercenda, nisi assignatis subditis, in quos exerceatur, juxta tertiam sententiam, quam veriore[m] reputo. Unde potestas completa intrinsicè confertur; sed completa extrinsecè, quantum ad exercitium, & applicationem materiae, seu subjecti, in quod illa potestas exerceatur. Modo quo, si Rex aliquibus tribueret judicandi potestatem, & eos judices constitueret: non tamen assignaret illis subditos, sed gubernatoribus Provinciarum relinqueret designationem loci, ubi existimarent, bono Regis magis expedire. Vel ut alii respondent, nempe, quod in ordinatione confertur potestas inchoata, in actu primo, fundamentalis, & remota: non vero in actu secundo, proxima, & completa: ad quam necessaria est materia, seu subditus, in quem exerceri possit; & quæ assignatio materiae ad Ecclesiam pertinet.

527 Ad confirmationem dico consequenter, non conferri completam potestatem absolvendi in ordinatione, quamvis vi verborum conferatur illis ea, quæ concessa fuit Apostolis. Nam, sicut præter hanc potestatem ex Christi voluntate missi sunt in universum mundum, & qua missione complementum potestatis

Ttt 2

ta-

tatis jurisdictionis collatum fuit eis. Ita præter eam potestatem, quam quilibet Sacerdos in sua ordinatione recipit, debet complementum ejusdem recipere ab Ecclesia, quæ illi subditos assignet. Per hoc ad 2. probationem nego sequelam. Habent quidem à Christo potestatem absolvendi, & ab Ecclesia tantum subditorum designationem. Hoc solum est recipere complementum potestatis, non propriè potestatem absolvendi: Sicut ignis non recipit comburendi potestatem ab eo, qui illi approximat materiam combustibilem: Et tamen comburere non potest sine talis materiæ applicatione. Patet etiam exemplo Principis ex eum, antecedenti.

528 Arg. 2. Tum: Si non esset liberum Sacerdoti subditos eligere, nec poenitenti eligere judicem, Papa non posset Sacramentaliter absolvi; quia nemini subjicitur Pontifex; sed consequens falsum est: ergo. Tum: Si potestas absolvendi quemlibet in articulo mortis non proveniret in quolibet Sacerdote ab ordinatione, seu ex vi characteris, sed proveniret ab Ecclesia, hæc illam posset revocare; sed Ecclesia revocare non potest illam facultatem: ergo non ab Ecclesia, sed ab ordinatione provenit. Respondeo neg. maj. & distingo probationem: Nemini subjicitur in foro interno, seu poenitenti, nego; nam quoad istud forum se habet ut peccator, & homo privatus: In foro exteriori, concedo; quia non potest se subjicere alicui quoad Censuras, quæ feruntur in foro exteriori Ecclesiæ, ut in eum feratur excommunicatio, aut alia Canonica poena; quia hæc dignitati Papali derogat. Ad ultimum respondeo r. neg. maj. Præceptum enim de providendo animarum salutis, ne, scilicet, defectu potestatis aliquæ perirent, dici potest, quod ab ipso Christo provenit; & sic Ecclesia tenetur obedire. Respondeo 2. neg. min. Ex Concilii verbis

tis potest colligi, quod Ecclesia posset illam reservationem non relaxare, seu facultatem illam revocare: nam dicit: *Piè admodum in Ecclesia custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.* Non igitur dicit *necessariè* admodum, sed *piè*. Ex quo videtur sequi, posse talem potestatem denegare.

529 Interrogas: *Si infirmus manifestet, se velle confiteri simplici Sacerdoti, poterit iste illud Sacramentaliter audire, Parocho, aut Sacerdote approbato, presente? Mastrius, Potesta, Bonacina, & alii respondent negativè. Ratio est; quia Tridentinum nihil aliud concedit, nisi quod in Ecclesia concessum jam erat, ut constat ex illis verbis: *in Ecclesia Dei semper custoditum fuit: Ecclesia autem in Canonibus antiquis solum, absente Parocho, aut alio Confessario, hanc concessit facultatem, ut constat ex cap. Aurelius, & Presbyter, quæst. 6. Et ex Concilio Carthag. III. Can. 32.* Deinde: quia Confessario presente, periculum non est, infirmum sine confessione mori, atque hunc periculum prævenire est finalis causa illius concessionis, & Ecclesiæ prædictæ, ut constat ex verbis illis: *Ne hac occasione, aliquis pereat, atque ideo, omnes Sacerdotes &c.* Addi potest, quod quamvis Sacerdos excommunicatus, suspensus, degradatus, & hæreticus absolvere possit in tali casu; non tamen si adsit confessarius approbatus, aut aliquis simplex Sacerdos: quia tunc illi non haberent absolvendi facultatem, ut sentiunt omnes Theologi, eo quod tunc non esset casus necessitatis: ergo pariter nec poterit simplex Sacerdos, Confessario idoneo presente. Oppositum sentiunt Navarro, Rodriguez, Barbosa, & plures alii. Cum his sentiendum judico, & præsertim in casu nostro, quo moribundus simplicem Sacerdotem petat, & in hoc insistat. Tunc enim sine scrupulo tribuendum est infirmo hoc solatium,*

ob

ob suam conscientiam serenitatem.

530 Adverte verò 1. hoc non esse intelligendum de Sacerdote complice; hic enim, nec valde, nec licitè potest suum complicem in articulo mortis absolvere, si non deficit quicumque alius Sacerdos, etiamsi sit simplex, ut constat ex Bulla *Sacramentum Poenitentiae*: & ex Bulla declaratoria *Apostolici muneris*. Unde licet in articulo mortis Sacerdos approbatus præferendus sit per se, & regulariter Sacerdoti simplici: in casu verò complicitatis, præferendus est approbato Sacerdos simplex. Sequitur ergo, quod in tali articulo potest Sacerdos simplex suum complicem absolvere, quando necessitas confessionis ita urget, ut alter Sacerdos opportunè non possit accedere. In hoc enim casu non est adeo scrupulosè procedendum, ut poenitens fortè decedat sine absolutionis beneficio. Quapropter, si absque gravi infamia, vel scandalo nequeat alius Sacerdos evocari, aut confessionem audire, tunc validè, & licitè posset Sacerdos suum complicem absolvere; quia, ut dicitur in Bulla *Apostolici muneris*: *Tunc alium Sacerdotem perinde se habere, censeri que posse, ac si reverè abesses, atque desisteret*: hoc est, si Sacerdos, qui esset præsens, non posset sine dicta infamia confessionem illius poenitentis audire. Sed notandum valde est, quod decernitur in prædicta constitutione, scilicet, "quod Sacerdos simplex sub peccato gravi tenetur hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel remove, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo audientis." Hac in re plures sunt casus curiosi, qui apud Sommistas, præsertim Gonzalez Matheo, Lopez Muñoz, Fidelem del Valle, & Bravum possunt videri. Adverte 2. probabile esse, quod ad absolvendam in articulo mortis, præ-

ferendus est simplici Sacerdoti approbatus in aliena Diocesi; quia hic habilior, & expeditior præsumi debet. Adverte 3. quod absolutus in tali articulo à reservatis, si convaluerit, recurrere debet ad superiorem: non quidem ad absolutionem obtinendam, sed ad præstandam obedientiam. Hoc debet intelligi, quando Sacerdos potestatem non habet absolvendi à reservatis, vel poenitens privilegium non habet, ut dicitur quæst. sequenti.

QUÆSTIO III.

Quis sit idoneus Minister Poenitentiae pro peccatis reservatis?

531 Nil aliud est reservatio, quam limitatio, seu negatio jurisdictionis, vi cujus à certo peccati, vel peccatorum genere Confessarius absolvere nequit. Ex quo sequitur, reservationem primariè, & directè afficere Confessarium, cujus potestas restringitur, & limitatur; indirectè verò afficere poenitentem, qui à tali Confessario non potest absolvi. Unde casus reservatus sic definitur: *Est peccatum, cujus absolutionem superior adeo sibi retinet, ut à Confessario, communi tantum prædicto potestate, impertiri non possit.* Ut autem peccatum reservari possit, aliquæ conditiones requiruntur à Theologis. 1. *Quod sit peccatum externum*; quia Ecclesia nunquam reservat peccata mentalia, aut merè interna. 2. *Debere esse peccatum mortale*, & non utcumque, sed valde grave. Etsi enim, spectata Ecclesiæ potestate, quodlibet peccatum, sive veniale, sive internum reservare posset; nunquam tamen Ecclesia ita consuevit. Sed advertendum, quod materia, quæ secundum se est levis, aut indifferens, ex circumstantiis, & fine, quem Legislator sibi præstituit, potest esse gravissima, & prohiberi, etiam sub Censuris reser-

va-

vatis, utpoté quæ viam aperiat criminibus multis. Unde plurimi docent, Prælatos Regulares posse sibi venialia quædam reservare, maximè cum illa adeo crescunt, ut frequenter lex silentii violetur: litteras inscio superiore scribere; alterius cubiculum ingredi; & alia similia, quæ superiores sub mortali tenentur coercere, si sæpius contingant, & inde relaxetur Regularis disciplina. Sic aliqui Religionum Prælati suis subditis ludos cartharum prohibuerunt sub gravi præcepto, propter non pauca gravia inconvenientia, quæ inde sequi cognoverunt. 3. Peccatum reservatum debere esse completum in genere suo, quia reservatio, utpote ~~positiva~~, restringi debet, et si superior aliud intenderet, mentem suam debet exprimere. Unde si homicidium reservatum sit, ille dumtaxat subjacet reservationi, qui de factó occidit, non qui homicidium sic, vel sic intendit, si mors secuta non fuerit. His animadversis:

532 Conclusio I. In Ecclesia est vera potestas reservandi casus. Est dogma catholicum. Probatur 1. ex antiquis Conciliis, præsertim Illiberitan. Can. 32. in quo perjurium, & aliqua alia crimina Episcopo reservantur. Idem statuerunt Concilia recentiora, pro quibus sufficiat Trident. Sess. 14. Can. 11. ubi hæc habet: *Si quis dixerit, Episcopum non habere jus sibi reservandi casus, nisi quoad externam politiam; atque adeo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à reservatis validè absolvat: anathema sit.* Veritas hujus Concilii definitionis ex eo patet, quod jurisdictio ad absolvendum validè descendit à superioribus ad inferiores; ergo si superiores illam negent inferioribus, isti nequaquam absolvere possunt. Est ergo certissimum, potestatem reservandi casus competere Papæ in Ecclesia Universali; Episcopis in suis Diocesisibus; superioribus Religionum respectu sibi subditorum; & illis omnibus, qui juris-

ditionem habeant, quasi Episcopalem. Et ratio est; quia hi omnes, vel à se, ut Episcopi, vel à Papa, ut Regulares, potestatem habent jurisdictionis, quam inferioribus suis possunt communicare; sed hoc ipso hanc potestatem extendere possunt, vel coarctare, prout status rerum exigerit: ergo Papa in toto Orbe, Episcopus in Diocesi, Prælati in suis Religionibus possunt quædam peccata sibi reservare, & de factó ita contingit. Unde casus reservati dividuntur in *Papales, Episcopales, & Regulares.* Papales, alii dicuntur *intra Bullam*, & alii *extra Bullam Cænæ*, de quibus postea aliqualis sermo redibit. Ex Episcopalis alii *reservantur in jure*, ut sunt quædam Clerici percussiones: alii in *Statutis*, quos sibi per speciale statutum Episcopus reservat, & appellari solent *Synodales*.

533 Conclusio II. Minister ordinarius pro reservatis est ipse reservans, vel æqualis, vel superior ejus delegatus, autem est quilibet Sacerdos habens à reservante legitimam potestatem. Conclusio est indubia apud omnes. Prob. prima pars: Qui sibi reservat aliquos casus, retinet potestatem absolvendi ab illis: in hoc enim reservatio illa consistit: ergo ille est Minister ordinarius talis absolutionis. Prob. de æquali: Nam Papa absolvit de casibus reservatis à prædecessoribus suis: Idem est de Episcopis: & idem de Generalibus, & Provincialibus Religiosis, ut patet ex præxi. Prob. de superioribus: Nam indubium est, Papam absolvere posse de casibus ab Episcopis reservatis: & Generalem de reservatis à Provincialibus &c. ergo. Ratio clarissima est: nam reservatio est quædam limitatio facultatis absolvendi, quam superior Sacerdotibus sibi subditis imponit; sed Prælati inferior non potest limitare potestatem sui superioris, nec respectu ejus potest sibi ultimum peccatum reservare: ergo. Prob. tertia pars: Omnis Ordinarius potest

test suam auctoritatem delegare, & ipse delegatus auctoritate sibi delegata uti potest: sic Princeps potest per seipsum, vel per delegatos, subditos suos judicare; sed delegantes habent potestatem ordinariam absolvendi ab his, quæ reservantur: ergo & eorum delegati. Ab hac regula excipiuntur Parochi curati, qui quamvis auctoritatem ordinariam habeant in sua Parochia, nequeunt illam delegare Sacerdotibus, ministrantibus in illa Sacramentum Poenitentiae.

534 Nec pariter tales Parochi reservare sibi possunt aliquos casus, relative ad Sacerdotes sibi subditos. Nam quamvis talis reservatio in aliquibus Diocesisibus aliquando permissa fuerit, vix umquam fuit sine magna Parochianorum commotione, ob quod contraria consuetudo ubique jam invaluit. Et quidem, ut Benedictus XIV. in Synodo Dioecæsana ait: Ad quid illa reservatio, cum impedire non possit Parochus, ne Sacerdotes vi jurisdictionis ab Episcopo acceptæ, & cujus imperio tota Parochorum jurisdictio subest, absolvant ab illis reservatis. Et advertendum etiam, quod etsi Parochus ordinariam facultatem habeat audiendi confessiones; non ideò datur ipsi potestas absolvendi à reservatis: & ideò hæc expressè debet concedi. Neque cui datur generalis facultas absolvendi à reservatis, ideò datur semper facultas ab omnibus prorsus absolvendi: Cum nonnumquam aliquos sibi specialissimè reservent superiores. Denique advertendum, quod licet superior absolvere possit à reservatis à suo inferiori, ut Papa à casibus, quos Episcopus sibi reservavit: non tamen Archiepiscopus, qui dumtaxat est superior quoad forum exterius. Excipiuntur casus visitationis, si in aliquibus Diocesisibus suffraganeis, ex indulto Ecclesiæ, hic usus adhuc vigeat, Quod spectat ad casus Episcopis reservatos, tot sunt hi, & tam diversi in Diocesisibus diversis, ut

de illis deliberari certò non possit. Unusquisque hac in re numerum, & qualitatem eorum respectu adiuscujusque Episcopatus consulat, & in dubiis doctiores, aut quandoque Legislatorem, ne vereatur interrogare. Quantum ad Regulares, Clemens VIII. an. 1593. sanxit, ne plures, quam XI. casus in Religione reservari possent sine licentia Capituli, vel Provincialis. Videantur in Potesta tom. 1. n. 3301.

535 Conclusio III. Episcopus absolvere potest suos subditos à casibus occultis Papæ reservatis; & suos subditos pariter possunt Prælati Regulares: exceptis casibus reservatis in Bulla Cænæ. Diximus, casus reservatos Papales, alias esse *intra Bullam Cænæ*, qui tales dicuntur; quia in illa Bulla continentur: alios esse *extra Bullam Cænæ*, qui sunt illi omnes, quos sibi reservant Pontifices, & qui partim continentur in jure Canonico, & partim in Bullis Summ. Pontificum, quorum magnus numerus à Summistis frequenter assignatur, & in illis videri possunt. Casus isti Papales communiter reservantur *ratione censurae*: hoc est, imponitur censura illi peccato, ratione cujus istud est reservatum. Excipiuntur duo tantum, nempe, *contra male promotos ad Beneficia Ecclesiastica*, cujus peccatum Sixtus V. in Bulla, *Sanctum, & salutare* reservavit, sine excommunicatione: & pariter peccatum *falsi delatoris*, quod est reservatum Papale, non verò *ratione censurae*; quia Papa nullam ei imponit excommunicationem. Unde solum est reservatum *ratione gravitatis*: atque ita, id est, non *ratione censurae, sed ratione gravitatis*, reservati sunt Episcopales, aut Synodales, & Regulares.

536 Prob. 1. pars. ex Trident. Sess. 24. c. 4. sic statuente: *Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus, & Suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ provenit ex homicidio voluntario,*

Exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque, sibi subditos, in Diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputatum; in foro conscientie gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem est in hæresis crimine, in eodem foro conscientie, eis tantum, & non eorum Vicariis sit permissum. Hæc autem facultas Concilii concessa Episcopis, à nullo Pontifice revocata fuit. Secunda Conclusionis pars constat ex Constit. Pii V. qui hoc concessit cuidam Provinciali Dominicano; per hæc verba: „ Quia Concilium Generale Tridentinum concessit Episcopis, ut possint absolvere in foro conscientie ab omnibus peccatis, & dispensare in Irregularitatibus.....ne Prior, Provincialis, & Superiores Prælati..... in hæc parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut Sæculares existant, eisdem Priori Conventuali, & Superioribus Prælati, ut ipsi per se ipsos, idem omnino possint in Fratres, & Moniales sibi subditos, quoad absolvendi, & dispensandi hujusmodi, quam alias quascumque facultates, eisdem autoritate, & tenore etiam perpetuo concedimus:“ Nunc sic: Sed alii Religiosi Mendicantes iisdem privilegiis gaudent, & communicant in illis; ergo Prælati Regulares possunt suos absolvere ab iisdem reservatis Papæ, à quibus possunt absolvere suos subditos Episcopi, ex Decreto Tridentini. Hæc facultas patet etiam ex praxi: nam Prælati Regulares absolvere solent suos ab omnibus reservatis, quæ non sunt in Bulla Cœnæ, quod non facerent, nisi eis liceret. Denique propter dicenda num. 541. Sed advertendum, semper esse excipiendam hæresim mixtam, à qua solus Episcopus absolvere potest pro foro conscientie, ut constat ex præcitato Decreto, & ex plu-

ribus aliis Declarationibus Pontificiis.

537 Conclusio IV. Quilibet Confessor approbatus potest absolvere poenitentem ab omnibus casibus reservatis, tam Papalibus, quam Synodalicis virtute Bullæ Cruciatæ. Est communis, & semper excipitur hæresis. Conclusio hæc solum indiget explicatione, propter sententiarum varietatem. Et in primis, quantum ad Episcopos, indubium est, posse absolvi virtute Bullæ toties quoties. Quoad Papales distinguendum est, si sint intra Bullam, aut extra Bullam Cœnæ. Item aut sunt publici, aut sunt occulti? Si sunt publici tam intra, quam extra Bullam Cœnæ, possunt virtute Bullæ absolvi semel in vita; hoc est, in anno, & semel in morte, nempe, in ejus periculo intra illum annum. Cum duplici autem Bulla potest bis absolvi, tam in vita; quam in morte: Tertia tamen Bulla ad hoc jam non valet. Si sunt occulti extra Bullam Cœnæ, possunt absolvi toties quoties; quia fiunt Episcopales ex cap. Trident. Liceat Episcopis, adducto supra num. 536. Si verò sint occulti intra Bullam Cœnæ? Variant Doctores in resolutione. Alii negant posse absolvi nisi semel in vita, & semel in articulo mortis, eodemmet modo, ac dictum est de publicis. Hæc sententia negat Episcopis facultatem absolvi ab his casibus occultis. Et consequenter, cum juxta hanc opinionem, non fiant Episcopales, clarum est, quod discurrendum est de illis, sicut & de publicis. Alii opinantur, virtute Bullæ absolvi posse toties quoties, eo quod existiment tales casus fieri Episcopales, propter dictum cap. Liceat Episcopis. Quare resolvendum est de occultis intra Bullam Cœnæ erga eorum absolutio- nem toties quoties virtute Bullæ, vel negationis talis facultatis absolventis, juxta sententiam, quam quis sequatur erga Episcoporum potestatem in his casibus. Semper verò excipitur

in quacunque sententia hæresis mixta: nam quamvis dicatur, Episcopos posse illam absolvere, si occulta sit; non idè dici potest, Confessarium virtute Bullæ posse hæresim mixtam absolvere. Quin potius talis facultas in ipsa Bulla negatur expressè.

538 Conclusio V. Episcopi, juxta communiorè opinionem, absolvere non possunt à reservatis occultis intra Bullam Cœnæ. Hæc est opinio communior, præsertim his temporibus. Fundamentum est; tum; quia quamvis Tridentinum cap. Liceat Episcopis hanc illis concesserit facultatem, derogata est talis concessio per Bullam Cœnæ, quæ loquendo de reservatione hac, sic dicit: Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem.....absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis..... etiam Episcopalis, vel alia majori dignitate præditis.....per nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii Decreta..... concessorum, aut concedendorum &c. Igitur cum in dictis verbis expressa sit negatio facultatis absolvi in dictis casibus omnibus inferioribus Papæ, & Episcopis nominatim, ac non obstantibus Decretis cujusvis Concilii, expressa est derogatio talis facultatis. Et patet; quia cum Episcopi prædictam facultatem non haberent, nisi per Trident. hæc facultas à Trident. concessa expressè derogatur in Bulla; aliis verba illa: ac cujusvis Concilii Decreta, vana essent, & illusoria; quia in nullo alio Concilio concessa est talis facultas. Quare quamvis derogatio illa generalis videatur, eo quod non fiat de Trident. specialis mentio: equivalenter verò, aut verbis equivalentibus est specialis derogatio. Ratio est; quia quando derogatio Pontificia verificari nequit, quin derogetur aliquod individuum Concilium, quamvis voces sint generales, derogatio est illius Concilii specialis.

Tom. I.

539. Constat etiam ex declaratione Gener. Inquisit. Rom. Peña in 3. parte Director. Inquisit. sic dicente: Equidem in Supremo Inquisitione Prætorio Sacr. & Gener. Rom. Inquisit. sæpè pronuntiatum est, nec posse, nec debere Episcopos amplius virtute Concilii absolvere occultos. Hæreticos in foro conscientie; sive quia per Bullam Cœnæ sit Trident. derogatum; sive quia Pius V. & Gregor. XIII. ita declararunt. Tum denique ex Decreto Alexandri VII. damnantis Proposit. III. De quo videri potest Benedict. XIV. de Synodo Diocesana lib. 9. cap. 4. ubi probat, per Bullam Cœnæ derogatam esse facultatem Episcopis concessam à Tridentino, absolvi ab hæresi: quod idem de aliis casibus in illa Bulla contentis intelligi debet; quia Bulla Cœnæ derogat hac in re omnes Concilii facultates, ut constat ex illa clausula; Etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, per nos, ac cujusvis Concilii Decreta concessorum, vel concedendorum: quam clausulam ipse Benedictus ingerit in sua Bulla Cœnæ, quæ incipit Pastoralis die 30. Martii 1741. Verum quidem est, quod Potesta citat Arsdekin, & Fenech, qui adhuc post Alexandri Decretum, sustinent opinionem contrariam, Episcopis concedentem facultatem absolvi ab omnibus occultis, in Bulla Cœnæ contentis.

540. Sed valde notandum est r. Episcopos posse directè absolvere ab omnibus reservatis intra Bullam Cœnæ, etiam publicis, quando poenitens impedimentum legitimum habet, physicum, aut morale, perpetuum, aut diuturnum, personaliter recurrendi ad Apostolicam Sedem, aut suum delegatum. In hoc itaque casu, ait Potesta tom. 1. num. 3347. ubi enumerat, quæ sint legitima impedimenta, legitimus est recursus ad Episcopum, qui pro foro interno absolvere potest ab omnibus illis, ex Cap. Mulieres Cap. Quamvis. Ne pro dila-

Vvv

dila-

diffusione poenitentiae periculum imminuat animarum. Unde ad Prop. 3. ex damnatis ab Alexandro VII. probant aliqui Theologi, a Bulla Coenae derogatam non esse hanc facultatem. Notandum 2. aliquos Theologos docere, quod si recursus ad Papam, & etiam ad Episcopum, non sit possibilis, aut sit valde difficilis, tunc poenitens absolvi potest in foro conscientiae, etiam ab haeresi mixta, a suo Parocho, & hoc deficiente, a quolibet Confessario approbato. In hac opinione, si impedimentum perpetuum non sit, sed temporale, impedienda est absolutio sub opere compendi, impedimento cessante; non quidem ut absolvat; quia iam fuit directus absolutus, sed ad praestandum obedientiam, seu ut stat mandatis Ecclesiae. Notandum 3. quod quando dicitur, casus Papales, modo iam explicati, fieri Episcopales, & ad Episcopos iure communi pertinere, hic modus loquendi, quamvis communis, est valde impropria locutio. Ratio est; quia nulla est reservatio iure communi pertinens ad Episcopos: siquidem casus reservati, tam intra, quam extra Bullam Coenae, a quibus Episcopi possunt absolvi, non sunt reservati Episcopis, sed Papae: ob quod Episcopi, propter privilegium absolviunt ab illis: modo quo etiam absolviunt Confessarii, habentes potestatem absolviendi ab illis, quia propter hoc dicitur, tales casus reservatos esse illis. Unde, dicunt plures, quod dum Episcopi a casibus occultis intra Bullam, & extra Bullam Coenae absolviunt, hoc faciunt, non ut Ordinarii, sed tamquam Delegati Pontificis.

541. Conclusio VI. *Regulares ab Ordinario approbati, virtute suorum privilegiorum, absolvi possunt a casibus reservatis extra Bullam Coenae, si sint occulti, toties quoties.* Ita plurimi Theologi cum Potesta tom. 1. num. 2459. citans privilegium Pauli III. confirmatum per Urbanum

VIII. quod idem asserit Matheuci in *cautela Confessarii* lib. 1. cap. 8. n. 23. Et notandum 1. quod si teneatur opinio asserens, reservatos intra Bullam Coenae fieri Episcopales, si sint occulti; tunc discurrendum est de istis, sicut de reservatis occultis extra Bullam Coenae, in ordine ad absolutionem. Ob quod communiter dici solet, quod quidquid potest Episcopus in hac parte iure communi, per sua privilegia potest Confessor Regularis. Notandum 2. Mendicantes virtute suorum privilegiorum absolvi non posse a casibus Episcopis reservatis, seu a Synodalibus. Sic declaravit Alexander VII. damnans Proposit. 12. qua dicebat: *Mendicantes possunt absolvi a casibus Episcopis reservatis, non obiecta ad id Episcoporum facultate.* Erga potestatem Regularium in ordine ad absolutionem fidelium, & Praelatorum respectu suorum subditorum, videatur Ferraris verbo *absolutio*, art. 1. num. 29. Potesta tom. 1. a numer. 3373. Notandum 3. Bullam Coenae, in qua continentur viginti casus, & totidem excommunicationes, quoad aliqua capita in Hispania non vigere, & sunt illa, quae atinent ad iura Regalia. Ista sunt quaeque, quae a Regio Indorum Senatu enumerantur, & sunt 13. 14. 15. 18. & 19. inter reliqua Bullae. Item: quidquid ex usu censurae Regni pacem impediatur, aut regiam supremam temporalem, & ius vassalorum patrociniandi minuat. De illis ergo capitibus Bulla facta est supplicatio, & ut Torrecilla ait, cum aliis pluribus, *annuit Sanctissimus.*

542. Quæris I. *An Confessarius habens opinionem probabilem erga jurisdictionem legitime absolvat poenitentem?* Respondeo affirmative. Ex resolutione plura sequuntur scitu dignissima. Sequitur 1. Ecclesiam supplere, & verè tribuere jurisdictionem, dum adest error communis. Error communis est, quando aliqua Communitas, Populus, aut Provincia

tia cum errore existimat, aliquem esse Confessarium, qui in rei veritate non est. Hic error communis potest esse cum titulo, & sine illo. Error cum titulo colorato est, quando superior alicui Sacerdoti potestatem dedit audiendi confessiones: Sacerdos verò inhabilis erat ad hoc ministerium, vel ob impedimentum aliquod Canonicum, vel quia ab ipso superiore fuit privatus, ignoraturque a Populo tale impedimentum, & talis privatio: ob quod universaliter existimatur Confessor. Error sine titulo est, quando Sacerdos fingitur Confessor, creditur a Populo, a quo universaliter pro tali habetur. Si enim error est cum titulo, omnes affirmant Theologi, Ecclesiam tunc jurisdictionem supplere: atque adeo validas esse illas confessiones. Si error communis sit sine titulo, negant plures cum Lugo, & Nugno, Ecclesiam tunc jurisdictionem supplere. Plurimi verò alii affirmant cum Potesta, Gonzalez, & frequenter Moderni. Et bene; quia eadem militantes rationes, eademque sequuntur inconvenientia in uno, ac in alio casu. Unde sententia hæc placet.

543. Sequitur 2. quod dum datur opinio practice probabilis erga jurisdictionem ad absolvendum poenitentem, tunc validè, & licitè potest Confessarius illum absolvi. Unde si accedat poenitens cum opinione verè probabili, & aliàs sit bene dispositus ad Sacramenti receptionem, non solum potest, sed debet Confessarius illum absolvi: suam deponendo opinionem, si contraria sit, quamvis ipsi videatur probabilior, non procedendo scrupulosè, aut rigorosè cum poenitente disposito. Hæc resolutio, quæ non paucos habet contrarios, omnino vera semper mihi visa fuit. Tum; quia poenitens dispositus jus habet, ut absolvat: ergo non debet privari hoc iure propter opinionem contrariam Confessarii. Tum; quia certissimum debet esse, Ecclesiam jurisdictionem tri-

Tom. I.

buere Confessario, qui cum opinione practice probabilis erga jurisdictionem absolvit, quamvis opinio in re falsa fuerit: ergo cum sit practice probabile, Confessarium in illis casibus absolvi posse, Ecclesia tunc tribuit jurisdictionem. Antecedens ut moraliter certum habetur a Verricelli, Castro-Palao, Diana, Potesta, & aliis. Hæc moralis certitudo jurisdictionis, ab Ecclesia concessæ, dum absolutio confertur cum opinione practice probabili, fundatur in eo, quod consuetudo erga jurisdictionem præstat jurisdictionem: quod quidem probat Cardenas ex Cap. *Cum contingat*, ubi dicitur: *Nisi forte delinquentes ex indulgentia, vel consuetudine speciali jurisdictionem hujusmodi valeant sibi vindicare.* Super quæ Glossa dicit: *Nota, quod consuetudo dat jurisdictionem.* Nunc sic: sed est innegabile, consuetudinem esse absolviendi cum opinione practice probabili erga jurisdictionem: nam hæc consuetudo affirmatur a Doctoribus, ait Cardenas: ergo cum opinio Doctorum in questione facti faciat certitudinem moralem, certum moraliter est, Confessarium in illis casibus absolvi posse.

544. Dices 1. Non licet sequi opinionem probabilem in eis, quæ pertinent ad Sacramenti valorem, relicta probabiliori, ac securâ opinione; sed jurisdictio necessaria est ad valorem Sacramenti: ergo non licet sequi opinionem probabilem in materia jurisdictionis. Major constat: Tum; quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Tum ex condemnatione 1. propositionis ab Innocentio XI. Arg. 2. a paritate: Si Confessarius dubitet: an peccatum a poenitente confessum sit, necne reservatum, non potest absolvi ab illo: nam si in re, & veritate esset reservatum, nulla esset absolutio, si potestate absolviendi a reservatis careat Confessarius: ergo pariter, quæ cum opinione probabili de sua jurisdic-

Vv 2

dic-

dictione absolveret, exponeret Sacramentum periculo nullitatis: nam illa opinio potest esse falsa in re, & tunc absolutio esset nulla: ergo in tali casu nec validè, nec licitè absolveret.

545 Respondeo ad 1. disting. maj. quæ ad Sacramenti valorem pertinent, & ab Ecclesia non pendent, uti sunt materiæ, & formæ, concedo: si ab Ecclesia pendent, uti est jurisdictio absolvendi, neg. maj. & concessa minori, nego conseq. & probationem majoris. Igitur jurisdictio ad absolvendum Sacramentaliter, una est radicalis, seu potestas ordinis, quæ est de divino jure, & ab Ecclesia suppleri non potest: Et ideò super hanc potestatem uti non potest opinio probabilis, relicta securâ opinione; quia tunc exponeretur Sacramentum periculo nullitatis. Alia est formalis, & proxima, quæ pendet ab Ecclesia, & potest suppleri ab illa. Unde uti opinio probabilis erga hanc jurisdictionem, non exponit Sacramentum; quia si falsa esset opinio, Ecclesia, quæ talem opinionem, & illius usum permittit, jurisdictionem supplet, aut tacite utenti illa opinione confert. Cùm autem certum sit, Ecclesiam supplere, quod potest, semper ac non reprobat consuetudinem legitime introductam, aut usum alicujus opinionis erga ea, quæ ab ipsa dependent, sequitur manifestè, quod, qui in prædicto casu, & aliis similibus absolvit non probabiliter, sed omnino securè absolvere. Et hæc mihi est regula generalis: aliàs Ecclesia, permittendo opinionem, permetteret in Ecclesia aliquem errorem, & non provideret de necessariis ad salutem, quod existimari non potest. Nec Alexandri condemnatio rem nostram attingit; quia, ut videri est in propositione damnata, loquitur de opinione probabilis, tutiore relicta in usu materiæ, & formæ Sacramentorum, quod verissimum est.

546 Ad 2. concedo ant. & neg.

conseq. & paritatem. Disparitas est manifesta: nam qui cum opinione practicè probabili de jurisdictione absolvit, quamvis opinio falsa esset, certè habet jurisdictionem, ut dictum est. At verò cum dubio reservationis, quod dicitur *dubium juris*, qui absolvit peccatum, in rei veritate reservatum, ab illo non absolvit; quia Ecclesia illi non tribuit, nec supplet jurisdictionem. Et est ratio; quia dictamen illud dubium de reservatione peccati, & de jurisdictione super illud oritur ex ignorantia particulari Confessarii, ignorantis reservationem, de qua nullus sciens, quod debet, dubitat, nec talis dubitatio, nec reservatio controversiam admittit inter Doctores, sicut in casu opinionis probabilis. Unde hic esset error particularis illius Confessoris, in quo Ecclesia jurisdictionem non tribuit, sicut tribuit in casu erroris communis, & sententiæ probabilis. Quod in casu dubii Confessarius facere debet, est, quod poenitens materiam apponat suæ jurisdictionis, & tunc licitè absolveret, si necessitas occurreret absolutionis. Et ait Potestas, quod dubio deposito, si Confessarius agnoscat, peccatum illud certè esse reservatum, advertere debet poenitentem de errore, & mone, ut recurrat ad superiorem.

547 Quæris 2. An potestas absolvendi à reservatis, expiret per mortem superioris? Respondeo negativè, contra S. Antonium, Natalem Alexandrum, & alios paucos. Prob. Tum; quia eorum opinio nulla solida ratione nititur. Tum; quia ex Reg. juris 16. in 6. Decet, concessum à Principe beneficium esse mansurum: nec expirare, re etiam integra per obitum concedentis. Tum; quia pari de causa expiraret potestas absolvendi à peccatis communibus, cùm hæc tantum sit delegata, sicut & illa; sed hoc nemo dicit: ergo nec illud dicere debet. Et nota 1. quod ad reservationem incurrendam necessaria est ætas pubertatis,

tis, nempe in viris post annum 14. in puellis post duodecimum impletum. Non quia ea ætas omnino ad reservationem sit necessaria, cùm nec requiratur ad Censuras; sed quia plus meretur indulgentiæ ætas immatura, & levis. Expediit tamen, ut superior consulatur in casu dubij, si nihil ea de re expressè definierit; quia tota hæc res ab ejus intentione pendet. Nota 2. Prælatos regulares per se, & per suos, sine Episcopi licentia, posse audire confessiones illorum secularium, qui verè sunt de illorum familia, & continui Commensales: non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Ita Clemens X. Bulla *Superna*. Hæc ultima verba, non autem illorum &c. perpendenda sunt ab illis, qui sunt ordinati, se quoad Monasterii famulos nulla Episcopi indigere approbatione. Nota denique, Prælatos eandem auctoritatem habere in Novitiis, ac in Professos, ut habet sententia communis Doctorum. Novitius enim in favorabilibus venit nomine Religiosi, & gaudet privilegio Canonis, & fori.

QUÆSTIO IV.

De Sigillo Confessionis: & Quos obliget?

548 Nihil aliud intelligitur per Sigillum, quam strictissima, & inviolabilis obligatio, quam Confessarius habet, celandi peccata audita in confessione Sacramentali. De Poenitente nunc non loquimur; quia licet ordinariè confessio fiat secretò; nullum tamen est præceptum positivum, quo propter humilitatem, aut intensionem doloris prohibeatur confessio publica peccatorum, etiam occultorum, ut constat ex Tridentino, adducto supra art. 2. de confessione, q. 5. Concl. 1. num. 424. Et dixi obligatio inviolabilis; quia cùm hoc secretum sit de jure naturali, & divino, ut videbimus, in

illo nullus potest dispensare homo, nec legitur in eo unquam fuisse dispensatum. Ratio est; quia in his dispensari non potest, nisi in contrariu majoris boni: non autem contrariari potest majus bonum, quàm honor secreti: nec bonum aliquod potest prevalere contra hoc bonum Sacramenti, unitatis corporis Christi mystici, & totius Ecclesie. Unde sigillum est religiosa obligatio servandi secretum, circa ea, quæ per confessionem Sacramentalem, vel ejus occasione quocumque modo cognita sunt: & quorum manifestatio optata est reddere odiosam ipsam confessionem, & fidem ab ea retrahere. Hinc multa, & magni momenti exurgunt dubia, breviter à nobis resolvenda.

549 Conclusio I. Sacerdos tenetur ad sigillum Sacramentale jure naturali, Divino, & Ecclesiastico. Est communis, & docetur ab Scoto, dicente: Celare peccatum in confessione detectum, tenetur Sacerdos de lege naturæ, & de lege positiva Dei, & de lege positiva Ecclesie. Quod solidè probat dist. 21. num. 8. per quatuor Conclusiones, & ex ipso probatur prima pars, nempe, esse de lege naturæ; Principium hoc est de lege naturæ, quod tibi non vis fieri, alteri ne faceris: ergo acut nolumus secreta nostra, & maximè illa, quæ ad famam pertinent, revelari, ita volumus secreta confessionis celari. Fidelitas est de jure naturæ; sed hæc obligat ad secretum nobis commissum servandum; ergo maximè obligat in confessione, in qua ad aures peccata Sacerdoti committuntur cum pacto, saltem virtuali, & tacito, de servando inviolabiliter secreto. 3. Bonum, & utilitas communis jure naturæ exigit secretum, ne destruat humana societas, & unitas corporis mystici, & civilis, maximè in rebus Religionis, qualis est confessio Sacramentalis; sed hæc destrueretur, si obligatio hujus secreti non esset inviolabilis: ergo Minor-

cons-

constat: nam si secretum confessionis non servaretur, & infirmitates in illa manifestate publicarentur, nec subditi crederent superioribus, nec Populi Sacerdotibus, nec ad istos recurrerent in dubiis, & rebus ad salutem animæ suæ spectantibus: quod quidem esset contra naturale jus. Prob. de jure divino: Obligatio sigilli oritur ex ipsa institutione Sacramenti: Christus enim instituit confessionem, volens à fidelibus frequentari: ergo sigillum imperavit, & consequenter prohibuit manifestationem, ex qua odiosa redderetur, & intolerabilis. Quis enim vellet aperire homini loquaci peccata, de quibus apud semetipsum erubescit, & ex quorum revelatione ludibria, & infamiam incurreret? ergo jure divino obligat hoc secretum. Prob. de jure Ecclesiastico. 1. ex gravibus poenis, quas Sacri Canones decernunt violatoribus sigilli. Innocentius III. Can. *Omnes utriusque sexus*, inquit: *Caveat omnino Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenus prodatur... quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum, præsumpserit revelare, non solum Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam poenitentiam in arctum Monasterium detrudimus.* Et idem Pontifex Serm. 3. de Consecr. dicit: *Gravius peccat Sacerdos, qui peccatum revelat, quam homo, qui committit.* Hinc S. Joannes Nepomucenus maluit mori, quam ad minas impij Wenceslai, confessionem Imperatricis revelare. Prob. 2. ex perpetuo usu totius Ecclesie, quæ numquam, nec ullo casu permisit, hoc sigillum violari, sed severissime transgressores punivit. Idem Sozomenus narrat, quod Patres huic ministerio, *Presbyterum destinabant vitæ integritate, quam maxime spectabilem, secretorum etiam maxime tenacem.*

550 Arg. 1. juxta D. Bernardum lib. 4. de Præcept. & Dispens. quod est institutum pro charitate, non de-

bet contra charitatem militare; sed celatio secreti confessionis militare potest contra charitatem, magis urgentem: ergo celatio illa aliquando non obligat. Prob. minor. Illa celatio, & sigillum est propter bonum famæ hominis privati; sed sæpè nocet illa celatio bono publico Communitatis, & Reipublicæ, quod privato bono prævalet: ergo. Minor constat in illis casibus, & similibus his: si aliquis sciret per confessionem, pastorem animarum errores in illis disseminare, & nolle ab inficienda plebe, sibi commissis, desistere: aut si machinaretur Civitatem perdere, aut eam inimicis dolose tradere: quibus in casibus esset contra charitatem, & bonum commune ejusmodi non denuntiare: ergo tale sigillum non semper est obligatorium. Confirmatur: Si Sacerdos cognoscat ex confessione, paratas esse sibi insidias in nemore, quod ingressurus erat, per unum ex conjuratis, qui poenitens hujus intentionis confitetur, potest ex hac noticia aliò declinare; sed sic declinando, revelaret confessionem: ergo aliquando licet sigillum non servare.

551 Respondeo cum Scoto neg. minor. & distingo majorem probationis: propter bonum famæ hominis privati tantum, nego: propter hoc, & propter aliud præcipuum motivum, concedo. Hæc enim celatio respicit bonum Sacramenti, & totius Ecclesie, aut Religionis, quorum sanctitas, & unitas, læderetur per revelationem hujus secreti. Unde non est contra ordinem charitatis, quod interdum non caveatur aliquod malum, ad servandam reverentiam Sacramento debitam, quæ utique est bonum longè præstantius, quam quodlibet aliud, quod ex confessionis revelatione accidere posset. Quare in illis casibus Confessarius alia via providere posset de remedio, nempe monendo Episcopum, & Governatorem Civitatis, ut diligenter inquirerent de recta administratione subdi-

to-

torum, vel alio prudenti medio: eam tamen ratione, ut nullo sigillo directè, vel indirectè manifestet eum, qui sibi fuerat confessus. Ad Confirmationem, nego, quod Sacerdos non posset vitare mortem, nisi revelando confessionem: nam posset sub multis prætextibus speciosis abstinere ab ingressu loci, in quo paratæ essent insidiæ, absque eo, quod ille poenitens posset certò dicere, Sacerdotem uti noticia confessionis, aut peccatum confessum revelare. Et si latrones malitiosè ita judicarent, sibi imputent: nam Sacerdos in itinere est liber, & potest animum suum mutare, ut voluerit; quin propter hoc possit dimittere Sacerdotem illum revelare sigillum directè, nec indirectè.

552 Arg. 2. Si peccatum auditum in confessione numquam possit revelari, sequeretur, quod confessio posset fieri impossibilis ipsi Confessario; sed hoc est inconveniens maximum: ergo aliquando licet revelare peccatum confessum. Prob. major. Demus casum, quod Sacerdos absolveret Episcopum Simoniacum sine facultate absolvendi illum, & sic gravissimum committeret peccatum; sed hic Sacerdos non posset confiteri tale peccatum, ut celebraret Sacrum; quin Episcopi peccatum cognoscat alter Confessarius: nam deberet manifestare circumstantiam aggravantem dignitatis Episcopi Simoniaci, & non adest alius Episcopus, de quo suspicari possit: ergo secretum confessionis Episcopi impossibilem redderet confessionem hujus Sacerdotis. Respondeo ex Subj. Doct. negando major. posset itaque tunc ille Sacerdos, vel confessionem differre, donec haberet Confessarium, qui non cognosceret Episcopum: & sic, præmissa contritione, posset celebrare; quia perinde tunc esset; ac si deesset oportunitas confitendi: vel posset tacere circumstantiam illam aggravantem, non specificando peccatum, sed dicendo: absolvi invalidè homi-

nem: & gravissimo peccato. Pape reservato: vel dimidiando confessionem: nam, ut ait Doctor: *Plus tenetur ad præceptum non prodendi culpam, quam ad confitendum explicitè peccatum suum.*

553 Pro aliis solvendis, advertite 1. Quod nec Prælati, nec iudex, potest uti noticia confessionis ad externam Ecclesie, aut Religionis gubernationem, si ita infringatur sigillum confessionis. Nam quamvis multi Theologi docuerint, esse licitum hoc, semper fuit, falsum. Unde, ut abusus ille tolleretur, decrevit Clem. VIII. sic: *Superiores adveant diligentissime, ne ex noticia, quam de aliorum peccatis ex confessione habuerunt, ad exteriorum gubernationem utantur.* Hinc consequenter iudex non potest uti scientia, quam fortè, aut de industria habuerit ex scripto, aut charta, ubi reus peccata scripserat in subsidium memorie, pro faciendâ confessione. Unde non posset ex hac noticia illum punire. Imò nec potest reum de re illa interrogare; quia ad eam scientiam humano modo non procederet. Adverte 2. hanc obligationem urgere pro omnibus peccatis auditis in confessione Sacramentali, saltem ex parte poenitentis, quamvis poenitens dimitteretur sine absolutione: nam semper hæc peccata Sacerdoti committuntur in ordine ad Sacramentum, & consequenter sub eodem secreto. 3. Legem sigilli extendi non solum ad peccata gravia, & venialia, sed etiam ad objecta, circumstantias, & ad ea omnia, quæ poenitentem etiam indirectè infamarent, aut gravem, onerosam, & odiosam reddant confessionem. 4. Quod revelatio peccati, etiam venialis in specie, esset peccatum mortale; quia esset contra reverentiam Sacramenti, & in materia sigilli non datur paritas materiarum. Adverte 5. quod lex sigilli indirectè violaretur, si quis sanctitatem unius ita laudaret, ut inde colligi possit, alios non equè sanctos esse,

esse, aut esse peccatores. Dum enim unum præ cæteris laudatur, tacita quedam exurgit in mente comparatio cum aliis, qui eodem Confessario confessi sunt. *Adverte 6.* etiam obligare sigillum, quoad mortuos; quia pro utroque statu promisit silentium Sacerdos. Si enim scirent fideles futurum, ut post mortem eorum turpitudine revelaretur, nemo vivens confiteretur; & inde plena eveniret Sacramenti subversio.

554 *Adverte 7.* teneri ad sigillum omnes illos, qui ex confessione Sacramentali peccata noscunt, quomodocumque contingat. Ita expressè Scotus cit. dicens: *Non solum Confessor, sed & is, cui Confessor revelat, licet illicitè, tenetur celare. Idem est de illo, qui audit confessionem confitentis, qui est alius à Confessore: si enim audiat casualiter, non peccat: si enim dolose, mortaliter peccat.* Idem docet de Interprete, & consulente. Et idem est de Consiliario: nam omnes istæ notitiæ, aut veniunt à Sacramento, aut ad illud ordinantur. Idem de superiore, ad quem recurrit Confessarius, aut poenitens pro absolutione à reservatis: nam sive absolvat per se, aut alteri committat absolutionem, semper tenetur ad secretum; quia talis notitia peccati ordinatur ad confessionem. Eodem modo tenetur, si quis se fingeret Sacerdotem, & exciperet confessionem: nam dolus non eximit dolosum; & illa confessio non minus ordinatur ad Sacramentum, quam si esset verè Sacerdos, nec minorem injuriam faceret Sacramento. Et idem de confessione, quæ fieret Laico in extrema necessitate ab illo, qui putaret, se ad illam teneri; Sacerdote deficiente; quia etiam tunc confessio illa ordinaretur ad Sacramentum ex intentione poenitentis, licet defecto non esset Sacramentalis. Ratio pro omnibus est; quia omnes eandem omnino reverentiam debent Sacramento. Eademque rationes faciunt pro omnibus illis, æquè

ac pro Confessario; sed sigillum pertinet ad reverentiam Sacramenti: ergo obligat omnes, qui ex illo quomodocumque cognoscunt peccata, quæ in ordine ad illud manifestantur. Unde si notitia non habetur neque ex confessione, nec in ordine ad illam, sed extra omnem actum, & ordinem ad confessionem Sacramentalem, tunc obligaret ex lege naturali, & ut secretum naturale.

555 *Conclusio II. Poenitens non potest Confessario permittere, ut loquatur de peccatis confessis, nec Confessarius tali licentia uti potest.* Est contra Thomistas, Alensem, & alios. Sed expressè docetur à Subt. Doct. dist. 21. q. 2. ubi inquit: *Obligatio ad celandum peccatum confessum, non est tantum juri confitentis, sed jus Communitatis omnium fidelium, & totius Ecclesiæ, necnon & reverentiæ debitæ Sacramento: nam ex revelatione peccati confessi sequeretur continua perturbatio in Communitate. & non licet isti renuntiare juri Communitatis, & reverentiæ debitæ Sacramento, ac subinde non potest, eo petente, Confessarius peccatum istud revelare.* Ex quibus prob. *Conclusio.* Tum: Obligatio sigilli non est privilegium solius poenitentis, sed est bonum ipsius Sacramenti, & totius Ecclesiæ; ac prohibe de jure divino, Ecclesiastico, & naturali; sed juribus istis non potest unus, vel alter poenitens validè renuntiare: ergo. Prob. minor. Omnis res, per quascumque causas nascitur, per eas dissolvitur; sed lex hujus secreti nascitur ex voluntate Christi, Sacramentum instituentis, & ex lege naturæ, ac Ecclesiæ, ut concedunt omnes, & quæ leges generaliter prohibent hanc violationem: ergo data licentia à poenitente, & isto renuntiate jus naturale, sibi competens, Confessarius adhuc tenetur ad secretum ex aliis juribus, nempe Divino, & Ecclesiastico, quibus poenitens renuntiare non potest. Tum

ex

ex hac licentia; & illius usu injuria fieret Sacramento: nam contemneretur apud homines, qui magis quam voluntatem poenitentis considerarent fractionem sigilli, cui tribuerent istas revelationes. Tum: si Confessarius posset confessionem revelare de licentia poenitentis, posset iste ob aliquem finem temporalem, & fortè omnino malitiosum, & sacrilegum hanc licentiam tribuere: imò & insurrecere Confessario, ut revelet, ut mihi, cum quodam poenitente evenit, ut per hoc medium suum consequeretur finem, & quidem sacrilegum, in mea existimatione. Et quis non videt, has, & alias similes pravas poenitentis intentiones, quæ passim possunt contingere, mergere in ludibrium Sacramenti, & totius Populi Christiani notoriam perniciem?

556 *Arg.* Tum; potest poenitens peccata sua revelare sine præjudicio Sacramenti, Communitatis, nec Ecclesiæ: ergo potest permittere Confessario, ut ea revelet. Tum; qui alicui commisit secretum naturale, potest permittere, ut illud revelet: ergo idem est de peccatis confessis; quia eodem modo potest in istis juri suo renuntiare. Tum; Multi, ac graves Theologi docent, poenitentem permittere posse Confessario, ut suam revelet confessionem: ergo revelari potest de licentia poenitentis. Denique: quid faciet Confessarius, quando poenitens vult suum peccatum prodì, & hoc videtur valde conveniens ad aliquod vitandum, aut præcavendum malum?

557 *Respondeo ad 1. negando consequent.* Ex quo poenitens suum revelet peccatum, nulla fit injuria Sacramento, nec Communitati fidelium, ut per se est notum: nec ex Christi institutione, & præcepto divino, tenetur ipse poenitens ad Sacramentale sigillum. Secus est de Confessario: nam ex ea licentia, & usu illius aperitur Sacerdotibus via revelandi impune confessiones: & inde valesceret Sacramentum, cui minor

Tom. I.

exhiberetur estimatio, & reverentia. Populus enim non curat, an id fiat ex licentia poenitentis, vel ex libertate Confessarii. Præterea: illa inviolabilitas, tam est privilegium ipsius Sacramenti, & totius Ecclesiæ, quam poenitentis, sed adhuc potiori jure: ideoque non est in potestate solius poenitentis in hoc dispensare. Per hoc ad 2. neg. consequentiam: nam lex secreti naturalis est in favorem committentis, qui utique potest illi jure suo renuntiare: non verò, ut dictum est, ita est de sigillo confessionis. Ad 2. dico, verum esse, id plures Theologos docere: parcissimè verò, & cautissimè utendum est tali licentia, & tali opinione: & si aliquod sit periculum scandali, ut fortè regulariter esset, tunc non potest sequi: nam ut S. Bonaventura dist. 21. art. 2. quæst. 2. ait: *Ubi timetur periculum scandali, quantumcumque poenitens licentiet Sacerdotem, non debet Sacerdos assumere.* Unde monet, ut Sacerdos relinquat onus revelandi peccatum suum, & ipse sit suus nuntius: non autem Sacerdos sit nuntius poenitentis. Ad ultimum respondeo, quod tunc Confessor dicat poenitenti, quod peccatum illud manifestet illi extra confessionem, atque ita erit, ut secretum naturale, quod de poenitentis licentia revelari potest. Nunc pro complemento quæst.

558 *Quæres 1. Si Sacerdos juridicè interrogetur: an poenitens de hoc, aut de illo peccato, cum illa confessus fuerit? Quomodo respondere debet? Dudium procedit de crimine cognito per solam confessionem. Aliqui respondent, quod poterit equivocare cum restrictione mentali, dicendo, se tale non audivisse: intelligendo, ut illud revelet. Ita Mastrius, & alii. Hæc autem restrictio non esset purè mentalis; quia cum hac loqui non licet: sed esset satis externalis, ratione officii Confessarii. Alii cum Poncio tenent, quod deberet liberè dicere, se nolle respondere de*

Xxx

bis.

his, quæ in confessione audit: atque ita constanter persistere, etiam cum periculo vitæ. Si interrogans sit Tyrannus infidelis, respondendum est: Religionem Christianam præcipere de Sacramentali confessione in neutram partem quidquam loquendum esse. Si verò est malus Catholicus, Confessor respondebit: non est fas, ut ad istam sacrilegam interrogacionem aliquid respondeatur. In utroque autem casu etiamsi Sacerdoti illi mortem comminaretur, mors potius appetenda esset, quam verbum ullam proferre, quod in revelatione Sacramenti Confessionis vergeret. Quare, ut S. Thomas quodl. docet: *Nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo signo licet in casu, quantumvis deest, vel Reipublicæ damnosè, revelare confessionem.* Hoc idem, & eadem expressione docet Scotus. Ratio est; nam quod est iuris divini, nullam patitur exceptionem, nisi in casibus eodem iure exceptis; sed nullus casus exceptus est, nec in Scriptura, nec in Traditione: & omnia bona alia longè sunt mitiora, quam bonum Sacramentalis sigilli: etenim quid est mors unius hominis, aut conservatio alicujus Reipublicæ, comparatæ ad subversionem Sacramenti, quo semel sublato, tot hominum millia in æternum perirent?

559 Quæres 2. An Sacerdos possit aliquando uti notitia habita in confessione, salva integritate sigilli. Respondeo affirmativè. Tum; quia usus talis notitiæ prohiberi non potest, nisi quatenus ex eo violaretur secretum confessionis: ergo si nec directè, nec indirectè violetur hoc secretum, talis notitiæ usus non est illicitus. Tum; quia cessante periculo violationis sigilli, nullo iure prohibetur, quod Confessarius possit cavere ab insidiis, aut à veneno per modos licitos. Ex hac doctrina possunt resolvi plures casus in hac materia occurrentes, qui apud Casuistas examinari solent: v. g. Confessarius, qui ex confessione audivit,

paratas esse sibi insidias in via, aut venenum in vino consecrando, potest domi manere, aut aliam viam sumere, & abstinere à celebratione, prætextu infirmitatis, aut alterius causæ, quæ naturaliter contingere potest. Nec obstat, quod complices existunt, quod Confessarius ex notitia habita in confessione viam declinavit, aut non celebravit; quia illa possunt ita fieri ex alio motivo, & causa, quam ex cognitione insidiarum per confessionem: ideòque conspiratores de peccato confesso iudicabunt temerè.

560 Quæres 3. Quæ sint alia requisita ad hujus Sacramenti ministerium in Sacerdote necessaria? Respondeo I. condiciones præcipuas ad hoc ministerium esse scientiam, sanctitatem, jurisdictionem, & sigillum, de quo satis est dictum. Scientia igitur requisita in Ministro Poenitentis in eo consistit, quod sciat necessaria ad rectè utendum clavibus Ecclesiæ, quæ sunt claves scientiæ, & potestatis. Unde, ut Sacramentum validè conficiat, debet scire quæ sunt de essentia Sacramenti, nempe, materiam, & formam, ac dispositiones requisitas ex parte poenitentis, quæ habent rationem materiæ. In particulari, ad licitè ministrandum, saltem debet scire discernere aliquomodo peccata mortalia, & venialia: circumstantias speciem peccati mutantem, & notabiliter aggravantes; censuras, si quæ sint annexæ peccatis, & peccata reservata: & peccata, pro quibus debetur restitutio famæ, honorum &c. Qui enim hæc, & similia ignorant, mortalitèr peccant, quoties hoc Sacramentum ministrant. Confessarius enim personam agit Judicis, & Medicis: ergo in eo requiritur peritia utriusque facultatis, proportionata animarum necessitatibus, causis, & morbis. Quod in Ministro requiratur etiam sanctitas, aut vitæ probitas, non quidem ut validè, sed ut licitè ministret Sacramentum Poenitentis,

satis constat ex dictis Tract. de Sacramento, Disp. 2. quæst. 5. per totam. Ibi soluta sunt plurima argumenta, tam ab Hæreticis, quam ab aliis objecta; tam contra hujus, quam aliorum Sacramentorum Ministrum, ministrantem in peccato.

561 Respondeo 2. Ut Sacerdos validè ministret Sacramentum Poenitentis, debet esse approbatus, & deputatus à Papa, vel ab Episcopo illius loci, ubi audit confessiones. Approbatio est iudicium de idoneitate Sacerdotis ad Sacramentum ministrandum, ab Ordinario efformatum. Jurisdictio verò, est jus, seu potestas potissima in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, & ligandi, quam Sacerdos ab Ordinario accipit. Ex quibus consequitur, approbationem, & jurisdictionem esse quid distinctum: nam in rigore posset quis iudicari idoneus, & tamen non accipere potestatem necessariam ad absolvendum. Jam verò ex communi usu vocis utrumque significari solet: ita ut, qui dicitur approbatus ad confessiones audiendas, intelligatur, ad hoc esse deputatum, seu jam habere potestatem ad absolvendum. De approbatione in hoc sensu hic loquimur. Hoc supposito, resolutio nostra commissiva, & verissima est, contra aliquos, qui dixerunt, approbationem haberi ab Episcopo propria poenitentis, & contra alios, qui volunt, eam haberi ab Episcopo Confessarii.

562 Prob. Tum: approbatio hæc præcisè fieri debet ab Episcopo, vel poenitentis, vel Sacerdotis, vel loci, aut territorii; sed non ab Episcopo poenitentis, vel Sacerdotis: ergo restat, ut sit ab Episcopo loci. Prob. min. quoad primam partem: In tali casu Sacerdos approbatus Pompeione, & pro illa Diocesi non posset ibi absolvere Calagurritanum poenitentem; quia iste non est subditus Episcopi Pompeionensis; sed consequens falsum est, & contra Ecclesiæ

praxim: nec Confessarii Pompeionenses petere solent à poenitentibus, nec petere debent, de qua Diocesi veniant, ut illos absolvant: ergo talis approbatio non debet esse ab Episcopo poenitentis: Prob. minor quoad secundam partem: Si sufficeret approbatio ab Episcopo Confessarii, sequeretur, quod Sacerdos subditus Episcopi Pompeionensis, & semel ab illo approbatus in illa Diocesi, esset approbatus semper, & ubique; sed hoc falsum est, & contra Ecclesiæ praxim: ergo talis approbatio non sufficit: ergo necessaria est approbatio ab Episcopo loci.

563 Prob. hæc consequentia, quæ est tertia pars, & assertio nostra: Tum; quia ut notat Cardin. de Laurea, Urbanus VIII. revocat omnes licentias audiendi confessiones sine approbatione Episcopi Diocesani; sed iste est Episcopus loci, in quo audiuntur: ergo ad istum spectat approbare. Et Lugo citat declarationem Congregationis Concilii, quæ sic dicit: *Approbatum ab alio, quod ab Episcopo Valentino in Diocesi Valentina, non censi approbatum ab Ordinario.* Aliam similem declarationem refert Barbosa: ergo approbatio ad Episcopum loci spectat. Tum; quia hoc ipso, quod Episcopus loci, in quo audiuntur confessiones, approbat Sacerdotem, facit conciliantur illæ opiniones: nam Episcopus iste evadit Ordinarius, tam Sacerdotis, quam poenitentis. Patet: nam hoc ipso, quod Episcopus Calagurritanus approbet Petrum, ut audiat confessiones in sua Diocesi, Petrus fit Confessarius in tali Diocesi, & quoad hoc illi Episcopo subditur. Idem est de poenitente: quia omnes fideles, quoad administrationem Sacramenti hujus, subditi sunt Episcoporum, & Sacerdotum loci, in quo reperiuntur: ergo hoc ipso, quod Sacerdos approbatur ab Ordinario loci, in quo audit confessio- nes, iste Episcopus evadit Ordina-

rius, tam Sacerdotis, quam poenitentis, & consequenter est approbatus a suo, & a poenitentis Ordinario. Ex quibus sequitur, quod fideles fiant subditi, & oves Pastorum loci, in quo reperiuntur, quoad Sacramenta, si eis indigere contingat.

564 Arg. Tum; Cardin. de Laurea citat constitutionem Congregationis, dicentem: *Tempore Jubilei omnes Regulares posse confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario*: ergo iste Ordinarius est Confessarius, non poenitentis, nec loci: ergo approbatio spectat ad Episcopum Sacerdotis. Tum: si Confessarius, & poenitens Calagurritones reperirentur Pompeione, posset Confessarius ille tunc poenitentem valide absolvere, quamvis non esset approbatus Pompeione: ergo non requiritur approbatio ab Episcopo loci, sed Confessarii, & poenitentis. Nego consequentiam utramque. Ordinarius itaque loci, in quo Regulares Jubileum lucrantur, & sibi eligunt Confessarium, est proprius Ordinarius, & Dominus territorii, in quo illa exercetur jurisdictio. Ad 2. disting. antecedens de jure communi, nego anteced. nam ex j. axiomatico: *Extra territorium jus dicenti non paratur impune*: si adsit privilegium Papæ, aut Episcoporum consensus inter se, concedo. Non igitur valet approbatio ab Episcopo unius Diocesis pro alia Diocesi. Unde, si ille casus in praxi admittatur, id fit, vel ex concessione Papæ, vel ex communi consensu Episcoporum. Quare, inquit Barbosa, Episcopus, & Parochus possunt in aliena Diocesi absolvere suum subditum, vel Parochianum ex communi, & mutuo Episcoporum consensu, vel ex Papæ concessione. Deinde, privilegium est Episcoporum, posse secum ducere subditos, ab ipsis electos, & approbatos, atque ab ipsis absolvi quocumque in loco.

QUÆSTIO V.

Et ultima, plura, pro tractatus complemento, dilucidans de Sygillistis, de Monialium, ac regularium Confessariis.

565 **I** mportunum quidem non erit aliqua de Sygillistis, & insimul postea de Monialium, ac Religiosorum Confessariis, in ordine ad casus reservados in Religione præsertim, dictis subungere, juxta titulum questionis præmissæ, ut finem penitus imponamus Tractatui Sacramenti Poenitentiae. Primò igitur, & breviter, agendum est de perniciosissima doctrina, ab aliquibus recentioribus Theologis inventa, aut ab inferis suscitata, ac Deo providente, statim ac nata fuit, & antequam adoleverit, ab Ecclesia damnata, ac proscripta. Etenim sub specioso colore, & prætextu salutis animarum, ac Reipublicæ, totiusque Christianæ communitatis universalis boni, surrexit in Lusitaniæ Regno quædam perniciosa valde doctrina, quam plures Confessarii in administratione Sacramenti Poenitentiae sequebantur, & in praxi docebant. Isti enim, dum poenitens se accusabat de peccato, aut peccatis, in quibus complicitas, aut associatio alterius, interveniebat, v. g. adulterium, tunc prætextu fraternæ correctionis de nomine complicitis, de locoque illius habitationis inquirebant a poenitente, quem nitentur compellere ad complicitis manifestationem, denegando illi absolutionem, si id non faceret, aut comminando cum illius denegatione. Et eum hoc omne intra confessionem, & Sacramentale sigillum fieri contenderent tales Confessarii, appellati sunt *Sygillistæ*.

566 Ex hujus pestilentis doctrinæ practica, statim exorta fuerunt plurima scandala, quibus occurrens

Be-

Benedictus XIV. per suum Breve: *Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo*, die 7. Julii an. 1745. talem doctrinam damnavit, tamquam perniciosam, scandalosam, ac injuriosam, aedum proximi famæ, sed etiam ipso Sacramento Poenitentiae, fideles ab illo avertentem, & manifeste ad sigilli violationem se dirigentem. Sed eum adhuc aliqui hanc condemnationem sinisteris interpretationibus deducunt, idem Pontifex die 2. Julii an. seq. 1746. aliud eddidit Breve, incipiens: *Ubi primò*, in quo præcedens confirmat, ac excommunicationem majorem ipso facto incurrendam, ac sibi ipsi reservatam, fulminat, adversus omnes cujuscumque qualitatis, qui doceant, scribant, aut defendant, talem practicam esse licitam: suspendunturque a confessionibus audiendis Confessarii illam practicantes: hæc verò suspensio est ferenda, ut colligitur ex Brevis contextu. Insimul tribuit facultatem S. Inquisitionis Officio, ut procedat, tam adversus scribentes, docentes, aut defensantes, si ve verbo, sive scripto, talem practicam licitam esse, quam adversus Confessarios, qui cum suspicionem pravi dogmatis illam practicassent: procedendo contra illos, sicut procedit contra docentes, & defendentes opiniones scandalosas, & perniciosas, atque ut tales, ab Ecclesia damnatas. Præcipit etiam, ad Inquisitionis tribunal denunciare prædictum Confessarium omnes illos, qui tale crimen noverint. At verò ab hac obligatione denunciandi Confessarium excipitur poenitens in causa propria, hoc est, quando tantum ex sua confessione scit, seu ex facto suæ confessionis, illam doctrinam practicasse, quatenus ipsummet poenitentem intendebat compellere ad complicitis manifestationem. Tunc enim non poterat poenitens crimen Confessarii manifestare, quin hoc ipso suum peccatum aperiret: ad quod cum non teneatur, nec ad denunciandum Con-

fessarium tunc casus tenebitur. Si verò per aliud medium, quam per suammet confessionem, sciat, Confessarium talem doctrinam practicasse, aut illam aliquem verbo, aut scripto docere, debet illum denunciare.

567 Advertit tamen Pontifex, quod si Confessarius de nomine, aut loco complicitis simpliciter interroget, & poenitenti manifestare nolenti non denegat absolutionem: tunc si ex circumstantiis cognoscitur, non esse suspicionem pravi dogmatis, hoc est, Confessarium ex simplicitate, & imprudentia processisse, & non cum adhæsione ad prædictam reprobatam doctrinam: tunc inquam, non est denunciandus Officio Inquisitionis. Quamvis enim imprudentissimus, & criminosis sit talis Confessarius, semel quod non sit cum adhæsione ad talem doctrinam, quod, prout ad præsens, idem esset, ac cum suspicionem pravi dogmatis, ad Ordinarium attinet cognoscere de illo crimine, ac illud punire. Permittit itaque Pontifex constitutionibus prædictis, Confessarios ex simplicitate, aut imprudentia, & sine suspicionem pravi dogmatis, poenitentes ad manifestationem complicitis compellentes, posse non denunciari Officio Inquisitionis, sed suis tantum Ordinariis.

568 Verum, quia ex hac exceptione dubia non pauca, nec levia priri poterant, idem Pontifex per aliud Breve, *Apostolici ministerii*, editum die 9. Decembris, an. 1749. præcipit, Confessarium, qui de complicitis nomine interrogaverit poenitentem intra confessionem, si ve hoc fuerit, ex simplicitate, aut imprudentia, si ve cum suspicionem pravi dogmatis, a quocumque tale crimen sciente, Officio Inquisitionis denunciari. Huic enim tribunali, ex Pontificia determinatione, judicare attinet: *an sit, aut non sit cum suspicionem pravi dogmatis*. Unde, si inveniat, talem suspicionem non intervenire, illa causa ad tale tribunal non attinet,

set, sed ad Confessarii Ordinarium remittenda est. Advertendum est verò, quòd ut Confessarius reus denuntiari debeat S. Inquisitionis Officio, poenitenti absolutionem denegat defacto, ut videtur colligi ex verbis hujus ultimi Brevis, in quo §. 7. sic dicitur: *Cognoverint in administrando Pœnitentiæ Sacramento, interrogasse poenitentem de nomine complicis, eisdemque indicere recusanti, absolutionem denegasse &c.* Quæ verba, ait Lopez Muñoz in Sum. Mor. sensum faciunt copulativum. Hoc verò intelligi debet de Confessario ex imprudentia, & simplicitate interrogante: nam si esset ex suspitione pravi dogmatis, quatenus doctrinam illam damnatam doceret, aut defendit, seu sinistra interpretatur Apostolicas Constitutiones, tunc ut denuntiari debeat, necessarium non est, quòd expressè de nomine complicis interroget, nec quòd poenitenti absolutionem neget, sed sufficit, quòd aliquo competente signo suum animum manifestaret ut si inquireret de aliquibus circumstantiis, quæ complicem hinc, & nunc sufficienter manifestarent.

569. Demum; quia prædictæ Constitutiones directæ fuerunt primò ad Prælatos Regni Portugaliæ, eò quòd in illo hujuscæ reprobata doctrinæ praxis incospit, aliqui, genuinum ipsarum sensum extorquentes, vim illarum tentarunt infringere, dicentes, ac docentes, Constitutiones illis extra illum territorium obligatorias non esse, nec consequenter vim, & efficaciam universalis legis habere. Huic insanæ interpretationi occurrens ipse Pontifex, per aliud Breve, incipiens: *ad eradicandum*, die 28. Septembris an. 1746. motu proprio *certa scientia*, declarat, praxim doctrinæ reprobatae in se ipsa damnatam, ac reprobata esse, quoad omnia loca, & personas: ac proinde Constitutionum suarum observantiam in toto Orbe Christiano esse obligatoriam. Et quamvis falsitas præ-

dictæ reprobatae doctrinæ, & quam perniciosa sit ejus praxis, satis constat ex Bullis Benedictinis:

570. Ultra suadet sic 1. Juxta Tridentinum Sess. 14. cap. 5. poenitens solum tenetur aperire in Sacramentali confessione peccata omnia sua, & circumstantias ad integritatem confessionis necessarias, insimulque occasionem proximam, & consuetudinem, aut reincidentiam, si à Confessario interrogetur de illa: ergo si completè manifestatio necessaria non sit (uti reverà non est) ad integritatem confessionis, nec ad occasionem proximam, aut reincidentiam agnoscendam, nec poenitens tenetur ad manifestandum complicem, nec minus poterit Confessarius, absque sacrilega impietate, poenitentem compellere ad illius manifestationem. Suadet 2. Talis manifestatio solum inservire potest, ut Confessarius tali notitia utatur extra confessionem, sub prætextu fraternæ correctionis, aut ut vitetur aliquod damnum grave; sed Confessarius non potest uti tali notitia extra confessionem: ergo Major est adversarium fundamentum. Prob. minor. Tum; quia talis notitia unicè conducit ad forum Sacramentale, & internum, estque omninò inutilis ad forum judiciale, & externum. Quare supra quæst. anteced. de sigilla confessionis, num. 553. stabilitum est, quòd nec Prælatus, nec Judex uti possunt notitia confessionis ad externam Ecclesiam, aut Religionis gubernationem. Tum; quia tali notitia uti non potest, quin poenitens in illo crimine manifestetur reus, aut ad hoc exponatur: quæ stante, Sacramentum manifestè redderetur odiosum, atque fideles ab illo retraherentur, aut saltem peccata complicitatis tacerent, sicque plures confessiones sacrilegæ essent; sed hæc inconvenientia superiora sunt cuilibet alio damno: ergo vitanda est, ut scandalosa doctrina, ex qua separantur. Tum; quia ex tota quæst. anteced. constat, sigillum confessionis

nis

ni nullo motivo violari posse: & certè in sigillarum doctrinæ praxi, frangeretur facilè, & quasi consequenter. Alias inveniuntur efficaces rationes apud Math. Gonz. in Summ. Mor.

571. Opponunt: Evenire potest, quòd poenitens aperiat in confessione aliquod crimen conspirationis externæ contra proximum, aut contra totam Communitatem, vel quòd motivum sit, & seminarium novæ, ac prave sectæ, & doctrinæ inducendæ in populo cum magna Christianæ Religionis pernicie: similiter evenire potest, quòd solus Confessarius tanto malo occurrere possit, ac remedium adhibere, quin hoc sit possibile, nisi poenitens manifestet criminis illi manifestet. Hoc facilius percipitur, si ipsemet Confessarius esset Prælatus alicujus Diocesis, aut Communitatis, cujus aliquod individuum cæteros inficit, aut inficere intendit, & prudenter timetur illorum, aut totius Communitatis subversio, & ruina spiritualis; quæ quidem mala solus Prælatus coercere, & vitare potest, & quòd ita eveniet, si poenitens reum tantè criminis illi manifestet. Nunc sic: sed in tali casu posset Confessarius poenitentem compellere ad manifestationem, & si facere rennuat, absolutionem denegare: ergo in illo, aut simili, sigillarum doctrina reduci debet ad praxim. Prob. min. poenitens tunc casus tenetur in conscientia remedium adhibere, mediaque apta apponere ad finis assecutionem, si ipsi ex hoc non sequatur damnum superius, aut æquale, & quòd supponitur illi non subsequi: ergo si Confessarius sit unicus, qui illud malum possit impedire, tenebitur poenitens ad rei manifestationem: ergo si aliter faceret, peccaret, atque adeò esset indispositus ad absolutionem, & consequenter justè posset non absolvi.

572. Tota hujus argumenti efficacia reducta est ad particularem ca-

sam, quòd poenitens constitutus sit in talibus circumstantiis, ut obligationem habeat vitandi damnum medio, & modo ipsi possibili: adeò ut, *hic, & nunc*, teneatur ex charitate, aut justitia, ad proximi correctionem, aut ad impedienda gravissima damna ex tali peccato secutura; & insimul quòd hoc fieri nequeat, nec per ipsammet poenitentem, nec per alium, nisi præcisè per Confessarium. Si enim poenitens, vel per se, vel per alium, damnum vitare possit, tunc conveniunt omnes, non teneri ad manifestandum in confessione. Hoc supposito

573. Respondeo, quòd nec in tali stricto casu potest Confessarius poenitentem compellere ad reum ipsi manifestandum intra confessionem. Talis namque manifestatio aut esset sub sigillo Sacramentali, aut extra ipsum? Si 1. inutilis esset talis affectio, cum Confessarius nullo modo possit uti illa in ordine ad remedium illius damni. Hinc quæst. anteced. num. 553. demonstratum est, quòd nec Prælatus, nec Judex, uti possunt notitia confessionis ad externam Ecclesiam, aut Religionis gubernationem. Si extra sigillum Sacramentale? consequenter obligari non potest poenitens ad id faciendum intra confessionem. Quid igitur faciendum? Dico, quòd in tali casu tenetur poenitens jure naturali talia mala impedire modo honesto ipsi possibili: & quæ mala si solum à Confessario proveniri possunt, tunc non imponitur poenitenti obligatio aliquam, quam non habeat naturali lege, quam Confessarius illi proponit. Non quidem ut manifestet sub sigillo Sacramentali, seu intra confessionem, sed extra illam, & modo quo Confessarius possit procedere ad remedium tanti mali. Quare, si in circumstantiis, in quibus poenitens *hic, & nunc*, tenetur ad manifestationem, id non vult facere, hoc ipso non est ad absolutionem dispositus: non quidem, quia in confessione non manifestaret,

ret,

ret, cum ita facere non debeat: sed præcisè ex eo, quòd naturali lege tenetur ad manifestandum extra confessionem: & si ita promittat facere, absolvi debet. Quando, & quomodo Confessarius uti possit notitia habita in confessione, salva integritate sigilli, vide num. 559.

574 Ex dictis colliges 1. non prohiberi per tales Constitutiones Confessoribus inquirere circumstantias necessarias ad speciei, & peccatorum numeri cognitionem. Nec prohibetur poenitenti explicare circumstantiam necessariam ad integritatem suæ confessionis, ex cujus explicatione, aut manifestatione Confessarius veniret in notitiam complicitis, ut diximus cum Theologorum sententia communiori. 2. Nec reprobari opinionem docentem, poenitentem, justa interveniente causa, posse Confessario manifestare suum complicitem, ob bonum istius, aut illius, aut ob aliud motivum grave, ut Gonzalez Matheo sentit. Potest etiam, & debet Confessarius præcipere poenitenti manifestationem complicitis subiecto, cui correspondeat, quando talis manifestatio necessaria est correctioni, aut ad præcavendum aliquod damnum grave, sive spirituale, sive temporale. Tunc enim, ait Ferraris verbo *complex*, num. 7. poenitens jure naturali, & divino, tenetur ad talem manifestationem, quam, si resistit, indispositus est ad absolutionem. Etenim hæc valde diversa sunt ab eo, quod per prædicta Brevia condemnatur. Unde si Confessarius, vel ex circumstantiis, vel ex superioritate, unicus est, qui gravia damna mæderi, aut prævenire possit, manifestatio fieri debet illi: non quidem intra confessionem, sed extra illam, propter dicta num. 570. & alibi. Sed advertendum cum Ferrari, Gonzalez, & Muñoz, quòd si ex correctione à Confessario facienda secuturum sit scandalum pusillorum in ordine ad sigilli violationem, retractionem à Sacramento, aut aliud

grave damnum, majus bono ex correctione venturo, tunc non adest locus manifestationis complicitis, quin controversiatur Brevium dispositioni.

575 Secunda quæstionis pars de *Monialium Confessoribus* quærit. Dico breviter, quòd tales Confessarii debent esse approbati, & deputati propriè, & specificè ab Episcopo pro Monialibus suæ filiationis, aut obedientiæ: si autem subiectæ sint Regularibus, debent simul esse approbati à Prælati Regularibus, quibus subjiunguntur, & ab Episcopo, ut decernitur in Constitutionibus Innocentii XIII. *Apostolici ministerii*, die 13. Maj. 1728. Benedicti XIII. *In Summa*, 23. Septembris 1724. Et Benedicti XIV. *Pastoralis Cura*, 5. Augusti 1748. Ex illis enim constat, confessiones Monialium, aliter factas, irritas fore, ac nullas: & Confessarios, aliter facientes, suspendi à confessionibus audiendis. Ab hæc regula excipiuntur tantum Prælati Generales, & Provinciales, qui ex indulto Benedicti XIII. incipientes: *Pastoralis Officii*, possunt, suo officio durante, Moniales suæ obedientiæ absolvere validè, ac licitè sine Episcopi approbatione.

576 Igitur approbatione à Diocæsano supposita pro Monialibus suæ jurisdictionis, & simul à Prælati Regularibus pro Monialibus suæ obedientiæ, nullus Confessarius excedere potest terminos suæ approbationis, & designationis. Quare approbatus pro Monialibus unius filiationis non potest confiteri alias alterius filiationis: nec approbatus pro uno Monasterio, potest in alio: nec approbatus pro sola una Moniali, potest confiteri alias: nec denique approbatus pro determinato tempore, potest in alio. Unde Confessor, sive Ordinarius, sive Extraordinarius alicujus Monasterii, propter hoc non poterit in alio confiteri, nec in eodemmet, persoluto tempore suæ deputacionis, nisi aliunde facultatem

hæ-

habeat pro omnibus Monialibus in communi: quia tunc potest uti quocumque tempore sua facultate, dum revocata non fuerit, quæ facultas non expirat *morte concedentis*. Nec obstat Constitutio, *Pastoralis Cura*, Benedicti XIV. in qua ordinatur, Confessarium Extraordinarium, suo ministerio completo, nullo prætextu nec spiritali, nec temporali redire posse ad illud Monasterium: nam deputatus generaliter ad Moniales, hæc durante deputacione, dici potest, suum ministerium nondum adimplevisse. Unde poterit illas audire, & confiteri, sicut antea. Hæc est communis praxis, post prædictam Benedictinam Constitutionem.

577 Et notandum 1. necessariam non esse approbationem specialem Episcopi ad Novitias, Donatas, famulas, aut alias similes personas, quæ vivunt in Monasteriis, ad illarum confessiones audiendas: nam Constitutiones prædictæ expressè loquuntur de Monialibus: & in odiosis prædictæ personæ non ingrediuntur nomine Monialium. Unde sufficit communis licentia ad absolvendum. Ob hanc causam plures Theologi censent, prædictas personas virtute Bullæ Cruciatæ eligere posse Confessarium: quod personæ Religionem jam professæ non possunt. Montalvo autem, & Bordonius usum Bullæ Cruciatæ quoad hoc Novitiis non concedunt. Quoad absolutionem istorum à casibus reservatis, postea num. 582. erit sermo.

578 Notandum est 2. quòd ex dispositione Tridentini Sess. 25. de *Regul.* Prælati Regulares, Generalis, aut Provincialis tenentur sub gravi assignare bis, aut ter in anno Confessarium Extraordinarium Monialibus suæ jurisdictionis: & qui etiam deputari debent ad minus semel in anno Confessarium Extraneum, sive sæcularem, sive regularem. Assignatio Confessarii Extraordinarii pro Monasteriis Diocæsano subiectis; perscriptum est, quòd ab Episcopo

Tom. I.

debet fieri: qui etiam, si Prælati Regulares omitti sint in assignandis Extraordinariis pro Monialibus suæ filiationis, tunc potest, ut Legatus Apostolicus, negligentiam Regularium corrigere, ac supplere, deputando Extraordinarium, quem maluerit, sive sæcularem, sive regularem, qui tunc poterit Moniales illas confiteri. Confessori tamen Extraordinario confiteri non tenentur Moniales: at verò illi tenentur presentari, tam Moniales, quàm Novitiæ, Donatæ, puellæ educandæ, ac mulieres illæ, quæ intra Monasterium vivunt: quæ omnes, et si confiteri noluerint, Extraordinario presentari debent, ut monita salutis ab eo accipiant extra confessionem. Si autem aliqua ex prædictis tempore extraordinationis impedita sit, postea concedi debet illi, si voluerit, cum illo Extraordinario confiteri, aut illi presentari, ut constat ex Bullæ *Pastoralis Cura*. Demum: si aliqua ipsomet extraordinationis tempore suo particulari Confessario confiteri voluerit, id liberè potest facere. Hoc idem concedunt plures Confessori ordinario Monialium, dummodo non impediatur, uti impedire non potest, Extraordinarium suum ministerium implere, nec sese introducat ad confessionem alicujus ex prædictis personis audiendam, sed unicè sit ad poenitentis instantiam, eò quòd cum illo majus solatium, ac conscientia serenitatem percipiant. In hoc verò standum est consuetudini: quæ quidem laudabiliter in pluribus Monasteriis viget, atque ita convenit, nempe, quòd tempore, quo Extraordinarius suum officium implet, Confessor ordinarius recedat ab illo Monasterio. Præterea: Extraordinario concedi debet eademmet facultas ad absolvendum, quam deputans habet, ut ita suam possint commodè conscientiam exonerare.

579 Pervenimus jam ad tertiam quæstionis partem, quæ de *Religiosorum Confessoris sermonem instauravit.*

Yyy

tuit.

tuit. Religiosi itaque in ordine ad Sacramentum Poenitentiae omnino subijciuntur suis Prælati, sine quorum licentia, & approbatione, nullus, etiam approbatus ab Episcopo, jurisdictionem ad absolvendum illos habet. Unde possunt Superiores Regulares sibi subditos subicere Confessario, etiam non approbato ab Ordinario. Unde cum sola Prælati approbatione, potest Confessarius regularis validè absolvere omnes illos, qui sunt de familia Communitatis, ac in illa continui commensales, & intra Monasterii Claustra vivunt sub obedientia Prælati, etsi stipendium pro suo servitio tribuatur illis: nam circa hoc Tridentinum nihil immutavit. Quare illi, qui, etsi Monasterio inserviant, extra illud vivunt; aut quamvis extra illud non vivant, nec verè sunt, nec computantur de familia Monasterii, hoc privilegio non gaudent, ut Gabriel Vincentia probat ex declaratione Innocentii X. juxta quam, ut seculares gaudeant illo privilegio, utraque qualitas copulativè requiritur, & quòd sint commensales, ac Monasterio inserviant, & quòd numerentur, & computentur verè de illius familia.

580 Ex dictis sequitur, Novitios, quamvis non vi obedientiae, quam adhuc non sunt professi, ratione verò jurisdictionis Ecclesiasticae, subijci Prælati, tamquam ipsorum propriis Pastoribus; ob quòd validè non possunt confiteri cum Confessario extra Ordinem, sine licentia Prælati. Sic Montalvo Glos. fundam. tom. 1. cap. 14. qui cum Bordonio docet, validè confiteri cum quolibet Confessore ex approbatis pro Religiosis tantum in communi: non obstante Decreto Clementis VIII. præscribente, Novitios cum suo Magistro confiteri. Excipitur, si in statutis Religionis prohiberetur cum clausula expressè irritante. Hoc etiam intelligi debet, nedum de junioribus professis, sed etiam de Donatis, ratione jurisdictionis spiritualis, quam

Prælati Regularis in illos habet.

581 Sed quid dicendum, si Religiosi de sui Prælati licentia extra Claustra resideant? Respondeo, quòd si deest Confessarius approbatus à suo Prælatò, potest confiteri cum Sacerdote idoneo, sive sæculari, sive regulari, virtute privilegiorum, quæ refert Montalvo, & ex licentia Prælati, quæ, si aliter non constet, concessa præsumitur in ipso facto concedendi egressum à Monasterio. Hoc tamen privilegium non suffragat Apostatis, nisi jam ad se conversi, suo regrediantur Monasterio: nec fugitivis, nisi fuga sit, recurrendo Superiori, ut oppressionem gravem injustam vitet, quam alio medio vitare non potest: nec illi, qui dolosè sub apparenti aliquo prætextu permissionem obtineret utendi tali facultate, atque ita confiteretur extra Ordinem; quia *fraus, & dolus nemini patrocinari debent.* Et sciendum, quòd Religiosi hospites omnino sunt subditi Prælati Conventus: consequenterque potest Prælati de illis disporre, sicut de suis subditis: ac proinde eodem modo discurrendum est in ordine ad peccatorum suorum absolutionem, juxta Gregorii X. & Clementis IV. concessionem. Hoc autem est intelligendum de Religiosis, qui propriè sunt hospites, & si fiat sine dolo, & fraude. Quare si in uno populo sint duo Conventus duplicis Provinciae Religionis simul, ut alicubi sunt, non poterit Religiosus unius Conventus confiteri in alio, atque ita à suis Prælati fugiendo; quia hic esset fraus, & dolus, qui nemini suffragantur.

582 Quamvis autem Religiosi extra Claustra existentes, Religioso Ordinis approbato deficiente, confiteri possint cuilibet Confessori approbato sæculari, aut regulari, de licentia sui Prælati, sive expressa, sive tacita, virtuali, & præsumpta, juxta dicta num. antecedente: tamen hæc facultas in ordine ad absolutionem, tam intra, quam extra Claustra, non

in-

intelligitur pro peccatis reservatis in Religione, nisi ad id concedatur expressè. In hac reservatione comprehenduntur in opinione probabiliori, ac securiori, ut Montalvo dicit, non solum professi, sed etiam Novitii, Donati, & quotquot diximus posse confiteri Confessario approbato pro Religiosis, absque Episcopi approbatione. Ratio est satis clara: quia cum omnes prædicti Prælati subijciantur in ordine ad Sacramentum Poenitentiae, atque adeò liberi sint à reservatione Synodali, consequens est, quòd subijciantur reservationi regulari: aliàs èsempti essent ab omni reservatione, præter Papalem. Idem videtur dicendum, & propter eandem rationem, de Monialium Novitiis, ac Donatis, quoad reservationem factam pro professis.

583 Itaque Confessarii, qui auctoritatem absolvendi à reservatis habent à Generali, omnes Ordinis Religiosos, sibi subditos, possunt absolvere. Et idem respectivè intelligendum est de quocumque alio Prælati superiori, pro suis subditis concedente facultatem. Unde Guardianus solum pro Religiosis Conventus, cui præest potest talem auctoritatem concedere. Patet pro omnibus his Prælati, qui cum in suos subditos ordinariam habeant jurisdictionem, illam possunt delegare. Et advertendum cum Villalobos, & Fratre Martino à S. Joseph, quòd dum Prælati auctoritatem absolvendi à reservatis concedunt absolutè, & sine aliqua restrictiva expressione, intelligitur de auctoritate, tam activa, quam passiva, juxta styllum Religionis: At verò ad omne dubium tollendum, aliqui Prælati, dum facultatem absolvendi à reservatis concedunt, verbis absolvendi *active, & passive* utuntur. Si quæras: *An qui facultatem habent absolvendi à reservatis à Provinciali, possint in tota illa Provincia facultatem hanc exercere?* Respondeo, quòd dum Pro-

Fom. I.

vinciales in singulis Conventu quosdam designant, ut à reservatis absolvant, solum tribuunt facultatem limitatam, atque in solis Fratribus illius Conventus, etiam hospitibus, exercendam. Hæc enim est intentio Prælati, cum per singulos Conventus de hoc remedio providet. Est itaque maximè attendendus modus, quo talis auctoritas conceditur, ne ejus tenor excédatur.

584 Et advertendum est 1. quòd quamvis auctoritas activa, & passiva absolvendi à reservatis, quæ absolutè, & sine limitatione temporis conceditur, perpetua sit, si à Successore non revocatur, ut constat ex jure, cap. *si super gratia*, de officio deleg. in 6. cap. *si cui nulla*: hoc tamen non tenet in Franciscano Ordine: nam in suis generalibus statutis decernitur, quòd talis commissio valeat, quamvis Prælati, qui eam concessit, deficiat, usque ad novi Prælati electionem. Unde dum Prælati suam concedunt auctoritatem, certum videtur, conformari velle cum statutis: & consequenter, quòd finem habeat, alio Prælati ingrediente. Sed quid sentiendum, dum novus Prælati eligitur, & hoc ipso expirat facultas à suo antecessore concessa? Nonne usque dum novus Prælati facultatem aliquibus Confessariis concedat pro quolibet Provinciae Conventu, isti pro necessitatis casibus carere debent opportuno remedio? Contingit enim sæpè sapius, quòd novus Prælati variis curis distractus, de tali facultate concedenda, nec recordetur. Si igitur facultas ab antecessore concessa, usque ad electionem novi Prælati solum durat, electione hac verificata, potestas illa expirat. Quid ergo faciendum tempore illo? Consonum non est nec pietati, nec æquitati, nec rationi, quòd remedio absolutionis à reservatis careant Religiosi. Quare censeo, Guardianum statim ac ad Conventum pervenerit, toto illo tempore, quo Provincialis Confessarios assignat

Yyy 2

sig-

signet, de remedio providere debere. Et si aliter ex aliqua occurrentia eveniret, existimo, Confessarios antea designatos ex Ecclesiae, & ipsius Capituli concessione, eandem facultatem habere, usque ad Praelati novi determinationem.

585 Advertendum est 2. quod dum Guardiani licentiam tribuunt particularem alicui subdito, ut a reservatis absolvatur, subditus debet confiteri Confessario Ordinis, nec aliter talem licentiam concedere potest. Idem est dicendum, quando Provinciales talem facultatem tribuunt: nam illorum intentio semper est, quod talis facultas intra limites Religionis exerceatur. Imo Corduba cap. 7. quæst. 3. sentit, Prælatos concedere non posse, Religiosos confiteri a reservatis secularibus, aut regularibus, extra Ordinem, ex determinatione Bonifacii VIII. ut refertur in nostris Constitutionibus Barcinonensibus, cap. 6.

586 Advertendum est 3. quod non tenetur Prælati concedere facultatem absolvendi a reservatis, semper ac subditus illam petierit: imo si ex tali concessione sequeretur damnum in poenitente, aut in aliis, illam denegare debet. Si verò nullum damnum, aut inconveniens sequatur, graviter peccaret Prælati illam non concedendo, ut docet D. Thomas 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. Ideo Pius V. & Clemens VIII. Prælati præcipiunt, quod dum talis facultas ab eis petitur, benigni sint, ac faciles in concessione illius. Quam si pro aliquo particulari casu concedere nolent, tunc potest Confessarius uti illa facultate, quam Paulus V. concessit, & refertur a RR. Fr. Bernardino de Sena, Ordinis Minorum Generali, & ex statutis authenticis sic dicente: *Sanctitas D. N. Pauli V. Deinceps declaravit, & declarat, ut si huiusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii*

illa vice poenitentes regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere. Conveniunt verò Theologi in hoc, quod dum Prælati prædictam facultatem concedit, potest designare poenitentiam, quam Confessarius imponere debet.

587 Advertendum est 4. quod si auctoritas absolvendi a reservatis, concessa a Prælati, revocetur ab ipsis, non hoc ipso, ac statim privatus censeri debet Confessarius talem facultate. Ut enim revocatio hæc suum habeat effectum, pervenire debet ad notitiam, & cognitionem Confessarii: nam aliter, valide sunt confessiones, & absolutiones, revocatione facultatis non obstante. Ita sentiunt Richardus, Vazquez, Silvester, Henriquez, & plurimi alii. Ratio illorum est; quia talis auctoritas est gratia; quæ, utpote talis, ante notitiam suæ revocationis non cessat.

588 Advertendum est 5. quod quamvis in Constitutionibus, & capitulis generalibus alicujus Religionis statuatur, ac præcipiatur, ut nullus Frater professus, sive iter agens, sive alicubi, quocumque pacto de suorum Superiorum licentia commorans, nisi sui Ordinis Fratri Confessario, per suum Superiorem ad confessiones audiendas approbato, peccata sua confiteri, ab eoque Sacramentalem absolutionem obtinere, valide, ac licite possit: ut expressè habetur in Constitutionibus generalibus Fratrum Capuccinorum: quamvis, inquam, ita inveniatur, cum hoc sit durissimum, ac multoties inconvenientibus non levibus expositum, hæc Religionis stricta providentia moderanda est regulis prudentiæ, juxta quam possunt Religiosi omnes uti in casu necessitatis doctrina hujusque tradita, & præsertim paulo supra num. 586. Quantum ad Fratres Capuccinos sic concessit, ac declaravit Benedictus XIV. anno 1742. & 2. sui Pontificatus.

589 Hic Pontifex Constitutione spe-

speciali prohibitionem prædictam Capuccinorum revocavit, sic decernens: *Tamen scientes de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere, quinimo plurimum obesse, ut eadem alumni a suis Conventibus, quacumque de legitima causa, longè, & diu absentes, ob Confessarii defectum, vel à faciendo Sacro, aut à S.S. Euobaristia Sacramento percipiendo, non sine populorum, quibus cum interea temporis conversantur, scandalo abstineant: hisce malis opportunum Apostolicæ providentiæ nosstræ remedium afferre cupientes... tenore præsentium statuimus, decernimus, & mandamus, ut quilibet ex fratribus dicti Ordinis... qui de Superiorum suorum licentia, quacumque de legitima causa, titulo, & occasione... alicubi commoraverit, ubi nullus Conventus; nullusque frater dicti Ordinis Confessarius reperitur, liberè, & licite, possit, ac valeat quemlibet Presbyterum secularem, ab Ordinario loci, vel regularem à suo Superiore regulari, ad Sacramentales confessiones excipiendas approbatum, adire, eique peccata sua confiteri, atque ab ipso obtinere Sacramentalem absolutionem, etiam quoad casus per statuta Religionis reservatos, incursasque proinde censuras, recepta salutari poenitentia: præstitaque obligatione, se statim quoad ipsi permissum fuerit, coram suo regulari Superiore præsentandi, ac de novo super casibus, & censuris huiusmodi absolutionem impetrandi &c.* Hæc Benedictus XIV.

590 Ex dictis sequitur 1. quod dum Religiosus de suorum Superiorum licentia extra Monasterium residens, facultatem expressam, ut a reservatis absolvi possit, non habet, tunc, si confiteri indigeat, & in reservatum incidere, non absolvitur a reservatis directè. Debet igitur in tali casu de omnibus suis peccatis integrè confiteri, ut confessio integra sit, ut diximus dum loquebamur de integritate materiali confessionis: &

tunc absolvitur directè a peccatis non reservatis, quæ sunt de jurisdictione Confessarii, & indirectè a reservatis. Quare absolveretur tunc cum onere subjiciendi iterum reservata Confessario habenti in illa jurisdictionem directam. Hinc est, & hæc doctrina, uti securior, ac verior, est tenenda, quod dum Prælati auctoritatem eligendi Confessarium concedunt absolutè, & quin aliud addant, aut exprimaat, non videntur illam concedere pro reservatis, quia de illis fiat expressio in concessione. Sic constat ex cap. *Si Episcopus*, de poenit. & remission, ubi dicitur: *In generali concessione non veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.* Unde Glossa cap. *Quæres pignori*, plura citat jura, quæ ipsam statuentes. Consequenter decrevit Alexander VI. in sua Bulla: *Dilecto filio*, Confessarium, in nostra Religionis absolventem a reservatis sine auctoritate, præter absolutionis nullitatem, incurrere excommunicationem Clementinæ: *Religiosi de privilegiis*, reservatam Papæ: & in nostris generalibus statutis omnino privatur ab officio Confessarii.

591 Sequitur 2. idem ac extra Monasterium intelligi debere, dum Religiosus est intra illud, si deficiat Prælati, vel alius Confessarius facultatem directam absolvendi a reservatis habens. Tunc enim, si scandalum, aut infamia, sequeretur illi, si non celebret, aut communiçet, potest confiteri cuilibet Confessario sui Conventus integrè de omnibus suis peccatis: & si debitè sit dispositus, absolvitur directè a non reservatis, & indirectè a reservatis, atque ita omnia remittuntur sacramentaliter. Sic communiter sentiunt DD. inter quos Angelicus, & Seraphicus. Ex hac doctrina constat, poenitentem in tali casu non posse celebrare, aut communicare cum sola contritione, ac sine prævia confessione, ut Sotus, Adrianus, Casus, & Ledesma sunt

opinati. Existimarunt enim isti Authores, quod Confessarius ille facultatem absolvendi à reservatis non habens, nullo modo tunc absolvere posset: atque adeo in tali casu idem censeretur, ac si non adesset copia Confessarii. Hæc verò opinio nullo modo praticari debet. Difficile enim valde est, perfectam contritionem efformare, nec de illa umquam possumus esse certi: atque ideò ex divino præcepto poenitens debet confiteri, antequam accedat ad Sacram communionem. Cùm autem, quod tunc casus quilibet Confessarius approbatus potest illum Sacramentaliter audire, probabilissimùm sit, certissimum est consequenter, quod Ecclesia ad id illi tribuit jurisdictionem, ut aibi docuimus cum celebrioribus Theologis, ac indubium est mihi.

592 Si inquiras: *Quid dicendum, quando visis prudenter, ac revisis circumstantiis alicujus peccati, dubitatur: an sit, aut non sit reservatum?* Respondeo cum Martino à S. Joseph, & aliis, non esse existimandum, ut reservatum, quando adest tale dubium, & hoc, sive dubium sit juris, sive facti. Unde à quolibet Confessario absolvi poterit. Ratio est; quia reservatio est poena, & restrictio jurisdictionis, atque adeò odiosa: & juxta regulam juris, *odia sunt restringenda*. Addit Corduba cap. 7. quæst. 7. Sixtum IV. facultatem cuilibet Confessario tribuisse absolvendi à talibus casibus dubiis, quamvis facultatem non habeat à Provinciali. Consequenter dicit, quod si postea certo cognoscatur, fuisse reservatum, non tenetur iterum confitendi illud peccatum, eò quod ex citato privilegio Sixti, valida fuerit absolutio præstita, dum erat dubium. Sic sentiunt etiam Siquenza, & Ortiz super hunc casum. Hæc tamen sententia non obstantibus, ac securior est opinio docens, debere postea, ut certum confiteri: nam peccata confitenda sunt

prout sunt in conscientia, ut Tridentinum præcipit, & nos docuimus alibi.

593 Quæres: *An Regulares uti possint privilegio Bullæ Cruciatæ, in ordine ad absolutionem à casibus reservatis in sua Religione?* Certum debet esse, quod si Prælati suis subditis concedunt sumere Bullam, & illius usum, ut privilegiis in ea contentis, etiam quoad casus in sua Religione reservatos, uti possint, & hoc tam activè, quàm passivè, validè, ac licitè possent ab illis absolvi virtute Bullæ. Hanc esse consuetudinem plurimum Religionum, ac voluntatem, aut permissionem suorum Prælatorum, ipsis mihi asserentibus, omninò est indubium. Solum itaque restat difficultas pro Religiosis Franciscanis: *An, nempe, isti possint Bulla Cruciatæ in ordine ad absolutionem à casibus reservatis in Religione Provincialibus Ministris uti, aut pro illorum absolutione valeat ipsis?* Ratio dubitandi oritur ex eo, quod in ea, & pro assumptibus illam, expressè sit generalis concessio eligendi Confessarium, à quo possit Sacramentaliter absolvi à casibus reservatis.

594 Respondeo, nedum falsum, sed etiam temerarium esse asserere, posse Religiosos Franciscanos uti Bulla Cruciatæ, ut virtute illius absolvantur à casibus reservatis in Religione Ministris Provincialibus. Ita firmiter docent omnes Regulæ Expositores. Resolutio hæc constat 1. ex cap. 7. ipsius regulæ, in quo sic præcipitur: *Si quis Fratrum, instigante inimico mortaliter peccaverit, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit, ut recurrant ad solos Ministros Provinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere &c.* Ex quibus ratiocinatur sic: præceptum est regulæ S. Francisci, quod Fratres pro reservatis recurrere debeant ad Provinciales: ergo ex vi regulæ in Religione sunt aliqui casus Provincialibus reservati. Patet consequenter quam-

quamvis enim in regulâ nullus determinatus casus assignetur, sed hoc attineat ad Prælatos, præsertim in capitulis: regula tamen supponit, stituros esse casus reservatos in Religione. Nunç sic: sed si Religiosis valeret concessio generalis eligendi Confessarium, concessa Hispanis, in Bullâ, & per illam dispensaretur, aut destrueretur prædictum præceptum regulæ: ergo cùm hoc nequeat dici, nec illud dici debet. Minor subsumpta videtur evidens: nam concessio Bullæ, licet ad sexenium limitetur à Pontifice, perpetua est tamen, & ex nova successiva concessione nunquam deficit. Unde, si illa uti possent, nunquam esset necessarius recursus ad Provinciales pro reservatis: atque ita essent, tamquam si non essent, ac regula derogaretur in hac parte. Et quis hoc sanè dicet? Est igitur certissimum, regulam à tot Summ. Pontificibus, ac Conciliis approbatam, & in jure communi insertam, quæ præceptum particulare habet de casibus reservatis, nullo modo à Pontifice derogari per generalem Bullæ concessionem. Patet etiam ex regula 81. juris in 6. dicente: *In generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis venisimiliter in specie concessurus.* Necessarium itaque erat, quod Pontifex ex certa scientia, & cognitione, ac judicio causæ in tali præcepto dispensaret, ac ita velle declararet.

595 Patet 2. resolutio, & urgenter confirmatur ex declarationibus, & decretis Apostolicis, Sixti IV. Innocentii VIII. Alexandri VI. Leonis X. & Clementis VIII. quæ Religiosis expressè prohibent uti Bullâ, aut aliis privilegiis, in ordine ad absolutionem à reservatis: quæ quidem constitutiones hodie sunt, & semper fuerunt in suo vigore. Nec obstat, quod Bulla posterior est prædictis decretis, & in illa conceditur quotannis omnibus illam sumentibus, absolvi posse à reservatis. Un-

de videtur, quod per Bullam declarationes illæ anteriores derogantur. Hæc ratio in qua fundantur aliqui, falsa est, & nullius roboris, inquantum ad talium constitutionum derogationem. Itaque, quamvis concessio Bullæ posterior sit: est tamen concessio generalis, quæ non derogat constitutiones Apostolicas anteriores: quin potius ipsa concessio generalis limitatur, & corrigitur per Pontificum constitutiones speciales, ac particulares anteriores, ut constat ex ipsomet jure. Quare, ut tales constitutiones, ac declarationes, derogentur, necessarium est, quod lex posterior generalis illas expressè nominet, revocet, & annulet. Sic docetur lege: *Sed & posteriores, ff. de legibus.* Pariter Glossa, *sciendum*, verbo, *non compelli*: & est doctrina apud Canonistas communis. Ergo falsissimum est, quod per annualem Bullam revocentur, aut invalidentur illæ anteriores constitutiones.

596 Dices 1. Decreta Leonis X. & Clementis VIII. esse derogata. Dices 2. prædictos Pontifices solum pro suo tempore prohibuisse usum Bullæ. Respondeo ad 1. falsum esse, & sine fundamento dictum, illa Decreta esse revocata. Præterea, quamvis derogata essent, non sequitur, quod intendunt Adversarii: nam adhuc in tali suppositione, explicari debet Bulla Cruciatæ juxta illorum tenorem: siquidem ipsum jus decernit, novas leges per anteriores explicari, quamvis sint abrogatæ. Ita *L. non est novum*, ff. de legibus, & lege, *sed & posteriores*, & sic docent cum Bartol. Lodov. Gomez, Burgos de Paz, Baldus, & alii. Et non solum, juxta hos Authores, lex nova explicari debet per anteriorem specialem, sed etiam limitandæ sunt per ipsam leges posteriores. Unde, ut jam est insinuatum, & Canonistæ, ac Theologi celebres docent, dum lex antiqua aliquem specialem casum determinat, sicut prædicta Decreta Pon-

officia, non derogatur per novam legem, generaliter loquentem. Sic intelligitur regula 34. libri 6. Decretalium, ubi dicitur: *Generi per speciem derogatur.* Constat igitur, Bullam Cruciatæ nullo modo suffragari Religiosis Franciscanis, dum absolutionem à reservatis concedit: quamvis enim sit concessio posterior, tamen est generalis, & prohibitus est illius usus in hac parte decreto anteriori speciali: etenim *illud est speciale, cujus contrarium est generale*, authent. de non alienando, §. *ut autem lex.*

597 Ad 2. respondeo, etiam esse falsissimum: Tum propter doctrinam immediatè traditam, juxta quam nullo tempore nobis licet uti privilegio, quòd casus reservatos in Religione. Tum; quia Clemens VIII. in sua Bulla, *Romani Pontificis*, anno 1599. prohibens Religiosis usum Bullæ, inquit: *Authoritate Apostolica perpetuò declaramus &c.* ergo comprehendit tempus in perpetuum, & consequenter falsissimum est, Pontifices illos solum pro suo tempore prohibuisse Religiosis Bullæ usum. Præterea: Leo X. ut refert Villalobos 1. part. Sum. Tract. 27. in suo decreto decernit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Religiosos non posse uti privilegio Bullæ, contradicentibus Prælati. Quòd autem Prælati nostri contradicant, apertè constat: tum ex cap. Gener. Rom. an. 1600. in quo authoritate Clementis VIII. declaratum est, Bullam quoad casus reservatos nobis non suffragari. Tum: ex constitutionibus Generalibus Segovianis, in quibus id ipsum expressè decernitur. Demum: quia sic responderunt plures Pontifices, & Cruciatæ Commisarii, de hoc interrogati.

598 Non autem est nobis prohibitum uti aliis privilegiis in Bulla contentis: nec etiam in ordine ad absolutionem peccatorum, quæ reservata non sunt Provincialibus, dummodo eligatur Confessarius Ordinis;

ut communis Authorum docet. Quare, ut insinuatum est supra, num. 580. deponendus est scrupulus aliquorum, qui existimarunt, confessiones factas à nostris laicis, junioribus, ac novitiis irritas esse, si fiunt cum Confessario, non assignato à Prælati pro ipsis. Etenim quamvis constitutiones nostræ decernant, predictos non confiteri, nisi cum suis Magistris, aut Confessariis à Prælato designatis: tamen dummodo fiant Confessario Ordinis, confessiones illæ erunt validæ: ipsi verò laici, ac juvenes, constitutionem frangentes, puniri possunt, propter talem transgressionem. Ratio assertionis est; quia Prælati per talem ordinationem solum intendunt, juvenes, ac laicos nutrire in majori Dei amore, ac observantia regulari: non verò intendunt tollere jurisdictionem absolventi à Confessariis Religiosorum; eò quòd non prohibeatur confessio cum illis clausulis confessionem irritantibus, quod necessarium erat ad nullitatem earum. Unde regula juris, cap. *ad Apostolicam*, sic ait: *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta, tenent.* Patet apertè eadem veritas, ex eo, quòd juvenes de sui Magistri licentia, & quæ quandoquæ conveniens est, confitentur aliis Confessariis. Si autem eis jurisdictio legitima deficeret, Magistri non possent eam illis tribuere; quia Magistri juvenum facultatem tantum delegatam habent, & ex regula juris tales Confessarii non possunt illam subdelegare. Et hæc dicta, tam de Pœnitentiæ virtute, quam de Sacramento Pœnitentiæ, sufficiant nobis, ac sint quoad omnia in laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, suæ purissimæ Matris; sintque pariter, & omnino, sub judicio, & correctione S. Matris Ecclesiæ.

TRACT.

TRACT. V.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.



EXTREMÆ UNCTIONIS SACRAMENTUM, QUOD à Concilio Florentino quinto loco in Sacramentorum serie numeratur, illud est, quo morientes homines valde muniuntur, & ad æternæ beatitudinis portum viam sibi parant, & accessum. Sacramentum hoc, ait Concilium Tridentinum, *consummativum Pœnitentiæ existimatum est à Patribus.* Quamvis enim certissimum sit, Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse à Christo, ut homines peccatorum sordes, quas decursu hujus mortalis vitæ contrahunt, eluere possint: adhuc tamen necessarium erat aliud remedium, quo homini in extremisposito, nec sibi jam succurrere valenti per proprios actus, sacra quædam medicativa virtus concederetur, quæ nedum peccatorum, ac morborum reliquias extirperet, sed & integram, ac perfectam animæ restauraret sanitatem. Id est præstantissimum munus sacræ Unctionis, ait Tridentinum cap. 2. his præclaris verbis: *Res, & effectus hujus Sacramenti, gratia est Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta, si quæ sint expianda, ac peccati reliquias, abstergit.* Quapropter, sicut per Pœnitentiæ solvitur peccatorum reatus, ita per Sacram Unctionem diluuntur reliquiæ illæ peccatorum, seu infesta forundem recordatio, quæ angere, & cruciari solent hominem in extremis positum. Sic constat ex Trident. loc. citato dicente: *Unctio hæc ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, & morbi incommoda, ac labores, levius fert.* Sed quia pauca sunt, quæ de hoc Sacramento evocentur à Theologis in controversiam, Tractatum hunc unica Disputatione absolvam. Prius verò audias, quid dicat Florentinum de illo.

Quintum Sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus est; in oculis, propter visum, in auribus, propter auditum, in naribus, propter odoratum, in ore, propter gustum, & locutionem, in manibus, propter tactum, in pedibus, propter gressum, in renibus, propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus Sacramenti est hæc: Per istam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum &c. De hoc Sacramento inquit B. Jacobus Apost. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungen-*

Tqm. I.

Zzz

tes

*tes eum olea in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alle-
vabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

DISPUTATIO UNICA.

QUIDQUID AD SACRAMENTUM EXTREMÆ UNC- TIONIS ATTINET EXPLANANS.

Sacramentum hoc ab aliquibus Theologis pertractatur ultimo loco, si-
cut ultimo administrari solet hominibus. Cum verò à Conciliis, &
Patribus, quintum inter Sacramentorum seriem stabilietur, proprius
cum illis de illo hinc venit agendum. Angel. Doctor. cum Magistro in 4.
dist. 23. pertractat de hoc Sacramento: nam præventus morte, in Partibus
de Extrema Unctione non disputavit. Unde, quæ in 3. parte de illa in ad-
ditionibus & quæst. 29. usque ad 33. reperiuntur, doctrinæ D. Thomæ con-
sentanea erunt, non tamen inibi elaborata sunt ab ipso. Subtil. Doct. uni-
ca quæst. absolvit, quidquid de hoc Sacramento cum Magistro in 4. cit.
occurrit, quod & nos perstringemus per aliquas quæstiones unica hac Dis-
putatione.

QUÆSTIO I.

*Quid sit Extrema Unctio? & an sit
verum novæ legis Sacra-
mentum?*

Duplicem continet difficul-
tatem titulus quæstionis.
Ante illarum resolutionem, præmit-
tendum est, quòd Extrema Unctio
in præsentis dicitur, & nominatur ta-
lis, tam à materia ejus proxima,
quæ est unctio cum oleo, quàm à
subjecto, quod est corpus hominis
infirmi, non utcumque, sed exis-
tentis in extremo termino vitæ. Un-
de extrema vocatur, ut distinguatur
ab aliis, quibus Sacramentaliter un-
gitur Viator, ut in Baptismo, Con-
firmatione, Ordine, & Episcopatu.
Quando enim homo baptizatur, un-
gitur in vertice: quando confirma-
tur, ungitur in fronte: quando effi-
citur Sacerdos, ungitur in manibus:

quando consecratur Episcopus, ungi-
tur in capite, & in manibus: &
tandem in extremis constitutus, un-
gitur in pluribus partibus, nempe,
in organis, quibus anima peccatis in-
fici potest. Propterea unctio hæc, &
oleum, pluribus appellatum est no-
minibus: nam olim dicebatur *oleum*,
& *unctio infirmorum*, apud veteres.
Apud Græcos, *oleum sanctum*, seu
oratio juncta cum oleo. Apud alios,
Sacramentum exeuntium, seu *morien-
tium*. Apud Florentinum, Tridenti-
num, & jam frequenter apud om-
nes Catholicos, *Sacramentum Ex-
tremæ Unctionis* nominatur. His sci-
tis, & resolvendo primam quæst.
partem.

2 Dico I. *Extrema Unctio est
unctio hominis infirmi poenitentis facta
in determinatis partibus corporis
cum oleo consecrato ab Episcopo, mi-
nistrata à Sacerdote, simul verba
certa cum intentione debita proferen-
te, ex institutione divina efficaciter*

sig-

*significans curationem finalem venia-
lium. Sic ad litteram Subt. Doct. 4.
dist. 23. quæst. unica, in qua subs-
tantialiter conveniunt omnes Theolo-
gi. In hac definitione Scotus, tam
essentiam physicam, quàm metaphy-
sicam Extremæ Unctionis, compre-
hendit, ac ejus singulas particulas
explicat latè. Ponitur unctio pro ge-
nere, in quo convenit cum aliis un-
ctionibus, sive sacræ, sive non sa-
cræ, quæ habent rationem signi sen-
sibilis. Dicitur hominis infirmi pro
differentia, & denotatur, ministran-
dam non esse homini sano, nec quo-
modocumque infirmo, sed illi tan-
tùm, cujus mors imminens proba-
biliter, & prudenter timetur. Ly ho-
minis poenitentis denotat, requirere
statum gratiæ per poenitentiam ac-
quisitæ: & ideò, qui poenitentia
sunt incapaces, sunt etiam hujus
unctionis. Ponitur in determinatis par-
tibus corporis, per quod denotatur,
infirmum esse ungendum in organis,
quibus anima peccatis inficitur: ut
ipsis, ad malum pronis, & quasi
vulneratis per originale peccatum,
curatis, peccatorumque reliquiis ab-
latis, animam ad amplius peccandum
non excitent. De hoc amplius, dum
de effectibus Extremæ Unctionis trac-
temus. Additur, cum oleo consecrato
ab Episcopo, ministrata à Sacerdote,
simul verba certa proferente, cum
debita intentione, per quæ denotatur;
tum, in hac unctioe balsamum non
requiri, sicut in Confirmatione: tum,
non posse conferri quocumque oleo,
sed ab Episcopo benedicto: tum, so-
lùm Sacerdotem, & non alium, es-
se ejus Ministrum: tum; requiri
formam, & illius simultatem cum
unctione: tum denique, Ministrum
intentionem debere habere, juxta
dicta Tract. de Sacram. Hæcque
explicata est Extrema Unctio quoad
esse physicum: per reliqua verba,
nempe, ex institutione divina effica-
citer significans curationem finalem
venialium, definitur quantum ad esse
metaphysicum.*

Tom. I.

3 Ex his certissimè constat, Ex-
tremam Unctionem, sicut & cætera
Sacramenta, duplicem habere defi-
nitionem, nempe, physicam, & me-
taphysicam. Physica, quæ explicat
Extremam Unctionem per materiam,
& formam, seu per res, quibus in-
tegratur, & constat, sic se habet:
*Est unctio cum oleo olivarum ab Epis-
copo benedicto, facta à Sacerdote su-
per infirmum cum deprecatione sub
prescripta verborum forma.* Meta-
physica, quæ illam exprimit per ge-
nus, & differentiam: *Est unctio,
seu signum sensibile ex institutione
divina causativum gratiæ remissivæ
peccatorum, quæ per Poenitentia Sac-
ramentum remissa non sunt, & de-
lativa reliquiarum ex peccatis remis-
sis venialium.* Utraque definitio est
communis, & univoca in unum cum
supra assignata ex Subt. Doct. Sed
quia particule definitionis metaphy-
sice adhuc indigent ad illius intelli-
gentiam explicatione, hoc commo-
dius, & clarissimè fiet, dum assign-
nentur effectus Extremæ Unctionis.
Et hæc de 1. q. part. Pro resolutione
2. partis.

4 Dico II. *Extrema Unctio est
verum novæ legis Sacramentum.* Est
de fide contra Calvinistas, & Lu-
theranos, protervientes solùm esse
cæremoniam, aut figmentum Eccle-
siæ. Vide Tract. de Sacram. Disp. 1.
quæst. 5. *Quot, & quæ sint novæ le-
gis Sacramenta?* In qua invenies quid-
quid, ultra hinc breviter dicenda, de-
sideres. Hæc Catholica veritas constat
1. ex perpetua Ecclesiæ, & SS.
Patrum traditione, ut firmant Hie-
ronymus, Augustinus, & alii una-
nimiter. Constat 2. ex Conciliis, &
præsertim ex Florentino, cujus defi-
nitio tradita est initio hujus Tracta-
tus: & ex Tridentino, in quo Sess.
14. cap. 1. de Extrema Unct. definitur,
hoc Sacramentum insinuatum
esse à D. Marco cap. 6. per illa ver-
ba: *& ungebant oleo multos ægros,
& sanabant, promulgatumque à D.
Jacobò Epist. sua Canonica cap. 5.*

Zzz 2

di-

dicente: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyterus Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Et ut omnino Hæreticorum ora claudat Concilium, Can. 1. de Extrema Unctione sic definit: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum: anathema sit.* Constat 3. ex definitionibus supra assignatis Extremæ Unctionis, in quibus adsunt omnes conditiones verè Sacramenti, ut per illas discernendo parebit. Constat denique, & clarissimè ex nostro Subt. Doct. loc. jam cit. §. *Sit ergo 1. Conclusio.*

5 Dico III. *Extrema Unctio verè, & immediatè instituta est à Christo Domino.* Hæc Conclusio putatur dogma Catholicum à plerisque, eò quòd putent, Tridentinum per illud suum decretum: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legi non fuisse omnia à Christo instituta: anathema sit,* definisse, tamquam fidei dogma, omnia Sacramenta immediatè fuisse à Christo instituta. Verùm quid in hoc puncto sentiendum sit, videndum est diffusè, ac clarè, Tractat. de Sacram. Disp. 2. quæst. 2. ubi inquiritur: *An Christus Dominus immediatè instituerit omnia Sacramenta novæ legi?* Et in fine illius quæstionis num. 124. sub titulo: *Dubium subtile,* resolvitur, quænam sit Tridentini intentio in præfato decreto suo. Nec judico, ampliùs hîc esse immotandum, sed ibi relinquo videndum. Ex quibus consequenter dicendum est, quòd quamvis resolutio præsens sit verissima, non tamen, ut plurimi Scotistæ, & Extranei affirmant, est Catholicum dogma. Est enim de fide Christum omnia Sacramenta instituisse: non verò

est ita de fide, illa omnia instituisse immediatè, ut in de Sacram. loc. cit. constat apertè, tam ratione, quàm autoritate. Probatum jam resolutio 1. ex dictis de Sacram. in genere Disp. ac quæst. supra memorata: nam eadem est ratio de hoc Sacramento, ac de aliis. 2. ex Subt. Doct. dicente: *Hoc Sacramentum fuisse institutum à Christo: Jacobus autem non erat, nisi promulgator, ac Præco &c.*

6 Arg. 1. contra 2. Conclusionem: Potissima ratio asserendi, Extremam Unctionem esse Sacramentum, petitur ex verbis D. Jacobi; sed hæc ratio non valet: ergo. Prob. min. Tum; quia Hæretici Epistolam Jacobi non agnoscunt, tamquam librum Canonicum. Et quòd plus est, Hieronymus, & Eusebius Cæsariensis dicunt, veteres non existimasse hanc Epistolam à D. Jacobo scriptam: ergo non est Canonica., & consequenter &c. Tum: quia Unctio, de qua Jacobus loquitur, non erat Sacramentalis, sed medicinalis: nam erat similis illi, de qua Marcus loquitur dicens: *quòd Apostoli ungebant multos oleo, & sanabant eos.* Unde ipse Jacobus de ista unctioe dicit, *quòd oratio fidei alleviabit infirmum:* ergo utraque unctio erat medicinalis, corporibus magis, quàm animabus deserviens: ergo neutra est Sacramentalis. Tum; quia unctio hæc datur per modum orationis, & ejus efficacia pendet à fide Ministri, ut patet ex verbis D. Jacobi; sed vera Sacramenta non dantur per modum orationis, nec eorum efficacia à Ministri fide pendet: ergo. Denique, Dionisius in sua Hierarchia Ecclesiastica, & Clemens Romanus in Const. Apost. omnia Ecclesiæ mysteria ex professò tractant; sed hanc unctionem omittunt: ergo quia illis Ecclesiæ sæculis non censebatur Sacramentum: ergo numquam fuit, nec modò est.

7 Respondeo 1. rationem potissimam sumi ex Conciliis Florentino,

no. & Tridentino, nobis declarantibus, & infallibiliter definitibus, Extremam Unctionem unum esse ex septem Ecclesiæ Sacramentis à Christo institutis, verbaque Jacobi illud promulgantis de vero Sacramento intelligenda esse. Ex quibus neganda est major in sensu intento ab Hæreticis. Respondeo 2. negando minorem. Ad illius 1. probationem dico, Epistolam Jacobi ab omni ævo receptam esse ab Ecclesia, tamquam Canonicam, ut constat ex Florentino, Tridentino, & communi Calculo SS. Patrum. Nec probatio ex Hieronymo, & Eusebio assumpta aliquid convincit; quia multa ab illis non agnoscuntur infallibilia, & Canonica, quæ tamen temporis proposita sunt, ut talia. Patet hoc de Epist. Pauli ad Heb. de 2. Retri, de Apocalipsi, aliisque libris sacris, quos, id exigente necessitate, Tridentinum Canonicos definit, ut in Proleg. Sac. Script. demonstrationem feci. Neganda est ergo consequentia, utpote falsissima. Ad 2. probationem nego ant. Itaque in unctioe, de qua loquitur Marcus, insinuatum est hoc Sacramentum, ut docet Trident. supra num. 4. adductum, expressumque, ac promulgatum à Jacobo. Unde consequentia deducta sunt falsa. Loquitur itaque Jacobus expressè, & primariò de peccatorum remissione, & salute spirituali animæ, quæ in gratia consistit, & quæ mediante, anima vires accipit ad dolores corporis tolerandos, & inde corpus non parum alleviatur. De hoc postea redibit sermo. Ad 3. nego maj. quoad 2. partem, & dist. min. quoad 1. Vera Sacramenta &c. si ita non sint instituta, concedo: si sint, ut hoc Sacramentum est, nego min. & consequ. Sacramenta conferri debent eo modo, quo instituta sunt à Domino: & istud institutum est, ut conferratur deprecatoriè, & in fide, non quidem particulariter Ministri, sed Ecclesiæ. Unde dum dicitur: *Oratio*

fidei &c. intelligitur deprecatoriè in fide Ecclesiæ. Ad ultimum nego maj. nam ut D. Thomas in suplem. quæst. 29. art. 1. ad 3. inquit, talis mentio illis non erat ad propositum, cum non intendant determinare de Sacramentis, nisi quatenus innotesceret per ea Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinata dispositio, quantum ad actiones Ministrorum, & recipientis. Unde nihil etiam dixerunt de Matrimonio, quin ex hoc inferri possit, non esse verum Sacramentum. Non enim omnes omnia dixerunt. Ex quo nego utramque conseq.

8 Adversus 3. resolutionem nihil difficultatis occurrit, quòd solum non sit Tract. de Sacram. in gen. disp. 2. quæst. 2. cit. n. 6. & quòd per sequentem doctrinam solvi non possit. Itaque licet plures antiqui, ac gravissimi Theologi asseruerint, Extremam Unctionem (& etiam Confirmationem) non fuisse à Christo Domino immediatè institutam, sed tantum ab Apostolis, sive ex Christi communicata potestate, sive ex Spiritus Sancti instinctu, & commissione, ut fuerunt Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. part. 15. cap. 1. quem secutus est Magister Sent. 4. dist. 32. Seraph. Doct. in 4. part. 1. quæst. 2. & alii plures; hoc tamen, & præsertim post Florentinum, & Tridentinum, accipiendum non est de prima illa institutione, qua lex aliqua potestate legitima Legislatoris conditur, sed de promulgatione legis tantum. Et dum inter Apostolos, Jacobus dicitur Sacramenti Extremæ Unctionis promulgator, & Præco, non est, magis videri, quia ceteri Apostoli illud non prædicaverint; sed quia Jacobus fuit primus, qui scripto posteritati tradidit, & promulgavit hoc Sacramentum, quòd ab aliis viva voce dumtaxat fuerat promulgatum. Hoc sensu dici potest Jacobus hujus Sacramenti aliquomodo institutor, eò quòd lege scripta in sua epistola fuit promulgatum: modo quo plura, quæ jam in Ecclesia constabant

bant usu, & traditione, dicuntur postea instituta, ab aliquo Pontifice, quia lege scripta, seu decreto particulari promulgata sunt ab ipsis. Sic dicitur institutum ab Alexandro, ut tantummodo panis, & vinum, aqua mixtum, in mysterio offerretur: & Victore, ut Pascha in die dominico celebraretur; & alia ab aliis, quæ partim divinæ, partim Apostolicæ sunt institutionis. Sic pariter in presenti.

9 Inquires: *Quando Sacramentum hoc institutum fuerit à Domino?* Sunt, qui sentiant, institutum fuisse tempore, quo Marcus 6. de Discipulis dicit, *quod ungebant oleo multos egrotos, & sanabant.* Ex quo loco dicit Tridentinum, Extremam Unctionem insinuatam esse à Divo Marco. Alii volunt institutum fuisse nocte Cœnæ, in qua Apostolos instruxit de materia, forma, & modo illud conferendi, sicut dictum manet suo loco de Sacramento Confirmationis, & de quo stat ibi egregium testimonium D. Fabiani Papæ. Alii opinantur, post Christi Resurrectionem institutum fuisse ab ipso Domino. Prima opinio non videtur firmo niti fundamento. Tum; quia illa unctio non erat Sacramentalis, cum non ordinaretur tam ad salutem animæ, quam corporis: fiebatque ab Apostolis, antequam essent Sacerdotes. Et insuper indiscriminatim conferebatur infirmis omnibus, tam baptizatis, & fidelibus, quam non baptizatis, & infidelibus. Unde hæc unctio, de qua loquitur Marcus, quasi primario ordinabatur ad infideles, ut visis miraculis; quæ fiebant per illam, ut erant sanitas corporum, & demonum ab Energumenis expulsio, facilius ad fidem pellerentur: *signa enim sunt, non fidelibus, sed infidelibus*, ex 1. Cor. 14. Unctio autem Sacramentalis, qualis est Jacobi, primario est in animarum salutem, & peccatorum remissionem: ipso dicente: *& si in peccatis sit, remittuntur ei.* Tum; quia Tridentinum, in cujus

verbis hæc fundatur opinio, dicit, hoc Sacramentum insinuatam esse apud Marcum, non vult, tunc fuisse institutum, sed dumtaxat fuisse adumbratum, & figuratum: modo quo Baptismus Christi adumbratus fuit in Baptismo Joannis; quia hic illius figura, & umbra fuit. 2. Opinio fundatur in eo, quod omnia Sacramenta, quorum institutionis ante, vel post Cœnam, in Scriptura non fit expressa mentio, & temporis assignatio, instituta ibi sunt dicenda, & Apostoli instructi à Domino in modo conficiendi, & ministrandi illa. Hoc non obstat.

10 *Sentiendum* puto: *Sacramentum Extremæ Unctionis institutum fuisse à Domino post suam mirabilem Resurrectionem.* Prob. juxta Concilia Florent. & Trident. Sacramentum hoc est consummativum, & completivum Sacramenti Pœnitentiæ, atque ejus effectum supponit, quantum ad remissionem peccati mortalis: ergo per prius debebat institui Sacramentum Pœnitentiæ. Nunc sic: sed Pœnitentiæ Sacramentum institutum fuit post Christi Resurrectionem: ergo. Prob. minor. sub. Pœnitentiæ Sacramentum institutum est, dum Christus Apostolis contulit plenariam potestatem remittendi peccata; sed hæc potestatem illis contulit post suam Resurrectionem, nempe, quando illis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ergo cum Extremæ Unctio supponat potestatem plenam peccata remittendi &c. Et advertet, quod Apostoli nullam expressam mentionem fecerunt institutionis hujus Sacramenti, nec pariter Evangelium, eo quod nec ad necessitatem salutis, nec ad Ecclesiæ statum, & dispositionem spectat, sicut cætera Sacramenta: ob quod judicant, ad illius notitiam sufficere traditionem, sive scriptis, sive viva voce promulgatam, sicut sufficit ad alia plurima credenda. Constans est enim, Christum ore tenus Ecclesiæ suæ per Apos-

postolos plura præscripsisse, ut colligitur ex Actor. cap. 1. ubi legitur, Christum per quadraginta dies Discipulis apparuisse, & convescentem cum eis, de Regno Cœlorum locutum fuisse, eos instruentem, ac erudientem de omnibus pertinentibus ad rectam Ecclesiæ gubernationem. Unde hoc Sacramentum à Christo ore tenus fuit institutum, ab Apostolis prædicatum, & à Jacobo scripto consignatum, & promulgatum.

QUÆSTIO II.

De materia Sacramenti Extremæ Unctionis, & de omnibus pertinentibus ad illam.

11 **P**luries dictum manet, & est omnino certum, duplicem esse materiam Sacramentorum, in usu rei sensibilis consistentium. Una est *remota*, illa, nempe, quæ assumitur, ut signum sensibile gratiæ per Sacramentum conferendæ, ut in Baptismo aqua naturalis: alia est *proxima*, quæ consistit in usu, & applicatione materiæ remote, ut actualis ablutio in Baptismo. Materia remota Sacramenti Extremæ Unctionis, tam apud Theologos, quam apud Concil. Florent. & Trident. est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Hoc egregie explicat Catechismus Rom. num. 9. *de Extrema Unctione.* Proximam verò ex iisdem Conciliis, supra videndis, consistit in unctione, seu applicatione ipsius olei partibus quibusdam infirmi extremis periclitantis. Illas enumerans Florentinum, septem assignat, scilicet, *in oculis, propter visum: in auribus propter auditum: in naribus, propter odoratum: in ore propter gustum: in manibus propter tactum: in pedibus, propter pressum: & in renibus, propter delectationem ibi vigentem.* At verò cum in aliquibus organis sensuum gemineatur unctiones, scilicet, in oculis, auribus,

manibus, & pedibus, inde fit, undecim unctiones frequenter adhiberi. Hæc autem geminatio, ait Scotus, & cum illo plurimi, non est de necessitate Sacramenti. Ex his plures insurgunt difficultates, quæ resolvendæ sunt sigillatim.

12 *Resolutio I. Materia remota Sacramenti Extremæ Unctionis est oleum olivarum ab Episcopo benedictum.* Est communis inter Theologos quoad utramque partem. Prob. quoad 1. ex verbis D. Jacobi: *Ungentes eum oleo &c.* quæ intelligi debent de oleo simpliciter tali, quale solum est oleum olivarum: atque ita intelligi constat ex constanti Ecclesiæ traditione, ac Conciliorum Florentini, & Tridentini definitione. Ratio à priori alia aptior assignari non potest, quam Christi Domini voluntas, & institutio, quæ nobis innotescit per sententiam, & Ecclesiæ definitionem, numquam immutatam. A posteriori verò ex convenientia, & analogia olei cum effectibus Extremæ Unctionis colligitur satis eruditè à Theophylacto cap. 6. in Marcum, exprimiturque in Catechism. Rom. *de Extrema Unctione*, num. 9. Hic sufficit, quod oleum dolores mitigat, ægritudinem lenit, claritatem confert, robur conciliat membris, formentum est luminis, designatque in Scriptura lætitiæ, ac pinguedinem. Prob. jam quoad secundam partem ex Conciliis supra laudatis, in quibus id decernitur expressè. Idem docuerat Innocentius III. Epist. ad Decentium: & V. Bedæ in cap. 6. Marci docet, ex traditione Apostolica derivari. Eandem firmat doctrinam Seraph. Doct. dist. 23. artic. 1. quæst. 3. & Subt. dist. 23. quæst. unica, num. 5.

13 Arg. adversus primam partem: Ea est sufficiens materia hujus Sacramenti, quam Jacobus, illius promulgator, designat, ac exprimit; sed Jacobus non expressit oleum olivarum, cum solum dixerit: *Ungentes oleo*: ergo quodlibet oleum, cum quo

quo possit ungi, erit materia sufficiens: ergo licet oleum olivarum sit de necessitate præcepti, non verò de necessitate Sacramenti. Respondeo negando minor. & consequentiam utramque. Jacobus namque satis expressit, quodnam deberet esse oleum, nempe, *oleum simpliciter dictum tale*, quod ex vi vocis, & ex communi modo loquendi solum significat oleum ex olivis expressum. Modo quo, dum dicitur panis, & vinum materia Eucharistiæ, ex vi communis significationis, & locutionis intelligitur panis triticeus, & vinum vitis: & dum aqua dicitur materia Baptismi, intelligitur aqua naturalis, & elementaris. Præterea: quamvis Jacobus oleum olivarum pro materia expressit non designaverit, sufficit, ut de illo intelligatur, quod Ecclesia sic doceat, & constet ex Apostolica traditione.

14 Arg. adversus secundam partem: S. Jacobus non dicit: *ungentes eum oleo benedicto*, sed tantum, *ungentes oleo*: ergo sufficiens, & essentialis materia hujus Sacramenti erit oleum simplex, & naturale. Prob. consequentiam: Eo modo ratiocinandum est de hujus Sacramenti materia, ac de materia Baptismi; sed quia Scriptura solum significat ad Baptismum requiri aquam, nulla mentione facta benedictionis illius, colligitur; aquam naturalem, etiam non benedictam, esse Baptismi materiam: ergo pariter. Respondeo negand. consequ. major. probat. & paritatem. Itaque in Scriptura non traditur expressè materia distincta omnium Sacramentorum, sed ex traditione Apostolica, & Ecclesiæ praxi colligitur, ut in Confirmatione, Ordine, & Matrimonio, & sufficit, quod ita colligatur. Nec tenet paritas de materia Baptismi, propter duplicem rationem, quam Subt. Doct. num. 5. adducit. 1. est; quia cum Baptismus sit Sacramentum simpliciter necessarium, convenientissimum fuit, illius materiam communem esse, & obviam,

ne propter defectum benedictionis quæ plurimi infantes sine Baptismo decederent. At verò Extrema Unctio non est sic necessaria: atque ad eo conveniens fuit, ut ad reverentiam, decorem, & aptiorem significationem hujus Sacramenti, illius materia esset benedicta. 2. ratio ex Doct. est: quia naturalis aqua dedicata fuit specialiter à Christo ad Baptismi effectum, per contactum suæ mundissimæ carnis, dum fuit baptizatus: quæ ratio non militat in oleo.

15 Resolutio II. *Benedictio olei ab Episcopo non est adeo necessaria, quod committi non possit simplici Presbytero à Sum. Pontifice, vel ab Episcopo.* Oppositum defendunt aliqui, & ex nostris Villalobos, & Delgadillo, existimantes, necessarium esse necessitate Sacramenti, oleum ab Episcopo accipere benedictionem. Sed æquivocantur meo videri. Probatur resolutio ex antiquissima Ecclesiæ Græcæ consuetudine, in qua simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi oleum infirmorum benedicunt. Hanc consuetudinem approbavit Clemens VIII. in instructione de ritibus Græcorum ad Episcopos Latinos directæ, cujus titulus est: *Circa oleum Sanctum Catechumenorum, & infirmorum, & habetur tom. 3. Bullarii, quæ sic se habet: Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter chrisma, ab Episcopis Latinis Diæcesanis accipere; cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur: ergo juxta Summi Pontificis determinationem, non sunt cogendi Presbyteri Græci, ut oleum accipiant ab Episcopo benedictum, cum ex veteri Ecclesiæ Orientalis consuetudine, ex Episcopi commissione, illam universalis Ecclesiæ Pastore approbante, Presbyteri possint oleum benedicere, & cum illo Sacramentum ministrare. Consequentia evidens apparet. Id est*

tiam confirmavit Benedict. XIV. an. 1742. Const. *Et si Pastoralis*. Nunc sic: sed temerarium videtur dicere, illa Sacramenta esse nulla ex defectu debitæ materiæ, idque mone-re, & approbare Summum Pontificem: ergo Episcopum benedicere oleum Extremæ Unctionis non est necessarium necessitate Sacramenti: ergo ex commissione prædicta, benedictio Presbyteri erit sufficiens, & consequenter &c.

16 Sed advertendum venit, quod ait Arcudius, in ritibus Græcis peritissimus, lib. 5. cap. 2. Inquit enim, quod chrisma apud Græcos solus conficit Episcopus, & diu asservatur: oleum verò infirmorum tunc temporis benedicunt, quando infirmus est unguendus. Ut etiam benedicunt aqua, & oleum Catechumenorum, illud, scilicet, quo baptizati deliniuntur, quando quis apud Græcos baptizatur. Dicit etiam laudatus Arcudius, quod quamvis Episcopi, Romano Pontifice approbante, hujus olei benedictionem Presbyteris commiserint, proptereaque apud illos hoc oleum non asservetur: tamen Græcorum Episcopi non se privant hac sua ordinaria jurisdictione: ideoque semel in anno, more Episcoporum Latinorum, feria quinta in Cæna Domini, solemani apparatu, & pompa, sacro peracto, illud consecrant. Oleum istud absdubio deserviet præ infirmis, assumptibus illud Presbyteris, non obstante illorum facultate ex prædicta commissione.

17 Arguunt Adversarii: Oleum Extremæ Unctionis debere esse ab Episcopo benedictum, dogmaticè definitur in Florentino, Decreto Eugenii IV. & in Trident. Sess. 14. de *Extrema Unctione*, dum hujus Sacramenti materiam tradunt: ergo necessaria est necessitate Sacramenti, & non solum necessitate præcepti, Episcopalis benedictio. Deinde; quia sic fert antiquus Ecclesiæ usus. Denique à paritate de oleo Confirmationis, quod necessario ab Episcopo be-

Tom. I.

nedici debet. Sed facile respondetur ex doctrina à nobis tradita Tract. 3. de Confirmatione Disp. unic. quæst. 3. per totam, & præsertim Conclusionem 2. in qua statuitur, *quod chris-matis consecratio committi potest simplici Sacerdoti ab Apostolica Sede*. Ex quo ad 1. disting. anteced. debere esse ab Episcopo, tamquam ab ordinario consecrante, concedo: essentiali, nego antecedens, & consequentiam. Vide doctrinam traditam ibi, quæ hinc ad litteram venit. Ad 2. dico, quod sic fert antiquus usus Ecclesiæ Latinæ, sed non Ecclesiæ Græcæ, id. Ecclesia Romana approbante, & in approbatione hac Presbyteris facultatem concedente, mediis suis Episcopis, qui facultate Apostolica, hanc dumtaxat faciunt delegationem. Unde paritas ex Confirmatione desumpta ab opposito est intelligenda. Confirmari potest urgenter nostra resolutio ex dictis de *Ministro Confirmationis* præc. Tractat. quæst. 5. in qua statuitur Conc. 3. quod simplex Sacerdos ex dispensatione, seu extraordinaria facultate potest esse Minister Confirmationis, quamvis de fide sit, & ex Christi voluntate, juxta Conciliorum definitiones, solum Episcopum esse ordinarium Ministrum talis Sacramenti. Vide ibi.

18 Resolutio III. *Materia proxima Extremæ Unctionis, seu numerus unctionum, debet esse septuplex.* Constat expressè ex Concilio Florentino, ubi septem sensuum unctioes assignantur, ut videri est in ipso in fronte hujus Tractatus, & supra num. 11. in quo ordinate referuntur. Hunc ordinem præmiserat Seraph. Doct. dist. 23. art. 2. quæst. 3. Et Catechismus Rom. num. 21. ait, quod universalis Ecclesia retinet hunc ritum unguendi, atque hujus Sacramenti naturæ optimè convenire, eò quod confertur, instar medicamento. Et quamvis universum corpus morbis sit affectum, tamen illis tantum partibus, & sufficienter adhibetur, à quibus, tam-

Aaaa

quam

quam à fonte, & origine emanat morbus. Cæterum est, in Ecclesia frequentior sit hic unctio usus, non est adeo necessarius, nec semper conveniens, quod non possit, & debeat immutari, ipsa Ecclesia permittente, & aliquando ordinante. Quare:

19 Resolutio IV. *Septuplex prædicta unctio non est necessaria necessitate Sacramenti; nam una sufficit in casu necessitatis: & si ex aliqua sequatur indecentia, omittenda est illa, ex qua sequeretur.* Demonstratur prima pars: Tum; quia Ecclesia non reprobatur ritum Græcorum, qui, ut refert Arcudius cap. 7. non observant septuplam illam unctioem in Sacramento Extremæ Unctionis conferendo, sed caput, pedes, manus, & pedes, dumtaxat unguunt. Nunc sic: sed si illæ septem unctioes necessarias essent necessitate Sacramenti, Ecclesia, morem Græcorum improbare; aliàs permitteret, Sacramentum hoc inter Græcos, nullum, & irritum esse, quod dicendum non est, ergo. Tum; quia tota Lovadiensis Universitas, unâ cum Archiepiscopo, anno 1588. probavit Pastoralis Mecliniense, can. 9. & Passaviense can. 2. in quibus de Sacramento Extremæ Unctionis dicitur, quod in morbis contagiosis, ac peste grassante, unica sufficit unctio in organo sensuum magis obvio, dicendo: *per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum; auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum:* ergo. Tum; quia ut Albertus Magnus observat in 4. dist. 23. artic. 16. in quibusdam Ecclesijs, Latinis familiare adhuc est ungeri tantum extremitates, ut os, nares, oculos, & aures: atque in alijs, Ecclesijs, præter hæc, unguuntur etiam scapulae, pedes, & manus: ergo signum est evidens, necessarias non esse necessitate Sacramenti illas septem unctioes. Tum denique: quia posita una unctio cum for-

ma sibi correspondente, verificatur, quod homo est Sacramentaliter totaliter unctus; sed ad hujus Sacramenti valorem hoc sufficit: ergo. Maj. patet à paritate Sacramenti Baptismi, in quo, una parte corporis lota, verificatur, quod homo totaliter manet baptizatus. 2. resolutionis pars, nempe, quod si ex alicujus partis, unctio sequatur indecentia, prætermitti debet illa unctio, constat ex Rituali Romano, autoritate Pauli V. approbato, in quo statuitur, quod, prætermittatur unctio renum in foeminis, propter honestatem, ut defecto remittitur communitate.

20 Arg. Concilium Florentinum dogmaticè tradens doctrinam hujus Sacramenti, absolutè docet, septem unctioes esse adhibendas, easque sigillatim enumerat: ergo omnes sunt de necessitate hujus Sacramenti, vel nulla determinatè spectat ad ejus valorem. Hoc est fundamentum Falsi, ad affirmandum septem unctioes necessarias esse necessitate Sacramenti hujus, quod etiam videntur sensisse D. Bonavent. Ricardus, & Durandus. Qui contendunt, quinque sensuum necessitate Sacramenti esse ungerendos, ut Bellarminus, Valentia, Scotus, & alii, hoc argumento numerari septenariam unctioem ex Concilio uti non possunt, sed ex eo, quod organa quinque sensuum sint viae, & portæ, per quas peccata contrahuntur, ad quæ organa curanda institutum est hoc Sacramentum. Sed omnibus illis.

21 Respondeo, negando consequentiam: tam de septem, quam de quinque unctioibus, necessitate Sacramenti. Nec Concilium omnes illas requirit ad valorem Sacramenti, cum juxta dicta supra num. 18. & præsertim num. 19. in aliquibus Provincijs solum quinque sint in usu, in alijs pauciores, & in alijs plures. Insuper universaliter ex præscriptis Ecclesijs, & propter honestatem, omittitur unctio renum, in foeminis.

præsertim. Quomodo ergo omnes septem erunt de necessitate Sacramenti? Florentinum utique illas septem enumerat unctioes, & partes, ut jam usitatas, & in Ecclesia magis frequentes; non verò ut necessariis, & simpliciter ad naturam Sacramenti spectantes. Patet ex eo, quod etiam renes enumerat Concilium, qui tamen ex communi sensu non necessarii inunguntur. Quia potius Serarius Opusc. de Extrema Unctione, cap. 9. affirmat, quod quædam formulæ, ut Ambrosiana, Veneta, & donnullæ aliæ, partium aliquarum sigillatim non meminerint. Unde videtur satis probabile, quod etsi nullus sensus exprimeretur expressè, adhuc esset sufficiens ad valorem Sacramenti: quia adhuc per verba in eis contenta significatur remissio peccatorum per sensus commissorum, quæ est totus hujus Sacramenti effectus. Aliæ Sacramenta sub formulis Ambrosiana, & Veneta ministrata fuissent nulla, & irrita, quod dicendum non est, cum permissæ fuerint, aut sint ab Ecclesia Romana.

22 Ex hucusque dictis infertur 1. hoc Sacramentum esse unum, non quidem unitate indivisibilitatis, sed integritatis, ut Scotus innuit dist. 23. §. Ad primum. Patet à simili de Sacramento Eucharistiæ, in quo, etsi sint duæ species, nempe, panis, & vini, in qualibet tamen salvatur essentia Eucharistiæ, quin utraque ad illius essentiam spectet, sed solum ad ejus integritatem. Pariter in Sacramento Ordinis, quod integratur, & perficitur in Sacerdotio: Subdiaconatu, Diaconatu, & ipso Sacerdotio, quorum quodlibet est verum Sacramentum Ordinis, integrantibus illud. Infertur, & colligitur 2. septem unctioes à Florentino enumeratas, nec necessitate integritatis Sacramenti esse necessarias, imò nec necessitate præcepti, cum foeminae integrum recipiant Extremæ Unctionis Sacramentum, & nec unguantur in

renibus, nec de hoc addit præceptum: quin potius in Rituali prohibetur, atque S. Carolus monet, ut ministraturas mulieribus renes non ungat. Unde nescio, qua ratione plurimi affirmant, omnes septem necessarias esse, ad minus necessitate integritatis Sacramenti.

23 Infertur 3. integritatem hujus Sacramenti aliam esse materialem, & aliam formalem, eodem modo fere, quo dicitur de Sacramento Poenitentiae. Integritas materialis in eo stat, quod tot fiant unctioes, quot sunt ab Ecclesia præscriptæ, & quæ ad minus sunt in Ecclesia Romana (illis locis exceptis in quibus minor numerus ab ipsa Ecclesia permittitur) in quinque sensibus, ac in pedibus. Formalis verò evenit, quando in casu necessitatis, & urgentiæ, unica, aut duplex tantum, potest adhiberi unctio. Tunc enim non esset Sacramentum integrum materialiter, esset tamen integrum formaliter, ac integer consequeretur effectus hujus Sacramenti. Purificatur in Sacramento Poenitentiae, in quo quamvis omnia peccata in numero, & specie confiteri integrè debeant, & hæc integritas, quæ dicitur materialis, ex divino præcepto constet: tamen in casu necessitatis sufficit unum tantum peccatum confiteri, & tunc concurrentibus alijs prærequisitis, integrum Poenitentiae Sacramentum recipit, integritate formali. Sed advertendum, quod tunc in illa unica unctioe debet fieri mentio in verbis formæ sensuum: scilicet: *per istam &c. indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum deliquisti.* Ratio est; quia forma debet significare sufficientem effectum, ad quem conferendum Sacramentum hoc est institutum, qui juxta omnes, est gratia, quæ remittantur peccata quaque sensuum, vel patrata, illis mediantibus. Denique infertur, unctioem pluralitatem non esse de necessitate Sacramenti: nec Jacobus illius Promulgator,

tor, aliud dicit, quam, ungentes oleo, ubi absolute non requirit, nisi unctionem; esse vero de necessitate precepti Ecclesiae: ideoque peccaret graviter, qui aliquam omitteret, extra casum necessitatis. Nunc pro Quaestione complemento.

24. Dub. 1. *An quis valide ungeret infirmum chrismate Confirmationis?* Respondeo affirmative. Probat. Chrism, materia Confirmationis, est oleum cum balsamo ab Episcopo benedictum, cujus materiae major pars est oleum: ergo tunc verificaretur, quod infirmus ungitur oleo ab Episcopo benedicto. Antecedens constat ex Tractat. *Sacram. Confirmationis*. Sed nihil aliud requiritur ad materiam Extremae Unctionis: nam illa balsami mixtura ad summum infert variationem accidentalem: ergo. Et nota, benedictionem praescriptam ab Ecclesia in Manuali solum esse necessariam necessitate precepti: ideoque, posita quacumque alia benedictione, invocatione Dei facta, verificatur, illud oleum esse ab Episcopo benedictum. Nota etiam, quod quamvis aliqui Doctores, praesertim Parisienses, teste P. Berti, asseruerint, non esse necessarium ad hujus Sacramenti valorem, oleum esse benedictum, cujus oppositum supra n. 22. docuimus, talis opinio sine gravi peccato praticari non potest. Unde qui oleo non sacro, & quidem infirmorum, quod balsamo non est mixtum, Unctionem Extremam conferret, graviter peccaret: quia in Sacramentis conferendis sequeretur probabilem opinionem, (permissio, quod talis sit) relicta tutiore, quod illicitum esse, constat ex propositione 1. ab Alexandro XI. proscripta. Quare, tam in Pontificali, quam in Rituali Romano, jure optimo praescribitur, ut oleum infirmorum distincta in ampulla ab illa, in qua est chrism, diligenter custodiat, ne cum illo oleo ungetur infirmus, quamvis certissime valide, juxta dicta, mi-

nistraretur Sacramentum. Unde, ut utente ad Extremam Unctionem, preceptum Ecclesiasticum frangeret: Si autem infra annum deficiat, priusquam totum absumatur, quantitate olei communis superinfusa, reparatur, ne unum oleum adhibeatur pro altero, & ne desit illud, quod est consecratum, & tunc totum manet consecratum, ut liquet ex Rescripto Innocentii III. ad Episcopum Nidrosensem cap. *Quod in dubiis*, de Cons. Eccles. lib. 3. Decretalium.

25. Dubium. H. *An adsit preceptum renovandi oleum per singulos annos: adeo ut ungeret infirmum cum oleo veteri, seu anni praeteriti, esset peccatum mortale?* Suppono, omnes Episcopos quotannis oleum de novo consecrare in Coena Domini, hancque esse Ecclesiae sacramentariam, & consuetudinem. An autem hoc cadat sub formali precepto? Est dubium. Henriquez lib. 3. cap. 8. Ledesma tom. 1. cap. 2. de Sacram. Extremae Unctio. Delgadillo de Extrem. Unct. dub. 4. negant, dicentes, de tali precepto non constare, nec ubi contineatur assignari. Per oppositum Diana 3. par. Tract. 4. cum aliquibus aliis dicit, mortaliter peccare Sacerdotem, qui infirmum unxit cum oleo veteri: solumque illo posse uti, necessitate instante, & novo deficiente. Ratio est: quia in Ecclesia est interrupta consuetudo renovandi oleum benedictum quotannis: ergo talis consuetudo jam in obligatoriam legem transiit.

26. At vero, cum non omnes Ecclesiae ritus cadant sub precepto formali: & aliunde, cum ad hoc ut consuetudo aliqua in obligatoriam legem transeat, requiratur inter alia plura, ut Tract. de Legib. docetur, quod introducta sit cum animo se obligandi: & insuper, cum licet ab Ecclesia disponatur, tanquam disciplina, & simplici ritu, quod fiat unctio cum oleo, illo anno benedicto, veteri combusto, non satis constet, in hac dispositione interveniat

formale preceptum: videtur sentienda, quod, secuso omni scandalo, secuso etiam prorsus contemptu Ecclesiasticae Ceremoniae benedicendi oleum in singulis annis, ac comburendi oleum anni praeteriti, non esse peccatum mortale: non renovare oleum, nec cum oleo anni praeteriti ungeri infirmum. Accedit, quod oleum semel benedictum non amittit benedictionem, nisi corrumpatur: oleum autem anni praeteriti in tam parva vetustate corrumpi non est existimandum. Et forte ad hoc vitandum viget Ecclesiasticus usus benedicendi novum.

QUESTIO III.

De forma Sacramenti Unctionis Extremae.

27. Postquam de materia, tam remota, quam proxima hujus Sacramenti est pertractatum, dissertationis ordo postulat, ut de forma, seu verbis, quibus perficitur, agere instituanus. In qua re dissident plurimum, & discrepant invicem placita Scholasticorum Theologorum. Difficultatis pondus sistit in resolvendo: an forma constans verbis deprecatoriis omnino sit de Sacramenti substantia, atque adeo forma indicativi modi nullatenus ad ejus valorem sufficiat? Formam hanc necessariam necessitate Sacramenti debere esse deprecatoriam, & per modum orationis, seu deprecationis, docuerunt D. Thomas hic, quae. 29. art. 8. dicens: *In hoc Sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in aliis Sacramentis*: Subtil. Doct. sic in terminis loquitur *Forma sufficiens, & necessaria hujus Sacramenti consistit in illis verbis, aut equivalentibus: per istam sanctam Unctionem, & piissimam misericordiam parcat tibi Deus quidquid deliquisti*. Idem docuerat D. Bonaventura in 4. dist. 23. art. 1. quae. 2. Hanc doctrinam frequenter defendunt

cum suis Magistris Thomista, & Scotista. Sententia ex diametro opposita, affirmans sufficere formam indicativam, fuit plurimum antiquorum Theologorum, quales sunt, Albertus Magnus, Paludanus, Richardus, Aestius, Becanus, & Navarrus. Eadem renovant assertionem plures illustres Theologi à P. Berti laudati cap. 6. de forma *Extremae Unctionis*, & qui in antiquioribus codicibus, & ritualibus inspectores accuratissimi, mirantur, venisse in mentem Scholasticorum, quod forma, verbis indicativi modi contexta, inepta prorsus, atque insufficientis sit ad Sacramentum, de quo agimus. Et addit, hos Auctores tantam copiam formarum absoluti, & indicativi modi produxisse, in Ritualibus ab ipsis pervolutis inventam, ut facile traxerint posteriores Theologos in suam sententiam. Fortè ob hoc illis subscripsit Frassenus nobis. Metum vero iudicium per sequentes assertiones declarabo.

28. Assertio 1. *Forma indubia, & omnino certa Extremae Unctionis haec est: Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam inducat tibi Deus quidquid deliquisti per visum. Amen.* Dum fit unctio in auribus dicitur: *quidquid deliquisti per auditum*, & sic de ceteris sensibus, illos expressè nominando; totam repetendo formam, quoties diverso organo applicatur unctio: non vero quando applicatur alteri organo ejusdem sensus. Quare sub una forma ungitur uterque oculus, & idem de utraque manu, utraque aure, utroque pede. Assertio censenda est de fide, & constat expressè ex Conciliis Florentino, & Tridentino, in quibus talis forma praescribitur, ut ex dictis apparet manifestum. Hanc deprecativam formam continua traditione, & praxi, semper usurpavit Ecclesia Latina exprimentque antiquissima ejus ritualia. Eadem substantialiter utitur Ecclesia Graeca: nam quamvis ejus forma in ali-

aliquibus vocibus à Latina discrepet, exprimitur pariter, per modum deprecationis, aut orationis. Veritatem hanc inficere nemo audeat, nisi Hæretici, qui inter cæteras ludificationes, ineptiasque, quibus hoc Sacramentum oppugnant, una est, quòd nulla verborum forma est adhibenda, cum nulla talis constet ex Sacra Historia. Sed cum contra illorum vesaniam stet Epist. Jacobi, in qua dicitur: *Et oratio fidei salvabit infirmum*, in quibus innuitur prædicta forma, ut docet Tridentinum: stet etiam declaratio Conciliorum, Divina, & Apostolica traditio, unanimis SS. PP. sensus, atque interrupta Ecclesie praxis, non est plus hic immorandum. Videnda verò sunt, quæ contra Hæreticos dicta manent, præsertim Tract. de Sacramentis in genere, loquendo de Sacramentorum formis.

29 Assertio II. Sacramentum Extreme Unctionis sub forma indicativa non conferretur validè. Est dicere: quod forma illius necessariò necessitate Sacramenti debet esse deprecatoria, aut per modum deprecationis, quin sufficiat forma modi indicativi. Est contra Theologos supra citatos, atque alios, etiam ex nostris, sequentes illos. Verum, meo videri, sine fundamento adeo gravi, ut P. Berti sentit, à sententia Angelici, & Subt. Doct. sunt aversi. Prob. assertio 1. ex verbis D. Jacobi, promulgatoris hujus Sacramenti, in sua Epist. Canon. cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Nunc sic: sed in his verbis satis declarat, quòd Presbyteri hoc Sacramentum conferentes orent super infirmum, seu quòd ungant illum orantes: nam dicit: *orent super eum, ungentes*: ergo cum forma hujus Sacramenti proferatur, quando infirmus ungitur, il-

la forma debet esse per modum orationis, & consequenter deprecativa: nam oratio necessariò fert secum modum deprecativum. Prob. 2. & quidem efficacissimè, ex eo, quòd Concilia ita semper intellexerunt, ita statuerunt, & hæc est perpetua praxis universæ Ecclesie, tam Latine, quam Græcæ: ergo signum est, quòd attinet ad hujus Sacramenti substantiam, illius formam esse deprecativam. Prob. 3. Forma deprecativa sufficiens est ad hujus Sacramenti valorem: ergo absoluta, seu indicativa non sufficit. Antecedens demonstratur ex dictis num. 28. Probo consequentiam: In nullo Sacramento sunt duæ formæ substantialiter diversæ, seu non æquivalentes quòdam sensum formalem; sed formæ indicativa, & deprecativa sunt tales: nam indicativa significat autoritativè, & deprecativa modum contrarium habet: ergo si forma deprecativa est sufficiens &c. Major constat ex sæpè dictis, & præsertim Tractatu de Confirmatione, quæst. 4. loquendo de illius forma, & de convenientia substantiali formæ Græcæ cum Latina, licet accidentaliter, & in vocibus differant; quæ doctrina hic est applicanda, ut omnino certa.

30 Arg. 1. Aliquæ Ecclesie. usæ sunt forma absoluta, & indicativa in hoc Sacramento conferendo; sed credendum non est, irritè, ac invalidè per plura sæcula hoc Sacramentum contulisse: ergo forma deprecativa necessaria non est necessitate Sacramenti. Prob. major. D. Ambrosius in sua Mediolanensi Ecclesia usus est hac forma: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, æreas possis superare potestates.* Et in Sacramentali, aut Rituali Venetiano, à Leone X. approbato, hæc similis forma continetur: *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus*

æreas catervas, in nomine Patris &c. Sed tales formæ, & aliæ plures ex aliis codicibus ab Authoribus congestæ, sunt absolutæ, & indicativæ: ergo. Hoc argumento, quasi convictus P. Berti prop. 2. asserit, sententiam de valore formæ absolute in Extrema Unctione magna probabilitate defendi, atque nulla censoria nota perstringi debere. Eadem ducti suat ratione ad idem formandum ex nostris Dupasquier, & Frasseus. Verum mihi hoc fundamentum non adeo est difficile solutionis, ut à doctrina D. Thomæ, Scoti, & communi sensu Ecclesie cogat recedere. Quia potius facile pluribus solvitur, & ruit.

31 Respondeo itaque ad negando major. Ad ejus probationem dico cum D. Thomæ in 4. dist. 28. quæst. 1. cum nostro Gonzalez in Summ. Morali, aliisque præstantissimis Theologis, formas in argumento relatas, nec approbatas fuisse, tamquam substantiales, sed tamquam preparatorias: nec illas Ecclesias illis illo tempore uti, nisi ut preparatoriis, & prævis ad formam debitam hujus Sacramenti. Hoc stante, argumentum totum nullius est momenti. Respond. 2. prædictas formulas Ecclesie Mediolanensis, & Venetæ in re, & substantialiter non fuisse indicativas, sed deprecatorias: nam intelligebantur modo optativo, & deprecatorio. Dum enim dicebatur: *ut more militis uncti*, (scilicet, ope, & beneficio Dei) *æreas possis superare potestates*, intelligebatur optativè, quasi diceretur: *Ungo te oleo sanctificato, optando, ut ope divina possis superare æreas potestates.* Verbum namque *valeas*, & *possis*, est deprecativum; & conjunctionem cum sequentibus: *in nomine Patris &c.* reddit formam deprecatoriam; quæ addit illi juyamen divinum, ut pote causam principalem, in cujus virtute infirmus illo oleo unctus speraret victoriam de suis hostibus, in illo agone certans cum infir-

mo pugnantibus. Hoc in sensu approbata (dato quòd ita sit) sunt, & non in alio, illæ formulæ. Ex quo negotium major. Nec est credendum, dicunt nobiles Theologi, Mediolanenses, & Venetos aliquando usos esse forma omnino indicativa, non addendo aliqua verba æquivalentia nostræ formæ deprecativæ. Dicit etiam potest, si dicta non satisfaciunt Adversariis, quòd si fiebat, sicut volunt ipsi, erraverunt illæ Ecclesie, cujus error debuit corrigi, ipsæque debuerunt Romanæ Ecclesie accommodari, ut nunc fit defacto, & præcipue post Florentinum. Potest itaque errare Ecclesia particularis, ut Ecclesia Carthaginensis temporibus sui Episcopi Agrippini, & D. Cipriani erravit, baptizando iterum illos, qui ab Hæreticis, & Schismaticis fuerant baptizati, de quo Tractatu de Sacramento, & de Baptismo dictum est satis.

32 Arg. 2. In aliis Sacramentis sufficit forma collata modo indicativo: ergo & in isto. Antecedens est indubium. Prob. consequentiam. Sicut ex illis Christi Domini verbis: *Baptizantes eos in nomine &c.* Ecclesia colligit illam formam Baptismi: *Ego te baptizo &c.* & ex illis: *quorum remiseritis peccata*, formam Sacramenti Poenitentiae: *Ego te absolvo*, quæ indicativæ sunt; ita ex istis Jacobi: *Ungentes eum oleo*, forma similiter indicativa colligi potest: ergo, Respondeo negando consequentiam, & paritatem de aliis Sacramentis, imò oppositum colligitur, quòd sic ostendo: in illis Sacramentis forma est indicativa; quia Ecclesia illam colligit ex memoratis Sacris Textibus, & ita proponit, & docet; sed ex textu Jacobi colligit ipsa Ecclesia, proponit, & docet in suis Conciliis, Florentino, & Tridentino præsertim, Extreme Unctionis formam esse deprecativam, illamque talem decernit: ergo hæc, & non alia erit hujus Sacramenti forma. Nec alius sensus Scripturæ habendus est, ut

certus, & infallibilis, nisi quem Ecclesia colligit, & docet. Non ergo est in potestate cujuslibet Doctoris pro suo velle Scripturam intelligere, si non sit juxta intelligentiam Ecclesiae. Ratio autem praecipua alia esse non potest, nisi voluntas Christi Domini ita volentis, determinantis, ac instituentis, ut constat ex Conciliis, & Ecclesiae praxi. Rationes congruentiae assignantur aliquae à D. Bonaventura, D. Thoma, & Scotto, locis jam laudatis, necnon Catech. Rom. n. 14. Nobis sufficiat assertionis probatio, quae fortior est, ac efficacior omnibus.

33 Ex dictis colliges 1. quod quamvis forma hujus Sacramenti deprecatoria sit, non sequitur: ergo non causat gratiam, sicut alia Sacramenta, ex opere operato, sed ex opere operantis, ut aliqui inferri volunt. Ratio est; quia per hanc precativam formam à Sacerdote (quantumvis in devoto) prolata, contulit illi Christus ex suis meritis, & institutione eandem efficaciam, & dignitatem, ac cæteris Sacramentis, sub formis indicativis prolatis. Semel enim, quod, ut Christi Minister Sacramentum conficiat debita intentione, salvatur substantialiter, quod confertur deprecatoriæ, seu oratione, & fide Ecclesiae, quod est de essentia hujus Sacramenti. Colliges 2. verba hæc: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* necessaria non esse, adhuc necessitate præcepti, cum nec in Conciliis Florentino, & Tridentino, nec in Rituali Romano memorentur: imò nec congruè accommodantur formæ modo deprecativo prolatae. At verò, si alicubi vigeat ex Ecclesiae permissu consuetudo, illi est standum. Colliges 3. Omnia verba in definitione assignata non esse de necessitate Sacramenti, sed solum hæc: *Per istam Unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, &c.* Sic enim habetur integer sensus substantialis formæ. Unde illa verba: *sanctam, & suam piissimam miseriam*

cordiam, solum sunt de necessitate præcepti, atque adeo graviter peccaret, qui illa omitteret, nisi in gravissima urgentia, & præcisione. Colliges 4. unctiones fieri ordine statuto in Rituali non esse de necessitate Sacramenti: at verò esset peccatum mortale illum invertere contra Ecclesiae consuetudinem, nisi turbatio, ac presura, qua plures in extremis hoc Sacramentum ministrari solet, excuset. Colliges denique: in casu urgentis necessitatis posse fieri unctiones in sensibus, adhuc sine forma crucis, organa sensuum tangendo cum oleo sancto illo.

34 Sed dubitabis: *An integra forma proferri debeat necessario in quolibet sensu? vel sufficiat sub una forma comprehendere illos?* Dubium dupliciter intelligi potest; vel unguendo omnes, & singulas partes sub unica forma: vel unguendo partem unicam, & solum in forma comprehendendo alias. V. g. Ungit solum oculos, & dicit: *per istam sanctam &c. indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, per auditum, per odoratum, per gustum, & loquelam, per tactum, deliquisti.* Jam elucidatum manet, septem unctiones à Florentino relatas non esse necessarias, nec ut tales illas referre, sed ut in aliquibus Ecclesiis frequentiores. Nec unctio in pedibus est universalis in Ecclesia. Potiori ratione unctio in renibus omittitur regulariter in viris, & propter decentiam omitti debet in foeminis. Vide dicta num. 19. & 22. Solum itaque unctiones in quatuor sensibus sunt necessariae ex præcepto, & universali Ecclesiae praxi.

35 Respondeo, in casu urgentis necessitatis sufficere proferre formam in duplici sensu memorato supra, Prob. utraque pars ex dictis num. 19. Sed advertendo, consultius esse sub unica forma omnes ungere sensuum partes, & ubi consuetudo fuerit etiam pedes, si tempus aliquod adfuerit, quamvis unctiones fiant cum acceleratione, & sine forma crucis. Sed

quid,

quid, si aliqua pars deficiat infirma, v. g. si oculi deficiant, aut manus. Dico cum communi Theologorum, quod si oculi, aut nares, deficiant, unctionem fieri debere in partibus correspondentibus illis: si manus, in partibus illis immediatioribus: at verò eademmet proferendo verba, ac si sensus illi non deficerent. Moneo tamen, quod dum tam circa materiam, quam circa formam hujus Sacramenti, adest sententia probabilis: an nempe: hæc, vel illa, sic, aut sic ministrata, aut proferta sufficiat, necne? Tunc ministratur Sacramentum sub conditione, ne exponatur periculo nullitatis, si opinio opposita illi, quam Minister sequitur, vera esset.

QUÆSTIO IV.

De Ministro legitimo Extreme Unctionis.

36 Conveniunt adversus quosdam Hereticos omnes Catholici, quod nomine Presbyteri, non intelliguntur hic etate seniores, sapientiores, aut in populo principales, sed qui verè sunt Sacerdotes. Conveniunt etiam in eo, quod hoc Sacramentum determinatum habet Ministrum, sicut habent cætera Sacramenta, Baptismo excepto, quod ex se nullum habet determinatum, ministrabile potest à quolibet, sive fidei, sive non fidei, sive homine, sive muliere in casu necessitatis. Hinc sequitur, quod præter debitam intentionem, quam Minister necessario debet habere, de qua plurimè dicta manent Tractatu de Sacram. debet etiam illud ministrare in statu gratiæ, propter rationem assignatam in aliis Sacramentorum Ministris. Hoc supposito, Thomas Waldensis lib. 2. de Sacram. scripsit, quod si necessitas urget, & Sacerdos deficit, etiam non Sacerdos potest hoc Sacramentum validè conferre. Hæc verò opinio hodie omnino est reprobanda. Quare:

Tom. I.

37 Conclusio I. *Solus Sacerdos est Minister sufficiens Sacramenti Extreme Unctionis.* Unde irritè, & invalidè ministraretur à non Sacerdote. Est de fide, & expressa in Trident. Sess. 14. de Extrema Unct. cap. 3. Can. 4. sic definiente: „ Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesie, quos „ B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum, hortatur, non „ esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed etate seniores in quavis „ Communitate, ob idque proprium Extreme Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, „ anathema sit. „ Hanc veritatem docuerat Subt. Doct. dicens: *Si alius quam Sacerdos hoc Sacramentum efficeret attentaret, nihil faceret, sicut si non Sacerdos attentaret conficere Eucharistiam.* Suadetur etiam ex constanti Ecclesie praxi, quæ administrationem hujus Sacramenti nunquam alteri, quam Sacerdoti commisit. Congruentia optima ratio esse potest, quod, cum juxta Tridentinum, Extrema Unctio completiva, ac consummativa sit Poenitentiae, non ab aliis ministrari potest, quam ab his, quibus Poenitentiae Sacramentum ministrari potest.

38 Conclusio II. *Non potest licite ministrari, nisi à proprio Parocho; vel de illius commissione; vel in casibus necessitatis.* Est communis apud Theologos quoad triplicem partem. Prob. quoad 1. & 2. ex praxi Ecclesiae, quæ ubique hoc ministerium reservat solis Parochis, seu animarum curam habentibus. Nomine Parochi veniunt etiam Episcopi, ac Prælati regulares quoad suos subditos, quorum est spiritualis Pastor. Hinc in Concilio Vienensi prohibetur Regularibus sub poena Excommunicationis ministrare Clericis, aut Laicis Sacramentum hoc sine licentia Episcopi, aut Parochi, & declaratur, hoc esse *ius Parochiale.* Eadem excommunicatio, Regularibus imposita, & Sedi Apostolicæ reservata, si ministrant, sine prædicta licentia.

Bbbb

cen-

entia, constat etiam ex *Clementis de Privilegiis* cap. 1. An autem Sacerdos secularis, sine Parochi licentia conferens Extremam Unctionem, etiam incurreret Excommunicationem impositam Religiosis? est aliqua controversia. Alii affirmant, alii negant. Judico, illam non incurrere; quia poenae sunt restringendae, & non fit mentio in illa excommunicatione, nisi de Sacerdotibus Religiosis: peccaret verò mortaliter; quia ageret contra determinationem Ecclesiae. Denique, in casu necessitatis, quae est tertia pars Conclusionis, quilibet Sacerdos potest licite Extremam Unctionem conferre. Et si Parochus talis esset, quod nec ipse vellet ministrare, nec alteri licentiam tribuere: tunc quilibet Sacerdos licite potest illam administrare: Tunc enim, vel à Papa, vel ab Episcopo licentiam praesumptam rationabiliter haberet.

39 Conclusio III. Parochus non tenetur per se hoc Sacramentum ministrare cum periculo vitae. Tempore, scilicet, pestis, vel si infirmus morbo aliquo contagioso laborat. Prob. Hoc Sacramentum non est simpliciter ad salutem necessarium, sed tantum ad esse melius, nempe, ut vel à morbo levètur, vel ut ad foelicem exitum à vita melius praepararet; sed ad hoc non desunt alia media sufficientia; & valde opportuna, ut sunt Poenitentia, & Eucharistia: & aliunde preceptum non adest de Extrema Unctione recipienda, ut dicitur infra, num. 52. ergo. Notanter dixi: non tenetur per se, sicut etiam dicitur, egrotum per se non teneri ad illud recipiendum. Potest enim infirmus per accidens teneri sub mortali Sacramento hoc recipere, ut si ex omissione ejus grave oriretur scandalum, vel haeresis suspitio, vel hujus Sacramenti contemptus; vel etiam, si dubitet infirmus de sua contritione, & non possit suscipere aliud Sacramentum, cujus ope ex attrito fiat contritus. Tunc enim, si egrotus sub

mortali tenetur Extremam Unctionem recipere, videtur omnino consequens, Parochum debere illi illam ministrare.

40 Conclusio IV. Dum vitae periculum non imminet, tenetur Parochus, aut ex justitia, aut ex fidelitate conferre Extremam Unctionem egroti indigenti, & petenti, saltem interpretative. Prob. Parochus ex officio tenetur conferre propriae officii, nedum necessaria, sed etiam utilia ad aeternam salutem, praesertim in articulo mortis: ergo. Anteced. constat: nam ratione officii pactum pepigit cum Parochianis administrandi illis, praecipue si petant, non solum necessaria, sed etiam utilissima. Unde tenetur pactum adimplere. Sed quid dicendum de aliis Sacerdotibus in casu necessitatis, & non adest Parochus, vel si adest, ipse non vult, & ipse ferat licentiam alteri tribuere? Tunc tenetur quilibet Sacerdos, qui sine notabili incommodo posset, Sacramentum hoc infirmo ministrare? Multi docent, quemlibet Sacerdotem tunc teneri sub peccato veniali: imò, docent alii, & sub mortali, in casu speciali, quo infirmus Sacramentum Poenitentiae, aut aliud, recipere non posset. Ratio est; quia tunc fortè infirmus tantam habet attritionem, quae adjuncta hoc Sacramento, per illud justificetur, de quo num. 65. redibit sermo. Ergo in praedicto casu quilibet Sacerdos licite, & sine gravi incommodo potens ministrare hoc Sacramentum, ad id tenetur sub gravi peccato.

41 Conclusio V. In casu necessitatis plures possunt Sacerdotes simul ministrare hoc Sacramentum. Suppono 1. Sacramentum fore nullum, si unus Sacerdos infirmum ungeret, & alius formam proferret. Sic Theologi sentiunt, & colligitur ex verbis D. Jacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum ungentes*, in quibus actio ungenti, & orandi, quod per formae prolationem fit essentialiter, significat ab eodem Mi-

nistro fieri, debere. Unde, extra casum urgentis necessitatis, Ecclesiae usus fert, omnes, & singulas unctiones ab unico ministrari. Hinc suppono 2. necessitatem hanc urgentem dupliciter evenire posse: vel ex parte Ministri, eo quod, una unctione facta, moritur, aut ad alias impossibilitatur: & tunc certissimum est, quod ab alio Sacerdote, debent compleri unctiones, sine reiteratione unctionis jam ab alio factae. Vel evenire potest ex parte infirmi, eo quod tempus non adsit, ut antequam moriatur, solus unus Sacerdos possit omnes prestare unctiones. In hoc ergo casu non de quo procedit Conclusio, potest unus Sacerdos ungerere unam partem, aut duas, & alius eodem tempore ungerere alias, quolibet preferente formam correspondentem, & ipsi debitam. Patet: Tum; quia ex verbis D. Jacobi: *inducat Presbyteros Ecclesiae*, non potest repugnare valori Sacramenti hujus, quod à pluribus fiat simul. Tum; quia quilibet unctio cum sua forma independens est ab alia: ergo poterit à diverso Ministro conferri.

42 Arg. adversus 1. Conc. 1. Innocentius I. Epist. 1. ad Decentium cap. 2. super verba Jacobi: *infirmatur quis idcirco dicit: non tantum Sacerdotibus, sed etiam omnibus Christianis in sua, & suorum necessitate licet sequi oleo sancto, ab Episcopo conservato* ergo licitum est, non solum Sacerdotibus, sed etiam omnibus fidelibus ministrare hoc Sacramentum, & consequenter ejus Minister non est solum Sacerdos. 2. De quibusdam Anachoretis Aegypti legitur, quod oleo ungebant infirmos, & sanabantur; sed illi non erant Sacerdotes: ergo. 3. Apostoli, Christo adhuc vivente, infirmos ungebant, & illos curabant, ut Marcus refert; sed tunc non erant Sacerdotes: ergo. Propter verba Innocentii Waldensis citatus num. 36. docuit, laicum posse Ministerium esse hujus Sacramenti in casu necessitatis. Ad illa plures res-

pondent Theologi, Innocentium non loqui de unctione Sacramentali, sed de alia, qua devotionis causa ungebantur infirmi, sicut ex antiquissima consuetudine, unguuntur pluries corpora infirmorum, gratia sanitatis, cum oleo lampadis hujus, vel illius Sancti, & de S. Didaco constat pluries sic fecisse, & infirmis tribuisse sanitatem. Verum cum ex textu Pontificis aperte constet loqui de oleo Extremae Unctionis, ac de illo Decentius illum interrogaret, expositio hæc non videtur conformis menti Innocentii.

43 Respondeo itaque ad 1. verba illa Pontificis: *non tantum Sacerdotibus, sed & omnibus Christianis licet uti oleo sancto* &c. intelligi debere de usu passivo, non de activo. Ita ut sensus sit: quod non solum Sacerdotes, sed Christiani fideles omnes oleo infirmorum inungi possint. Sed non nisi ab Episcopo, vel à Presbyteris, ut ex sequentibus ipsius verbis deducitur aperte. Dicit enim, quod licet de Presbyteris dictum sit, Ministros esse hujus Sacramenti, superfluum omnino est, de Episcopis dubitare: (hæc erat interrogatio Decentii) nam si illius est Chrisma benedicere, etiam erit cum illo infirmos ungerere, si velit. Et assignat rationem, dicens: *Nam idcirco de Presbyteris dictum est; (esse Ministros) quia Episcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos non possunt.* Ex quibus patet, tum, quod supradicta verba intelligi non possunt nisi de oleo Extremae Unctionis: & tum, quod solum Episcopi, & Presbyteri possunt cum illo infirmos ungerere. Ad 2. Respondeo cum D. Thoma, & Scoto, illos unctiones non fuisse Sacramentales, sed ex quadam recipientium devotione, & ex merito ungentium, vel oleum ad unctionem mittentium, per quam consequeretur effectus sanitatis corporalis per gratiam sanctorum, non per gratiam Sacramentalem. Sic cogitatur in visis Patrum de pluribus, aut

de Simeone Stilita, & de S. Hilarione refert D. Hieronymus, ac de pluribus aliis refertur. Respond. per hoc ad 3. Nam illæ unctioes non erant Sacramentales, cum juxta dicta nondum hoc Sacramentum institutum fuisset, sed solum erant curative, & ut loquitur Tridentinum, pœnuntiative unctioes istius Sacramentalis. Et si diceretur, ex tunc Sacramentum hoc institutum fuisse, atque ad eo fuisse Sacramentales, ut volunt aliqui Theologi, dicendum est, quod id fiebat ex Christi dispensatione: modo quo dici solet de Baptismo tunc collato in nomine Jesu Christi. De hoc Tractatu de Baptismo dictum est satis, loquendo de illius legitima forma.

44 Arg. adversus 5. Conclusionem: nam adversus 2. & 3. ac 4. nihil occurrit momenti, quod non sit solutum in ipsismet. Si plures Sacerdotes ministrarent Extremam Unctionem, vel ambo nihil facerent, vel duo Sacramenta facerent; sed neutrum est dicendum: ergo. Prob. major. quoad primam partem: Ad unum Sacramentum requiritur unitas materiæ, & formæ in uno Ministro; sed tunc non esset illa unitas: ergo nec unum Sacramentum: ergo nihil facerent. Prob. major. quoad secundam partem: Ad diversam applicationem materiæ, formæ, & intentionis diversi Ministri distinctum resultat Sacramentum; sed tunc totum hoc verificaretur: ergo & Sacramentum distinctum: ergo essent plura Sacramenta tunc casus. Respondeo negando totam major. Ad illius probationes, dico, Extremam Unctionem non esse Sacramentum indivisibilitatis; sicut Baptismus, in quo, sicut nec in Eucharistia sub unaquaque specierum valet, quod unus proferat dimidium formæ, & dimidium alter; sed Sacramentum divisibilitatis, & integritatis, modo quo dicitur de Sacramento Ordinis, & constat ex dictis supra, quæst. 2. num. 22. Quare quilibet faceret tunc Sa-

cramentum essentialiter, sed non totaliter, & integrè, eo quod ad suam integritatem exigat alias unctioes, & quilibet haberet intentionem suam unctioi correspondentem. Ex quo resultaret, non duo Sacramenta integra, & completa Extremæ Unctionis, sed essent plura non completa, & unicum solum completum. Parifica in Ordinibus Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, à diversis Episcopis collatis, respectu Sacramenti Ordinis, quod unum est unitate integritatis. Et nota, quod antiquitus plures concurrebant Sacerdotes, dum conferebatur hoc Sacramentum: & apud Græcos, ut scribit Arcudius, adhuc observatur, ut septem Presbyteri adhibeantur, quamvis ministret illud unicus Sacerdos.

QUÆSTIO V.

De spectantibus ad Extremam Unctionis subjectum.

45 Certum est 1. non baptizatos incapaces esse hujus Sacramenti, cum Baptismus sit janua Ecclesie. Quare, qui per januam non intravit, Ecclesia Sacramenta participare nequit. Certum est 2. quod eodem infirmo in eadem infirmitate possit pluries conferri Extrema Unctio, si liberatus est jam à mortis periculo, & iterum incidit in novum: secus verò, si eodem periculo semper perseveret, ut Trident. Sess. 14. cap. 3. de Extrema Unct. explicat. Certum est 3. quod non potest ministrari sano; quia institutum est pro solis infirmis. *Infirmatur quis in vobis? &c.* Et ideo dicitur Sacramentum, & oleum infirmorum: nec infirmis utcumque, sed infirmis periculo, ita ut ejus mors timeatur probabiliter. Unde Florentinum docet, quod hoc Sacramentum non nisi infirmo, de cujus morte timetur, debet dari: propterea dicitur Extrema Unctio. Ratio à priori

si alia assignari non potest, quam voluntas Christi Domini, qui sicut statuit, Sacramentum Ordinis solis viris posse conferri, non foeminais, ita voluit, Sacramentum Extremæ Unctionis ministrari infirmis, non sanis. Hoc statuto:

46 Dico I. *Soli adulti baptizati sunt capaces Extremæ Unctionis.* Est dicere, quod nec parvuli, nec perpetuo amentes, seu usu rationis carentes possunt hoc Sacramentum suscipere. Est communissima Theologorum contra Majorem, & Delgadillo; oppositum defensantes. Prob. I. ex Subt. Doct. qui postquam docet, quod hoc Sacramentum non potest conferri homini sano, nec qualitercumque infirmo, sed periculo, ita quod probabiliter immineat sibi exitus de statu viatoris ad terminum, subdit consequenter: *Excluduntur non utentes ratione, ut parvuli.... excluduntur amentes, & furiosi: & hoc nisi per voluntatem expressam precedentem præsumatur illud velle:* ergo. Prob. 2. Hoc Sacramentum ex sua institutione debet peti ab infirmo; sed infantes ante usum rationis, nec illo perpetuo carentes, non sunt capaces talis desiderii, aut petitionis, ut per se patet: ergo. Prob. major. Tum: ex verbis Jacobi, *et quis infirmatur in vobis, inducat Presbyteros, id est, advocet.* Tum, ex ultimis verbis Scoti nuper relatis. Prob. 3. Infantes, & perpetuo amentes, incapaces sunt effectus primarii hujus Sacramenti, nempe, specialium auxiliorum ad superandam debilitatem ad operandum bene, contractam ex peccato, ad resistendum demonum insultibus, & ad remittendum peccata venialia: ergo. Patet consequens: nam cessante effectu hoc primario, cessat secundarius, qualis est sanitas corporalis. Prob. 4. ex universali Ecclesie praxi, talibus hoc Sacramentum non conferente.

47 Dico II. *Adultus, qui nunquam peccavit, adhuc venialiter, non esse capax hujus Sacramenti.* Est

contra plures, tam extraneos, quam domesticos, inter quos Cardinalis Brancatus, Poncius, Arëtinus, & Delgadillo numerantur. Est verò communior, ac probabilior nostra opinio. Suadetur: Tum ex Conciliis, docentibus; hoc Sacramentum esse ad reliquias peccati remittendas: item, Tridentinum illud vocat *consummationem Pœnitentiæ*; sed si nullum peccatum præcessit, non possunt haberi reliquias peccati remittendæ: aliunde si desit materia Pœnitentiæ, ejus consummatio dari non potest: ergo. Tum ex Seraph. Doct. dist. 23. artic. 2. quæst. 2. dicente: *Hoc Sacramentum est principaliter ad venialia delenda. & ideo debet dari solis infirmis, qui peccare potuerunt.* Tum ex definitione à Subt. Doct. tradita: nempe, *unctio hominis infirmi, & pœnitentis.* Et addit consequenter: *Sic excluduntur, qui non habent materiam pœnitentiæ, saltem de venialibus, ut perfectè innocentes.* Quid clarius? ergo suscipiens hoc Sacramentum debet fuisse peccator, & consequenter, adultus, qui nunquam peccavit, adhuc venialiter, non esset capax hujus Sacramenti. Nec ut Gonetus rectè advertit, favet D. Thomas opinioni adversæ, eo quod quæst. 3. art. 1. dicat, hoc Sacramentum conferri ad purgandas reliquias peccati, tam originalis, quam actualis; quia sensus illius non est, quod Sacramentum hoc conferri possit ad reliquias peccati originalis nudè, & præcisè sumptas purgandas, sed ut confrimatas per actualia peccata, & eorum reliquias. Unde hic quæst. 32. art. 4. ad 2. ait: *Non datur [hoc Sacramentum] contra reliquias peccati originalis, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confrimata: unde principaliter propter peccata actualia datur, ut ex ipsa forma patet, quæ non sunt in pueris.* Denique, Theologi nobiscum consentientes, probant conclusionem sic: illi non potest validè Extrema Unctio administrari; de quo verificari

nequeunt verba ipsius formæ: *indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, tactum &c.* Sed de illo, qui non peccavit nec ante, nec post Baptismum, verificari nequeunt: ergo. Ego verò hanc omitto probationem: nam iudico satis solvi ab Adversariis, interpretando sensum prædictæ formæ, sicut interpretatur sensus formæ Baptismi, quando quis accedit ad Baptismum cum perfecta contritione, aut dilectione Dei, & similiter in tali casu de forma Sacramenti Pœnitentiæ.

48 Arg. 1. Qui peccatum originale non habet, capax est Sacramenti Baptismi: ergo qui nec peccata actualia habuit, & consequenter nec illorum reliquias, erit Sacramenti Extremæ Unctionis. Antecedens fit evidens in BB. Virgine, quæ non contraxit originale, & ex dictis Tractatu de Baptismo baptizata fuit. Prob. consequentiam: Non magis instituta est Extrema Unctio contra reliquias peccati actualis, & fortè etiam originalis, quàm Baptismus contra peccatum originale: ergo si, qui peccatum originale non habet &c. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequent. Disparitas est manifesta, ac ratio discriminis per se nota: nam Baptismi susceptio non solum est remedium originalis peccati, sed simul necessaria est simpliciter, ut quis sit filius Ecclesiæ, & ut possit alia Sacramenta suscipere. Est enim janua ad Sacramenta recipienda. Quare, ut docuimus Tractatu de Baptismo, & etiam D. Thomas docet in 4. dist. 6. quest. 1. qui sanctificatus est ante Baptismum, debet illud recipere, tum ad Christianitatis characterem recipiendum: tum ut ad alia Sacramenta sit aptus. Ex quo sequitur, quòd BB. Virgo baptizata fuit, atque ita potuit pluries Sacramentum Eucharistiæ suscipere: non verò propter dicta, Sacramenta Pœnitentiæ, nec Extremæ Unctionis, ut perperam de hoc dixerunt aliqui. Per hanc doctri-

nam vel negari, vel distingui, & explicari potest antecedens probationis.

49 Arg. 2. Sufficit, quòd adultus possit peccare, quamvis nunquam adhuc venialiter peccaverit, ut sit capax Extremæ Unctionis: ergo Prob. antecedens. Tum: quia necessariò non supponit peccata actualia, quæ remittat, sed tantum habet esse remissivum illorum, si sint in subiecto. Patet hoc, tam ex verbis Jacobi, quæ conditionata sunt, nempe, *si in peccatis sit, remittuntur ei*, quàm in Baptismo, qui remissivus est originalis, & tamen illud ad suum valorem non supponit, ut si remissivum sit jam per contritionem. Tum: quia adultus haberet reliquias peccati originalis, à quibus purgari posset. Tum: quia licet quis careat sensu visus, & consequenter non peccaverit per illum, accipere potest in illa parte hoc Sacramentum cum hac forma: *quidquid peccasti per visum*: ergo.

50 Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem dico, supponere peccata actualia, vel quæ sint, vel quæ fuerint, quorum reliquias manent. Unde quamvis verba Jacobi sint conditionalia, & manifestantia, hoc Sacramentum habere vim remittendi peccata actualia, si sint in recipiente: forma verò illius: *quidquid deliquisti &c.* non sunt conditionalia, sed supponunt necessariò peccata actualia, vel præterita, dumtaxat remanentia quoad reliquias. Ad illud de Baptismo dictum est num. antecedenti. Præterquamquod, qui justificatus accederet ad Baptismum, justificatur antea per Baptismum in voto, atque adeo necessariò, si potest, debet recipere illum. Ad secundam probationem dico, Extremam Unctionem non esse contra reliquias peccati originalis, nisi ad summum secundum quod per peccata actualia quodammodo sunt confirmata, & confortata. Ad ultimum dico, quòd cum verba illa: *quidquid deliquisti*, in-

intelligantur etiam de peccatis præteritis quoad reliquias tantum remanentibus, licet quis interdum careat aliquo sensu, potuit tamen per ordinem ad illum per voluntatem peccare, sicque forma verificatur sufficienter.

51 Ex dictis in questione colliges 1. Sacramentum Extremæ Unctionis non debere ministrari damnatis mortis supplicio, nec proximè paratis ad certamen, nec navigantibus in periculo naufragii, nec mulieribus parturientibus ex præcisa ratione partus. Ratio est: quia tales non sunt infirmi, pro quibus tantum hoc Sacramentum est institutum. Sed quamvis in feminis partus ex se infirmitas non sit, si ipsi partui concumbatur, aut sequitur gravis, aut mortalis indispositio, ministrari debet illis Extrema Unctio. Colliges 2. quòd licet hoc Sacramentum institutum sit pro infirmis, non utcumque, sed periclitantibus, seu in periculo mortis, secundum prudens iudicium, versantibus: non tamen expectandus est supremus mortis articulus: qui potius præstat hoc Sacramentum tunc conferri, cum infirmus adhuc est sensibus integris, ut sic ipsum suscipiat majori cum devotione, & fructu. Unde, ait Catechism. Rom. *graviter peccant Parochi, qui illud differunt, donec infirmus privetur ratione, & sensu.* At verò, si propter negligentiam, aut alio motivo, Sacramentum hoc non ministrarunt tempore opportuno, non debent omittere illud, etiamsi infirmus non sit jam sui compos. Unde infirmo, cui pro periculo mortis Medici jubent ministrari Viaticum, potest etiam ministrari Extrema Unctio, quamvis regulariter non ministraretur, nisi in vitæ extremo videatur constitutus. Colliges 3. Ecclesiam Sacramentum hoc administrare adulto repente sensibus destituto, nec non amenti morituro, qui aliquando habuit rationis usum: nam tunc casus adest rationabilis præsumptio, vel interpretatio, eum

qui vixit in Christianitate, voluntatem habere, recipiendi tempore opportuno opportuna remedia infirmitatum spiritualium, quæ per hoc Sacramentum consequuntur.

52 Quæres: *An adsit præceptum de Extrema Unctione, recipienda?* Respondeo, quòd, *secluso scandalo, & contemptu*, non est obligatio sub mortali recipiendi illam, atque adeo non est præceptum. Ita DD. communiter cum Subtil. Doct. Ratio est: tum: quia nullibi constat de tali præcepto: ergo non est imponendum. Tum: quia licet hoc Sacramentum valde utile sit, ac salubre, non est necessarium simpliciter ad salutem, quam infirmus consequi potest aliis mediis. Petrus de Soto sustinuit oppositum nostræ responsioni. Dixi: *secluso scandalo, & contemptu*: nam si oblata occasione recipiendi illam, infirmus nollet, & ex hoc sequeretur scandalum: vel suspicaretur non recipere ex illius contemptu, tunc mortaliter peccaret, non recipiendo Extremam Unctionem. Similiter: si quis in mortis articulo constitutus, sentiret se indispositum ad eliciendum contritionem, aut dilectionem Dei super omnia, teneretur Extremam Unctionem recipere. At verò in his casibus non oritur obligatio ex aliquo præcepto per se imposito ad Sacramentum hoc recipiendum, de quo procedit nostra resolutio: sed tunc teneretur de *per accidens*, nempe, ad vitandum scandalum, aut contemptum: vel ex præcepto naturali curandi de sua spiritali salute. Teneretur itaque de *per accidens*, non ratione præcepti per se, & directè præcipientis illius receptionem. Sic intelligitur Scotus in 4. dist. 7. quest. 2. & sic argumenta solvantur.



QUÆSTIO VI.

De effectibus Sacramenti Extremæ
Unctionis.

53 Nullus dubitat Theologorum, Sacramentum Extremæ Unctionis, utpote Sacramentum vivorum, causare ex se secundam gratiam, seu augmentum gratiæ habitualis, quod quidem commune est omnibus Sacramentis vivorum legis gratiæ. Nec dubitat de auxiliis per illud collatis ad suum consequendum finem propriis: hoc enim essenziale est omni Sacramento, ut præter gratiam habitualem, præstet etiam actualia, quibus homo juvetur ad fines, ad quos institutum est, consequendos, & qui sunt illius effectus. Plures ab aliquibus numerantur in Extrema Unctione, & ab aliquibus pauciores: quæ differentia ex eo provenit, quod de illis fiant plures, aut pauciores divisiones, & subdivisiones. Inde fit, ut aliqui numerent sex, alii tantum tres. Verum in substantia omnes conveniunt, & convenire debent. D. Jacobus tres assignat hujus Sacramenti fructus, seu effectus. Unus est sanitas corporalis: *gratio fidei salvabit infirmum* (si expedit) Alter alleviatio à mœrore, molestia, & torpore: *alleviabit eum Dominus*. Et alter remissio peccatorum, & peccati reliquiarum, modo postea explicando: *Si in peccatis fuerit, remittuntur ei*.

54 Hos mirabiles effectus expendit Catechismus Romanus loquens de hoc Sacramento: Et Tridentinum Sess. 14. de Extrema Unctio. cap. 2. sic declarat illos: *Hujus Sacramenti res est gratia Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit: ac aegroti animum alleviat, & confirmat, magnam in eo divine misericordiæ fiduciam excitando, qui infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores, levius fert, &*

tentationes Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit: & sanitatem corporis interdum, ubi salutem animæ expedit, consequitur. Ex quibus constat, tres esse effectus hujus Sacramenti, vel si plures, in his tribus sunt inclusi. Primus est *gratia sanctificans*, & quidem ut radicans, seu ut adjunctam habens gratiam Sacramentalem propriam, vel auxilia, vi quorum animus infirmi morbo debilitatus, ac torpore quodam depresso, roboratur, & alleviatur: excitaturque ad fervorem, & firmam spem, quibus præparatur ad fortiter sustinendos, & repellendos, ac vincendos diaboli incursus, tunc temporis obstinatioris, ac magis continuos. Secundus effectus est *remissio peccatorum*, & maxime venialium, quibus ingressus in Paradiso retardatur, ac insimul reliquiarum ipsorum peccatorum. Tertius est *sanitas corporalis*, non semper, & absolute, sed conditionate, si, nempe, expedit animæ salutem, & juxta Dei voluntatem. Omnia hæc ex Tridentino constant expressè, & in illis conspirant Authores. Quamvis autem in hoc conveniant Theologi, ex hoc exoriuntur non leves difficultates, in quarum resolutione non parum inter se dissident. Illas brevi calamo proponam, ac sine molestia resolvam.

55 Difficultas I. *Quid sint reliquie peccatorum, quas abstergit hoc Sacramentum? aut quid per illas intelligatur?* Adeo variant Theologi in responsione, ut in tres sententiæ sint divisi. Bellarminus, Amicus, & alii dixerunt, *per reliquias peccatorum*, intelligi peccata, quæ post confessionem, & communionem interdum relinquuntur in anima infirmi, vel quia ex inadvertentia oblita sunt in confessione; vel quia post illam, & Viaticum commissa fuerunt. Unde asserunt, gratiam horum peccatorum remissivam esse hujus Sacramenti propriam, ac primarium effectum. Alii volunt, per peccatorum reliquias intelligi peccata venialia. Communior

ve-

verò, ac mihi longè: verior opinio, per peccatorum reliquias intelligit, torporem quendam animi, exanationem, ac debilitatem ad bonum operandum, tristitiam, ac animæ mœrorem: provenientibus affectibus his, & effectibus, tum ex ipsa corporis infirmitate, & imminentis mortis propinquitate: tum ex præcedentibus peccatis, atque pravibus habitibus, ac dispositionibus ex eis relictis: tum ex talium peccatorum recordatione: & denique ex terribilibus dæmonum illusionibus, & tentationibus, ut à divina misericordia desperet. Omnes ergo istæ, ac similes affectiones dicuntur *peccatorum reliquie*, quæ quidem per hoc Sacramentum tolluntur, quatenus gratia, quam ex se confert, radicat specialia auxilia prævenientia, quibus homo adjuvatur, roboratur, & confortatur; tum ad eliciendos actus supernaturales: tum ad fortiter vincendas dæmonis astutias in illo ultimo agone, cum fiducia, & spe in misericordia, & bonitate Dei. Hoc itaque est in hac difficultate meum sentire.

56 Difficultas II. *Qualis sit primarius effectus hujus Sacramenti?* Cuiuslibet Sacramenti duplex communiter assignatur effectus, *communis, & proprius*. Per 1. convenit quodlibet Sacramentum novæ legis cum omnibus aliis, & hic est gratia sanctificans, aut ejus augmentum in non ponentibus obicem. *Proprius est*, ad quem specialiter producendum quodlibet ordinatur Sacramentum, ut patet per singula secundum suam institutionem: discurrenda. Hic effectus *proprius*, per se, & directè intentus in quolibet Sacramento, partiri solet in *principalem, & minus principalem*: seu in primario, & secundario intentum. Exemplificant in Sacramento Pœnitentiæ, cujus effectus *proprius*, ac per se primario intentus, est remissio mortalium debite confessorum; & intentus, etiam directè, non verò primario, sed, se-

Tom. I.

condario, est remissio venialium. Igitur, cum hoc Sacramentum effectus habeat sibi proprios, supra num. 53. & 54. ex D. Jacobo, & ex Concilio Tridentino memoratos, insurgit dubium: *quodnam illorum sit primus, ac principalior?* Resolutio visa est adeo difficilis, ut in ea divisæ sint Scholæ. Thomistæ docent, effectum primarium Extremæ Unctionis esse augmentum gratiæ, jus habentis ad removendum reliquias peccatorum, & conferenda auxilia ad tunc fortiter operandum. Suárez, & cum ipso alii volunt, effectum ejus primarium esse animam infirmi confortare mediis auxiliis, contra difficultates, & tentationes in mortis articulo occurrentes. Scotistæ suadere intendunt cum Subt. Doct. & D. Bonavent. primarium effectum esse remissionem finalem peccatorum venialium, non igitis non remissis, impedimentum sibi gloriæ consequendæ. Noster Gonzalez in Summ. Morali summam vult, primarium effectum esse, tribuere gratiam sanctificantem, radicantem jus ad specialia auxilia, quibus anima confortatur, & confirmatur, excitando in illa magnam in Deo fiduciam, qua infirmus in incommensurabili infirmitate levatur. Ad hunc primarium effectum, dicit, sequitur purgatio reliquiarum peccatorum, & ad hunc illorum remissio.

57 Fateor, omnes hos loquendi modos benè fundatos esse, suosque defensores sufficientissimas adhibere authoritates, & rationes, quibus quilibet suam assertionem suadet. Verum, re, pro meo tardo captu, benè inspecta, non satis capio, quid per *effectum primarium* intelligere velint, semel quod illi omnes enumerentur à D. Jacobo, & Concilio, ut propriissimi hujus Sacramenti, & equaliter, ac essentialiter per illud intenti ex Christi voluntate, & institutione. Itaque Christus, instituens hoc Sacramentum, æquè primò, ac sine subordinatione unius ad alium voluit omnes illos effectus à Concilio

Cccc

enu-

enumeratos. Quapropter recipienti digné hoc Sacramentum, confertur gratia Sacramentalis; seu jus, vi cuius Deus manet obligatus operari omnes, & singulos illos effectus sine aliqua dependentia, aut subordinatione unius ad alium. Unde nulla prioritas, aut posterioritas videtur agnoscí in prædicto jure ad collationem auxiliorum in subjecto disposito in ordine ad prædictos effectus tempore opportuno operandos. Et quamvis aliquando possit esse, & forté erit sæpissimé, inter illos prioritas, & posterioritas; non tamen in jure ad illos habendos, nec cum aliqua subordinatione inter illos, cum Christus æqualiter voluerit omnes illos ex primaria intentione, aut per se primo. Nec quod unus effectus prius exprimat, & alter posterius, convinct aliam prioritatem, quam grammaticalem, & orationis, seu collationis: non veró prioritatem dignitatis, & præminentie, seu principalitatis. Hæc enim principalitas, de qua loquimur, non petitur ex ordine, quo res in oratione ponuntur: imò, sæpius principaliora, & optima sunt ibi ultima. Sic evenit in textu D. Jacobi, in quo prius refertur sanitas, & alleviatio infirmæ, quam remissio peccati, ut constat ex num. 53. In Tridentino veró remissio peccati, & reliquiarum ejus exprimitur primo loco. Quare amicabiliter conciliando omnes opiniones.

58 Dico I. *Effectus proprius, & primarius hujus Sacramenti est remittere peccata, & peccatorum reliquias.* Ante probationem advertendum est I. quod quamvis textus D. Jacobi: *Si in peccatis sit, remittuntur ei, ad omnia peccata, sive mortalia, sive venialia, se extendat indifferenter: tamen cum hoc Sacramentum sit vivorum, & per se supponat Pœnitentiæ Sacramentum, quod ex se remissivum est mortali, remissio peccatorum in hoc Sacramento intelligenda est de venialibus, per se loquendo. Advertendum est 2. quod*

verba Jacobi: *alleviabit eum Dominus, nedum exprimat remedium contra languorem corporalem, sed etiam, & principalius remedium infirmi contra languorem, & debilitatem spiritualem.* Et ideó textus Græcus legit: *confortabit, seu excitabit eum: & ita etiam intelligit Tridentinum.* Advertendum 3. quod dum in forma Extremæ Unctionis dicitur: *quidquid deliquisti, verbum deliquisti, seu nomen delicti, non solum significat peccata, (quæ aliquando nulla erunt in infirmo) sed etiam se extendit ad peccatorum reliquias, quæ sunt peccatorum commissorum effectus, & quæ supra num. 55. explicantur.* Etenim nomen causæ interdum significat effectus in Sacra Scriptura, eó quod, aut virtualiter ipsum contineat, aut ab eo proveniat. Sic Apost. ad Rom. 7. fomitem ex originali peccato relictum vocat *peccatum*: et I. Machab. 9. poena temporalis debita peccatis existentium in purgatorio, peccatum appellatur: *ut à peccatis solvantur.* Advertendum est 4. quod dum Tridentinum dicit: *& tentationes dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, per calcaneum intelligit finem vitæ, in quo dæmon acrius insectatur hominem; alludendo ad illud dictum de muliere dæmoni sub figura serpentis, Gen. 3. ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* D. Augustina. concione I. in Psalm. 48. per *calcaneum* intelligit consensum; quo peccatum in nobis consummatur, & per caput initium suggestionis, qua sudetur. His animadversis:

59 Prob. prima pars: Ille censendus est effectus primarius Sacramenti, quem Sacramentalis forma significat, & exprimit; sed forma hujus Unctionis exprimit, & significat remissionem peccatorum, quæ finaliter restant infirmo delenda in eo statu: ergo. Major certissima est: nam Sacramenta novæ legis id causant, quod significant, & id primario significant, & causant, quod exprimit.

ver-

verba Sacramentalia, quæ sunt ipsorum forma, & in quibus stat Sacramenti essentia. Min. constat aperte: tum ex forma Latine, ac Græcæ Ecclesiæ, in quibus exoratur peccati remissio per illa verba: *indulgeat, remittat, vel parcat tibi Deus, quidquid deliquisti &c.* Tum ex Tridentino hanc remissionem, ut effectum potissimum, assignante, ac dicente: *Gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, & reliquias peccati abstergit.* Tum ex Catech. Rom. in quo præscribitur, quod Pastores doceant, hoc Sacramentum gratiam tribuere, quæ peccata, & in primis levia, remittit. Quibus id verbis satis significatur, ipsam remissionem peccati esse hujus Sacramenti primarium effectum. Tum denique ex Subt. Doctor. qui dicit, hanc unctionem significare curationem venialium finalium. Item dicit: *significare hoc Sacramentum plenariam remissionem omnium venialium, ut omnibus remissis, nihil remaneat retardans à perceptione beatitudinis.*

60 Probatur secunda pars I. eadem ratione, ac præcedens: nam juxta animadversionem 3. num. 58. per *quidquid deliquisti &c.* tam peccata, quam ipsorum reliquias, significantur: ergo. Prob. 2. quia innegabile videtur, quod hoc Sacramentum, ultimum viatori, institutum sit ex primaria intentione juvandi hominem, roborando illum contra dæmonis tentationes, in extrema vitæ fortiores, & acriores, & contra languorem spiritualem ex peccatis præcedentibus, & ex presentia morbi, ac metus mortis, & divini judicii, causatum: animam ejus latificando, potentiasque armando, & muniendo in illo periculo, ut maximé speret, & fidat in Deo, sicque viriliter vincat diabolum. Nunc sic: sed hoc est abstergere, seu remittere reliquias peccatorum: nam reliquie istæ in illo languore, inestitia, & imbecillitate infirmi, consistunt: ergo.

Tom. I.

nor constat manifestè ex resolutione I. difficultatis, num. 55. Ex quibus non licet inferre: ergo duplex est effectus primarius, & proprius hujus Sacramenti, scilicet, peccatorum remissio, & reliquiarum ipsorum. Negatur itaque consequentia: quia non est nisi unus ex atroque ex æquo, & ex primaria illius institutione compactus; seu coalescens. Unde ad summum poterit vocari duplex partialiter, & incompletè: unus veró completè, & totaliter.

61 Dico II. *Effectus minus primarius, & secundarius, hujus Sacramenti, est sanitas corporalis.* Est communis apud Theologos. Et patet, tum ex verbis D. Jacobi: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* *Sanctificatio* non solum spectat ad spirituales, qua anima per gratiam in hoc Sacramente concessam, ex inestitia, anxietate, & torpore erigitur, & tendit in Deum, atque spe misericordie ejus confirmatus infirmus, dolores, ac morbi incommoda omnia fert levius, ac facilius: sed etiam se extendit, quamvis secundario, & per accidens, ad ipsius corporeæ infirmitatis levamen, & quandoque perfectam sanitatem, nempe, si *saluti animæ expedit.* Tum patet ex Concil. Florentino, dicente: *Effectus hujus Sacramenti est mentis sanatio, & in quantum expedit, ipsius etiam corporis: & ex Tridentino docente: & sanitatem corporis interdum, ubi salutis animæ expedit, consequitur.* Ex quo colligitur, quod sanitas corporalis non est effectus per se intentus, sed tantum secundario, & per accidens in hoc Sacramento, cum tantum, dum expedit animæ salutis consequatur: semper veró habet alleviare infirmum modo dicto, si ad gratiam Sacramenti recipendam sit dispositus. Per dicta solvi facilitate possunt non pauca, quæ, orta ex varietate opinandi, à suis assertoribus obijciuntur.

62 Difficultas III. *An hoc Sacramentum*

Cccc 2

men-

mentum possit remittere peccata mortalia, seu conferre primam gratiam? Demonstratum manet Tractat. de Sacramento Disp. 3. quæst. 1. contra antiquos Hæreticos Manichæos, Paulicianos, ac Messalianos, & contra Recentiores Anabaptistas, Calvinistas, & Lutheranos, omnia Sacramenta novæ legis ex se, & ex opere operato, gratiam sanctificantem, sive primam, sive secundam, causare in suscipiente disposito. Pariter resolutum est eadem quæstione Conclus. 2. cum communiori sententia Theologorum contra Cardinalem de Lugo, & alios Scholasticos, quod sicut Sacramenta mortuorum per se conferunt primam gratiam, & per accidens conferre possunt secundam, ita ab opposito Sacramenta vivorum per se secundam gratiam conferunt, sed per accidens primam conferre possunt. Utraque hæc pars stabilita ibi manet efficacissimis rationibus, ac exemplaribus, nec aliud hinc restat, quam quod illa attentè recolantur. Ex consequentia hujus doctrinæ major, & sanior Theologorum pars resolvit, Extremam Unctionem posse aliquando, & per accidens, primam gratiam conferre, quod unice video ab illis suaderi ratione omni Sacramento vivorum, qua tali, conveniente. Ego verò in hoc Sacramento quandam invenio propriam, ac peculiarem rationem, quæ non reperitur in aliis: propter quam, etsi de aliis vivorum Sacramentis talis gratiæ collatio negaretur, adhuc deberet affirmari de isto. Quod, ut fiat manifestum.

63 Dico: Hoc Sacramentum conferre potest primam gratiam, seu remittere peccata mortalia. Intelligitur resolutio de collatione gratiæ, & peccatorum mortalium remissione, non per se, & directè, sed per accidens, & indirectè. Ratio est; quia Extrema Unctio est Sacramentum vivorum, sic appellatum, quia supponit recipientem per gratiam sanctificantem spiritualiter vivum. Unde hoc Sacra-

mentum supponit recipientem jam confessum, & perfectè contritum, utpote Poenitentia completivum, ut docet Tridentinum. Quare volens ad illud accedere, (ita est de omnibus vivorum Sacramentis) sic dispositus debet esse, ut in sua conscientia saltem, & existimatione, sit in statu gratiæ. Ideò Subt. Doct. 4. dist. 25. quæst. unica dicit: *nullum esse dignè capace Extremæ Unctionis, nisi sit in gratia.* Unde si se agnosceret in peccato mortali, debet necessariò prius confiteri: quod si non fuerit possibile, excitare se debet ad perfectam poenitentiam, seu contritionem, & tunc cum hac dispositione, in sua existimatione saltem, hoc Sacramentum potest recipere.

64 Probatur jam ratione communi: si quis habens aliquod mortale oblitum, putans tamen bona fide, se esse in gratia, accedat cum attritione supernaturali ad aliquod Sacramentum vivorum, à peccato justificatur; sed hoc non fieret, nisi per gratiam sanctificantem: ergo ex vi talis Sacramenti primam gratiam reciperet: ergo quamvis Sacramenta vivorum per se sint instituta ad conferendum secundam gratiam, seu augmentum gratiæ, possunt per accidens primam conferre, & mortale remittere: ergo cum Extrema Unctio sit verum Sacramentum vivorum, non potest illi denegari, quod aliis conceditur. Omnia constant, si major sit vera. Probo illam ex Tridentino Sess. 7. can. 6. ubi docet, *quod omnia nostra Sacramenta habent vim conferendi gratiam, obicem non poenitentibus;* sed homo bona fide accedens, & cum dispositione tali, cum qua per Sacramentum mortuorum gratiam reciperet, jam obicem non ponit: ergo. Probo minor. homo ille ex una parte invincibiliter ignorat, se esse in statu peccati; sed ex alia est verè attritus de peccatis, cum qua attritione per Baptismum, vel Poenitentiam gratiam reciperet; ergo. *Responsio Adversariorum, ac illorum*

con-

confutatio, præcedenti Tractatu de Sacram. Disp. 3. quæst. 1. latè continentur.

65 Prob. ratione particulari, ac propria hujus Sacramenti: Extrema Unctio ex sua institutione, & ex vi verborum suæ formæ, est Sacramentum remissivum peccatorum, quod de aliis Sacramentis vivorum non dicitur: ergo quamvis cætera vivorum Sacramenta per accidens modo dicto primam gratiam non conferant, de Extrema Unctione negari non possent. Antecedens constat ex Tridentino: *Delicta, si quæ sint adhuc aspicienda, abstergit.* Tum ex forma: *In digne, quidquid deliquisti.* Tum ex verbis Jacobi: *si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus in verbis, remissio peccati, voce indefinita, ac sine distinctione mortalium, & venialium, ponitur, tamquam illius effectus. Nunc sic: sicut de Poenitentia dicitur remittere peccata absolute, ita debet dici de Extrema Unctione: ergo cum unum Sacramentum non sit minus efficax alio, in ordine ad suos effectus, necessaria non est major dispositio, ut Extrema Unctio suum causet effectum, qui est remissio peccatorum, quam necessaria est, ut Poenitentia causet suum, qui etiam est remissio: Antecedens videtur certum: nam sicut de Poenitentia dicitur: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* dicitur de Extrema Unctione: *si in peccatis sit, remittentur ei.* Est verò discrimen inter hæc Sacramenta, quod Poenitentia per se, & jurisdictionis exercitio remittit peccata, quæ huic Sacramento debent subijci, quamvis aliis sint remissa, & hoc antequam Extremam Unctionem recipiat: & idè hoc Sacramentum solùm per accidens, modo dicto, remittit mortalia. Quare expediens valde erit, ut Parochi, antequam illud conferant infirmis, moneant, & excitent ad perfectum dolorem, & si indigent, ad confessionem. Nec abs re erit, aliquos casus exponere, reducendo doc-

trinam ad præxim.

66 Casus I. est, si quis involuntè oblitisceretur aliquo mortali, & existimaret se esse in statu gratiæ, atque hæc bona fide Extremam Unctionem reciperet. Casus 2. est, si recipiens jam est confessus, putans se habuisse dolorem necessarium ad valorem Sacramenti Poenitentia, sed ita non fuit in re: hæc verò bona fide elicit attritionem supernaturalem, & cum illa recipit Extremam Unctionem: Casus 3. est, si ad Poenitentiam se disposuit cum supernaturali attritione, & Confessor intentionem non habuit absolvendi, vel non erat Sacerdos, & tunc cum hæc attritione immediate reciperet Extremam Unctionem. Casus 4. est, si postquam Poenitentiam, & Eucharistiam accepit, mortaliter peccavit: & impotens jam confiteri, Extremam Unctionem recipit, cum attritione supernaturali. In his itaque, & similibus casibus remitterentur mortalia per hoc Sacramentum. Sic Reiffenstuel, Potesta, Valensis, Gonzalez, & pluri alii. Est verò hic recolendum, quod supra num. 63. manet stabilitum.

Corollaria quædam notatu digna.

67 Colliges 1. ex hucusque dictis, hoc Sacramentum in qualibet unctioe cum sua forma correspondente suum sortiri effectum, & gratiam conferre. Est contra Gonetum, & plures alios, dicentes, non producere effectum aliquem, nisi post ultimam unctioem. Ratio illorum est; quia effectum non producit, nisi sit essentialiter completum; at non est tale ante ultimam unctioem, eò quod quinque unctioes sint de ejus ratione essentiali: ergo. Verùm hoc esse falsum, per totam quæst. 2. in suis assertionibus fit manifestum. Nec aliud est ad confutationem talis doctrinæ necessarium, quam perlegere quod ibi est resolutum, & præsertim à num. 19. usque ad 23. Est ergo

go

go quælibet unctio Sacramentum essentialiter, quamvis non integraliter, ut Scotus ibi laudatus innuit. Unde neganda est minor. Colliges 2. hoc Sacramentum, ut Sacra Ritualia, & Catechismus docent, ministrari debere, dum infirmus adhuc mentem integram habet, & compos est rationis: ut sic suscipiens majori cum devotione, spe, & reverentia illud suscipiat, atque ita uberiorem consequatur gratiam. Cæterum si eveniat, quod jam non sit rationis compos, non ob hoc est omittendum: nam potest suum sortiri effectum in homine sensibus destituto, ratione orbato, & morti proximo. Non enim est credibile, quod dum homo versatur in statu, ut nullos actus poenitentiae, & meriti possit elicere, hoc Sacramentum illi valde non juvare, cum institutum sit pro periculo extremo vite.

68 Colliges 3. quod quamvis infirmus, juxta illud Jacobi: inducat Presbyteros, hoc Sacramentum pe-

tat, & petere debeat: tamen petitio illius formalis, & expressa non est necessaria: nam sufficit virtualis, & interpretativa, quam unusquisque habet de salute propria. Colliges 4. hoc Sacramentum magnam in infirmo devoto, ac bene disposito causare spiritualem hilaritatem, solacium, & corroboracionem: propter quod fortiter repellendi sunt metus, & pusillanimitates ad illius receptionem, ex qua tot bona spiritualia, & si oportet, etiam corporalia, eveniunt ipsi. Quare Catech. Rom. num. 28. inter alia dicit: Egroti persuadere, Parochi studeant, ut ea fide se ungendum Sacramentum præbeat, qua olim, ab Apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consueverant. Cæremoniae, orationes, & deprecationes, quæ in ministracione hujus Sacramenti fiunt, eo maxime, quod per modum orationis, & deprecationis, sit institutum, videantur in Ritualibus. Dicta nobis sufficiant de hoc Sacramento.

FINIS.

INDEX

PLENISSIMUS DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, Difficultatum, Resolutionum, ac Specierum, in hoc opere in IV. Sententiarum contentarum.

P. paginam, N. numerum marginalem, respectivè ad Tractatum, denotat.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE. pag. 1.

Præmittitur, quid Concilium Florentinum universim de Sacramentis docuerit. ibid.

DISPUTATIO I.

De essentia, existentia, necessitate, & numero Sacramentorum.

Quæst. I. De natura, seu essentia Sacramenti in communi plura resolvens. p. 2. n. 1.

Variae signi divisiones, & acceptiones explicantur. p. 2. n. 2.

Conclusio I. Sacramentum est formaliter signum visibile, seu sensibus patens, sive per se, sive ratione alicujus adjuncti. p. 4. n. 3.

Conclusio II. Sacramentum novæ legis est signum practicum sanctitatis: non quidem legalis, & externæ, sed internæ: non futuræ, sed præsentis in suscipiente. ib. n. 5.

Conclusio III. Sacramenti recta definitio traditur à Subt. Doct. & explicatur. p. 6. n. 8.

Argumentis occurritur. p. 7. n. 9.

Differentia assignatur inter Sacramentum, & sacrificium. p. 8. n. 11.

Regula generalis ad intelligentiam Sacramenti formaliter, & in ratione signi; & materialiter, seu fundamentaliter sumpti. p. 9. n. 13.

Corollaria ex dictis. I. Sacramentum, ut tale, ex divina institutione necessariò esse quid sensibile. II. Sa-

cramenta vetera, & nova univocè non convenire in ratione propria Sacramenti, nisi quæstio fiat de nomine. III. quod si in veteri lege aliquod fuit Sacramentum, ex opere operato delens peccatum, & conferens justificationem, hoc utique cum nostris univocè convenire. p. 10. n. 14. & 15.

Quid sit sanctitas legalis. p. 11. n. 15. Dubitabis. Quænam fuerint veteris legis Sacramenta? & quænam vetera Sacramenta figuravere nostra? ibid. n. 16.

Quæst. II. An in statu legis naturæ fuerit aliquod efficax remedium ad salutem parvulorum? Et quodnam fuerit hoc? p. 12. n. 17.

Conclusio I. In lege naturæ fuit remedium efficax ad salutem parvulorum à Deo institutum contra originale peccatum. ib. n. 18.

Conclusio II. Tale efficax remedium contra originale positum fuit in aliquo signo externo, & sensibili, protestativo fidei Mesia venturi. p. 13. n. 19.

Con-

- Conclusio III.** Hoc signum sensibile à Deo fuit determinatum: non tamen omnino in individuo, sed in genere, quantum sufficit ad rationem Sacramenti. *ibid.* n. 20.
- Argumenta solvuntur.** p. 14. n. 22.
- Varietas rituum non variat Sacramentum.** p. 18. n. 28.
- Quaest. III.** An in lege Scripta Circumcisio fuerit Sacramentum de-
lens originale peccatum? *ib.* n. 30.
- Conclusio I.** Circumcisio fuit instituta à Deo in remedium peccati originalis, ex opere operato parvulis gratiam justificantem conferens. Unde fuit verum Sacramentum. p. 19. n. 31.
- Responsio, & ejus impugnatio.** p. 20. n. 32.
- Importune dicitur à pluribus, Circumcisionem gratiam, non ex opere operato, sed ex opere operantis, contulisse.** *ibid.* n. 33.
- Conclusio II.** Circumcisio etiam instituta fuit in signum populi, hoc caractere signati, ut sic à cæteris distingueretur Nationibus populus Dei. p. 21. n. 34.
- Sed dubitatur: An principaliter instituta fuerit pro remissione peccati, vel potius pro populi designatione, & distinctione? resolvitur cum Subt. Doct.** *ibid.*
- Solvuntur Argumenta plura.** *ibid.* n. 35.
- Regula optima pro apta Conciliorum, & SS. Patrum intelligentia.** *ibid.*
- Differentia Circumcisionis à Sacramento Baptismatis.** *ibid.*
- Quid institutum fuerit in remedium contra originale pro foeminis, quæ incapaces erant Circumcisionis? & quid pro parvulis periclitantibus ante octavum diem, in quo, & non antea, obligabat Circumcisio? p. 24. n. 41.**
- Quænam fides Mesiae venturi erat tunc necessaria? p. 26. n. 43.**
- Inquires: An Circumcisio impresserit characterem? Resolutio cum Subt. Doct.** p. 44.
- Quaest. IV.** An si innocentiae status perseverasset, Sacramenta instituta essent? p. 27. n. 46.
- Conclusio I.** Statu innocentiae perseverante, & tunc Christo Domino in mundum adveniente, ali-
quod Sacramentum institutum fuisset. p. 28. n. 48.
- Mens Subtil. Doct. declaratur.** p. 29. n. 49.
- Conclusio II.** Illud Sacramentum pro innocentiae statu instituendum foret maximè Sacramentum Eucharisticum. *ibid.* n. 50.
- Sensus, & mens Subt. Doct. exponitur.** p. 30. n. 52.
- Quaest. V.** Quot, & quæ sint novæ legis Sacramenta? ubi traditur explicatio brevis cujusdam D. August. mirifici dicti. p. 31. n. 54.
- Conclusio Catholica: Sacramenta novæ legis sunt septem, nec plura, nec pauciora. Et præcluditur Hæreticorum cavillatio.** p. 32. n. 55.
- Congruentia septenarii Sacramentorum numeri ex Subtil. Doct.** p. 33. n. 56.
- Congruentiales rationes ex Seraph. Doctore, & gravissimis Theologis.** *ibid.* n. 57.
- Hæreticorum argumenta infringuntur, Lutherique, ac Calvinii, fraudes evelluntur.** *ibid.* n. 58.
- Quaest. VI.** Quid de aqua, & pane benedicto? quid de Martyrio, & lotionem pedum à Christo edocta, & facta, sit dicendum? p. 37. n. 65.
- Usus panis benedicti antiquitus Eulogia dicti, à quo benedicebatur, & ejus significatio.** *ibid.* n. 66.
- Quando incepit usus aquæ benedictæ? ac de consuetudine Ecclesiæ lavandi pedes baptizatis.** p. 38. n. 67.
- Dico I.** neque Martyrium; neque panis benedictus, qui in Eucharistia fidelibus dividebatur, neque aqua benedicta, sunt Sacramentum propriè dictum, hoc est, conferens gratiam infallibiliter ex opere operato. *ibid.* n. 68.
- Præcluduntur, & evelluntur Cavillationes Hæreticorum.** p. 39. n. 69.

Di-

- Dico II.** Lotionem pedum nec est Sacramentum, neque ad Sacramentum Baptismi essentialiter pertinens. *ibid.* n. 70.
- Argumenta solvuntur, & dicta aliorum Patrum declarantur.** p. 40. n. 71.
- Corollarium: Convenientiæ, ut in lege Evangelica aliqua à Domino instituerentur Sacramenta, per quæ suam in homines derivaret gratiam.** p. 42. n. 75.
- Quo sensu Sacramenta umbra veritatis dicuntur.** p. 43. n. 76.
- Quaest. VII.** An Sacramenta constant ex rebus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma? *ib.* n. 77.
- Conclusio I.** Omnia novæ legis Sacramenta, in usu consistentia, constant rebus, & verbis, vel formaliter, vel saltem æquivalenter, tamquam materia, & forma. p. 44. n. 78.
- Argumentorum solutio.** p. 45. n. 80.
- Conclusio II.** Probabilius est, quod res, & verba, quæ materia, & forma, Sacramentorum dicuntur, sunt partes intrinsecæ constitutive Sacramenti in usu consistentis: ita ut utraque simul sit fundamentum relationis signi, quam Sacramentum importat pro formali. p. 47. n. 82.
- Argumentorum solutio.** p. 48. n. 84.
- Quaest. VIII.** An determinata sit à Christo materia, & forma Sacramentorum? Et quæ earum mutatio invalidet Sacramentum? p. 50. n. 87.
- Conclusio I.** Materiæ, & formæ Sacramentorum fuerunt à Christo quoad substantiam determinatæ: non verò res determinatæ fuerunt à Christo in specie infima in singulis Sacramentis. p. 51. n. 88.
- Conclusio II.** Omnis mutatio substantialis in materia, vel forma, irritat Sacramentum, ac invalidat: non verò mutatio accidentalis; sed tamen hæc est illicita, & peccaminosa, nisi aliqua excuset rationabilis causa. *ibid.* n. 89.
- Argumenta soluta.** p. 52. n. 90.
- Tip. I.**
- Plures casus morales resolvuntur, & doctrina pro pluribus aliis in moralitate intelligendis, ac solvendis.** p. 55. n. 95. & per seq.
- Inquires: Quomodo formæ Sacramentorum debeant à Ministro proferrî?** p. 56. n. 98.
- Dico: Verba Sacramentalia proferrî debent, non promissoriè, aut conditionariè, ut vocitant Sectarii, sed consecratoriè.** p. 57. n. 99.
- Argumenta Hæreticorum soluta.** *ibid.* n. 100.

DISPUTATIO II.

De causa, tam effectiva, quam Ministeriali, Sacramentorum.

- Quaestio I.** An solus Deus author, seu institutor sit, & possit esse Sacramentorum? p. 103.
- Conclusio I.** Solus Deus completè, & propriè, seu potestate auctoritatis, potest Sacramenta instituire, seu est illorum causa efficiens. p. 60. n. 104.
- Solutio Argumentorum.** p. 61. n. 106.
- Conclusio II.** Christus Jesus omnia novæ legis instituit Sacramenta: non tamen ut causa physica gratiæ, sed ut causa meritoria, & moralis, p. 62. n. 108.
- Argumentorum solutio.** p. 63. n. 110.
- Notabilis differentia inter Christum, & Sanctos, quoad miracula efficienda.** p. 64. n. 112.
- Sensus D. Augusti, dum dicit, Sacramenta fluxisse de latere Christi.** p. 66. n. 115.
- Difficultas 1.** Quomodo intelligendum sit, Christum verè Sacramenta instituisse? Resolutio difficultatis, *ibid.* n. 116.
- Difficultas 2.** An potestas instituendi Sacramenta potuerit à Deo communicari puræ creaturæ? p. 67. n. 117.
- Dico: Potestas instituendi Sacramenta, quoad designationem signi, possibilis est puræ creaturæ: & hæc diceretur vera institutio Sacramenti.** Dddd

cra-

- menti. *ibid.* n. 118.
Conciliatur quamoptime Subt. Doct. cum Angelico, & Seraphico. p. 68. n. 119.
Triplex potestas instituendi Sacramenta. *ibidem.*
An potestas præcellentiæ communicari possit puræ creaturæ? *ibid.*
Quæstio II. An Christus Dominus immediatè instituerit omnia Sacramenta novæ legis? *ibid.* n. 120.
Conclusio : omnia novæ legis Sacramenta à Christo Domino immediatè sunt instituta. p. 69. n. 121.
Argumenta : n. 122.
Dubium subtile : An Concilium Tridentinum definierit, Sacramenta omnia à Christo instituta fuisse immediatè? p. 71. n. 124. Resp. *degitiva* n. 125.
Solvuntur Argumenta : p. 78. n. 126.
Quæstio III. Quisnam sit, & possit esse Sacramentorum Minister? p. 73. n. 129.
Conclusio I. Solus homo viator est ordinarius Minister Sacramentorum. p. 74. n. 131.
Conclusio II. Angeli boni, & etiam mali, possunt esse extraordinarii Sacramentorum Ministri. p. 75. n. 132.
Argumenta solvuntur. p. 76. n. 134.
Rejicitur sententia asserens, Beatos esse Sacramentorum Ministros ordinarios. p. 77. n. 135.
Quæstio IV. An, & qualis debeat esse intentio Ministri ad valorem Sacramenti? p. 79. n. 138. **Explicatur intentio actualis, virtualis, & habitualis.** *ibid.*
Conclusio : Ad valorem Sacramenti necessaria est in Ministro intentio faciendi, quod Ecclesiæ facit, aut Christus fecit, quin sufficiat intentio faciendi solum actum exteriorem. p. 80. n. 140.
Argumenta solvuntur. p. 81. n. 142.
Quæres : Quæ intentio ex tribus explicatis n. 138. sufficiat? p. 84. n. 150.
Resolutio : Sufficit virtualis, sed non purè habitualis. *ibid.* n. 151.
Argumenta solvuntur. p. 86. n. 152.
Adversentia erga intentionem ad tollendos scrupulos. *ibid.* n. 153.
Intentio interpretativa non sufficit, nec conditionata de futuro; bene verò de præsentì, aut de præterito. p. 87. n. 154.
Argumentum. p. 88. n. 155.
Quæstio V. Quæ fides, & probitas requiratur in Ministro ad Sacramenti valorem? *ibid.* n. 156.
Deliramenta Novatianorum, ac eorum inceptio: Deliramenta Donatistarum, & aliorum similium: **Errores** Lutheri, & Calvini, etiam Ministri probitatem. *ibidem.*
Conclusio Catholica : Si Minister debitam intentionem habeat, & nihil essentialè Sacramenti deficiat, verè conficit Sacramentum, sive sit Paganus, sive Hæreticus, sive Schismaticus, sive maximus peccator. p. 89. n. 157.
Solvuntur Argumenta. p. 90. n. 159.
Quæstio VI. An liceat Sacramentum petere à malis Ministris? seu ab eis, quos scio in administratione peccaturos? p. 93. n. 164.
Quando quis præsumi debeat malus? *ibidem.*
Conclusio I. Licitum est in casu necessitatis petere, & recipere Sacramenta Baptismi, & Poenitentiae, à quocumque Ministro malo, etiam ab Ecclesiâ præleso. p. 94. n. 166.
Conclusio II. Si non adest necessitas, non licet petere Sacramentum à malo Ministro. p. 95. n. 168.
Argumenta solvuntur. p. 96. n. 169.
Doctrina subtilissima Scoti in præsentì materia. p. 97. n. 172.
Plures solvuntur casus ad moralitatem pertinentes. p. 98. n. 173.
Dubitabis : An Minister Sacramentorum peccet, quoties Sacramentum ministrat in peccato mortali? Referuntur varia DD. placita. p. 99. n. 174.
Dico I. Minister consecratus, & ex officio mortaliter peccat peccato sacrilegii. *ibid.* n. 175.

Dico

Dico 2. Probabile valde est, quòd etiam Minister, qui in Ecclesia non est specialiter deputatus pro Sacramentorum administratione, peccat mortaliter, si in peccato mortali administret. p. 100. num. 176. Et infringuntur responsiones n. 177.

Dico 3. Nec Subdiaconus, nec Diaconus, qui existentes sub mortali, exercent suum munus, hoc est, Evangelium, & Epistolam canunt solemniter, peccant mortaliter. Est contra plures. p. 101. n. 178.

Nec peccat Concionator verbum Dei prædicans in peccato. *ibid.*

Quid de Episcopo exercente Sacramentalia in peccato? *ibidem.* De ordinatis Ordinibus Minoribus. *ibidem.*

Objecta adversus assertiones solvuntur. p. 102. n. 179.

Ex quo oriatur obligatio ministrandi Sacramenta in statu gratiæ? p. 103. n. 181.

Petes : Quomodo Minister, qui se sentit sub mortali, præparare se debeat ad dignam Sacramentorum administrationem? Referuntur, & impugnantur asserentes, necessario præquiri præmittere confessionem. p. 104. n. 182.

Dico : Talem Ministrum teneri, vel accedere ad confessionem, vel elicere actum supernaturalis contritionis. *ibid.*

Minister, qui existens in peccato mortali distribueret Eucharistiam ab alio consecratam, non peccaret mortaliter. *ibi.*

Quæstio VII. An Minister debeat negare Sacramentum indignè petentibus? Referuntur sententiæ. *ibid.* n. 183.

Conclusio I. Non licet Sacramentum ministrare publico peccatori. p. 105. n. 184.

Conclusio II. Minister non debet negare Sacramentum peccatori occulto, publicè illud petenti. *ibid.* n. 185.

Conclusio III. Si peccator occultus
Tom. I.

privatim petat Sacramentum, & possit declinare sine scandalo, debet Minister illi denegare: neutiquam verò, si illud peccatum sciret per confessionem. Et præcluditur quædam replica. *ibid.* n. 186.
Argumenta adversus istas Conclusiones. p. 106. n. 187.

DISPUTATIO III.

De causalitate, ac effectibus Sacramentorum. p. 107.

Quæst. I. An, & quomodo Sacramenta nostra vim habeant conferendi gratiam. *ibid.* n. 189.

Exponuntur errores Hæreticorum, placitaque plura Catholicorum. p. 108. n. 190.

Explicatur quid sit causare gratiam ex opere operato, & quid ex opere operantis? *ibid.*

Conclusio I. Omnia novæ legis Sacramenta ex se gratiam sanctificantem causant, sive primam, sive secundam: & hoc ex opere operato. p. 109. n. 191.
Hæreticorum fundamenta evertuntur. p. 110. n. 193.

Conclusio II. Sacramenta mortuorum ex se conferunt primam gratiam; & per accidens possunt conferre secundam: Sacramenta autem vivorum è contra; per se secundam gratiam conferunt, & per accidens primam conferre possunt. p. 112. n. 197.

Responsiones rejiciuntur. p. 113. n. 199.

Objecta solvuntur. p. 114. n. 202.

Conclusio III. Etiam Sacramentum Eucharistiæ (de hoc est difficultas specialis) causare potest primam gratiam per accidens. p. 117. n. 207.

Objectio soluta. p. 118. n. 208.
Quid senserint aliqui olim de dispositione necessaria in adultis, ut Sacramenta gratiam possint illis conferre? Et demonstratur contra illos, sufficere attritionem superna-

Dddd

na-

- naturalem, cognitam ut talem, ad dignam Sacramentorum mortuorum receptionem. *ibid.* n. 209.
- Quæstio II. An Sacramenta causent gratiam physicè, an solùm moraliter? p. 119. n. 210.
- Scotica Conclusio: Sacramenta non sunt causæ instrumentales physicæ gratiæ, sed tantùm sunt causæ morales. p. 120. n. 211.
- Argumenta solvuntur. p. 123. n. 218.
- Quæstio III. An Sacramenta omnibus æqualem gratiam conferant? & quando causent illam: p. 128. n. 226.
- Conclusio I. Defacto Sacramenta ejusdem rationis, & speciei æqualem conferunt gratiam ex opere operato æqualiter dispositis: si vero sit inequalitas dispositionis in recipiente, major confertur gratia magis disposito; quæ gratiæ majoritas petitur, non ex parte Sacramenti, seu operis operati, sed ex parte operantis. p. 129. n. 227.
- Diversa Sacramentorum efficacia, pro diversa illorum dignitate, & excellentia. *ibidem.*
- Conclusio II. Quamvis gratia, quæ datur in Baptismo (sic in aliis Sacramentis) semper sit equalis, quantum est ex parte Sacramenti: in parvulis, vel adultis æquè dispositis; tamen de possibili, & ex speciali privilegio, potest uni communicari major, quàm alteri. *ibid.* n. 228.
- Argumentorum solutio: p. 131. num. 231.
- Resolutio dubii circa infantem, qui baptizari non potest. n. 235.
- Conclusio III. Nullum Sacramentum gratiam confert ex opere operato, nisi actu susceptum, & postquam est completum, & integrum. p. 135. n. 237.
- Argumenta solvuntur. *ibid.* n. 238.
- Quæstio IV. An Sacramenta aliam gratiam causent, quàm sanctificantem? & quomodo sint Sacramenta necessaria? p. 137. n. 241.
- Dico I. Sacramenta, præter gratiam habitualement, operantur in suscipiente jus quoddam morale ad gratias actuales proprias finibus singulorum, & quæ gratiæ Sacramentales dicuntur. p. 138. n. 242.
- Responsio, & ejus impugnatio. *ibid.* n. 243.
- Explicantur gratiæ Sacramentales in particulari. p. 139. n. 244.
- Dico II. Baptismus est omnibus necessarius necessitate medii ad salutem: Poenitentia sic etiã est necessaria peccatoribus adultis: Eucharistia est necessaria ex divino præcepto: & quomodo cætera Sacramenta necessaria sint. *ibidem* n. 246.
- Quænam olim fuerit consuetudo, ac obligatio ex præcepto, recipiendi Eucharistiæ Sacramentum. p. 140. n. 247.
- Argumenta soluta. p. 141. n. 249.
- Quæstio V. Quæ Sacramenta characterem imprimant? & quomodo sit ejus immediatum subjectum? p. 143. n. 252.
- Conclusio I. Baptismus, Confirmatio, & Ordo, characterem imprimunt: aliis vero novæ legis Sacramentis non competit characteris impressio. *ibid.* n. 253.
- Argumenta Hæreticorum infringuntur. p. 144. n. 255.
- Conclusio II. Character proximè, & immediatè recipitur in voluntate. p. 145. n. 258.
- Argumentorum solutio. pag. 146. n. 259.
- Corollaria ex dictis ad intelligentiam characteris. p. 148. n. 262.
- Quæstio V. Quid sit, & in quo consistat character Sacramentalis. *ibid.* n. 263.
- Vindicatur ab imposturis Subr. Doct. ejusque mens apertissimè proditur. *ibidem.*
- Quando celebratum fuit Concilium Florentinum, & Tridentinum? *ibidem.*
- Conclusio: quamvis probabile sit, characterem esse formam relativam: probabilius verò, ac longè

- verius est, esse formam absolutam: ac proinde hoc est absolute tenendum. p. 149. n. 265.
- Conclusio II. Character est forma indelebilis. p. 150. n. 268.
- Argumenta plura satis subtilia, enervantur. p. 151. n. 269.
- Casus singularis Formosi Pontificis. Doctrina notabilis pro hoc, & similibus casibus, erga fidem Summorum Pontificum. p. 154. n. 276.
- Dub. 1. An character subsistat post mortem, tam in Beatis, quàm in damnatis? Resolvitur affirmativè. p. 155. n. 277. Replicæ, & solutiones. *ibid.*
- Dub. 2. An in Christo Domino fuerit character Sacramentalis? Resolvitur negativè. p. 156. n. 278.
- DISPUTATIO IV.
- De suscipiendæ Sacramenta: de Sacramentalibus, & Sacris Cæremoniis. p. 157.
- Quæstio I. Quisnam sit suscipiens Sacramenta? Et quid requiratur in illo ad illa suscipienda? *ibid.* n. 279.
- Dico 1. Omnis, & solus homo viator, est subjectum Sacramentorum: sequitur verò in adulto, & ratione utente, consensus, seu intentio aliqua, ut validè Sacramenta suscipiat. *ib.* n. 280.
- Dico 2. non requiritur in suscipiente adulto intentio actualis, sed sufficit virtualis, imò habitualis, & interpretativa. p. 158. n. 282.
- Ad fructuosè recipienda Sacramenta, præter intentionem, adhuc aliæ desiderantur conditiones. *ibidem.*
- Quid de peccatore impenitente in extremis constituto: an illi debeat ministrari Sacramentum? p. 159. n. 284.
- Quæstio II. De Cæremoniis Sacris, & de Sacramentalibus. p. 160. n. 285.
- Quæ sint Sacramentalia. *ibid.*
- Dico 1. Licitus, & utilis est usus cæremoniarum Sacramentalium: easque Ecclesia instituere potest. *ibid.* n. 286.
- In Ecclesia est potestas instituendi Sacras Cæremonias: & solvitur quod Hæretici opponunt. p. 161. n. 287. Etiam mutandi, & statuendi, quod voluerit in Sacramentorum dispensatione. *ibid.*
- Dico 2. In Ecclesia dantur Sacramentalia, quibus in homine justo remittuntur ex opere operantis peccata venialia. p. 162. n. 288.
- Corollaria. 1. Sacramentalia sunt immediatè ab Ecclesia instituta per facultatem sibi à Christo datam. 2. Plura sunt Sacramentalia ad delenda venialia efficaciam habentia. Quare dicantur Sacramentalia, & in quo à Sacramentis; & modo causandi gratiam, distinguantur? Et denique alia plurima, ad quæ prosunt, & ab Ecclesia applicantur. p. 163. n. 290.

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI. ibidem.

Præmittitur quid Concilium Florentinum docuit de hoc Sacramen-
to. ibidem.

DISPUTATIO I.

De essentia, & existentia Sacramenti Baptismi. p. 164.

- Quæstio I. Quid sit Baptismus? Et quando à Christo fuerit institutus? ibid. n. 1.
 Conclusio I. Statuit, & explicat rectam Baptismi definitionem. p. 165.
 Hæreticorum definitiones, quas Sacramento Baptismi præstant, merito repudiatur. ibid. n. 3.
 Conclusio II. Probabilius est, Baptismum institutum fuisse ante Christi passionem: non tamen dum baptizatus est à Joanne Dominus in Jordane: nec in colloquio, quod cum Nicodemo habuit; sed paulo postquam Jesus baptizatus est. p. 166. n. 4.
 Doctrina pulcherrima V. M. Mariæ Agretensis de Baptismo Præcursoris, ac BB. Virginis Mariæ. p. 167. n. 6.
 Statuitur tempus fixum, & determinatum, in quo Baptismus institutus fuit à Domino: & uterque Doctor, nempe, Angelicus, & Subtilis, satis clarè conciliatur. p. 168. n. 8.
 Argumentis occurritur. ibid. n. 9.
 Annus, & dies, quo Christus suum Baptismum instituit. p. 170. n. 13.
 Quæstio II. Quando Baptismus sub præcepto incoeperit? p. 171. n. 14.
 Conclusio: Baptismus non statim, ac fuit institutus, cœpit esse sub præcepto: nec statim post Christi mortem, aut ejus resurrectionem: sed ejus obligatio generaliter, & quoad omnes, incoepit post sufficientem, & solemnem Evangelii promulgationem. ibid. n. 15.
 Responsiones rejiciuntur. p. 173. n. 17.
 Solvuntur objectiones. ib. n. 18.
 Demonstratur, nostram sententiam fuisse expressam D. Bernardi, aliorumque SS. Patrum. n. 21.
 Quæst. III. Resolvens plures difficultates ad dictorum intelligentiam valde conducentes. p. 175.
 Difficultas I. Quando facta fuerit sufficiens, & sollemnis Baptismi promulgatio, ita ut omnes cooperit obligare? ibid. n. 22.
 Idem, ac de Baptismo, intelligitur de sollemni promulgatione Evangelicæ legis. ibidem.
 Dico: Lex Baptismi obligare cœpit à die Pentecostes respectu Jerosolymorum, & quotquot Jerosolimis in illa die adfuerunt: respectu vero absensium successivè, & medio tempore prudenter sufficienti, ut illis solemniter publicari posset. ibid. n. 23.
 Assignari non valet regula certa pro singulis locis. p. 176. n. 25.
 Solvuntur aliquæ instantiæ, ex non recta nostræ doctrinæ intelligentia provenientes. ibid. n. 26.
 Quodnam sit remedium pro ignorantibus Baptismi præceptum? p. 177. n. 27.
 Quid dicendum de parvulis illorum, qui Baptismum ignorant? ibid.
 Difficultas II. Quando incoepit Baptismus esse utilis, & sufficiens, pro

- pro expiando originali peccato? p. 178. n. 28.
 Dico I. Baptismus utilis fuit, & sufficiens ad expiandum peccatum originale ante Christi Domini mortem. ibid. n. 29.
 Dico II. Tempore illo, quo Baptismus fuit utilis, non verè de præcepto, sed tantum de consilio, Circumcisio utilis fuit, & de præcepto: non verò tunc fuit ad salutem adeo necessaria, ut sine Circumcisione assequi non posset salutem æterna. p. 179. n. 30.
 Dico III. Per Baptismi legem mortua fuit lex Circumcisionis: non tamen statim, ac mortua, fuit mortifera, sed aliquantulum permixta mansit Judæis: non quidem, quia utilis, sed causa honoris ipsius Legis. ibid. n. 31.
 Corollarium triplex de morte Mosaycæ legis. p. 180. n. 32.
 Præceptorum veteris legis varietas, & diversitas, nempe, Moralium, Judicialium, & Ceremonialium, ac eorum explicatio. Insuper: quando, & quomodo, vetus lex mortua fuerit, quoad prædicta præcepta? ibi. n. 32. & 33.
 Solutio objectionum adversus has resolutiones. p. 181. n. 34.
 Explicatur, & ostenditur ex Subtili. ibid.
 Quid quomodo in Evangelica lege maneat adhuc præcepta Judicialia, Ceremonialia, & Moralia Mosaycæ legis? p. 183. n. 37.
 Quæst. IV. Quid sentiendum sit de Baptismo Joannis? p. 184. n. 39.
 Conclusio: Baptismus Joannis non fuit verum Sacramentum: atque adeo non causabat gratiam ex opere operato. ibid. n. 40.
 Resolvitur: An, & quomodo Baptismus Joannis à Deo institutus fuerit? p. 185. n. 42.
 Solvuntur Argumenta. ibidem. n. 41. & 42.
 Differentiæ inter Baptismata Christi, & Joannis. n. 43.
 Quæst. V. An Sacramentum Baptismi unum sit, aut multiplex Sacramentum? p. 186. n. 44.
 Triplex explicatur Baptismus, nempe, fluminis, fluminis, & sanguinis. ibid.
 Quæres: Quid sit Martyrium? Et quæ conditiones necessariae sint ad verum Martyrium? p. 187. n. 45.
 Conclusio I. Martyrium non est verum Sacramentum: confert verò gratiam ex opere operato. p. 188. n. 46.
 Responsio, & ejus efficax impugnatio. n. 48.
 Conclusio II. Solus Baptismus fluminis est verum Sacramentum: ac proinde Sacramentum Baptismi unicum est. p. 189. n. 49.
 Objectiones solutæ. p. 190. n. 50.
 Quæst. VI. De Baptismi necessitate: ac quomodo suppleri possit, tam in adultis, quam in parvulis? p. 192. n. 53.
 Quid de Baptismo senserint varii delirantes Hæretici? ibid.
 Dico I. Sacramentum Baptismi in re, vel saltem in voto, est necessarium omnibus necessitate præcepti, & medii. ibid. n. 54.
 Dico II. Quando in adultis necessitas impedit susceptionem Baptismi fluminis; haberi potest illius effectus per Baptismum fluminis, aut sanguinis. p. 193. n. 55.
 Dico III. Etiam in parvulis suppleri potest Baptismus in casu necessitatis per Martyrium illatum ipsi in odium fidei. ibid. n. 56.
 Argumenta solvuntur. p. 194. à num. 57.
 Inquis: An Baptismus sanguinis dignior sit Baptismo fluminis? Respondetur cum distinctione. p. 196. n. 62.
 Quæstio VII. De materia, tam remota, quam proxima Sacramenti Baptismi. p. 197. n. 63.
 Præcipui referuntur errores erga materiam Baptismi. ibid. n. 64.
 Conclusio I. Materia remota Baptismi sola est aqua naturalis. p. 98. n. 65.
 Corollaria notatu digna erga aquarum diversitatem, & illarum suffi-

- ficientiam, vel insufficientiam ad Baptismum. *ibid.* n. 66.
- Extra necessitatis casum solum aqua elementaris, ac benedicta est materia licite utenda. Et quando benedici debeat? p. 199. n. 67.
- Argumentis fit satis. *ibid.* n. 68.
- Quid sentiendum de aqua ex sale resoluta? p. 201. n. 72.
- Conclusio II. Materia proxima Baptismi est ablutio ab alio facta, & in corpore baptizati recepta. *ibid.* n. 73.
- Varii dicendi modi erga praedictam ablutioem. *ibid.*
- Conclusio III. Baptismus valide confertur, sive per effusionem, sive per aspersionem, sive per immersionem. Explicantur insimul istae ablutioes. p. 202. n. 75.
- Quando Ecclesia usa est baptizandi per aspersionem? quando per immersionem? Et denique ab Ecclesia statutum est, Baptismum solum per aquae infusionem conferri semper, extra casum necessitatis. *ibidem.*
- Conclusio IV. Ad Baptismi valorem requiritur ablutio notabilis, tam quoad partem corporis, quam quoad quantitatem aquae: at vero unica ablutio sufficit. p. 203. n. 76.
- Argumenta adversus istas Conclusiones solvuntur. p. 204. n. 78.
- Quare antiquus usus baptizandi per immersionem ab Ecclesia mutatus fuerit? p. 205. n. 81.
- Inquires: An validus esset Baptismus per immersionem occisivam collatus? Referuntur plurimae sententiae. p. 206. n. 82.
- Dico: Probabilius videtur, ablutioem directe occisivam non esse Baptismi materiam validam. *ibid.* n. 83.
- Objectionum solutio. p. 207. n. 84.
- Quaestio VIII. Quanam sit Baptismi legitima forma? & aliqua resolvuntur dubia. p. 208. n. 86.
- Varii errores, ac Haereses erga Baptismi formam referuntur. *ibid.*
- Conclusio I. Legitima forma Baptismi haec est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. p. 209. n. 87.
- Conclusio II. Invocatio explicita Personarum SS. Trinitatis hodie necessaria est ad Baptismi valorem. *ibid.* n. 88.
- Argumentis fit satis. p. 210. n. 89.
- Regula ad cognoscendum, quando Summi Pontifices ex Cathedra, seu definitive, loquuntur. p. 211. n. 92.
- Dubium I. An Baptismus sub Christi nomine datus aliquando fuerit validus? Affirmative resolvitur. p. 212. n. 93.
- Unde colligitur dispensatio baptizandi in nomine tantum Christi? p. 214. n. 96.
- Subdubitabis: An post Apostolorum tempora validus sit Baptismus sub hac forma collatus: *Baptizo te in nomine Jesu Christi*? *ibid.* n. 98.
- Referuntur Doctores, ac Patres affirmantes.
- Resolvitur: nunc temporis, & post Apostolos invalidum esse tale Baptismum. p. 215. n. 99.
- Dubium II. An pronomen *ego*, pronomen *te*, & verbum *baptizo* proferri, ac ex primi debeant in forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti? *ibid.* n. 100.
- Pronomen *ego* absolute non requiritur ab Baptismi valore. *ibid.*
- Pronomen *te*, vel aequivalens proferri debet. *ibid.*
- Quid hac in re intendat Florentinum. *ibidem.*
- Non est necessarium, quod verbum *baptizo* active proferatur. p. 216. n. 101.
- Quid sentiat Florentinum Concilium de forma Graecorum, in qua verbum *baptizo* passive usurpatur. *ibidem.*
- Quare Ecclesia Graeca modo passivo usurpavit Baptismi formam. *ibid.* n. 102.
- Adhuc Graecis Catholicis licet forma illa in Baptismo uti. *ibid.*
- An verbum *baptizetur* in Graecorum forma

- forma usurpatum, accipiatur deprecative, an imperative? p. 217. n. 103.
- Statuitur contra plures, necessariam esse in forma Baptismi invocationem explicitam trium Personarum SS. Trinitatis, quin implicita invocatio sit sufficiens. p. 218. n. 104.
- Nec sufficit invocatio explicita, quae non sit sub expressione propria personali, aut constitutiva divinae Personae. *ibid.*
- Solvuntur objectiones. *ibid.*
- Particula *in nomine* necessaria est in forma Baptismi: referunturque plures formae irritae ex defectu talis particulae. p. 219. n. 106.
- Quae sunt stabilienda in praxi pro Baptismo ministrando. pag. 220. n. 107.
- Quae simultas requiratur inter materiam, & formam Sacramentorum, & maxime Baptismi. *ibid.*
- Notabilis maxima Subtil. Doct. erga Baptismi administrationem. *ibid.* n. 108.
- DISPUTATIO II.
- De Ministro insimulque de subjecto Baptismi. p. 221.
- Quaestio I. Quidquid ad Ministrum Baptismi attinet declarans. *ibid.* n. 109.
- Duplex est Baptismi Minister, duplicique titulo ministrari potest. *ibid.* n. 110.
- Assertio I. Minister ordinarius Baptismi sollemnis solus est Episcopus, & Parochus: delegatus autem est Sacerdos quilibet, & etiam Diaconus esse potest. p. 222. n. 111.
- Assertio II. Quilibet homo viator, & rationis compos, qui abluere potest, & verba Sacramentalia proferre, licite baptizare potest privatim, urgente necessitate. p. 223. n. 114.
- Variæ Theologorum sententiae ab Ecclesia jam reprobatae. *ibid.*
- Tom. I.
- Quo sensu baptizandi jus SS. Patres mulieribus negaverunt. p. 224. n. 117.
- Assertio III. Unus Minister potest plures simul baptizare valide, & licite, si eos simul abluat, & formam in plurali proferat: attamen numquam licet, nisi maxima urgente necessitate. p. 225. n. 119.
- Idem pariter poterit aliquando valide, & aliquando invalide, a pluribus Ministris: numquam vero licite. *ibid.*
- Varietas opinandi circa unitatem, vel multiplicationem Baptismi a pluribus simul collati. p. 227. n. 122.
- Assertio IV. Baptizans necessario debet esse distinctus a baptizato. p. 229. n. 126.
- Objectiones contra assertiones istas solvuntur immediate ad unamquamque respective. *ibid.* n. 127.
- Quaestio II. Quis sit subjectum capax recipiendi Baptismum? p. 230. n. 128.
- Dico: Omnis, & solus homo viator, sive infans, sive adultus, capax est recipiendi hoc Sacramentum. *ibid.* n. 129.
- Argumenta solvuntur. *ibid.* n. 130.
- Dubium I. An semel baptizatus iterum baptizari possit. p. 231. n. 132.
- Poenae rebaptizantium statuuntur. *ibidem.* Et argumenta soluta. p. 232. n. 133.
- Dubium 2. Utrum, & quando adsit obligatio iterandi Baptismum? *ibid.* n. 134.
- Quando Baptismus censeatur dubius? *ibid.* n. 135.
- Dubium 3. An pueri expositi, seu qui reperiuntur ad valvas Ecclesiae, aut alicujus domus, baptizandi sint sub conditione? Affirmative. p. 233. n. 136.
- Quaeres: Quid faciendum, si infans schedulam Baptismi secum habeat appensam? Et quid de infante, quem obstetrix domi baptizat? Nonne baptizandi sunt iterum sub conditione? Affirmatur contra plures.
- Eeee res.

- res. *ibid.* n. 137.
Dubium 4. Quomodo peccet, qui sub conditione baptizat illum, quem certò scit non esse baptizatum? Et etiam quem scit non esse baptizatum, seu non est dubium prudens de illius Baptismo? p. 234. n. 138.
Dicendum sentio contra plures Theologos, Ministrum mortaliter peccare in utroque casu. *ibid.* n. 139.
Quæstio III. De requisitionem necessariis in adultis ad susceptionem Baptismi. p. 235. n. 140.
Quid faciendum cum adultis carentibus usu rationis? *ibid.*
Catechumenorum variaz classes, & gradus. Tres erant isti antiquitus, & quales. *ibid.* n. 141.
Dico 1. Adultus, qui nullatenus consentit, invalidè recipit Sacramentum Baptismi. n. 142.
Objectionum solutio. p. 236. n. 143.
Dico 2. Sufficit in adulto quilibet consensus ad valorem Baptismi. p. 237. n. 145.
Doctrina Subt. Doct. valde notanda in præsentia materia. *ibid.* n. 146.
Objectionum solutio. p. 238. n. 147.
Dico 3. Ut adultus, reus peccati actualis, licité, & fructuosè recipiat Baptismum, accedere debet sine fictione, & cum fide, spe, aliqua charitate, ac cum poenitentia, seu odio aliquo peccati. p. 239. n. 149.
Quotuplex possit esse fictio in Baptismo recipiendo? *ibid.*
Solvuntur argumenta. p. 240. n. 152.
Mens Subt. Doct. aperitur erga poenitentiam in adulto peccatore necessariam. p. 241. n. 153.
Dubitabis: Utrum illa poenitentia debeat esse contritio perfecta, vel attritio sufficiat? Et in quo actus isti differant? *ibid.* n. 154.
Dico: Sufficit attritio supernaturalis, ut adultus peccator licité, ac fructuosè recipiat Sacramentum Baptismi. p. 242. n. 155.
Solutio argumentorum. p. 243. n. 156.
Quæstio IV. An Sacramentum Baptismi validum possit esse, & informe? Aliquaue excitantur dubia occasione hujus difficultatis. p. 244. n. 158.
Dico: Sacramentum Baptismi validum potest esse, & informe. *ibid.* n. 159.
Idem asseritur de Confirmatione, & Ordine. *ibid.*
Confringuntur argumenta. p. 245. n. 160.
Dubium 1. Utrum alia Sacramenta possint esse valida, & informia? affirmativè de Extrema Unctione, & Matrimonio: negativè verò de Poenitentia, & aperitur sensus, quo asseri potest de Eucharistia. p. 246. n. 162.
Dubium 2. An Baptismus validus, & informis propter obicem peccati, reviviscat, & gratiam operetur, sublato obice? Respondetur affirmativè. *ibid.* n. 163.
Argumentorum solutio. p. 247. n. 164.
Quæstio V. Quomodo, & quæ peccata remittat Baptismus, obice ablato? p. 248. n. 166.
Obex gratiæ duplex est, & qualis. *ibid.*
Quædam prænotanda ex Subt. Doct. ad dubii resolutionem. *ibid.* n. 167. & 168.
Assertio I. Si Baptismus susceptus fuit cum obice negativo, seu sine peccato, tunc posita attritione supernaturali, totum suum sortitur effectum. p. 249. n. 169.
Assertio II. Baptismus cum fictione positiva susceptus, fictione recedente, suum effectum producit ex opere operato. *ibid.* n. 170.
Obex ille per poenitentiam tollitur. p. 250. n. 172.
Quæres: An peccatum concomitans integram Baptismi receptionem, remittatur postea, recedente fictione, virtute Baptismi, vel Poenitentia? p. 251. n. 173.
Proponitur, & explicatur, quomodo evenire potest casus, modus dicendi referuntur, & nostra resolu-

lu-

- lutio statuitur. *ibid.*
Assertio III. Sacramentum Baptismi reviviscens quandoque gratiam confert, ut causa totalis, quandoque, ut tantum partialis. Exponitur quomodo mysterium hoc contingat. p. 252. n. 174. & 175.
Doctrina valde notanda in præsentia materia. p. 253. n. 177.
Argumentis fit satis ad finem harum assertionum respectivè. *ibid.*
Quæres: Quid dicendum sit de aliis Sacramentis? Et proponitur varietas, qua Authores discurrunt. p. 254. n. 178.
Dicendum sentio sic: cætera Sacramenta, præter Poenitentiam, quæ valida possunt esse, & informia, ablato obice, reviviscunt, & gratiam operantur. *ibid.* n. 179.
Quæstio VI. An infidelium infantes, invitibus parentibus, licité, & validè baptizari possint? p. 255. n. 180.
Quid in præsentia controversia intelligatur nomine Infidelium? Ac statuitur, omnibus Theologis consentientibus, filios Hæreticorum, & Apostatarum, ipsis invitibus, licité baptizari posse. *ibid.* n. 181.
Infideles non baptizati in triplici differentia considerari debent: nec de illis omnibus est controversia præsens, in quo nobiscum conveniunt Adversarii. p. 256. n. 182.
Aperitur, ac stabilitur sensus controversiæ, & referuntur Authores pro utraque parte. *ibid.* n. 183.
Nostra Conclusio: Pueri infidelium civiliter, & politicè Christianis Principibus subditorum, licité possunt baptizari, parentibus invitibus, accedente mandato Principis, & præhabitis cautelis, à Subt. Doct. pulchrè assignatis. p. 257. n. 184.
Responsio ad primam rationem probativam, & ejus infractio. *ibid.* n. 185. & seq.
Probatur Conclusio ex aliquibus casibus ab Adversariis concessis, & in quibus eademmet difficultas currit de læsione paternæ potestatis,
Tom. I.
 quam contra nos suadere tentant. p. 259. n. 187.
Objectiones solvuntur. *ibidem* à n. 188.
Præclarissimi referuntur Catholici Principes, qui laudabiliter secuti fuerunt sententiam Scoti. p. 262. n. 192.
Corollaria aliqua ex dictis. p. 264. n. 196.
Dubium: An sanctificatus in utero materno post Evangelii promulgationem, baptizari deberet? Affirmativè. *ibid.* n. 197.
 DISPUTATIO III.
 De effectibus Baptismi, ac de ejus Cæremoniis.
 Quæstio I. De effectibus principalioribus Sacramenti Baptismi. p. 265. n. 198.
Conclusio Catholica: Baptismus causat gratiam sanctificantem, per quam prorsus deletur peccatum originale in parvulis; & adhuc omnia peccata actualia in adultis quæ ad culpam, & totam poenam, quæ ingressum remoretur in æternam patriam. *ibid.* n. 199.
Solvuntur objectiones Hæreticorum. p. 266. n. 201.
Quæst. II. De aliis effectibus Sacramenti Baptismi. p. 267. n. 204.
Dico: In Baptismo, simul cum gratia justificante, conferuntur habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis. *ibid.* n. 205.
Etiam virtutes morales, si istæ sint per se infusæ. p. 268. n. 206.
Rejiciuntur alii effectus ab Hæreticis confecti, eò quòd sint suæ laxitati valde consentanei. *ibid.* n. 207.
Solvuntur, & clarè explicantur, aliqua Sacræ Scripturæ loca, quibus Hæretici ad suam pravam intelligentiam abutuntur. n. 209.
Quæst. III. De Cæremoniis Baptismi antecessibus, comitantibus, & sequentibus. p. 269. n. 210.
 Eccc 2 Quæ-

Quæres : An Exorcismus , & alia
ceremoniæ , quæ adhibentur in
Baptismo , aliquos habeant effec-
tus ? Respondetur affirmativè , &
assignantur quales sint. p. 270. n.
214.

De Patrinis baptizati , ac de eorum
muneribus , & obligationibus : ac
pariter de his , qui à ministerio
Patrini excluduntur. *ibid.* n. 215.

& seq.

Interrogas denique : an de facto li-
ceat alicui se circumcidere ob
Christi Domini imitationem , vel
mortificationis gratia ? Aperitur sen-
sus hujus difficultatis , lege Bap-
tismi jam obligante. p. 271. n. 218.
Respondetur absolutè negativè , &
solvuntur rationes oppositum sua-
dere intendentes. p. 272. n. 219.

TRACTATUS III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS. p. 273.

Præmittitur , quid de hoc Sacramento dixerit Concilium Florentinum.
ibidem.

DISPUTATIO UNICA.

Continens quidquid ad hoc Sacramentum attinet. p. 274.

Quæstio I. An Confirmatio sit ve-
rum novæ legis Sacramentum.
ibid. n. 1.

Conclusio affirmativa , & Catholica.
ibid. n. 2.

Hæreticorum objectiones enervantur.
p. 275. n. 4. & seq.

Resolvitur , quid sit Confirmatio , tam
physicè , quam metaphysicè con-
siderata. p. 276. n. 6.

Quæres : A quo , & quando instituta
fuerit Confirmatio ?

Referuntur , & refutantur aliquæ sen-
tentia , ac nostra , uti probabi-
lior stâbilitur. *ibid.* n. 7. & seq.

Quæst. II. De materia Sacramenti
Confirmationis. p. 277. n. 10.

Nostri Conclusio : Necessarium est
necessitate Sacramenti , quod Con-
firmatio conferatur chrismate con-
fecto ex oleo , & balsamo. p. 278.
n. 12.

Argumentorum solutio. *ibid.* n. 13. &
seq.

Quæres I. An Confirmatio valeat con-
ferri per solam manuum imposi-
tionem , uti confirmabant Aposto-

li ? Aut saltem manuum impositio
sit etiam materia necessaria hujus
Sacramenti p. 280. n. 16.

Resolutio nostra est : Unctionem chris-
maticam necessariam esse necessi-
tate Sacramenti : nullamque aliam
manuum impositionem , distinctam
ab ea , quæ requiritur in ipsamet
chrismatis unctione , necessariam
esse ad ejus valorem. *ib.* n. 17.

Quæres II. An sit de essentia Con-
firmationis , quod chrismatica unc-
tio fiat in fronte , & in modum
crucis ? Affirmativè respondetur. p.
281. n. 19.

Quæst. III. Quomodo sit necessarium,
chrisma consecrari ab Episcopo ?
ibid. n. 20.

Conclusio I. Necessarium est necessi-
tate Sacramenti , quod chrisma,
consecratum sit ab Episcopo , sal-
tem tamquam à consecrante ordina-
rio. p. 282. n. 21.

Benedictio chrismatis , quo in verti-
ce unguatus baptizati , committi non
potest Sacerdoti ab Episcopo , quam-
vis ceremonialis sit , & non de
Bap-

Baptismi essentia , talis verticalis
unctio. p. 283. n. 24.

Conclusio II. Chrismatis consecratio
ab Apostolica Sede committi po-
test simpliciter Presbytero. *ibidem.* n.
25.

Rationes aliquæ , quibus Conclusio
hec ab aliquibus suadetur Theolo-
gis , videntur inefficaces , & pa-
rum urgentes. *ibid.*

Probatio nostra , & quidem efficax.
pag. 284. n. 26.

Hæc delegatio nulla esset , si fieret
ab Episcopo. Quod quidem est ve-
rum , & tenendum , etiamsi chris-
matis confectio ad Episcopos atti-
neret jure tantum Ecclesiastico.
p. 285. n. 29.

Quæstio IV. De forma Sacramenti
Confirmationis. Variæ referuntur
opiniones : variæque , atque anti-
quatæ formæ Confirmationis. p. 286.
n. 30.

Dico I. Forma Ecclesiæ Latine pro-
pria est , & adæquata. *ibidem.* n.
31.

Dico II. Forma Ecclesiæ Græcæ ve-
ra est , & sufficiens. pag. 287.
n. 32.

Dico III. Validum est Sacramentum
Confirmationis cum quacumque
forma , quæ conveniat in sensu , &
substantia , cum Latina , aut Græ-
ca. *ibid.* n. 33.

Advertentiæ aliquæ erga valorem , aut
nullitatem formæ. *ibid.* n. 34.

Quamvis Græci pluribus utantur unc-
tionibus (ac exponuntur) in Con-
firmatione : in unica verò tantum ,
quæ fit in fronte , stat essentia hu-
jus Sacramenti. p. 288. n. 35.

Solvitur argumentum valorem im-
pugnans formæ Græcorum. *ibidem.*
n. 36.

Dubitas : An , dum Apostoli fideles
confirmabant , aliquam adhibue-
runt formam ? p. 289. n. 37.

Resolvitur dubium conformiter ad su-
perius dicta de usu chrismatis , &
juxta diversa Doctorum placita.
ibidem.

Doctrina Subt. Doct. tam pro ple-

niori difficultatis intelligentia , quàm
pro plurium argumentorum solu-
tione. *ibid.* n. 38. & 39.

Quæstio V. De Ministro proprio Sa-
cramenti Confirmationis : & du-
plex distinguitur Minister. p. 290.
n. 40.

Plures referuntur sententiæ , & modi
dicendi. *ibid.* n. 41.

Conclusio I. Simplex Sacerdos non
est Minister ordinarius Confirma-
tionis. Est de fide. *ibid.* n. 42.

Conclusio II. Solus Episcopus , jure
divino , & ex Christi institutione ,
est Minister ordinarius Confirma-
tionis. p. 291. n. 43.

Argumentorum solutio. p. 292. n. 45.

Quomodo Presbyteri , & quomodo
Episcopi Apostolis succedant pag.
295. n. 51.

Nomen Presbyteri , & Sacerdotis
olim conveniebat Episcopis. *ibid.*
n. 52.

Conclusio III. Etiam simplex Sacer-
dos potest ex dispensatione , seu
extraordinaria facultate conferre
Confirmationem. *ibid.* n. 53.

Ratio probativa efficacissima. p. 297.
n. 56. & 57.

Argumentorum solutio. *ibid.* n. 58.

Chorepiscopi qui olim dicebantur ? p.
298. n. 60.

Conclusio IV. Ut simplex Presbyter
valide confirmare possit , necessa-
ria est in Ecclesia Latina , (quæ
vocatur Occidentalis) expressa de-
legatio Summi Pontificis : in Ec-
clesia verò Græca (quæ Orienta-
lis dicitur) sufficit consuetudo per-
antiqua , & universim recepta ,
quam approbet , aut saltem per-
mittat Summus Pontifex. p. 300. n.
64.

Convelluntur argumenta adversus u-
tramque Conclusionis hujus par-
tem. p. 301. n. 67.

Benedicti XIV. doctrina valde nota-
bilis in hac materia. p. 302. n. 68.

Quæst. VI. De subjecto , et necessi-
tate Confirmationis. *ib.* n. 70.

Dico I. Subjectum capax Sacramen-
ti Confirmationis est quilibet , &

- solus baptizatus, sive ante, sive post usum rationis: congruum tamen est, usum rationis expectare ad ejus susceptionem. p. 203. n. 71.
- Quæres: An Ægroti, amentes, & Energumeni sint confirmandi. p. 304. n. 74.
- Respondetur affirmativè. ibid.
- Interrogabis: Quorum Sacramentorum incapaces sint parvuli, & amentes? Et quare illorum sint incapaces? p. 305. n. 75.
- Dico II. Sacramentum Confirmationis necessarium non est fidelibus, necessitate mediæ, nec præcepti divini, aut Ecclesiastici, per se, & directè, eos obligantis. ibid. n. 76.
- Dico III. Confirmationis Sacramentum necessarium est in Ecclesia universali respectivè. p. 306. n. 77.
- Dico IV. Præceptum formale adest de Confirmatione non contemnenda. ibid. n. 78.
- Quis dicitur, aut dici potest, Confirmationem contemnere? ibid.
- Quæst. VII. De effectibus, & Cæremoniis Confirmationis. pag. 307. n. 81.
- Dico I. Sacramentum Confirmationis, præter augmentum gratiæ habitualis, quod causat in recipiente illud cum debita dispositione, confert gratiam animæ roborativam, & specialia auxilia, quibus homo roboratur, & fulcitur, ad christianam fidem confitendam, & fidei certamen fideliter consummandum. p. 308. n. 82.
- Diversitas gratiæ corroborativæ explanatur. ibid.
- Dico II. Character impressus in Confirmatione distinctus est à characterè baptismali. ibid. n. 83.
- Quæres: An character impressus in Confirmatione iterari possit, aut sit initerabilis, & indelebilis? p. 309. n. 84.
- Respondeo, iterari non posse. ibidem.
- Agitur de cæremoniis, & ritibus Confirmationis: de alapa, quæ confirmato tribuitur; ac de nominis immutatione, si velit. p. 310. n. 86.
- De Patrinis confirmandorum, & de cognatione spiritali resultante. ibid. n. 87.
- Dubium 1. An vi suæ regulæ interdictum sit Fratribus Minoribus esse Confirmationis compadres, sicut Baptismi: Et resolvitur. p. 311. n. 88.
- Dubium 2. An si, qui confirmatus non est, Patrinus esset Confirmationis, contraheret cum confirmato spiritualem cognationem? ibid. n. 89.
- Resolutio affirmativa contra plures. ibid.
- Dubium 3. An qui scienter iteratò Confirmationem ministrat poenam incurrat irregularitatis, sicut incurrit rebaptizans? pag. 312. n. 90.
- Respondetur negativè. ibidem.
- Quæres pro complemento hujus Disputationis: Utrum Sacramentum Confirmationis majus, & excellentius sit Sacramento Baptismi? ibid. n. 91.
- Resolvitur, Confirmationem præstantiorem esse quoad aliqua: & quoad aliqua Baptismum esse præstantiorem. ibid.

TRACTATUS IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ. P. 313.

Præmittitur, quod Concilium Florentinum statuit de hoc Sacramento. ibidem.

DISPUTATIO I.

De Poenitentia, ut est quædam virtus. P. 314.

- Quæstio I. An, & quid sit Poenitentia, in quantum virtus est? ibid. n. 1.
- Conclusio: Poenitentia non est nuda cessatio à peccatis, aut pura resipiscentia, sed etiam est verus dolor de offensis præteritis. Est contra Sectarios. p. 315. n. 3.
- Infringuntur Hæreticorum argumenta. p. 316. n. 6.
- Quæstio II. An, & quænam virtus sit Poenitentia? Et ad quam ex virtutibus sit reducenda? p. 317. n. 8.
- Explicatur quotuplex virtus sit, & accipiat? n. 8. & 9.
- Conclusio I. Poenitentia est vera virtus. p. 318. n. 10.
- Argumentorum solutio. ibid. n. 11.
- Prænotantur aliqua pro aliorum solutione: & pro requisitis ad veram poenitentiam. p. 319. n. 13.
- Conclusio II. Poenitentia est virtus specialis. ibid. n. 14.
- Solvitur argumentum: & aliqua ex Patribus, & Conciliis, pro aliis solvendis notantur. p. 320. n. 15. & seq.
- Conclusio III. Poenitentia non est virtus theologica, sed moralis. p. 321. n. 18.
- Conclusio IV. Poenitentia non est virtus per se infusa, sed acquisita. p. 322. n. 21.
- Argumenta solvuntur. p. 323. n. 23.
- Conclusio V. Poenitentia est virtus distincta à charitate, & à religione: proindeque non reducitur ad has virtutes. p. 324. n. 26.
- Conclusio VI. Poenitentia reducitur ad justitiam: non quidem ad commutativam, neque distributivam, sed ad justitiam vindicativam, seu punitivam. ibid. n. 27.
- Argumenta adversus omnes partes Conclusionis solvuntur. p. 325. n. 30.
- Duplex corollarium, in quo annumerantur omnes virtutes morales, quæ reducuntur ad quatuor Cardinales. p. 326. n. 34.
- Quæstio III. resolvens quidquid ad objectum Poenitentiae attinet. p. 327. n. 35.
- Dico 1. Objectum proximum, seu immediatum materiale Poenitentiae est omnis actus, quo poenitens punit in se peccatum: mediatum verò, & remotum est omne peccatum ab illo commissum. ibidem. n. 36.
- Dico 2. Objectum formale, ac specificativum virtutis Poenitentiae est peccatum, ut vindicabile: seu punibilitas ipsius peccati. p. 328. n. 37.
- Satisfit argumentis, adversus has resolutiones militantibus. ibid. n. 38.
- Ad meliorem dictorum intelligentiam triplex assignatur observatio. p. 330. n. 43. & 44.
- Quæst. IV. Quidquid ad subjectum Poenitentiae attinet, declarans. p. 331. n. 45.
- Conclusio I. Poenitentia, ut est virtus

- tus, immediatè residet in voluntate. *ibid.* n. 46.
- Argumentorum solutio. p. 332. n. 47.
- Conclusio II. Poenitentia propriè, & formaliter solùm est in peccatoribus post lapsùm poenitentibus. *ibidem* n. 49.
- Conclusio III. in Beatis non est poenitentia, nisi impropiè, & quoad aliquos actus: & similiter in Angelis: at verò quoad habitum in illis manet, in quibus in hac vita stetit. p. 333. n. 50.
- Potuit etiam esse Poenitentia in statu innocentia. *ibid.* n. 51.
- Conclusio IV. Nec Dæmones, nec damnati habent habitum Poenitentia. *ibid.* n. 52.
- Solvitur argumentum. *ib.* n. 53.
- Inquires: An in Christo Dominò, & ejus Immaculatà Matre, fuerit virtus Poenitentia? p. 334. n. 54.
- Proposita varietas opinandi, exorta ex diverso modo sumendi Poenitentiam. *ibidem*. Et excitantur difficultates sequentes.
- Difficultas I. Qui, & quales sint actus Poenitentia virtutis? Explicaturque, quiaam sint illius actus elicit, & quinam imperati? *ib.* n. 55. & 56.
- Dico I. Velle vindicare, seu punire peccatum, est proprius Poenitentia actus. p. 335. n. 57.
- Argumenti solutio. *ibid.* n. 58.
- Dico II. Odium, detestatio, ac displicentia peccati sunt veri actus virtutis poenitentia. p. 336. n. 60.
- Solvuntur argumenta. *ib.* n. 61.
- Advertentia quædam ad aliorum intelligentiam. p. 337. n. 63.
- Difficultas II. An actus poenitentia ad justificationem disponentes debeant esse supernaturales? *ibidem* n. 64.
- Responsio est contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos: necessariò debere esse supernaturales, provenientes ab auxilio gratia Dei, excitantis, & adjuvantis. p. 338. n. 65.
- Vindicatur Subt. Doct. ab imposturis aliquorum, ipsum non intelligentium. *ibid.* n. 66.
- Solvuntur argumenta. p. 339. n. 68.
- Quæstio V. Quomodo virtus poenitentia necessaria sit peccatori? *ib.* n. 69.
- Conclusio I. Poenitentia, quæ est animi dolor, ac detestatio peccati commissi, cum firmo proposito de cætero non peccandi, necessaria est, & fuit, ad peccatorum veniam impetrandam, quovis tempore: & hoc necessitate medii. Est de fide contra Lutheranos. p. 340. n. 71.
- Argumenta, & replica Hæreticorum solvuntur. p. 341. n. 73.
- Conclusio II. Quamvis regulariter necessaria sit poenitentia, & quæ formalis sit, ad peccatorum remissionem: sufficit tamen Poenitentia virtualis. Et explicatur, quid hæc sit, nempe, actus extremæ charitatis. p. 342. n. 78.
- Argumento satisfit. p. 343. n. 80.
- Conclusio III. Possunt de potentia Dei absoluta peccata remitti, sine ulla poenitentia formali, nec virtuali. p. 344. n. 82.
- Argumentum solvitur. *ib.* n. 83.
- Conclusio IV. Peccator tenetur sub præcepto agere poenitentiam, quod præceptum est de lege positiva, & naturali. p. 345. n. 85.
- Solutio argumenti. p. 346. n. 87.
- Quæst. VI. Quando obligat præceptum de Poenitentia agenda? *ibid.* n. 89.
- Concl. I. Præceptum Poenitentia non obligat statim post commissum peccatum mortale. p. 347. n. 90.
- Argumenta plura infraguntur. *ibid.* n. 92.
- Concl. II. Præceptum Poenitentia per se obligat, instante mortis periculo: & etiam in aliis temporibus vitæ, & occasionibus. p. 349. n. 97.
- Proponuntur alia tempora, & occasiones, in quibus obliget. p. 350. n. 98.
- Conclusio III. Valde periculosum est, Poenitentiam differre usque ad extremam.

- tremum vitæ: atque idè, qui illam differunt, mortaliter peccant. *ibid.* n. 100.
- Quæres: An, qui non poenitet, quando plenè advertit, se esse in peccato mortali, graviter peccet? Mens nostra cum distinctione aperitur, & modi dicendi satis conciliantur. p. 351. n. 102.
- Quæst. VI. Quæ remittantur peccata per veram Poenitentiam? p. 352. n. 103.
- Referuntur errores varii erga controversiam præsentem. *ibid.* n. 104.
- Conclusio I. & Catholica: Omne peccatum, quantumvis grave, per perfectam poenitentiam remitti potest. p. 353. n. 106.
- Infringuntur Hæreticorum objecta. p. 354. n. 107.
- Conclusio II. Per Poenitentiam non potest remitti unum peccatum mortale sine alio de via ordinaria, & juxta præsentem divinam providentiam. p. 355. n. 111.
- Solutio argumenti. *ibid.* n. 112.
- Si quæras: An per Dei potentiam, seu extraordinariam dispositionem, possit unum mortale sine alio remitti? Resolutio hujus difficultatis pendet ex diversis Scholarum fundamentis, Tract. de peccatis, & de gratia sanctificante. Ostenditur totum. p. 356. n. 114.
- Interrogas: Per quid & quomodo remittatur peccatum veniale? Et explicatur ejus natura. *ibid.* n. 115.
- An verò ad venialium remissionem prærequiratur status gratia? Affirmat Doct. Sub. *ibid.* n. 116.
- Respondeo ad interrogationem: peccatum veniale remittitur, quantum ad reatum culpa, & poenæ per poenitentiam formalem, aut virtutalem: per Sacramentorum dignam receptionem: per quodlibet opus meritorium: & per Sacramentalia. p. 357. n. 117.
- Quomodo per Sacramentalia remittantur? *ibidem*.
- Quæst. VIII. An culpa per Poenitentiam remissa, manent adhuc reatus poenæ temporalis? Et quomodo solvi possit talis reatus? *ibid.* n. 119.
- Conclusio: Dimisso per Poenitentiam peccato mortali, quoad reatum culpa, remanet sepè in poenitente reatus poenæ temporalis. Est de fide contra Calvinistas. p. 358. n. 120.
- Argumenta Calvini diluuntur. p. 359. n. 122.
- Quomodo solvatur in hac vita poenæ, quæ post peccata gravia remissa, adhuc restat luenda. p. 360. n. 126.
- Quæst. IX. Continens aliquas difficultates, huc spectantes, & sunt sequentes. p. 161. n. 127.
- Quæres I. Quid sentiendum sit de poenâ pro peccato veniali debita? Explicantur sensus, in quibus difficultas excitatur, & resolvitur, conformiter ad illos. *ibid.*
- Quæres II. Quando, & quomodo remittatur peccatum veniale decedentibus in gratia? referuntur quatuor modi dicendi erga hoc difficilimum dubium, & probabilior eligitur. *ibid.* & n. 129. usque ad 132.
- Quæres III. An merita per peccatum mortificata reviviscant in peccatoris justificatione? Plures referuntur sententia, quarum varietas pendet ex diversitate opinandi in Tract. de merito justorum, ad quod directè attinget difficultas præsens. p. 363. & n. 133.
- Efficacia, & virtus Poenitentia tanta, ac tam excellens est, ut per illam reverè reviviscant opera meritoria per peccatum mortificata: & etiam quantum ad gratiam, & gloriam deperditam. *ibid.* n. 136.
- Quæres IV. An peccata semel remissa per Poenitentiam per subsequent peccatum reviviscant, & denuò imputentur ad culpam, & poenam. p. 364. n. 137.
- Dico: Peccata per Poenitentiam semel remissa non reddunt simpliciter

ter per illum subsequens peccatum mortale, quoad reatum culpæ, nec poenæ: reddunt verò secundum quid. Explicatur hoc. *ibid.* n. 138.

Objecta ex Scriptura desumpta solvuntur. p. 365. n. 140.

DISPUTATIO II.

De Sacramento Poenitentiae, ac de ejus partibus in communi. p. 367.

Quæst. I. An Poenitentia sit verum novæ legis Sacramentum? Et quando fuerit institutum? *ibid.* n. 143.

Varia, ac nobiles appellationes, quas Sacramento Poenitentiae tribuunt SS. PP. *ibid.* n. 143.

I. Conclusio *Poenitentia* est verum novæ Legis Sacramentum, à Christo Domino institutum. Est de fide contra plures Hæreticos, maxime Novatianos. p. 368. n. 145.

Infringitur fundamentum Novatianorum. p. 369. n. 147.

II. Conclusio: Poenitentia est Sacramentum à Baptismo distinctum. p. 370. n. 149.

Argumento Hæreticorum satisfit. *ibid.* n. 150.

III. Conclusio: Hoc Poenitentiae Sacramentum institutum fuit à Christo Domino post suam Sacratissimam Resurrectionem. p. 371. n. 152.

Argumenti solutio. p. 372. n. 154. Institutum fuit à Christo, nedum quoad formale, sed etiam quoad materiale Sacramenti. n. 157.

Quatuor præcipuæ observationes ad infrigendas Calvinianas cavillationes. p. 373. n. 158. Factum Nectarii de abroganda confessione, mendosè adducitur ab Hæreticis. *ibid.*

Quæstio II. De materia, tam remota, quam proxima hujus Sacramenti: explicaturque differentia, quæ adest in materia hujus, & aliorum Sacramentorum. p. 374. n. 161.

Conclusio I. Peccata omnia post Bap-

tismum commissa, sunt materia remota, & circa quam, Sacramenti Poenitentiae: materia verò illius proxima sunt tres poenitentis actus, nempe, contritio, confessio, & satisfactio. *ibid.* n. 162. Argumentum proponitur. p. 375. n. 164.

Conclusio II. Peccata venialia, sicut & mortalia, valide confessata, & remissa, sunt materia sufficiens, sed non necessaria, hujus Sacramenti. p. 376. n. 166.

Argumenta solvuntur. p. 377. n. 169. Genuinus sensus absolutionis, quando peccata jam sunt remissa. *ibid.* n. 171.

Quæst. I. An peccata venialia, quæ ex se sunt materia sufficiens, & non necessaria Poenitentiae, aliquando sint, aut esse possint, materia necessaria? p. 378. n. 172.

Quomodo distinguantur peccatum mortale, & veniale? *ibid.* n. 173. Respondeo quæsito affirmativè. *ibid.* n. 174.

Quæst. II. An Ecclesia possit præcipere venialium confessionem? Responsio affirmativa. p. 379. n. 175. Argumentum solvitur. *ibid.* n. 176.

Quæst. III. An peccatorum jam dimissorum iterata confessio, & absolutio, sint fructuosæ, ac de temporali poena pro peccatis debita, aliquid remittant? p. 380. n. 178.

Dico: Iterata confessio peccatorum, novo dolore informata, salubris est, & fructuosa. p. 381. n. 180.

Objectorum solutio. *ibid.* n. 182.

Quæst. III. Quanam sit, & debeat esse forma hujus Sacramenti pag. 382. n. 183.

Quædam præmittuntur de verbis antecedentibus, & sequentibus absolutionem. *ibid.*

Conclusio I. Per se loquendo, & extra necessitatis casum, proferri debent à Sacerdote hæc verba: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* p. 383. n. 185.

Conclusio II. Sola verba illa: *Absolvo*

vo te, constituunt essentialiter formam hujus Sacramenti: ac proinde sufficiunt ad illius valorem. *ibid.* n. 186.

Solvuntur fundamenta Adversariorum pro qualibet opinione illorum. pag. 385. n. 188.

Non obstante doctrina communiori Theologorum, nostrum aperimus judicium. p. 386. n. 192.

Corollaria tria scitu digna pro valore formæ absolutionis, dum non adest mutatio illius substantialis. p. 387. n. 194.

Quæstio IV. An absolutio ad sui valorem necessariò debeat esse vocalis? Et an possit per litteras poenitens absens absolvi? p. 388. n. 195.

I. Conclusio: Sacramentalis absolutio necessariò necessitate Sacramenti debet esse vocalis, seu voce expressè exprimi. *ibid.* n. 196.

II. Conclusio: Nedum illicita, sed etiam omnino invalida est absolutio collata absentem. *ibid.* n. 197.

Plura enervantur argumenta adversus utramque Conclusionis partem. p. 389. n. 198.

Quæst. I. An validum sit Sacramentum, si poenitens sua peccata per litteras mittat Confessario, & postea in sua præsentia dicat, se accusare de his omnibus, quæ scripsit, & sic in præsentia absolvetur à Confessario? p. 392. n. 207. Affirmativè. *ibid.*

Solvitur argumentum. *ibid.* n. 208.

Quæst. II. An in aliquo casu extreme necessitatis, in quo solus Sacerdos mutus esset præsens, posset nutibus, vel aliquo signo poenitentem absolvere? Negativa responsio. *ibid.* n. 209.

Quæstio V. An absolutio verbis deprecativis: & etiam sub conditione collata, esset valida? p. 393. n. 210.

Conclusio I. Invalida, & nulla est absolutio Sacramentalis expressa verbis deprecativis. Debet ergo, ut valida sit, proferri verbis indicativis. *Tom. I.*

cativis, aut imperativis, p. 394. n. 212.

Conclusio II. Valida esset absolutio sub conditione de præsentem, vel præterito: invalida verò, & nulla, sub conditione de futuro. *ibid.* n. 214.

Argumenta adversus primam Conclusionis partem enervantur. p. 395. n. 216.

Duplex notabile pro aliorum solutione. p. 398. n. 222.

Argumenta adversus secundam partem. *ibid.* n. 223.

Quæstio VI. An absolutio Sacramentalis verè remittat peccata poenitentis? p. 399. n. 226.

Varia aliis titulis difficultas hæc solet excitari, *ibid.*

Refutantur multæ, ac valde diversæ Theologorum opiniones, erga sensum illorum verborum: *ego te absolvo.* *ibid.* n. 227.

Conclusio: Sacerdos per verba: *ego te absolvo à peccatis tuis*, verè, & propriè, peccata remittit, quoad reatum culpæ, & poenæ æternæ: & consequenter non declarat poenitentem solùm absolutum à peccatis. *ibid.* n. 228.

Quo sensu solus Deus dicatur peccata remittere. p. 400. n. 230.

Refutantur efficaciter sensus, qui verbis absolutionis tribuuntur à Theologis, præsertim antiquis. p. 401. n. 231.

Objectiones franguntur. *ibid.* n. 232.

Ex præcedente doctrina plura constant ad aliorum solutionem, & dictorum clariorem intelligentiam. p. 403. n. 235.

Erroneum, & hæreticum dogma Antonii de Dominis proscribitur. *ibid.* n. 237.

Quæst. VII. An Sacramentum Poenitentiae constituatur essentialiter ex absolutione, & actibus poenitentiae, tamquam ex partibus intrinsicis. p. 404. n. 239.

Conclusio: Sacramentum Poenitentiae intrinsecè, & essentialiter, constituitur ex absolutione, & actibus. *Fiff 2 bus*

- bus actibus poenitentis. ibidem. n. 241.
- Solvuntur argumenta. p. 405. n. 242.
- In aliquibus sequelis aliquæ solutæ manent replicæ. ib. n. 243. & 44. & 45.
- Quæres: Quomodo partes hujus Sacramenti ingrediantur in illo? Est quærere: an importet absolutionem in recto, & actus poenitentis in obliquo: vel ab opposito: vel an importentur æquæ principaliter, & per se primò? p. 407. n. 249.
- Resolutio est: Sacramentum Poenitentiae adæquatè sumptum importare absolutionem principaliter, & in recto: actus verò poenitentis minus principaliter, & in obliquo. ibid.
- Argumenta solvuntur. p. 408. n. 251.
- DISPUTATIO III.**
- De partibus Poenitentiae in particulari.* p. 409.
- ARTICULUS I.**
- De Contritione.*
- Quæst. I. Quid, quotuplex, & qualis sit Contritio? ibid. n. 252.
- Conclusio I. Definitur perfecta contritio, & declarantur actus, qui ad illam requiruntur. p. 411. n. 256.
- Notabilia ad rectam contritionis intelligentiam, & illius sufficientiam. ibid. à n. 257.
- Quomodo fieri possit peccati remissio, sine proposito non peccandi in posterum. p. 412. n. 261.
- Dolor sensitivus non est necessarius, sed sufficit spiritualis, & internus. p. 413. n. 262.
- Conclusio II. Ut Contritio sit perfecta, & extra Sacramentum peccati remissiva, debet peccatum detestari ex affectu, seu motivo charitatis, saltem virtualiter; vel à charitate imperari. ibid. n. 264.
- Solutio Argumentorum. p. 415. n. 267.
- Quæst. II. De vi, & efficacia Poenitentiae ad remittenda peccata. Et prænotantur tria ad intelligentiam. p. 416. n. 271.
- Conclusio I. Contritio perfecta, sine susceptione Sacramenti, & etiam extra casum necessitatis, est remissiva cujuscumque peccati, si adsit votum recipiendi Sacramentum Poenitentiae. p. 417. n. 273.
- Argumentis fit satis. ibid. n. 275.
- Conclusio II. Ut contritio sit perfecta, ac peccatorum remissiva, necesse non est, quod sit amor, nec dolor, summus intensivè, sed sufficit, quod sit summus appreciativè. Explicatur hoc. p. 420. n. 281.
- Argumenta diluuntur. p. 421. n. 284.
- Dolor contritionis debet esse maximus appreciativè. p. 422. n. 287.
- Quæres I. An perfecta contritio necessario debeat procedere ex gratia, & charitate habituali? Resp. negativè, contra Hæreticos. ibid. n. 288.
- Hæreticorum instantiæ solvuntur. p. 423. n. 290.
- Quæres II. Quomodo contritio peccatum remittat, & causet gratiam? p. 424. n. 292.
- Quæres III. Qualis debeat esse dolor de peccatis ad dignam, & validam receptionem Sacramenti Poenitentiae? Notabilia ante resolutionem. p. 426. n. 297.
- Dico: Ad perfectam contritionem necessarium non est, quod peccator de singulis peccatis debeat sigillatim. ibid. n. 299.
- Solvuntur argumenta. p. 425. n. 300.
- Quæst. III. Quid sit attritio? Et per quid à contritione distinguatur? Plura scitu valde digna exponuntur. p. 428. n. 302.
- Definitur attritio. p. 429. n. 305.
- In quo conveniant. n. 304. Et in quo differant n. 306. et præsertim. n. 310.
- Quæst. IV. An Attritio ex metu gehennæ, aut peccati turpitudine con-

cep-

- cepta, sit actus honestus, bonus, & utilis? p. 432. n. 311.
- Catholica Conclusio. Attritio ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati, est actus bonus, & laudabilis, atque ad salutem utilis. Contra Hæreticos. ibid. n. 312.
- Infringuntur argumenta Lutheranorum. p. 433. n. 315.
- Quotuplex sit, ac possit sumi timor? p. 434. n. 316.
- Quæst. V. An attritio ex metu gehennæ, aut ex peccati turpitudine concepta, sit sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento Poenitentiae? p. 436. n. 320. Sententia referuntur. ibid. & n. 321.
- Conclusio: Attritio ex timore poenitentiae, à Deo infligendæ, vel ex turpitudine peccati, concepta, est sufficiens dispositio ad gratiam consequendam in Sacramento Poenitentiae. p. 437. n. 322.
- Adversariorum responsiones refutantur ex mente Tridentini. p. 438. n. 323.
- Varii modi dicendi Adversariorum, erga amorem initialem ab ipsis requisitum, & quam difficile sit, intelligere illum. p. 440. n. 329.
- Cæteræ satis efficaces Conclusionis probationes. p. 442. n. 334.
- Aliæ infringuntur solutiones nostrarum rationum. p. 443. n. 337.
- Objectionum solutio. p. 444. n. 339.
- Quæstio VI. In qua plura colliguntur ex assertionibus præcedentibus. p. 447. n. 347.
- Colliges 1. Falsam esse opinionem existimantium, requiri ad hoc Sacramentum attritionem, quæ contritio existimetur. ibid.
- Colliges 2. Falsam esse sententiam aliquorum, qui asseruerunt, attritionem sufficere quidem ad Sacramenti valorem: non tamen ita ut ex ea immediatè sequatur justificatio; sed quia poenitens transit ex actu imperfecto attritionis, ad actum perfectum contritionis. p. 448. n. 348.
- Colliges 3. Attritionem ad omnia prorsus peccata mortalia extendi debere. ibid. n. 349.
- Colliges 4. Necessarium esse, quod dolor de peccatis præcedat absolutionem. p. 449. n. 351.
- Colliges 5. Præceptum confessionis in Evangelica lege, præcepto contritionis successisse. Explicatur, quomodo hoc debeat intelligi. ibid. n. 352.
- Colliges 6. Possibile non esse Sacramentum Poenitentiae validum, & informe. ibid. n. 353.
- Colliges denique, falsam esse sententiam dicentium, sufficere posse ad hoc Sacramentum voluntatem confitendi, absque formali dolore. p. 456. n. 355.
- Nec sufficere potest attritio existimata, & apparens. ibid.
- ARTICULUS II.**
- De Confessione Sacramentali.* p. 451.
- Quæstio I. An, & quid sit Sacramentalis confessio? Et à quo instituta est? ibid. n. 356.
- Conclusio I. Datur confessio Sacramentalis. Est contra Hæreticos. ib. n. 357.
- Conclusio II. Confessionem Sacramentalem definiens, & definitionem explicans. p. 452. n. 358.
- Conclusio III. Confessio Sacramentalis instituta est à Christo Domino: ac proinde est de jure divino. Contra plures Hæresiarchas. ibid. n. 359.
- Objecta solvuntur. p. 453. n. 361.
- Quæstio II. Quomodo necessaria sit peccatorum confessio? p. 454. n. 365.
- Conclusio I. Non est necessaria ex jure naturæ, sed ex jure divino. ibid. n. 365.
- Argumenta solvuntur, & Hæreticorum fundamenta enervantur. p. 455. à n. 368.
- Conclusio II. Sacramentalis confessio in re, vel in voto, necessaria est necessitate mediæ ad remissionem

nem

- nem mortalem post Baptismum commissorum. p.460.n.379.
- Solutio argumentorum. ibid.n.381.
- Quaestio III. An Ecclesia praecipere possit, ac praeeperit peccatorum confessionem? p.461.n.383.
- Conclusio I. Ecclesia praecipere potest, & de facto per se praecipit confessionem faciendam singulis annis. p.462.n.385.
- Responsiones, & argumenta Durandi infringuntur. ib. a n. 386.
- Conclusio II. Omnes, & soli Baptizati, postquam ad annos discretionis pervenerint, tenentur ad praecipitum confessionis peccatorum mortalium: non vero venialium. p.464.n.390.
- Argumentum solvitur. ~~ibid.n.391.~~
- Quo anno incipit obligatio confessionis annuae, & adsit in pueris sufficiens usus rationis? p.465.n.393.
- Argumentorum solutio. ibid.n.395.
- Aliquae solvuntur difficultates. pag. 466.
- Difficultas I. An infideles teneantur ad praecipitum divinum confessionis faciendae? Responsio negativa contra plures. ibid.n.397.
- Argumenta solvuntur. ibid.n.398.
- Difficultas II. An qui praevidet, non posse intra annum confiteri, teneatur ad confessionem, dum sic praevidet? Affirmative. p.467.n.401. Solvitur replica. n.402.
- Difficultas III. Unde sit inchoandus annus, intra quem viget hoc confessionis Ecclesiasticum praecipitum? p.468.n.404.
- Difficultas IV. An qui omisit confessionem intra annum, confiteri teneatur statim, initio anni sequentis? Affirmative respondetur pag. 469.n.405.
- Non impletur praecipitum invalida confessione. ibid.
- Difficultas V. An muti teneantur per signa confiteri? Affirmative. n.406.
- Solvuntur argumenta. ibid.n.407.
- Difficultas VI. An ignorans idioma, teneatur confiteri per interpretem? Respondeo, licere, sed ad id non teneri. p.470.n.409.
- Argumentum solvitur. p.471.n.410.
- Quaestio IV. In quibus casibus obliget praecipitum, tam divinum, quam Ecclesiasticum confessionis? pag. 472.n.413.
- Conclusio I. Quilibet Christianus teneatur praecipito divino confiteri, quando imminet periculum damnationis, & mortis, si peccata mortalia habet: non autem per se loquendo, statim ac peccavit mortaliter. ibid.n.414. Nec obligat tempore gravi tentationis. num. 415.
- Objectorum solutio. p.473.n.416.
- Conclusio II. Habens peccatum mortale debet confiteri, quando teneatur Eucharistiam recipere: non vero, quando aliud Sacramentum ministrat, aut recipit. ibid.n.418.
- Quaestio V. Qualis debeat esse confessio perfecta, & fructuosa? Assignantur, & explicantur illius conditiones. p.474.n.420.
- Integritas materialis, & formalis illius explicatur. n.421.
- Circumstantiae mutantes speciem, & aggravantes explicantur. n.422.
- Conclusio I. Confessio regulariter debet esse secreta, seu auricularis: at vero valida potest esse confessio publica ex parte poenitentis. p.476.n.424.
- Argumenta contra utramque partem infringuntur. p.477.n.426.
- Conclusio II. Confessio Sacramentalis debet esse de omnibus peccatis mortalibus, non tantum in genere, sed etiam in numero, & specie. p.478.n.429.
- Argumentis satisfiit. p.479.n.431.
- Conclusio III. Ad confessionis valorem necessaria non est integritas materialis. p.480.n.433.
- Assignantur plures casus, in quibus non obligat praecipitum integritatis materialis confessionis. ibid. n.434.

Con-

- Conditioes necessariae, ut legitime excusetur poenitens ab illa obligatione. ibid.n.435.
- Quaeres: An liceat dimidiare confessionem, quando poenitens non potest aliter peccatum manifestare, quam revelando personam complicitis, cum qua peccavit? Referuntur sententiae. p.481.n.436.
- Dico: Tunc casus non licet confessionem dimidiare: sed debet poenitens revelare in confessione personam complicitis, si obligatio confitendi urget: dummodo nullum aliud grave damnum spirituale, nec temporale sequatur complici, quam illius notitia per confessionem. ibid.n.437.
- Solvitur argumentum praecipuum. p.482.n.438. Et advertuntur aliqua. n.440.
- Conclusio IV. Circumstantiae notabiliter aggravantes explicari debent in confessione. Aperitur mens Subtil. Doct. contra plurium existimationem. p.483.n.441.
- Obiectio efficax solvitur. pag.484.n.443.
- Circumstantias aggravantes debere confiteri, ratione censurae, vel reservationis annexae, conveniunt, etiam adversarii. Et alia insinuantur advertenda. p.485.n.446.
- Dubitabis I. An qui habet casus reservados, occurrente necessitate, Sacerdoti non habenti facultatem absolvendi a reservatis, possit sola peccata non reservata confiteri? Respondetur negative. p.486.n.447.
- Objectionis solutio. ibid.n.448.
- Dubitabis II. An possit absolvi moribundus, qui nullum peccatum confiteri potest? Potest moribundus quadrupliciter considerari, & exponitur, quomodo hoc verificetur. ibid.n.450.
- Dico I. Potest, & debet absolvi moribundus in duplici primo casu num. anteced. expresso: nempe, si praesente Sacerdote, dat quaedam signa doloris, quibus ostendit se peccasse, & subito privatus facultate loquendi, non potest ullum peccatum confiteri in particulari: vel quando absente Sacerdote, signa dedit poenitentiae: ipso vero adveniente, nullum signum advertit poenitentiae. p.487.n.451.
- Argumentis fit satis. ibid.n.453.
- Dico II. Absolvi etiam debet in 3. & 4. casu. Hi sunt, quando moribundus subito privatur sensibus, quin signum sensibile Sacerdoti ostendit doloris: constat vero catholicé vixisse: & etiam quando non constat de ejus vita. p.488.n.455.
- Fundamenta Adversariorum infringuntur. p.489.n.457.
- Quando iterari debeat confessio, & quomodo tunc peccata confiteri debeant? ibid.n.459.

ARTICULUS III.

De satisfactione Sacramentali. p.490.

- Quaestio I. An, quid, & quantum pars Sacramenti hujus, sit satisfactio Sacramentalis? Referuntur Calvinistarum errores. ibid.n.460.
- Conclusio I. Dantur, ac necessariae sunt, in homine opera bona, & satisfactoria, pro suis peccatis, ex meritis Christi. Est contra Calvinistas, & Lutheranos. ib. n.461.
- Hereticorum cavillationes diluuntur. p.491.n.463.
- Conclusio II. Satisfactio Sacramentalis est operatio laboriosa, & poenalis, voluntarie accepta, & tolerata, ad puniendum, peccatum, & compensandam offensam Dei, ex Sacerdotis impositione. ibid.n.464.
- Conclusio III. Quamvis opera satisfactionis Sacramentalis regulariter sint, & debeant esse poenalia, & externa: tamen omne opus meritum, non poenale, & internum, potest veré esse satisfactorium. ibid.n.465.
- Probat 2. Conclusionis pars. p.492.n.

- n. 466.
Fundamenta contra 1. partem solvuntur. *ibid.* n. 467. & contra 2. n. 468.
Conclusio IV. Satisfactio hæc etiam fieri potest per voluntariam nostram tolerantiam in afflictionibus, & poenis, quas patimur à causis secundis, Deo permittente, vel eas infligente. p. 493. n. 469.
Conclusio V. Satisfactio in voto est pars essentialis hujus Sacramenti, & satisfactio in re est pars integralis. p. 494. n. 472.
Argumentorum solutio. *ibid.* n. 473.
Conclusio VI. Satisfactio Sacramentalis regulariter debet imponi à Sacerdote ante absolutionem: aliquando tamen post absolutionem imponi potest. p. 495. n. 475.
Præcluduntur aliquæ objectiones. *ibid.* n. 476.
Quæres: An poenitens satisfacere possit per opera aliunde præcepta? Referuntur sententiæ, & respondetur affirmativè. p. 496. n. 477.
Fundamenta opposita soluta. p. 497. n. 480.
Quæstio II. An Sacerdos teneatur poenitentiam imponere? Et poenitens teneatur illam acceptare, & implere? Referuntur variæ sententiæ. *ibid.* n. 482.
Conclusio I. Sacerdos regulariter tenetur poenam aliquam imponere poenitenti, nisi adsit impossibilitas ex parte ipsius. n. 483.
Argumentorum solutio. p. 498. n. 485.
Conclusio II. Poenitens tenetur acceptare, & implere satisfactionem à Sacerdote impositam, nisi impotentia impediatur: aliter mortaliter peccaret, & absolvendus non esset. p. 499. n. 487.
Satisfit objectionibus. p. 500. n. 489.
Mens Subt. Doct. expenditur. p. 501. n. 492.
Quæstio III. An valeat satisfactio facta extra statum gratiæ? Varii referuntur modi dicendi. *ibid.* n. 494.
Conclusio: Satisfactio Sacramentalis, licet impleta sit in statu peccati mortalis, non solum valet, quoad remissionem poenæ: sed etiam hunc suum effectum statim habet. p. 502. n. 495.
Solutio argumentorum. p. 503. n. 496.
Differentia inter Indulgentias, & satisfactionem Sacramentalem. p. 504. n. 498.
Utilitas longè est, satisfactionem implere in statu gratiæ, & quare. *ibid.*
Quæres I. An poenitens possit propria autoritate poenitentiam Sacramentalem, sibi impositam, in aliam commutare? **Negativè** *ibid.* n. 499.
Quæres II. An unus possit pro alio satisfacere? **Negativè.** *ibid.* n. 500.
Quæres III. An unus Confessarius possit, ex rationabili causa, commutare poenitentiam, vel à se, vel ab alio in confessione impositam? **Varia opiniones referuntur.** *ibid.* n. 501.
Dico: Confessarius mutare potest poenitentiam, vel à se, vel ab alio impositam, ex rationabili causa. p. 505. n. 502.
Colliges 1. ex dictis, Confessarium non posse mutare poenitentiam ab alio impositam, nisi in confessione, & auditis peccatis, pro quibus imposita fuit. Est contra plures. *ibid.* n. 503.
Colliges 2. Contra eosdem, Sacerdotem inferiorem non posse mutare poenitentiam à superiore impositam, propter peccata reservata. *ibid.*
Solutio objectionum. p. 506. n. 504.
Notitia brevis de satisfactione publica Canonica. *ibid.*
Satisfactio alia est Sacramentalis, alia Canonica. *ibid.* n. 506.
Poenitentia publica triplex fuit. pag. 507. n. 507.
Disciplina erga tales poenitentias publicas variata est ab ipsa Ecclesia, juxta varia tempora. *ibid.* n. 508.
Varia classes publicæ poenitentia juxta

ta peccatorum, pro quibus imponatur, diversitatem. p. 508. n. 510.

DISPUTATIO IV.

De Ministro Poenitentia. p. 509.

Quæstio I. Quis, & qualis debeat esse Minister Sacramenti Poenitentia? *ibid.* n. 512.

Plures referuntur modi dicendi, & explicatur potestas ordinis, & jurisdictionis: & insimul, quid intelligatur nomine *virtute clavium*. p. 510. & n. 514.

Conclusio I. Solus Sacerdos Evangelicæ legis est idoneus Minister Sacramenti Poenitentia. Est contra hæreticos. p. 511. n. 515.

Argumentorum solutio. *ibid.* n. 516.

Conclusio II. Nullus est casus extremæ necessitatis, in quo nec Diaconus, nec laicus, absolvere potest: & consequenter in quo poenitens teneatur illis Sacramentaliter confiteri. Exponitur, quomodo antiqui DD. debeant intelligi. pag. 512. n. 519.

Quæst. II. An omnis Sacerdos sit legitimus Minister hujus Sacramenti. Referuntur plures antiquorum sententiæ, & intelligentiæ, erga potestatem clavium. p. 513. num. 520.

Conclusio I. Non omnis Sacerdos est Minister Sacramenti Poenitentia: sed ille tantum, cui concessa est jurisdictio. p. 614. n. 522. Contra jus divinum nulla consuetudo prevalere potest. *ibidem.*

Conclusio II. In casu necessitatis, seu in periculo mortis, quilibet Sacerdos est idoneus Minister hujus Sacramenti, si non adest habens legitimam jurisdictionem. *ibidem.* n. 523.

Argumentorum solutio. pag. 515. n. 525.

Interrogas: Si infirmus manifestet, se velle confiteri simplici Sacerdoti, poterit iste illum Sacramen-

Tom. I.

taliter audire; Parocho, aut Sacerdote approbato, præsentem? Sentendum est affirmativè, contra plures. p. 516. n. 529.

Triplex necessaria advertentia pro casu absolutionis à simplici Sacerdote. p. 517. n. 530.

Quæstio III. Quis sit idoneus Minister Poenitentia pro peccatis reservatis? Exponitur, quid sit reservatio? Quæ conditiones ad illam debeant concurrere? Et quare Prælati regulares, etiam aliqua venialia, possint reservare. *ibid.* n. 531.

Conclusio I. In Ecclesia est vera potestas reservandi peccata. p. 518. n. 532.

Conclusio II. Minister ordinarius pro reservatis est ipse reservans, vel æqualis, vel superior: Delegatus autem est quilibet Sacerdos habens à reservante legitimam potestatem. *ibid.* n. 533.

Conclusio III. Episcopus absolvere potest suos subditos à casibus occultis Pape reservatis: & suos subditos pariter possunt Prælati regulares; exceptis casibus reservatis in Bulla Coenæ. Qui sint reservati ratione censurae, & qui ratione gravitatis? p. 519. n. 535.

Conclusio IV. Quilibet Confessor approbatus potest absolvere poenitentem ab omnibus casibus reservatis, tam Papalibus, quam Synodalibus, virtute Bullæ Cruciatæ. p. 520. n. 537. Excipitur hæresis mixta. *ibid.*

Quid sentiant DD. de casibus in Bulla Coenæ reservatis, & quid de reservatis extra Bullam: quid si publici sint? *ibid.*

Conclusio V. Episcopi, juxta communior opinionem, absolvere non possunt à reservatis occultis intra Bullam Coenæ. pag. 521. n. 538.

Quando Episcopi directè possint absolvere à prædictis casibus, etiam publicis: & aliqua alia hac in re notatu dignissima. *ib.* n. 540.

Gggg

Con-

- Conclusio VI.** Regulares ab Ordinario approbati, virtute suorum privilegiorum, absolvere possunt à casibus reservatis occultis extra Bullam Coenae toties quoties. pag. 522. n. 541.
- Bulla Coenae,** quoad aliqua capita in Hispania non viget: quare, & quae sint? *ibid.*
- Quæris I.** An Confessarius habens opinionem probabilem, erga suam jurisdictionem, legitime absolvat poenitentem? **Affirmativè.** *ibid.* n. 542.
- De errore communi cum titulo, & sine illo:** & quando Ecclesia certò supplet, aut tribuit jurisdictionem, dum adest opinio probabilis erga jurisdictionem. p. 443. n. 543.
- Solvuntur argumenta.** *ib.* n. 544.
- Quæris II.** An potestas absolvendi à reservatis expiret per mortem Superioris, qui illam concessit? **Respond.** negativè. p. 524. num. 547.
- Quæ etas necessaria sit ad reservationem incurrendam?** *ibidem.*
- Quæstio IV.** De sigillo confessionis: & quos obliget? p. 525. n. 548.
- Quid sit tale sigillum.** *ibid.*
- Conclusio I.** Sacerdos tenetur ad sigillum Sacramentale, jure naturali, Divino, & Ecclesiastico. *ib.* n. 549.
- Argumentis satisfi.** p. 526. n. 550.
- Prelatus, & Judex non possunt uti** notitia confessionis ad externam Ecclesiam, aut Religionis gubernationem, si ex hoc infringeretur sigillum confessionis. pag. 527. n. 553.
- Lex sigilli urget,** quamvis poenitens dimittatur sine absolutione. *ib.*
- Hæc lex extenditur,** non solum ad peccata gravia, & levia, sed etiam ad ea omnia, quæ confessionem redderent onerosam, & odiosam. *ibidem.*
- Revelatio peccati, etiam venialis, in specie, esset peccatum mortale, & quare.** *ibid.*
- Quid sit violare sigillum directe, &**
- quid indirecte?** *ibid.*
- Etiam obligat sigillum, quoad jam** mortuos. *ibid.*
- Omnes illi, qui ex Sacramentali confessione** peccata noscunt, quomodocumque id contingat, ad sigillum tenentur. p. 528. n. 554. **Ubi etiam de Interprete, & consiliario.**
- Conclusio II.** Poenitens non potest Confessario permittere, ut loquatur de peccatis confessis: nec Confessarius tali licentia potest uti. *ibid.* n. 555.
- Argumenta enervantur.** pag. 529. n. 556.
- Quæris I.** Si Sacerdos juridicè, aut à Tyranno interrogetur de peccato audito in confessione, quomodo respondere debet? **Referuntur opiniones.** *ibid.* n. 558.
- Quæris II.** An Sacerdos aliquandò possit uti notitia habita in confessione, salva integritate sigilli? **Affirmativè, & assignantur casus, in quibus liceret.** p. 530. n. 559.
- Quæris III.** Quæ alia requisita necessaria sint in Sacerdote ad hujus Sacramenti debitam administrationem? *ibid.* n. 560.
- Respondeo I.** Præter jurisdictionem, & sigillum requirit in illo scientiam, & sanctitatem. *ibid.*
- Respondeo II.** Ut validè ministret Sacramentum Poenitentiae, debet esse approbatus, & deputatus à Papa, vel ab Episcopo illius loci, ubi confessiones audit: quin sufficiat approbatio Episcopi sui, aut poenitentis. p. 531. n. 561.
- Approbatio, & jurisdictio, quid sint?** Et in se distinguuntur, quamvis communiter pro eodem usurpentur. *ibid.*
- Argumenta solvuntur:** & quare Episcopus, & Parochus, absolvere possint suos subditos in aliena Dioecesi? p. 532. n. 564.
- Quæstio V.** & ultima; plura difucidans de Sigillistis, ac de Monialium, atque Regularium Confessariis. *ibid.* n. 565.
- Quæ-**

- Quænam fuerit Sigillistarum doctrina,** & unde tales appellati sint? **De illorum doctrinae perniciosissima praxi, ac de Apostolicis Bullis Benedicti XIV. pluries illam reprobante.** *ibid.* à n. 565. usque ad n. 569.
- Uterius probatur falsitas doctrinae Sigillistarum.** p. 534. n. 570.
- Occurritur principaliori illorum fundamento, & objectioni.** p. 535. n. 571.
- De Confessoribus Monialium, ac de illarum Novitiis, Donatis, famularibus, & similibus aliis in Monasteriis viventibus.** p. 536. à n. 575. usque ad 578.
- Sermo instituitur de Confessariis Religiosorum, ac de Novitiis illorum.** p. 537. n. 579.
- Quid sit dicendum de Religiosis in ordine ad confessionem, dum Superiorum licentia extra Claustra resident?** p. 538. n. 581.
- De autoritate absolvendi à casibus in Religione reservatis plura edocentur.** *ibid.* à num. 582. usque ad 587.
- Constitutionem Generalem Fratrum Capuccinorum, illis absolutè prohibentem confiteri extra Claustra degentibus nisi cum Confessario sui Ordinis, Benedictus XIV. mo-**
- deravit, ac licentiam absolvendi ab illis à Confessore extraneo concessit, modo explicato** *ibi.* p. 540. à n. 588. usque ad 591.
- Inquires:** Quid dicendum sit, quando visis, ac revisis circumstantiis alicujus peccati, prudenter dubitatur: an sit, vel non sit reservatum? **Resolvitur hoc dubium.** p. 542. n. 592.
- Quæres:** An Regulares uti possint privilegio Bullae Cruciatæ in ordine ad absolutionem à casibus in sua Religione reservatis. *ib.* n. 593.
- Fratres Minores Observantes nullo modo uti possunt Bullae privilegio, ut vi illius absolvantur à reservatis in Religione suis Provincialibus Ministris.** *ibid.* n. 594.
- Probatur absolutio convincenter.** *ibid.* n. 594. & 595.
- Occurritur objectionibus.** pag. 543. n. 596. & 97.
- Possunt verò uti aliis Bullae privilegiis.** p. 544. n. 598.
- Non sunt irritæ confessiones factæ à nostris juvenibus, Laicis, Novitiis, & Donatis, dummodo fiant cum Confessario Ordinis, non obstante, quòd Religionis Constitutiones ordinent, prædictos non confiteri, nisi cum suis designatis Magistris.** *ibid.*

TRACTATUS V.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS. p. 545.

Præmittitur, quid de hoc Sacramento docuerit Concilium Florentinum. *ibidem.*

DISPUTATIO UNICA.

Quidquid ad essentiam Extremæ Unctionis attinet explanans.

Quæstio I. Quid sit Extrema Unctio? Et an sit verum novæ legis Sacramentum? pag. 546. num. 1.

Dico I. Extrema Unctio est unctio

hominis infirmi poenitentis, facta in determinatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote, simul verba certa cum debita intentione pro-

- proferente, ex institutione divina efficaciter significans finalem curationem venialium. *ibid.* n. 2.
- Explicantur definitiones physica, & metaphysica, hujus Sacramenti. *ibid.* n. 2. & 3.
- Dico II. Extrema Unctio est verum noyæ legis Sacramentum. p. 547. n. 4.
- Dico III. Extrema Unctio immediate instituta est à Christo Domino. p. 548. n. 5.
- Argumenta solvuntur. *ibid.* n. 6.
- Inquires: Quando Sacramentum hoc fuit institutum? p. 550. n. 9.
- Relatis opinionibus, resolvitur, institutum fuisse à Domino post ejus mirabilem Resurrectionem. *ibidem.* n. 10.
- Quæstio II. De materia Extremæ Unctionis, de pertinentibus ad illam. p. 551. n. 11.
- Materia illius tam remota, quam proxima, explicatur. *ibidem.*
- Resolutio I. Materia remota est oleum olivarum, ab Episcopo benedictum. *ibid.* n. 12.
- Argumenta solvuntur. *ibid.* n. 13.
- Resolutio II. Benedictio olei ab Episcopo non est adeo necessaria, quod committi non possit simplici Presbytero, à Sum. Pontifice, vel ab Episcopo. p. 552. n. 15.
- Argumenta solvuntur. pag. 553. n. 17.
- Resolutio III. Materia proxima Extremæ Unctionis, seu numerus unctionum, debet esse septuplex. *ibid.* n. 18.
- Resolutio IV. Septuplex prædicta unctio non est necessaria necessitate Sacramenti: in casu namque necessitatis, una tantum sufficiet. p. 554. n. 19.
- Si aliqua indecentia sequatur omitenda est illa unctio, ex qua sequitur. *ibid.*
- Objecta solvuntur. *ibid.* n. 20.
- Quatuor illationes ex hucusque dictis. p. 555. n. 22.
- Dubitabis I. An quis validè infirmum ungeret chrismate Confirmacionis: Affirmativè. pag. 556. n. 24.
- Dubitabis II. An sit præceptum renovandi oleum per singulos annos? Referuntur sententiæ. *ibidem.* num. 25.
- Explicatur sensus dubii, & resolvitur negativè. *ibid.* n. 26.
- Quæstio III. De forma Sacramenti Extremæ Unctionis. pag. 557. n. 27.
- Assertio I. Declarans formam indubiam, ac certam. *ibid.* n. 28.
- Assertio II. Hoc Sacramentum sub forma indicativa validè non conferretur. p. 558. n. 29.
- Argumentorum solutio. *ibid.* n. 30.
- Quatuor corollaria ad hujus Sacramenti formæ rectam intelligentiam. p. 560. n. 33.
- Dubitabis: An integra forma proferri debeat necessariò in quolibet sensu? vel sufficiat sub una forma comprehendere illos. *ibidem.* n. 34.
- Duplici in sensu dubium intelligi potest, & in utroque affirmatur, sufficienter. *ibid.* n. 35.
- Quæstio IV. De legitimo Ministro Extremæ Unctionis. p. 561. n. 36.
- Conclusio I. Solus Sacerdos est Minister illius. *ibid.* n. 37.
- Conclusio II. Non potest licitè ministrari, nisi à proprio Parocho: vel de illius commissione: vel in casibus necessitatis. p. 561. n. 38.
- Quid, si Parochus ipse nollet ministrare, nec alteri licentiam tribuere? *ibid.*
- Conclusio III. Parochus non tenetur per se hoc Sacramentum ministrare cum periculo vitæ. p. 562. n. 39.
- Potest verò teneri per accidens, & explicatur, quomodo, & quando? *ibidem.*
- Conclusio IV. Dum vitæ periculum non imminet Parocho, iste tenetur, aut ex justitia, aut ex fidelitate Extremam Unctionem conferre ægroto, indigenti, & petenti,

- ti, saltem interpretativè. *ibidem.* n. 40.
- Quæ sit obligatio alterius cujuscunque Sacerdotis, Parocho ministrare nolente. *ibid.*
- Conclusio V. In casu necessitatis plures possunt Sacerdotes simul ministrare hoc Sacramentum: & explicatur quotplex contingere potest casus. *ibid.* n. 41.
- Argumenta adversus istas Conclusiones solvuntur. p. 563. n. 42.
- Quæstio V. De spectantibus ad Extremæ Unctionis subjectum. p. 564. n. 45.
- Dico I. Soli adulti baptizati sunt capaces Extremæ Unctionis. p. 565. n. 46.
- Excluduntur ab hujus Sacramenti perceptione parvuli, perpetuò amentes, seu rationis usu carentes. *ibidem.*
- Dico II. Adultus, qui numquam peccavit, adhuc venialiter non est capax hujus Sacramenti. Est contra plures DD. *ibid.* n. 47.
- Argumenta solvuntur. p. 566. n. 48.
- Ministrari non debet damnatis mortis supplicio: nec proximè paratis ad prælium: nec navigantibus in periculo naufragii: nec parturientibus, ex ratione præcisa partus. p. 567. n. 51.
- Licet hoc Sacramentum institutum sit pro infirmis periclitantibus, non est expectandus supremus mortis articulus. *ibid.*
- Administrari debet, etiamsi infirmus destitutus sit sensibus. *ibidem.*
- Quæres: An sit præceptum de unctione recipienda? Respondeo negativè, secluso scandalo, & contemptu. *ibid.* n. 52.
- Quæstio VI. De effectibus hujus Sacramenti: quot, & qui sint? pag. 568. n. 53. & 54.
- Difficultas I. Quid sint peccatorum reliquiæ, quas abstergit hoc Sacramentum? & quid per reliquias intelligatur? *ibid.* n. 55.
- Varii dicendi modi referuntur, & nostrum sentire exprimitur. *ibidem.*
- Difficultas II. Qualis sit primarius effectus hujus Sacramenti? p. 569. n. 56.
- Dico I. Effectus proprius, & primarius, hujus Sacramenti est remittere peccata, & peccatorum reliquias. p. 570. n. 58.
- Dico II. Effectus minus principalis, & secundarius, est sanitas corporalis. p. 571. n. 61.
- Difficultas III. An hoc Sacramentum remittere possit peccata mortalia. n. 62. *ibid.*
- Dico: Posse remittere mortalia, atque adeo conferre primam gratiam. p. 572. n. 63.
- Plures referuntur casus, in quibus peccata mortalia remitteret. p. 573. n. 66.
- Quatuor corollaria ex hucusque dictis; scitu valde digna. *ibid.* n. 67. & 68.

